IN ACTA APOSTOlorum per Diuum Lucam descripta, Homiliæ CLXXV.

AVTHORE
RODOLPHO GVALTHERO
TIGVRINO.

Editio secunda, priori multis in locis locupletior & emendatior.

ACCESSERVNT operi Indices duo rerum & locorum scripturæ, qui hoc libro explicantur.



IESVS.

Ecce agnus ille Dei, qui tollit peccatum mundi. Ioann. I.

TIGVRI
EXCVDEBAT CHRISTOPH. FROSCHOVERVS,
Mense Augusto, Anno M. D. LXII.

Omnes quidem clamant reformationis opus non
quo [illegible] [illegible] nos calumniose [illegible]
ignorant: partim propter populi [illegible] plerosque
mores: qui non [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
sanari possint: partim propter magnatum dissi-
dia. quod hi qui deberent reformare [illegible]
simulant: ut qui libenter fuerint propositiones
rem ipsi quod [illegible] possunt. Quare liber
hic [illegible] [illegible] diligentissime
proponit: [illegible] ne non integra [illegible] reforma-
tionis [illegible] possumus. [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] d. Bullingeri et de
synodo Cardinalibus.

AMPLISS. ET MAGNIFICIS VIRIS, CONSVLIB. TOTIQVE SEnatui inclytæ Tigurinorum Reipub. Dominis suis & Patrib. plurimum obseruandis, RODOLPHVS GVALTHERVS TIGVRINVS, gratiam & pacem à Deo patre per Iesum Christum Dominum nostrũ precatur.

VETVS hæc consuetudo est, & sanctorum patrum exemplis confirmata, quòd bonarum artium & literarum sectatores, studiorum suorum fructus uel amicis uel principibus uiris, authoritate & honore eximijs, dedicare solent, ut uel illos aliquo amoris officio demereantur, uel idoneos laborum suorum patronos sibi parent. Quòd autem ego meas in apostolorũ Acta lucubrationes, uobis potissimum (ampliss. uiri, Domini & patres summa fide mihi obseruandi) nuncupandas esse putarim, multæ me & graues causæ mouerunt. Priuatim enim uestra in me beneficentia, publicè uero assidua cura, qua patriæ simul & communi religionis causæ consultum cupitis, exigebat, ut & ego aliquo gratitudinis officio meam erga uos uoluntatem fidemq́ testarer, & ardens illud uestræ pietatis studium publico ecclesiæ nostræ testimonio cõmendaretur: cuius exemplum iam annis aliquot permultos non obscuros rerumpub. proceres imitari minimè puduit. Vt tamẽ ingenuè quod res est fatear, hæc mihi potissima mei cõsilij ratio fuit, quòd libri huius argumentum eiusq́ consyderationem ad uos omnino pertinere uiderem. Hoc enim uniuersa Ecclesiæ Christi ratio absolutiss. cõtinetur, quam omnibus qui in magistratu uersantur, cumprimis cognitam & perspectam esse cõuenit. Nec enim illi audiendi sunt qui politicos magistratus prophana tantũ curare, à sacris autem in uniuersum abstinere uolunt. Qui mihi in ea omnino sententia esse uidentur, ut respub. à Dei prouidentia eximant, quas ne Ethnici quidem sine hac cõseruari posse senserunt. Et nota est diuini illius & regij Psaltis sententia: Nisi Dominus custodiat ciuitatem, frustra uigilat custos. Qui idem reges & principes hortatur, ut Dei uerbo sese erudiri patiantur, & filium Dei, Iesum Christum, exosculentur atq; obseruent. At quorsum reges Dei uerbo erudiri opus est, si nullus uerbi huius in reipub. administratione usus esse debet? Aut quomodo Christum exosculabuntur, & reuerenter obseruabunt, si ecclesiam, quã ille pupilla oculi sui, imò uita sua, chariorem habet, neglexerint? Quomodo itẽ corpus illud negligent, cuius nisi membra fuerint sub Christo capite, salui esse non poterunt? Potius ergo Isaias audiendus erit, qui de Christi Ecclesia uaticinans, inter alia ait: Erunt reges nutritij tui, & reginæ eorum nutrices tuæ. Quo oraculo non tam Ecclesiam consolari uidetur, quàm regum & magistratuum officium atq; dignitatem commenda-

re, quæ in eo præcipuè elucent, quòd illis Deus curã Ecclesiæ suæ cõmittere dignatur, quam filij sui sanguine redemptam uoluit. Fatemur quidem Deum in hac re hominum opera nequaquam opus habere, siquidem absoluta sua potestate uti uelit. Nec etiam negamus, Ecclesias plerunque occulta potius Dei uirtute & ineffabili consilio, quàm hominum industria, propagari atque defendi. Id uero non ideo fieri dicimus, quòd magistratuũ curam & officium Deus improbet, sed ut omnem Ecclesiæ cõseruatæ laudem & gloriam ipsi uni acceptam ferri debere constat, ne ue quis religionem ab hominum potius arbitrio, quàm Dei prouidentia, pendere arbitretur. Interim ea est Dei bonitas, ut homines cooperarios habere dignetur, quorũ ministerio electos suos per uerbum regenerat, & eosdem sub pijs magistratibus inter undique imminentia pericula aduersus mũdi huius furores tuetur: ut quatenus fidei & salutis ipsorum ratio exigit, pace frui possint. Atque hanc Dei uoluntatem esse, non scripturæ modò testantur, sed unanimis omnium gentium consensus probat. Certè aureo illo patriarcharum seculo penes unum & eundem & regni & sacerdotij functionem fuisse legimus. Postquam uerò in lege Deus hæc officia distincta esse uoluit, idem tamen summam inter reges & sacerdotes coniunctionem instituit: ne uel illi absque religione regnarent, uel hi ab illorum cura atque protectione exempti, impiorum libidini & tyrannidi paterent. Quò cumprimis referri debet, quòd cum Iudæorum gentem primùm lege sua instrueret, Mosem & Aaronem, fratres germanos delegit, & huic quidem tabernaculi & totius cultus diuini curam, illi uero reipub. administrationẽ concredidit: ita docens, tunc demum respub. simul & Ecclesias saluas fore, si fraterna sit inter duos hosce ordines coniunctio. Viderunt hoc quotquot uel ex Iudicum uel Regum numero ob rectam reipub. administrationem in sacris literis cõmendantur: quales cumprimis Gedeonem, Samuelem, Dauidem, Iosaphan, Ezechiã, & Iosiam fuisse legimus. Quibus si reliquos conferas, quos nigro calculo spiritus sanctus notauit, hanc unam illis priuatim & publicè omnis mali causam fuisse comperies, quod uel Dei uerbum & religionis curam nihil ad se pertinere putarunt, uel in his pro suo arbitrio ludere ausi sunt. Quòd si gentium historias legamus, illas quidem in ueri Dei cognitione hallucinatas esse, & proinde Dei cultum horrendis erroribus polluisse constat. At eædem commune illud principium siue axioma firmiter retinuerunt, quo admonebantur, respub. absque uero Dei cultu & diuinæ uoluntatis cognitione feliciter administrari non posse. Quæ causa fuit, quod & philosophos, sapientiæ haud uulgaris professores, in precio habuerunt, & Deorum oracula in rebus dubijs quæsiuerunt, & in extruendis Deorum templis, aris atque imaginibus immodicos & insanos sumptus fecerunt. Athenienses certè, quorum ciuitas uniuersalis & publica sapientiæ schola habita fuit, religionem adeò sibi curandam putarunt, ut inter publici iurisiurandi articulos, quibus ciues obstringebantur,

bantur, hic non postremus esset ἀμυνῶ δὲ καὶ ὑπὲρ ἱερῶν καὶ ὑπὲρ ὁσίων, καὶ μόνος καὶ μετὰ πολλῶν, id est pugnabo pro templis & sacris solus & cum alijs. Senserunt ergo isti homines, de Dei cultu cumprimis oportere solicitos esse, quicunque uel publicam pacē retinere, uel priuatim feliciter agere cupiunt. Nemo igitur me temeritatis accusauerit, si & cōmuni sensu carere, & prophanis gentibus cæciores esse dixero eos, qui ecclesiæ & religionis curam à politicis magistratibus alienam esse clamant. Nec me aberraturum putauero, si eosdem, ut publicos humani generis hostes cauendos esse dicam. Nam si religionem homini auferamus, quid reliquum erit, quo ille à brutis differat? Eosdem certè in hominibus affectuū motus, qui in feris sunt, cernimus: qui nisi religionis sensu coërceantur, mox quauis occasione data erumpunt, eoque nocētius grassantur, si publica authoritate & ciuilis gladij iure armati fuerint. Ne quid tamen audaci & præpostero carnis consilio peccetur, multùm proderit, ueram & germanam Ecclesiæ formam habere, quam in suis consilijs sibi imitandam proponant, quicunque illam uel tueri uel collapsam instaurare student. Hanc nobis passim sacræ literæ exhibent: & in lege quidem omnes illius partes sub Tabernaculi typo, in prophetis uerò sub sponsæ, gregis, uineæ, templi & urbis Hierosolymæ allegoria inspiciendas proponunt. Exemplum autem illius absolutum & euidens hic liber cōprehendit, & Ecclesiam ita aliquādo extitā esse, talemque fuisse docet, qualem nobis olim prophetæ descripserunt: ne quis nos Ecclesiam in ore habere dicat, quæ nec unquam in terris fuerit, nec unquam futura sit, quod olim de Platonis repub. sapientes & acuti homines dixerunt. Etsi enim complementum Ecclesiæ olim in cœlis demū uisuri simus, eam tamen illius formā liber hic exhibet, cui quicunque sese accommodauerint, ij cœlestis illius & omnibus numeris absolutæ Ecclesiæ membra erūt, simulque intelligent, quam uiam ipsi quoque in reformandis & conseruandis ecclesijs tenere debeant, nec ullis persecutionū & aduersæ fortunæ casibus offendentur, nec illorū somnia admittent, qui nouam nobis Ecclesiæ formam obtrudunt, dum ueteribus multa defuisse dicunt, quæ postea demū à sanctis patribus constituta, & publica Consiliorum authoritate recepta atque stabilita sint. Cum enim liber hic annorum circiter XXVIII. historiam comprehendat, & ecclesiæ per totum orbem propagatæ res gestas, adhæc apostolorum conciones, consilia, dicta factaque tum publica tum priuata, sufficienti & dilucida narratione exponat: quis non impudentem dixerit esse eum, qui alia nonnulla ad salutem necessaria esse contendat, quibus ueterem illam Ecclesiam uerè Christianam & apostolicam caruisse scimus? Cuius item arrogantiæ fuerit cum apostolis, quos Dei filius orbis totius doctores rerumque suarū testes esse uoluit, certamen suscipere, quasi uerò à nobis perfectius quiddam excogitari & fingi possit? Porro non parum proderit, ueterem illam Ecclesiæ formam, & præcipuas illius partes, quasi per transennam inspicere. Quam primò quidem ex Dei uerbo

enatam esse Lucas docet, quando & Christum in cœlos conscendisse, & inde spiritū suum misisse scribit, quo instructi apostoli euangelium mundo prædicare, & Christo discipulos adducere cœperūt. Vnde colligimus à sana uerbi Dei doctrina illis incipiendum esse, quicunq; uel ipsi Ecclesiæ Christi membra fieri, uel alios ad huius communionem adducere instituerunt. Quia enim iræ filij nascimur, cœlitus regeneremur oportet, ut Dei filij reddamur. Regenerationis uerò huius semē est æternum illud Dei Verbum, quod hominum quidem ministerio prædicatum, sed spiritus uirtute in auditorum animis uiuificatum, totam hominis naturam innouat, ut mortificato carnis ingenio, uni Deo per Christum uiuant, qui paulò ante à Deo alieni, peccato uiuebant. Cæterum uerbi doctrinam unam & eandem passim apostoli tradiderunt, quam suis partibus Christus ipse distinxerat, quando in suo nomine primò pœnitentiam, deinde peccatorum remissionem prædicare iussit. Et quàmuis non ijdem semper auditores darentur, imò illos tum conditione tum moribus & ingenio multum discrepare uiderent: nihil tamen propterea in euangelij doctrina uel mutandum uel omittendum esse putarunt, in hoc unum intenti, ut rectè secando uerbum quàm plurimos Christo adducerent. Verbi doctrinæ Sacramentorum usum coniunxerunt, & quos credidisse uidebant, eos unà cum suis omnibus per baptismum in Ecclesiæ consortium receperunt, & ijsdem Eucharistiæ ritum, ab ipso Christo præscriptum, tradiderunt, cuius exercitio redemptionis beneficium obsignatur, & grata peragitur mortis Domini commemoratio, & firmiori charitatis nexu totum Ecclesiæ corpus coalescit. Atqui istis rationibus intra annos uiginti octo totum terrarum orbē Christo subiectum fuisse constat, & quidem illorum ministerio, quos nec generis nobilitas, nec pristinæ conditionis dignitas, nec eruditionis existimatio cōmendabat. Diuinum ergo & cœleste hoc opus fuit, in quo & Dei potentiam reuereri, & eiusdem bonitatem exosculari debemus, qui mundo sub diaboli tyrannide laboranti tam benignè consultum uoluit. Ecclesiæ uerò primitiuæ studia idem hic liber diligentissimè exponit. Audiuerunt euangelij doctrinam peccatores insignes & palàm scelerati, imò illi ipsi, qui paucis diebus ante unigeniti filij Dei sanguinem nefario ausu effuderant. At ijdem in peccatorum cognitionem adducti, illa ingenuè confessi sunt, & sola Dei misericordia per Christum freti, remissionis gratiam impetrarunt. Inde uerò omissis peccatorum studijs uitam in melius commutarunt, & ab illis secessionem fecerunt, quorum conuersatione se polllui posse uidebant. Innocentiæ studio preces coniunxerunt, in quibus assiduos fuisse multa exempla docent, cum & propriæ infirmitatis sensu, & quotidianis periculis excitarentur. Ne uerò uel doctrinæ uel Sacramentorum salutari exercitio quicquam decederet, potissima illis cura fuit, ut ministri & presbyteri passim haberentur, quos & oppidatim ordinandos, & diligenti cura in officio retinendos esse censuerunt. Tandem ne in ina-

nidun-

ni duntaxat ſpeculatione Chriſtianiſmus conſiſtere uidetur, tantum apud iſtos homines beneficentiæ & charitatis ſtudium fuit, ut illud hodie admirari facilius ſit quàm imitari. Nam & ſuis pauperibus ſingulæ eccleſiæ fideliter proſpexerunt, & ſi quæ opulentiores erant, exterorum quoq; inopiã miſſis eleemoſynis ſubleuarunt: nimirum Chriſti memores, qui è terris diſceſſurus, pauperes in ſuum locum ſubſtituit, ſeq; in ſuas rationes aſcripturum pollicetur, quicquid beneficij in illos collatum fuerit. At cum tam ſanctis ſtudijs occupati, ab omnibus amari & coli mererentur, undiq; hoſtes infenſiſſimi exorti ſunt. Contradixerũt illis Iudæorum ſcribæ & gentium philoſophi: quare cum illis perpetuò pugnandum fuit, qui inter Iudæos ſimul & gentes præcipuam ſapientiæ & eruditionis laudem ſuſtinebant. Adhæc in ipſa Eccleſia falſi fratres exorti ſunt, qui & triſtibus exemplis primùm naſcentis fidei progreſſus interruperunt, & fraudulentis conatibus multos offenderunt: qualis ex Iudæis Ananias, ex Samaritanis uerò Simon Magus fuêre. Sed & nefarij quidam & illicitis artibus dediti apoſtolis & pijs negotium fecerunt, in Cypro quidem Bariehu, ſiue Elymas Magus, Philippis autem Pythonis ſpiritu afflata puella, & Iudæi quidam exorciſtæ apud Epheſios. At quia omnibus hiſce nihil ſe profecturum uidebat ſatan, ipſos magiſtratus excitare cœpit, qui naſcentem ueræ & ſalutaris fidei ſegetem publica authoritate reprimerent. Et huius quidem rei initium Iudæi fecerunt, ut eò magis ſuſpecta eſſet Chriſtiana religio, quando nec ab ea gente admitteretur, unde primùm exorta fuerat. Hieroſolymis ergo in Senatum uocantur apoſtoli, ſilentium illis indicitur, uirgis cæſi cũ minacibus edictis dimittuntur. Tandem lapidatur Stephanus, pij urbe fugantur, longè lateque graſſatur perſecutio, neque ipſis apoſtolis parcitur, quando Iacobum Herodes obtruncat, idem Petro quoq; in Iudęorum gratiam facturus, niſi illum Dominus præſenti periculo miraculosè ſubduxiſſet. Nec id Iudæis ſatis eſſe uiſum fuit, quòd ipſi Chriſtum regem & ſaluatorem agnoſcere dedignarentur, ſed eundem ne inter gentes quidem regnare uoluerunt. Iidem ergo paſſim apoſtolis turbarum authores ſunt, ut ex ijs patet, quæ Antiochiæ, Iconij, Lyſtris, Corinthi, Theſſalonicæ, & infinitis alijs locis euenerunt. Horum deniq; opera effectum eſt, ut apoſtoli ac Chriſtianæ fidei profeſſores, non modò circa religionem peccare, uerumetiam in Romanorum leges audacter delinquere, & orbem uniuerſum turbare dicerentur. Quare eò uſq; tandem res deducta fuit, ut Romani quoq; Imperatores, quorum potentia illo tempore per omnes mundi partes extendebatur, in Chriſtianos gladium ſtringerent. In tantis uerò tamq; uarijs periculis, & hoſtium uaferrimis ſimul atque immaniſſ. conatibus admiranda apoſtolorum & reliquorum credentium conſtantia eluxit, qua & fidem in Chriſtum ingenuè profeſſi ſunt, & ueritatis doctrinam fideliter aſſeruerũt, nec ullis uel blanditijs uel minis ſeſe adduci paſſi ſunt, ut à ſtatione, in quam à Domino collocati erant, diſcederent. Non defuit

ergo sanctæ constantiæ fidelis Deus, sed Ecclesiam suam sibi curæ esse, multis ijsq; luculentissimis argumentis testatus est. Nam & Angelorũ ministerio uinctos liberat, uisionibus lætis consolatur, patientiæ & constantiæ spiritu armat, os & linguam largitur cui nemo resistere potest, miraculis doctrinam & fidem suorum confirmat, hominum mentes ut illis credant efficaciter trahit, facit deniq; ut uel inuito mundo & mundi principe, euãgelij doctrina per tela, per ignes, felicibus auspicijs in toto orbe propagetur. Et in his quidẽ perfecta & omnibus numeris absoluta Ecclesiæ forma cõtinetur, sub cuius partes omnia ea referri possunt, quæ de illa in scripturis passim traduntur. Hanc uerò uos quoq; uiri ampliss. obseruauisse, res ipsa testatur. Cum enim annis ab hinc retrò triginta nouem Heluetiam nostram uerbi sui fulgore Deus illustrare, & ex superstitionum tenebris in euangelij lucem reuocare dignaretur, nullam amplius moram admittendam esse arbitrati, de Christi regno in uestra Repub. instaurando maturè & seriò cogitare cœpistis. Mox ergo Episcopos, & inter hos Constantiensem in primis, ad cuius curam ditio uestra tota pertinebat, solicitare uoluistis, ut illi in tollendis abusibus & superstitionibus operã suam uobis locare, & Ecclesiæ reformationẽ ipsi uobis adiuuantibus instituere uellent. At cum illi suæ uocationis & officij parum memores cunctarentur, iniquissimum & indignissimum uobis facinus esse uidebatur, illorum negligentiam publicæ saluti & gloriæ Dei diutius obstare, & uosipsos (ne uestro officio deessetis) pulcherrimi sanctissimiq; facti duces & authores præbuistis: nimirum Ezechiæ, Iosiæ, Constantini & aliorum exemplum imitati, quos olim cessantibus ecclesiarum ministris siue præsulibus idem magna cum laude factitauisse legimus. Nam indicto omnium, qui in urbe & agro uestro ecclesijs ministrabãt, publico & generali conuentu, de præcipuis fidei & religionis capitibus illos ex Dei uerbo inter se conferre iussistis. Nec deerant, qui huic instituto sese acriter opponerẽt, qui huius causæ determinationem, non in unius Reipub. aut Principis arbitrio consistere, sed ad generalis & Oecumenici Concilij authoritatem pertinere clamabant. Non tamen apud uos tanta fuit illorum authoritas, ut à tergo respicere uelletis, postquam iam manum aratro admoueratis. Feliciter ergo successit piè sancteq; incœptũ negotium. Vicit enim in disputatione illa Veritas, & ita uicit, ut maxima eorum pars, qui illam oppugnaturi uenerant, illi sponte colla submitterent, & ex eo sibi præcipuam laudem & gloriam uenarentur, quòd feliciter deuictis Christi triumphantis currum sequi datum esset. Ab eo tempore nunquam destitistis ea consultare simul & facere, quæ ad regni Christi gloriam pertinere uidebatis. Nam & templa ab imaginũ altariumq; sordibus, & doctrinam ab humanarum traditionum perniciosis figmentis repurgauistis, publica authoritate cauentes, ne quis uel superstitiones abolitas reduceret, uel Christi ouibus aliquid ab euangelij doctrina alienum inter docendum propinaret. Sacramentorum uerò

usum

uſum & adminiſtrationem ad primæ inſtitutionis formam reuocari, preces tum publicè tum priuatim ritè inſtitui, & quæcunq; alia ſunt ueræ fidei officia ſecundum apoſtolicæ doctrinæ præſcriptum exerceri, imò publicas quoq; leges & morum diſciplinam iuxta euangelij normam reformari curauiſtis. Et ne quis hæc à uobis uel priuati cõmodi, uel nouarum rerum ſtudio fieri putaret, diligenter cauiſtis, ut ad uos nihil ferè quàm reformandi moleſtia, ad alios autem lætiſſimus reformationis fructus rediret. Nec enim eccleſiarum bonis temerarias & rapaces manus iniecistis, nec quenquam inter ueſtræ ditionis homines, ſiue nobilem ſiue eccleſiaſticum, ſuo iure depuliſtis. Eos enim quos commune illud ignorantiæ malum deceperat, non inhumaniter eijcere, ſed amica & fraterna inſtitutione lucrifacere ſtuduiſtis. Quo factum eſt, ut qui inter illos ingenio ualebant, egregiam poſtea operã Chriſto & Eccleſiæ ipſius nauarent, reliqui uero quos uel ſenium uel ingenij tarditas impediebat, bonis ſuis & redditibus pacificè fruerentur, nec aliquam uel quiritandi uel tumultuandi cauſam haberent. Quicquid uero bonorum ueſtræ adminiſtrationi ceſſit, illud omne partim ſcholis, partim pauperum ſubuentioni deſtinatum eſt. Nec enim artium modò & linguarum profeſſores, uerumetiam illarum candidatos iuuenes non minus octoginta continuo ſtipendio liberaliter alere conſueuiſtis: adeò ut pleriq; illorum, qui hodie in urbe & agro ueſtro (qui parochias circiter centum quadraginta continet) Chriſtum prædicant, aut bonas literas profitentur, ueſtræ illud liberalitati debeant, quod in eo gradu conſtituti ſunt. Tanta uero fuit ueſtra in his omnibus inſtituendis dexteritas, tanta conſulendi prudentia & agendi modeſtia, ut quod impoſſibile factu uidebatur, facillime ſucceſſerit: adeò ut in gente libera, abſq; ullo ſeditionis publicæ metu, hæc quæ diximus omnia, magno cum populi applauſu, breui admodum temporis ſpacio, & inſtituta & ad ſuum finem perducta ſint. Etſi enim multa ſæpe tentarint, qui Papatum ſibi quæſtuoſum putabant, & proinde illius ruinam æquo animo ferre non poterant, ſingulari tamen Dei beneficio factum eſt, ut illorum conatus ſemper irriti fuerint, & per hos excitatæ tempeſtates cœleſtis numinis ſalutari aura diſcuterentur. Qua in re iuxta Chriſti præceptum & columbina ſimplicitas & prudentia ſerpentina in ueſtris conſilijs eluxit. Quoties enim aduerſarij uos uel blandis & amicis promiſsionibus uel terrificis minis ab inſtituto reuocare, uel ſaltem perſuadere conati ſunt, ut totam religionis cauſam Epiſcoporum & Præſulum iudicio ſubijcere dignaremini: prudenter ſimul & ſimpliciter hoc unum reſpondiſtis, Vos nec poſſe nec uelle ea negare & reijcere, quæ ex Dei uerbo uera eſſe didiceritis, paratos autem eſſe ad reddendam rationem cuiuis petenti, imò libenter cuiuis eſſe ceſſuros, qui uos per ſcripturæ ſacræ oracula erroris conuincere, & meliorem ſalutis rationem edocere poſſit. Extant eius generis reſponſiones permultæ, quibus multorum ora obturauiſtis, & in quibus planè illud apoſtolicum au-

1 Pet: 3

ditur: An iustum sit in conspectu Dei uos potius audire quàm Deum, iudicate. Non enim possumus, quæ uidimus & audiuimus, nõ loqui. Item: Oportet Deo obedire magis quàm hominibus. Fauit ergo tam pijs conatibus cœlestis & æterni numinis gratia, qua factum est, ut Respub. uestra infinita omnis generis tribulationum pericula feliciter euaserit, & hodie inter dubios & horribiles totius orbi Christiani motus, non ipsa modò pace fruatur, uerumetiam exteris hinc inde ad uos cõfluentibus tutũ asylũ præbeat. Magnis ergo & grauibus causis me moueri sentio, amplissimi uiri & Domini mihi unicè obseruandi, ut uestræ Amplitudini hunc meum laborem dedicem, quo pro gratia mihi diuinitus concessa, eum librum illustrare conatus sum, qui primam nascentis in hoc orbe terrarum Ecclesiæ faciem, progressus, incrementa & conditionem omnem describit, cuius exemplar uos non minori studio & labore quàm felici successu imitatos esse uideo. Quem si familiarem sibi habeant qui uobis in Reipub. administratione succedent, & uos nihil temere fecisse uidebunt, & haud leuibus stimulis sese excitari sentient, ut eam restitutæ Ecclesiæ & religionis formam, quam à uobis acceperunt, totis uiribus retinere conentur. Et sanè multum refert crebrò meditari, quibus initijs & rationibus maiores nostri tum Reipub. tum Ecclesiæ formam constituerint. Ita enim nec calumniatores audient, qui piè & sanctè facta malignè carpunt, nec insurgentibus persecutionum procellis & minacibus mundi studijs sese à uero reuocari patientur. Prodest item apud populum de his non raro uerba facere, qui ut plerunque præsentibus ducitur: ita & præteritorum obliuione facilè capi, & raram de futuris cogitationem habere solet. Quare magistratuum consilia tunc demum probat, quando illa uel cum præsenti aliquo commodo coniuncta, uel tuta & ἀκίνδυνα esse uidet. Vt primum uero periculi metus & terror oboritur, mox & prudentiam & integritatem in ijs desiderat, quorum consilia iuuare, & ijsdem fideliter obedire debebat. Quòd si uero idem intelligat, magistratum suorum consiliorum ducem & authorem habuisse Deum, & ex officio fecisse quæcunque fecit, certè religiosius multò de illis iudicare discit & ijsdem facilius obtemperat, nec temere ad quosuis imminentium periculorum rumores offenditur. Mihi certè hæc potissimum ratio ob oculos uersata est, cum librum hunc Ecclesiæ Christi, quæ apud uos est, publicè interpretari, & quæ publicè dixerã scriptis mandare & in uulgus edere instituissem. Videbam enim eam esse seculi nostri subinde in deterius ruentis conditionem, ut necesse omnino sit sacræ scripturæ libros indesinenti studio euoluere, & quæ in illis extant Ecclesiæ ueteris exempla populo spectanda proponere, ne illorum commentis se decipi patiatur, qui sub falso uetustatis nomine nouos errores obtrudunt, & quæ graues & sancti uiri nobis ex Dei uerbo restituerunt, nouitatis accusant. Excipietis ergo meas hasce lucubrationes, amplissimi & magnifici uiri, eo fauore, quo pietatis ueræ studiũ iam multis annis,

meque

meq́ꝫ unà cum multis æqualibus meis iam inde à puero prosecuti estis. Pergite autem ea, qua cœpistis, uia uerum Dei cultum prouehere. Pergite studijs sacris fauere. Pergite peregrinos & Christi exules solita humanitate excipere. Pergite legum disciplinam tueri, populi mores corrigere, uirtutũ studia propagare, & scelera sancto iustitiæ fræno cohercere. Regnat multis in locis horribilis Dei contemptus. Multi salutare uerbi Dei & cognitionis Christi beneficium improbe fastidiunt. Refrigescit multorum charitas, & fides paulatim emoritur. Abundat iniquitas, & noua indies scelerum genera pullulant. Minatur ergo pœnas iratus Deus, & orbem terrarum prodigijs, portentis & horrendis regnorum motibus territat. Idem tamen ijs nunquam deerit, qui gloriam ipsius prouehere, Ecclesiam Christi sui tueri, & pro suæ uocationis modulo officium facere perrexerint. Benedicet ille laboribus uestris, & consilia uestra suo spiritu diriget. Benedicet populo uestro uniuerso, ut & sanctis legibus sponte pareat, & læto euangelicæ pacis beneficio feliciss. fruatur. Benedicet ecclesiæ uestræ toti, ut in pietatis doctrina simul & exercitio maiores indies progressus faciat. Ipsi, qui solus est Dominus dominantiũ, immortalis & æternus Deus, debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Datæ Tiguri, in uestra ciuitate, inclyta Heluetiorum metropoli, Cal. Augusti, anno salutis humanæ

M. D. LVII.

Ioannes Parkhurstus Anglus Episcopus Nordouicensis.

Multa relucenti debent hæc tempora Lucæ,
Et debet Lucas multa Rodolphe tibi.
Lux Lucæ luxit totum diffusa per orbem,
Lux Lucæ lucet nunc magè luce tua.
Ergo tibi Lucæ tantum qui luminis adfers,
Christus cum Luca lucida regna dabit.

EIVSDEM ALIVD AD LECTOREM.

Quæ πράξεις *fuerint Apostolorum,*
Qui ritus veteres apudq́ Patres,
Et quot: discere Lector est ne cordi?
Huc adsis, auido legantur ore
Hæc quæ scripta vides pererudita,
Sacris eruta scripta quæq́ libris,
Aut è Patribus eruta Orthodoxis.
Quæ multo peperit tibi labore
Gualtherus, pietate clarus atq́
Doctrina, patriæ decus, suæq́
Præfulgens, celebres habendus inter
Scriptores: potes id negare Liuor?
Laudes quid memorare pergo plures?
Vino vendibili haud opus virente
Est suspensa hedera: Liber loquatur.

INDEX RERVM ET VERBORVM

MEMORABILIVM, IN HIS HOMILIIS & Annotationibus explicatorum.

ARONIS & filiorum eius ad ministerium ecclesiæ electio folio 22.b
Abelis fides quæ fuerit 273
Abnegare semetipsum, & carni renunciare, uerum Christianismi initium 119
Abraham obedientiæ fidei exemplum 96
Abrahã sine legalibus ceremonijs deo placuit 95.b
Abrahæ pericula multa imminent postquàm in terrã diuinitus promissam & monstratã, uenit 96.b
Abrahami fides etsi oppugnata & concussa sit, manet tamen inexpugnabilis 96.b
Abrahami fides quæ & qualis fuerit 273
Abrahami fides insignis illustratur 96.b
quid cum Abrahamo postquàm in terram promissam uenit, gestum sit 96.b
Abrahamum inter omnes ærumnas nihil aliud sustētat quàm dei promissio ibidem
Acta apostolica exēplis omnis ordinis & loci hominum nos erudiunt 2
Acta apostolica ueritatem & maiestatem oraculorũ propheticorũ de regno Christi cõprobant 1.b
Actorum apostolicorũ argumentum & summa rerum in his comprehensarum 1
Actorum apostolicorum cõmendatio ab utili, necessario, dignitate & maiestate ibidem
Actorum apostolicorum historia à quibus rebus narrationē suam ordiatur 2
Actio capitalis à Pontificibus contra Paulum instituitur 262
Actio Iudæorũ cõtra Paulũ 267.b
Accusationis contra Paulum institutæ capita 247.b
Adam Christianus fuit 273
Adami peccato uia uitæ clausa est 39
Admiratio opũ dei necessaria 51.b
Admonitionib⁹ assiduis uerbi dei nobis opus est 188.b
Aductus nouissimus Christi cuius rei nos admoneat 14
Aduentus Christi secũdus cur diu differatur 57.b
Aduersarij apostolicæ doctrinæ q olim fuerint 2
in Aduersis consolationes unde petendæ sint 259
in Aduersis ꝓmissionibus dei quomodo utendum 259.b
in Aduersis fidei confirmatio petenda est 259.b
Adulatores quantum malum principibus parere soleant 164
Aedificari ecclesiæ quomodo dicantur 135
Aegyptiaca liberatio futuræ salutis per Christum, typus fuit 97 102
Aeneæ paralytici restituti miraculum 135.b
Aequitatis exemplum in Tribuno ethnico & militari homine 256
Aethiopis conuersi historia 122
Aethiopis eunuchi descriptio 122.b
Aethiopis exemplum docet, salutem & quæcũqꝫ ad hanc faciunt, ex mera dei gratia hominibus cõtingere 126.b
Aethiopes Christi regno iuxta uaticinia prophetarũ subijciũtur 122
Affectib⁹ obnoxij sũt sancti 220.b
Afflictio uaria excipit eos qui ecclesiæ dei coniunguntur 106
Afflictionis & crucis in pijs quis usus 33.b
Afflictiones consolationis & gaudij argumentum quomodo esse debeant 88.b
Afflictiones constanti fide uincuntur 106
Afflictiones & aduersa nõ semper irati numinis argumẽta sunt 101 nec propter has est desperandum ibidem
Afflictiones piorum & impiorum suum habent discrimen 33.b
Afflictiones qua uia & ratione effugere possimus 34
Afflictiones suorũ deus uidet 107
Afflictionum diuinarum quis sit usus 49.b
Afflictionum causæ 87.b
de Afflictionibus admonentur pij 239.b
Afflictionibus piorum nemo, ut insolitis, offendatur 87.b
Afflictis deus adest 100
Afflictis et calamitosis inseruire doceamur 260
Agabus Paulũ de uinculis admonet 246
Agnitos errores neminem pudeat abnegare & oppugnare 132.b
Agnoscere dei iudicia, & aliorum exemplis emendari, propriũ est filiorum dei 167.b
Agrippa & Bernice 269
Agrippa rerum Iudaicarum peritus 272
Agrippa typus eorũ in quibus curæ huius seculi semen uerbi suffocant 277.b
Alexandrina schola 225
Ambitionis malum 8.b
Ambitionis malum ecclesijs pestilentissimũ est 120.b
Ambrosij constantia 116.b
Amicitias magnatũ affectant pseudoprophetæ 167
Amicorũ fidelium exemplũ 246.b
Amicorum omnia cõmunia quomodo sint 73
Anabaptistæ 150
Anabaptistæ confutantur qui nefas esse ducunt nostra templa, nostrosqꝫ cœtus ingredi 78.b
Anabaptistæ ecclesiarum turbatores 246.b
Anabaptistæ Essenorũ sectam referunt 257.b
Anabaptistæ tumultuantur perniciose, dum quod in alienis & adultis obseruari debet, ad Christianorũ infantes restringunt, eosqꝫ à Baptismo temere arcent 125
Anabaptistarum barbaries qui linguarum cognitionem in ecclesiæ ministro contemnunt 28
Anabaptistarũ confusa & seditiosa rerũ cõmunio oppugnatur 48.b
Anabaptistarum delirium qui paruulorũ Baptismũ damnare contendunt 119
Anabaptistarum error qui nephas esse clamant si quis Christianus aliquid proprij possideat 47
Anabaptistarum error circa inordinatam rerum confusionem 73.b
Anabaptistarum intemperies, qui Christianum hominem arma gestare, nefas esse dicunt 140

Anabaptistarum pertinacia arguitur, quod fidei rationem reddere magistratibus nolunt 266
Anabaptistarũ temeritas arguitur, qui ab ecclesijs in quibus næuos aliquos deprehendunt, secessionem faciunt 89.b
Anabaptistarum uesania qui paruulos ex fidelibus prognatos in ecclesiæ consortiũ admittere nolunt 61. 44. b
Ananias & Sapphira tentarũt spiritum domini 77
Ananiæ & Sapphiræ consensus in peccato pœnam meretur 77
Ananias sacrilegorũ typus est 75.b
Ananias pseudochristianorum typus est 75
Ananias quomodo spiritui sancto mentitus esse dicatur 75.b
Ananias uerbo & diuini iudicij denunciatione occiditur 76
Ananiæ peccatum, quale & quantum 74.b
de Ananiæ peccato quid spiritus S. (iudicet 75
Ananiæ pœna 76.
Ananias uocatur, ut Paulũ ad munus apostolicum ordinet 129 b
Ananias meticulose aduersus euidens & disertum domini mandatum tergiuersatur 130
Ananias consolationem accipit à domino 130.b
Ananias Paulũ uocat fratrẽ 130.b
Ananias Saulo imposuit manus ibid.
Ananiæ pietatem commendat Paulus 129.b
Ananiæ obedientia 131 b
Ananiæ animus intrepidus ibid.
Ananias à Paulo paries dealbatus cur uocatur 256.b
Ananiæ descriptio 252.b
Ananiæ oratio ad Paulum 253.b
Angelus dei Paulo mittitur 281
Angelus domini è carceribus apostolos educit 80
Angelus domini uocat Mosen 106
Angeli ministerium 160
Angeli electorum ministri & custodes 80
Angelorum apparitio 13
Angelorũ apparitio in ascensione Christi & eius rei duplex usus (12.b
Angelorũ apparitiones 162.
Angelorum uisibili ministerio usos fuisse homines exempla comprobant 80
Angelorum ministeriũ diuinæ bonitatis argumentum 139
Angelorum ministerium quàm sit excellens 122
Animæ nostræ in dei tutela sunt 39
Animorum coniunctio beneficentiam peperit 47
Antichristus sedem habet in ecclesia dei 91.b
Antichristi spiritu aguntur qui nomen Christi nõ prædicant 130.b
Antiochena ecclesia cõtrouersiam ad apostolos refert 189
Antiochenæ ecclesiæ commendatio 164.b
Antistitum Antichristianorum insolentia 83.b
Antistitum ecclesiæ munus quod sit 275
Antistitum fidelium ecclesię exemplum sunt apostoli 116
Aperta ui pugnatur contra ueritatem 63.b
Apparitiones spirituum siue animarum 175
Apostolatus unde suam habeat authoritatem 24
Apostolica doctrina ad spiritũ sanctum referri debet: nec inter humanas traditiones censeri 7
Apostolica historia Euangelicæ est cõiungenda, & qua de causa 3.b
Apostolica ordinatio diuinitus est (19.b
Apostolicæ doctrinæ credendũ quia ex suggestione Christi prouenit 3.b
Apostolicæ doctrinæ dignitas & authoritas 3
Apostolicæ doctrinæ summa 132
Apostolicæ functioni quis destinari debeat 21
Apostolicæ ordinationis & uocationis consideratio quem habeat usum 19.b
Apostolici studij fructus 229.b
Apostoli à Christo mandata acceperunt 3.b
Apostoli accepto spiritu sancto alienis diuersissimisq; linguis loquuntur 27.b
Apostoli accusantur seditionis & seductionis 204
Apostoli ex afflictione animosiores ad officium redeunt 187
Apostoli authoritatem habent ab eo qui legauit nos 24
Apostoli cæsi incarcerãtur 204.b
Apostoli cæsi et uincti laudant deũ & orant 205
Apostoli Christi uocantur electi, & qua ratione 3.b
Apostoli Christi testes sunt & q̃d sit testis officium 10.b. & quales fuerint testes ibid.
Apostoli Cyprijs prædicant 65.b
Apostoli decreto Cõcilij parere recusant, & quibus de causis id faciant 68. b
Apostoli dei spiritu duce & authore fecerunt omnia 200
Apostoli dimittũtur liberi 69.b. & populi metu dimittuntur 69 b
Apostoli diuinę ueritatis facti sunt præcones 26
Apostoli docent in Synagoga Iconij 181
Apostoli ecclesias cõmendant domino 189
Apostoli Euangelium constanter prædicant 82
Apostoli è carceribus liberati ad officij ipsorum exequutionem redire iubentur 80
Apostoli exhortantur ad perseuerantiam 188
Apostoli fortiter & libere resistunt Iudæorum audaciæ 178
Apostoli fugiunt Iconio & alibi prædicant 182.b
Apostoli gaudent contumelijs 88. & gaudij quę fuerint causæ ibid.
Apostoli gestibus cultum abs sese reijciunt 184
Apostoli Ierosolymas redeũt 14.b
Apostoli Hierosolymis congregati quid fecerint 16
Apostoli incurabiles excommunicant 178.b
Apostoli in fidelium ædibus conciones sacras instituerunt 88.b
Apostoli in ius uocantur 64. b
Apostoli inobedientiæ, nouæ doctrinæ, & seditionis crimen diluunt 84.
Apostoli in Pisidiã ꝓficiscũtur 168
Apostoli in precibus perseuerantes Hierosolymis duo coniungunt, unanimitatẽ & perseuerantiã 16
Apostoli manẽt Hierosolymis 116
Apostoli mulieres alienas non circumduxerunt 15.b
Apostoli nihil pro sua authoritate ecclesijs obtrudunt 194
Apostoli obediunt angelo 81
Apostoli oborto murmure in primitiua ecclesia mature de remedio consultant 89.b
Apostoli se omnes æquales & pares esse cognoscunt 30
Apostoli Pergæ prędicant euangelium 189
Apostoli plene tradiderunt quę ad salutem necessaria sunt 239
Apostoli Philippis discedũt 208.b
Apostoli prędicant uerbũ dei 166

Apostoli propter miracula ab illis edita non sunt inuocandi 285
Apostoli publicis carceribus includuntur 79
Apostoli quales fuerint antequam miraculose spiritū S. acciperēt, & quales eo accepto uel dato 30
Apostoli qualem deum prædicarint 53.b
Apostoli quid in Antiochia Pisidiæ fecerint 168
Apostoli redeunt in urbes ex quibus eiecti fuerant 187.b
Apostoli rem omnem referunt ecclesiæ 70
Apostoli retrahūtur in conciliū 82
Apostoli rudes & illiterati cur à Christo sint electi 66.b
Apostoli seditiosis fortiter resistunt 182
Apostoli Samaritanis spiritum sanctum conferunt 119.b
Apostoli singulis ecclesijs creant presbyteros 188.b
Apostoli testes Christi sunt iurati, & quibus de rebus testifiaari debeant 252.b 21.b. 40.b
Apostoli testificati sunt in Samaria de Christo, annuntiarunt uerbū dei, & in pagis passim euangelizauerunt 122
Apostoli uiles & contempti 15
Apostoli uirgis cæduntur 87
Apostolorum acta post ascensionē Christi in cœlos 14
Apostolorum acta spiritu sancto gesta sunt 3.b
Apostolorum æqualitas 21.b.23.b
Apostolorum authoritas in ecclesia fuit æqualis 23.b
Apostolorum communio 47
Apostolorum constantia 68.b 84.85.179
Apostolorum libertas in asserenda ueritate 84.85
Apostolorum crassa & inepta de regno Christi quæstio 8. Causa erroris 8.b. Error eorundem multiplex Ibidem
Apostolorū cùm spiritus sanctus mitteretur conditio 25.b
Apostolorum de ordinandis Diaconis oratio 90
Apostolorū doctrina nō noua 174
Apostolorum doctrina & functio beneficium dei est 3.b
Apostolorum doctrinam quomodo mundus exceperit 62
Apostolorum & ministrorum uerbi officium 21.b
Apostolorū fides et integritas 41.b
Apostolorum fides & magnanimitas 30
Apostolorum hostes & persequutionis eorum authores 62.b
Apostolorum in dicendo perseuerantia 88.b
Apostolorum industria & modestia 119.b. 243.b
Apostolorum lapsus nil doctrinæ ueritatis derogauerunt 18.b
Apostolorum miracula qualia fuerint 285
Apostolorum modestia 243.b
Apostolorum nomina, & cur ordine recenseantur 15
Apostolorū officiū q̄d à deo illis iniunctū est 10.b.20.b.135.b.253.b
Apostolorum peregrinationes cur diligenter describantur 244
Apostolorum plena & perfecta liberatio 207.b
Apostolorū primū opus q̄ ecclesiæ ministerium inchoauerunt 16.b
Apostolorū publica exercitia 77.b
Apostolorum qualis fuerit conditio cùm in terris prædicarēt euangelium 2
Apostolorum testimoniū de Christo & eius resurrectione 174
Apostolorum uxores 15.b
Apostolis mors intentatur 85
Apostolis non nisi instructissimis fit prædicandi copia 27.b
Aquilas Pauli hospes 216.b
Arcana dei reuelantur per prophetas 33
Arguendi liberè hostes ueritatis 167.b
quibus Argumentis Christi cultores oppugnentur 248
Aristarchus 268.b
Arma apostolorū prædicatio uerbi, spiritus, potētia & opera 10.b
Arma & studia quæ sint quibus ecclesia Christi propagari & conseruari possit 92
Arma hostium ueritatis quæ sint 248.267
Arma ministrorum uerbi quibus se mundo opponere debent, quæ sint 69
Arma propagādi regnum Christi 199.b 199.b
Artes hostium ueritatis 204.b
Ascensio aut subuectio Christi in cœlos curam salutis nostræ non tollit 14.
Ascensio Christi consolatione plena 12.b
Ascensio Christi euangelicæ historiæ terminus aut limes est 3
Ascensio Christi non est disparitio aut euanitio 11.b.12
Ascensio quid sit 11.b
quis Ascenderit ibid.
quò ascenderit Christus 12
Ascensionis Christi historia 11
Ascensionis Christi historia breuis est & simplex 11. causæ breuitatis ibid.
Ascensionis Christi in cœlos circumstantiæ 11.b
Ascensionis Christi summa ibid.
Ascensio uictoriam Christi contra satanam confirmat 12.b
Ascensionis modus 12
Ascensionis causæ 12.b
Ascensionem Christi quæ sint sequuta 14.b
Ascensione Christus patefacit cœlorum fores ibid.
Ascensione ꝓbatur Iesum esse Messiam 41
Assuefaciamus nos ad fidei obedientiam 160.b
Astrologia iudiciaria & eius abusus 10
Astrologiæ iudiciariæ nec Abrahā nec Moses authores sunt 103.b
Astrologi & fatidici omnis generis 10
Astutia filiorum huius seculi describitur 262
Astutia hostium ueritatis 63.b
Athenarum laus 212
Atheniensium superstitio 214
Athenodori philosophi consilium Augusto datum 86
Auaritia animū à deo reuocat 204
Auaritia ferè Christi hostes exagitat ibidem
Auaritia homines reddit hostes ueritatis ibid.
Auaritia ministrorū dānatur 243.b
ab Auaritia suo exemplo dehortatur Paulus ibid.
Auaritiæ in ecclesia malum 258
Auaritiæ quanta pestis 204
Auaritiæ sacrilegæ malum quantum sit 120.b
Auditores apostolorum ex omnibus gentibus 29
Auditores idonei euāgelicæ doctrinæ qui sint 29.b
Auditores Pauli 269.b
Auditores uerbi diuini qui deo ꝓbentur 123
Auditorum diuersa genera 177.b
Auellendi uerbum quid comprehendat 243
Authores persequutionis apostolorum 62.b

Authores seditionis non sunt fideles, sed impij 182
Authoritas apostolorũ fuit æqualis 23.b
Authoritas hominum quid ualeat in causa religionis 213.b
Authoritas uera unde hominibus conciliari possit 48.b
Authoritate hominum diuinæ literæ commendari non debent 1

B.

Babylonicæ captiuitatis descriptio 111.b. & eius causæ 33.b
Baptismus ab apostolis ad formã Christi traditus 1.b
Baptismus Christi uel ignis 229
Baptismus externum ecclesiæ uinculum 119
Baptism⁹ Ioãnis à baptismo Christi distinguitur iuxta rem signatam & signum 8
Baptismus Ioannis 217
Baptismus Ioãnis & Christi unus est 8
Baptismus peccatorum absolutio quomodo dicatur 254.b
Baptismus quid obsignet 119.b
Baptismus qmodo à peccatis abluat 44
Baptismus quomodo regenerationis lauacrum uocetur 99
Baptismus signaculum promissionis de remissione peccatorum in nomine Iesu Christi 8
Baptismus signum emundationis factæ per sanguinẽ Christi 44
Baptismi ratio & dignitas 254.b. 252
Baptismi sacramentum minime negligendum 207
Baptismo qualis aqua adhiberi debeat 125.b
Baptizari in nomine Christi 43.b
Baptizari in remissionem peccatorum 44
Barnabas Paulum cõmendat 134
Barnabas quis fuerit 154.b
Barnabã Iouem dicunt Lystrenses 183.b
Barsabæ cognomẽ qd significet 24
Beati & felices qui dicendi sint 245
Beatitudo locorũ religione non est censenda 101.b.102
Beatitudinis uera ratio describitur 39.b
Beatitudinis ratio certissima est deo simillimum fieri 244
Beatius est dare quàm accipere, ibidem
Benedicere pro maledicere 12
Benedictionis hæredes 61.b
Benedictionis per Christum collatæ modus 62
Benedictionis mediator Christus 16
Benedictionis uocabulũ quid cõprehendat ibid.
Beneficentia in pauperes commendatur 47.b
Beneficentia & pauperum subuentio 73
Beneficentiæ exemplũ 50.b. 156.b
Beneficentiæ fons est coniunctio animorum 47
Beneficentiæ studium commendatur 244
Beneficia Christi in Hierosolymæ inhabitatores 17
Beneficia dei cũ fructu pcipiũt ij q in deum authorẽ respiciunt 50.b
Beneficiorum acceptorum breuis memoria est apud reges 102
Berrhœa Euangelio illustratur 211
Berrhœẽsis ecclesię turbatio 211.b
Blasphemia fidei abnegatio est 274.b
Blasphemi & turpiloqui homines quo spiritu agantur 28.b
Bona Monasteriorũ qualia sint 121
Boni nihil facimus nisi diuinitus trahamur 104
Bonitas dei admirabilis 181.160.b
Bonitas dei erga peccatores ad se conuersos 244.b
Bonitas dei immensa 289
Bonitas dei singularis quòd hostes suos amicè alloquitur 254
Bonitas dei quòd Saulem hostem crudelem in gratiã recipit 116.b
Bonitatis dei exemplum 244.b. 267.b.281.139.b.140.171.

C.

Calamitatum huius seculi causæ 33.b
Calamitatũ omnium causa, euangelio non credere, aut huic obloqui 10.b
Calamitatũ omnium causæ hærẽt tam in pijs quàm in impijs 33.b
Calcei solui debent, quomodo intelligendum 106.b
Calliditas satanæ 190
Calliditatis & astutiæ exemplũ in accusatoribus Stephani proponitur 94.95
Calumnia 151.b
cum Captiuis quomodo sit agendum 271
Carceris custos subito transformatus 206
Carnales homines quid in Christo quærant 9
Caro Christi in cœlos sublata pignus est quòd & nostra corpora regnum cœlorũ sint aditura 12.b
Carnis ingeniũ in periculis 281.b
Carnis licentiam non docet Euangelium 26
Carnem & sanguinem hæreditatẽ uitæ adire non posse quid sit 13
Castigatio etiam in religionis causa locum habet 128.b
Castigationis diuinæ effectus quis sit in exemplo Pauli proponitur 128.b
Castigationes dei pœnitentiam flagitant 250.b
Castigatorum à deo officiũ quod sit 128.b
Catastrophe persequutionis 180
Causa certaminis & tumultus 178
in Causa religionis quæstum qui quærunt eorum animi deo non probantur 121
Causa salutis fides 183
Causæ malorũ nouissimi seculi 33
Causæ repudiati Saulis 171
Centurio Pauli amicus 278.b
Centurio Paulo benignè morem gerit 259.b
Centurionis & militum fides 282
Ceremoniarum certa ratio ab apostolis tradita est 1.b
Ceremoniæ legis sunt abolitę 25.b
Ceremonię quatenus in religionis negotio licitæ 113.b
Ceremoniarum ueteris Testamẽti finis & usus quis sit 95
Certamen Pauli cum Elyma Mago 166.b
Certamẽ apostolorũ cũ Iudæis 178
Certitudo & antiquitas fidei Christianæ 57.b
Charitas apostolorum erga hostes 181.b
Charitas tessera filiorũ Christi 26
Charitas Christianæ argumẽtum 244.b. 286. b. 243.b
Charitatis Christianæ exemplum in Paulo 206.b
Charitatis & prudentiæ Christianæ exempla 277.b.235.b
Charitatis ingenium quale 101.b
Charitas non est suspicax 247
Charitatis officia quæ 243
Charitatis proprium quod sit 73
Charitatis specimen in Stephano 114.b
Charitas 207
Chiliastarum error de tranquillitate in hoc mundo 32
Christiana fides non abolet humanitatis & ciuilitatis officia 99

Chri-

Christianæ fidei principium 66
Christianæ patientiæ ratio 208
Christiani grassantib⁹ persequutionibus quid facere debeant 70.b
Christiani hodie Christum tradũt & abnegant æquè ac Iudæi 54.b
Christiani homines interdum fuga sibi consulere possunt 133.b
Christiani homines qui nam dici debeant 46.b
Christiani idololatræ quomodo fol. 111.b
Christiani nominis hostes 33.b
Christiani nominis origo & usus fol. 155.b
Christiani quid fratribus pro fidei & Christi causa periclitantibus debeant 159
Christianorum colloquia sint de regno dei 5.b
Christianorum erga periclitantes fratres officia 187
Christianorum notæ & arma quæ sint 74
Christianorum officiũ 281.254.b 244.b
Christianorum sacrificia 207
Christianis hominibus licet iudicio contendere, & ad legum præsidia confugere 268.b
Christianis licet tenere proprium fol. 47.b
Christianis licet magistratus opẽ implorare 260.b
Christianis unde authoritas & gratia conciliari possit 78.b
Christianos decet intrepidè causam suam tueri 161.b
Christus ab ædificantibus reijcitur sam fol. 65
Christus angelus magni consilij quomodo sit 106
Christus antequam terras desérat mandatis instruxit apostolos 3
Christus apprehenditur fide 176
Christus apostolicæ doctrinæ caput 220
Christus apostolos in errore de regno carnali consolatur 10
Christus à prophetis magnificus describitur 1
Christus à prophetis mons dicitur 1
Christus communis omnium gentium saluator 11
Christus cùm prædicatur regnum dei prædicatur 39.b 289.b
Christus diuina uirtute & spiritus sui operatione ubiq; est 13.b
Christus est deus uerus 35. 145.b
Christus est dominus 42
Christus est nomen dei & imago patris 3.b
Christus est sacerdos 42
Christus est uir 35
Christus est uir adprobatus à deo. ibidem
Christus est uita, & qui credunt in eum uitam habent 4.b
Christus est uita et resurrectio 38.b
Christus est uniuersalis saluator. fol. 42
Christus ex dei consilio est mortuus 36
Christus homo uerus ex Iudæis. fol. 58.b 145.b
Christus humanã naturam in cœlos subuexit 12
Christus Iesus ad Iudæos quoque pertinet 60
Christus in cœlum locum beatorũ ascendit 12
Christus in eum locum ascendit in quem transferenda sunt corpora nostra 12
Christus in medijs tenebris suos illuminat 160
Christus innocens in crucẽ actus est 173
Christus iudicabit uiuos & mortuos 148
Christus Mosi similis 58.b
Christus oues suas in his terris uidet & curat 3
Christus pacificator dei & hominum 145.b
Christus peccatorũ medicus 43
Christus per mortem uicit 123
Christus prædicatus est in Mose & prophetis 58
Christus princeps ꝓphetarũ 108.b
Christus propheta 58.b
Christus qualis agnosci à nobis & fateri debeat 125.b
Christus quis sit 35
Christus quomodo prædicari debeat 209
Christus quomodo sacerdotis munus obierit 2.b
Christus quomodo sit Iudæis offendiculũ & gentib⁹ stultitia 214
Christus regnat in medio inimicorum suorum 79
Christus rex à patre declaratus 1
Christus rex et sacerdos 146.b.12.b
Christus quomodo regis officio functus sit 2.b
Christus rex uictoriosus est 41.b
Christus salutem nostrã prouehit & tuetur 186
Christus secundũ corpus nõ ubiq; diffusus 11.b
Christus semel duntaxat mori debuit 175
Christ⁹ si corporaliter in terris adhuc est, iam diuinitate illum abesse negare oportet 13.b
Christus solenni inauguratione à deo doctor est declaratus 19.b
Christus solus in ecclesia audiendus 7
Christus spes Israelis 286.b
Christus summus sacerdos uerum sanctuarium est ingressus 13
Christus super mõtem Sion, id est ecclesiam dei constitutus est 4
Christus supra omnes cœlos ascendit, quomodo intelligendũ 12.b
Christus uerus deus & homo ascẽdit, quomodo intelligendũ 12
Christus uerus deus spiritũ sanctũ accipit iuxta rationem humanitatis 41
Christus uerus deus & homo 35
Christus uictor in cœlis intercessor pro nobis comparet 12.b
Christus uitæ & salutis author est 272.b
Christus uocatur iustus 254
Christus unctus dei est 42
Christus uniuersalis omnium hominum saluator est 25.b. 78.b
Christi actus postremus cum suis discipulis qualis fuerit 8.b
Christi ad inferos descensus 39
Christi aduentus uisibilis & inuisibilis quomodo 14.b
Christi anima apud inferos cruciatibus non est obnoxia 39
Christi cognitio ad salutem consequendam necessaria est 175.b
Christi cognitio à solo deo manifestatur 254
Christi colloquiũ cum Paulo 255
Christi cura & studiũ ꝓ ecclesia 3
Christi diuinitati ascensio nõ competit 12
Christi doctrina quomodo considerandа 2.b
Christi è terris discessus 11.b
Christi & fidelium quæ sit coniunctio 253
Christi & Mosis comparatio 58.b
Christi & redemptionis nostræ typus 105
Christi & salutis quomodo participes reddamur 148.b
Christi exemplum nobis imitandũ proponitur ut pietatis & religionis rationem discamus 37.b
Christi fides in deum 37.b
Christi fides in ꝓmissis erga suos apostolos 2

Christi fugæ 105.b
Christi gestorum post resurrectionem descriptio 4
Christi hostes cum deo bellum gerunt 71.b Dei consilia exequuntur ibid.
Christi hostium consilijs non consentiendum 187
Christi humanitas in æternam gloriam & lætitiã subuecta est 39.b
Christi Iesu potentia 119.b
Christi Iesu uera cognitio 35
Christi meritum peccata humana superare non possunt 43
Christi ministerium omne operibus & doctrina continetur 2.b
Christi negotium paucis describitur 84
Christi nomine ad quæstum abutentes punientur 229
Christi nomine periclitantes non sunt deserendi 265
Christi nomine totum Euangeliũ comprehenditur 117
Christi obedientia 37.b
Christi officium 62
Christi opera & miracula qualia fuerint 2.b.35
Christi passio & mors 35.b
Christi potentia in oppugnandis hostibus suis 252.b
Christi promissiones sunt sanctæ & inuiolabiles 2
Christi regnum nõ est de hoc mundo 96.b
Christi regnum non Israelis tantũ est, sed in totum orbem terrarum extenditur 8.b
In Christi regno quid à nobis potissimum quæri debeat 31.b
Christi respõsum ad curiosam quæstionem discipulorum de carnali Israelis regno 9.b
Christi resurrectionis usus 147
Christi resurrectione probatur ipsum deum esse 217
Christi sacrificio peccata expiantur 147
Christi spiritus legis interpres 25.b
Christi spiritus quid efficiat in hominibus 51
Christi studium ardens pro humani generis salute 129
Christi uires etiam inuictæ 114
Christi uisibilis aduentus institutioni & consolationi nostræ inseruit 14
Christi ultima conuersatio cum apostolis quibus de causis tam diligenter describatur 6
Christi uocem qui sequuntur, Romanam sedem deserunt 252.b
Christo debetur fides & obedientia 59
in Christo impletũ quicquid prædictum de Messia 41
Christo nihil prorsus cum diabolo commune 103
Ciborum delectus 141
Cibis in humanum usum creatis hominibus frui licet 132
Circumcisio generationis nostræ principia corrupta esse docet 176.b
Circumcisio non iustificat 98.b
Circumcisio quomodo ueteri populo fuerit inutilis 111
Circũcisio spiritualis quæ sit 113.b
Circumcisio testamenti siue fœderis fuit signaculum 99
Circumcisionis fiduciam & gloriationẽ oppugnat Stephanus 98.b 113.b
Ciuiles defensiones Christianis nõ sunt negatæ 286.b
Ciuitatum Iudææ infelix sors 6.b
Claudus audit Euangelium & credit 183
Claudus ex utero matris, Christi uirtute sanatur 49.b
Claudus sanatur miraculose 183
Claudi conditio miserrima 182.b
Cleri tyrannis in ecclesia 255.b
Cœlibatus defensores 15.b
Cœna dñi fractio panis dicit 46.b
Cœna domini quomodo administranda 235.b
Cœna domini signaculum est mortis Christi 8
Cœnæ dominicæ ritus & ordo nõ immutandus 46
Cœnæ dominicę usum & formam apostoli tradiderunt 1.b
Cœnæ domini uerba quomodo accipi debeant 99.b
Cœnæ uerba sacramentalis sunt locutio 14
Cœtus ecclesiastici 235
Cœtus nocturni & antelucani 162
Cœtus sacri cur sint instituti 48
Cœtus sacri credentium ibid.
Cœtus sacri, & publici quidem, necessarij cur sint 78.b
Cœtuum sacrorum ratio 169
Cœtibus piorum & bonorum frequenter improbi obrepunt 91.b
Cogitationibus & desiderijs peccatur 121
Cognitio ueri dei è scripturis petenda 184
Colligi ad patres 175
Colloquia Christianorum qualia esse debeant 5.b
Commendantur Paulus & Barnabas 196
Commercia noxia quæ sint Christianis 132
Commercia piorũ uerè Christiani homines amare debent 132
Commodis proprijs inuigilantes quo spiritu agantur 241.b
Communicatio apostolorum 47
Cõmunicatio siue beneficentia 46
Communicationis apostolicæ ratio 47
Communicationis causa efficiens, dilectio dei 48
Communicationis Christianę exemplum 73.b 74
Communicationis rerum fons, ratio, & ordo 73.b
Communicationis fructus & ratio institutionis 74
Cõmunicationis uerus usus 47.b
Cõmunio bonorum qualis fuerit in primitijs Christianæ religionis 73.b
Cõmunio rerum num sit necessaria 47.b
Cõmunio cœnæ dominicæ quantum bonum sit 46
Compuncti corde consilia è dei uerbo petant 43
Conciliatur patrum ueteris Testamenti & nostra fides 193
Concilium sacerdotum & scribarum 254.b
Cõcilij Antichristiani typus 255
Cõcilij decretũ cõtra apostolos 67
Concilij in spiritu sancto congregati exemplum 193.b
Concilij legitimi species & forma 81.b
Concilij Pontificij typus, descriptio & usus 64.a.b
Concilij prætextu aduersus apostolos pugnatur 81.b
Cõcilij sacerdotalis quæstio 64.b
Concilia Pontificũ qualia sint 255
Concilijs Antichristianis ministri ueritatis nõ sunt cõmittendi 259
in Cõcilijs quomodo Christi causam agere permittant impij 9.b
Concilijs religionis causa nõ subijcienda 191.b
Concio Philippi qua Aethiopem Eunuchum conuertit 123.b.124
Cõcionis Paulinæ ad Felicem capita 266
Concionis Paulinę effectus 266.b
Conciones apostolicæ 235. (288
Conciones sacræ precibus inchoandæ & finiendæ sunt 242.b

Concor-

Concordia animorum 16.b
Concordiæ & unanimitatis studium in ecclesia esse debet 73
Concordia quæ grata sit deo 26
Concordia siue animorũ coniunctio in Christi regno propagando maxime requiritur 120
Conditio fideliũ in hoc mũdo 188
Conditio omnium ea est, ut frustra bene cœperis, nisi in finem usq; perseueres 188
Conditionis nullius aut ordinis homines negligit deus 201.b
Cõfessio Aethiopis Eunuchi 125.b
Confessio Christi à fide separari non potest 78.b 28.b
Confessio Christi magnanima spiritus sancti effectus est 28.b
Confessio fidei in Christum 44
Confessio fidei ministros cumprimis decet 264.b
Confessio fidei non inter indifferentia numeranda est 29
Confessio fidei quãdo requiratur 266
Confessionis Christi gloria 246
Cõfessionis ueræ fidei exemplum in Stephano 114.b
Confidentiæ malum quod etiam pijs obrepit 33
Confidentiæ & audaciæ hypocriticæ exempla 76.b
Confidentium mores 282
Confirmant apostoli animos discipulorum 187.b
Confirmatio orationis apostolorum ad Lystrenses 184.b
Confutatione impiorum opus habet ecclesia 226
Coniugia cum impijs contrahentes quid maneat 265.b
Coniunctio animorum beneficentiæ fons est 47
Conscientiæ in religionis causa ratio est habenda 257
Conscientiæ stimuli etiam impijs obrepere solent 82
Conscientiæ terrores 42.b
Consensus impiorum non est diuturnus 258.b
Consensus in peccatum pœnã meretur 77
Consensus Synodi Hierosolymitanæ 195.b
Consilium de concordia inter Iudæos & gentes conciliãda 194.b
Consiliũ seniorũ excutitur 247.b
Cõsilij humani infelix exitus 248
Consilia dei humana ratione scrutari periculosum est 179.b
Consilia dei improborum hominũ conatibus impediri nõ posse exemplis demonstratur 82
Consilia humana cõtra Christum sunt uana 66.b
Consolatio ex nouissimo aduentu Christi 14
Consolationis argumenta 220
Consolationis diuinæ exemplum ibidem
Consolationis diuinę uis elucet in afflictionibus 205.b
Consolationis spiritus sancti effectus 135
Consolationem deus factis confirmat 259.b
Cõsolationes in aduersis unde petendæ sint 259.b
Consolationibus suos erigit dominus 37.b
Consolationum diuinarum ratio 259.b
Consolemur afflictos tyrannide, quibus possumus officijs 187
Consortia malorum sunt fugiẽda 129
Constantia 238
Constantia & fortitudo Pauli 222
Constantiæ & fortitudinis Christianæ exemplum 254.b.7.b
Constantiæ modestia coniungenda 191
Constantiensis Concilij facinus quod in sanctissimum Christi martyrem Iohannem Hussium designatum est 80
Consuetudo dei in puniendis peccatoribus 20
Consuetudines dei uerbo cedere debent 143.b
Cõtemptus ministrorum uerbi ex contemptu uerbi dei procedit 109.b
Contemptus uerbi dei fons est omnis impietatis 109.b
Contra corporalem Christi in terris præsentiam 57.b
Contradicere Euãgelio quantum sit scelus 10.b
Conuersio Pauli quibus de causis tam diligenter describatur 129.b
Conuersionis Sauli historia 129.b
Cõuersionis Pauli historia 274.b
Conuersionis & fidei ueræ effectus 202
Cõuersionis initiũ ex deo est 253
Conuersionis ordo tribus cõsistit capitibus 202
Conuersionis ueræ modus 253
Conuersionis ueræ exemplũ 122. 253
Conuersorum officia 253
Cõuitia depellere, & famam suam tueri debent Christiani 30.b
Conuiuiorum quæ ratio & regula sit habenda 48.b
Corda nostra opus habent purificatione 192.b
Corinthus qualis 217.b
Cornelij cum militibus nostri seculi comparatio 138.b
Cornelij descriptio 138
Cornelij obedientia 140
Cornelij uocatio 139
Corporalis Christi absentia nihil obest credentibus 40.b
Corporalis pręsentia Christi in cœna perperam quatuor argumentis asseritur 13
Corporalis præsentia Iesu Christi in terris nulla est post ascensionẽ eius in cœlos 13
Corporali Christi pręsentia in terris non opus habemus 3
Corporalem Christi in cœna pręsentiam asserẽtes, corporis Christi ueritatem negant 4
Corpus Christi gloriosum & incorruptibile resurrexit 39.b
Corpus Christi in resurrectione non est exinanitum ibid.
Corpus clarificatũ nõ est ubiq; 4
Corporis resuscitatio 38.b
Corporũ clarificatorũ conditio 4
Corruptio naturæ nostræ 172
Corruptioni obnoxius homo 175.b
Credentes donis spiritus sancti nõ sunt destituti 44
Credentes omnes spiritus sancti effectus inter se cõmunes habẽt 32
Credentium epitheta quæ 49
Credentium paucitas neminem offendat 17
Crimina diluere licet 30.b
Crimina quibus ministri ueritatis grauantur 83.b
Crux Christianis hominibus est ferenda iuxta exemplum Christi 67.b
Crux & infames uitę exitus, nequaquam irati dei argumenta 159
Crux non ultima ecclesiæ Christi nota est 135
Crucis Christianorum gloria 88
Crucis uexillum fidelium triumphus est 82.b
Cruce non offendi debemus 209
Culpa aliorum nos non excusare potest 168
Culpa idololatriæ non in deum reijcienda 187
Cultores Christi cum persequun-

tur, ipse quoq; Christus persequutionem patitur 128
Cultores Christi θεοδίδακτοι dicuntur 17
Cultores deus quales requirat 289
Cultores ueri dei quàm deo curæ sint 261
Curam agit deus suorũ maximè, cum omni humano auxilio destituuntur 159.b
Curam nostri agit deus 187
Curiosæ & inutiles quæstiões 9.b
Curiositatis malum 9
Cultus dei uerus quis sit 106.b
Cultus unius dei 215.b
Cultus dei non fuit tabernaculo alligatus 112
Cultus dei non ita debet certis locis alligari quasi illi ad salutẽ aliquid momenti conferant 285.b
Cultus dei uerus quis sit 264
Cultus omnis creaturarum euertitur 184.b
Cultus omnis uanus est qui nõ ad finem cum destinatur qui à deo præscriptus est 111
Cultus papisticus præposterus 110.b
Cultus syderis 111
Cultus Moloch 111
in Cultu dei & religione nihil ex hominum placito statui debet 112.b
Cultus imaginum 111.b

D

DAmasceni fratres Paulum liberant 133.b
Dauid de Christo uaticinatus est, quia propheta fuit 40.b
Dauid quomodo dei uoluntatem omnem fecisse dicatur 171.b
Dauidis apud Iudæos authoritas 40.b
Dauidis de Christi ascensione oraculum explicatur 41.b
Dauidis de Christi resurrectione oraculum exponitur 40.b
Dauidis deChristo uaticiniũ 40.b
Dauidis encomium 171
Dauidis peccata per dei uerbum arguuntur 42.b
Dauidis persecutiones Christi persecutionum typus fuerunt 20
Decius post effusum Christi martyrum sanguinem, unà cum filio in solo barbarico perijt adeò ut nec mortui cadauer ad sepulturã inueniri potuerit 97.b
Decretũ Synodi exponitur 196.b
Defectores dissidiorum authores 168.b
Defectores non temerè ad ministerium admittendi 191
Defectores semper fore 168
Defunctorum conditio 175
Delectus ciborum 141
Demetrij nostri seculi 224
Descensus Christi ad inferos 39
Descensus Israelis in Aegyptum, quis eius author, & quæ causa 101
Deus Abrahami, Isaaci, Iacobi & patrum 53.b
Deus author & fons omnium bonorum 186
Deus contemptos & abiectos euehit 107.b
Deus de periculo admonet & in tẽpore consulit 279
Deus ecclesiæ per prophetas suos consulit 156.b
Deus ex gratia iustificat per fidem in Christum 192
Deus ex mundi et hominis fabrica melius quàm ex imaginibus cognoscitur 216
Deus hostium suorum conatus dissipat 265.b
Deus hostium suorum conatus eludit, & suos asserit 80
Deus in medio luporũ suos tueri potest 46.b
Deus lætis tristia miscet 102.b
Deus neminem punit nisi peccati cõuictus sit & pœnæ causam intelligat 77
Deus non colitur sacrificijs 214
Deus non est tentandus 77
Deus non negligit res hominum, utcunq; ipsorum oblitus esse uideatur 268
Deus non respicit personas 144.b
Deus nulla imagine potest exprimi 216
Deus omnium creator & gubernator 185
Deus patrius quis 264
Deus patrum Abrahami, Isaaci & Iacobi quomodo dicatur 106.b
Deus per Christum est inuocandus 34
Deus præter omnẽ spem suis adest 103.b
Deus repugnat illis, qui doctrinã diuinitus reuelatam oppugnant 258.b
Deus seruat suos cum in præcipitio perditionis stare uidentur 166.b
Deus se inuocãtes apostolos liberat 205.b
Deus sua ope non deest fideliter laborantibus 181.b
Deus suos consolatur 222
Deus suos in periculis liberat 275
Deus suos nouit & defendit in media impiorum turba, quod scripturæ testimonijs & exemplis cõprobatur 6
Deus suos nunquam negligit 279
Deus suos qui periclitantur nunquam deserit 113.b
Deus suorum curam habet 267
Deus suorum fidem & patientiam exercet 96.b
Deus suis adest cũ affliguntur 100
Dei bonitas eximia in homines 50
Dei cognitione qui carent quàm facile corrumpantur 268
Dei cognitio unde petenda 214.b
Dei consilium & mos, qui hostes suos non raro eousq; progredi finit, ut uix latum unguem à consiliorum suorum meta abesse uideantur 128
Dei consilia impediri nequeunt 86.b
Dei descriptio ab omnipotentia 104
Dei donum est quicquid eximij habemus 100
Dei iudiciorum causæ non sunt altius scrutandæ 216
Dei magnifica prædicarunt apostoli, quomodo sit intelligendum 28.b
Dei mos quo utitur in puniendis sceleratis 76.b
Dei opus proprium est saluare homines 103.b
Dei potentia admirabilis aduersus impios 69.b
Dei potẽtia in liberãdis suis 207.b
Dei potentia inuicta est 261.b
Dei potentia qua conatus hostium suorum solet eludere 103.b
Dei protectioni nos commendemus 160.b
Dei prouidentia in grauissimis angustijs cũ sumus constituti, quomodo consolari debeat 102.b
Dei prouidentia pios in periculo seruat 186.b
Dei prouidentia temporum articulos comprehendit 102.b
Dei serui non ignorant uolũtatem domini sui 175.b
Dei unius cultus argumentis probatur 215.b
Deo facile est suos periculis eripere, & ex hostium numero ipsis tutores dare 85.b
Deo nihil est præscribendum 22.b
Deo omnem euentum functi nostro

ſtro officio cõmendemus 188.b
Deo perinde eſt multos uel paucos ſaluare 283
Deo quid debeamns 289.b
Deum unum adorandum, & colendum 385.b
Dei tutelares 215.b
Dij nõ poſſunt ex hominibus fieri 215.b
Deus Maozim 214.b
Deus Remphan 111
Dextra dei quid 12.b
Dextera dei 41.b
Diabolus poteſt aliquid per ſuos miniſtros, non libera ſua poteſtate, ſed dei permiſsione 118.
Diaboli inſigne ſtratagema 279.b
Diaconi inaugurantur publice, & quis inaugurationis modus 91.b
Diaconi primitiuæ eccleſiæ à miniſterio uerbi non fuerũt alieni 93
Diaconi qui & quales ordinandi 90.b.91
Diaconorum electio qualis olim fuerit 23
Diaconorũ eccleſiæ catalogus 91
Diaconorum inſtitutio in primitiua eccleſia triplicem habet fructum 92.
Diaconorũ ordo, qua occaſione, & qua de cauſa ſit inſtitutus 89
Diaconorum ordini ſanctiſsimo impurus & flagitioſus homo obrepit 91.b
Diaconis ueteris eccleſiæ permiſſum fuit Euangelij prædicationem ſuſcipere 117
Diana multimammia 233
Dianæ ſimulachrum cœlitus delapſum 234
Dicendi copia in eccleſia non cuiuis danda 169
Dicendi libertas maxime confundit impios 67
Dies domini magnus quis 32.b
Dies refrigerij 57
Dies reſtitutionis 57.b
Differt interdum opem dominus non deponit 161
Dignitas miniſterij Euãgelici 201
Dignitas una eademq; Iudæorum & gentiũ ſub Meſsiæ regno 194
Dignitatis gradus manent inter Chriſtianos 95
Diligentia Herodis in aſſeruando Petro 159
Diocletianus cum Maximiano & Gallerio collegis eccleſiam dei perſequentes, manum dei ſenſerunt 98.
Diſceptatio de iuſtificatione corã apoſtolis 192
Diſciplina eccleſiaſtica ab apoſtolis tradita 1.b
Diſciplina in eccleſijs neceſſaria eſt 49.b
Diſcipuli Chriſti conſolantur ab angelis 14
Diſcipuli Chriſti poſt diſceſſum eius in cœlos præſentiam tamen eius corporalem requirunt 13
Diſcipuli Chriſti reprehenduntur ab angelis 13
Diſcipuli Chriſti titulus cuius rei admonuerit 136
Diſcipuli Hieroſolymitani à Paulo ſibi metuunt 133.b
Diſcrimen inter Saulem & Dauidem 171
Diſcrimen ueteris & noui Teſtamenti 31.b
Diſſenſionis authores 109
Diſſenſiones non dubium faciunt ſalutis negotium 190
Diſſenſionibus religionis non offendamur 191.b
Diſsidiũ Pauli & Barnabæ 197.b
Diſtinguendum inter miniſtros & Chriſtum 8
Diuinitas Chriſti humanitatẽ non abſorbet nec extendit per omnia 13
Diuinitatis & humanitatis in Chriſto uſus 35.b
Diuinitatis diuinæ nota 24.b
Diuitiarum huius ſeculi uſus 73.b
Diuitum & magnatum officiũ 285
de Diuis quid pie credi debeat 53
Diuorum inuocatio in Papatu ſimilis gentium idololatriæ 114.b
Docendi in eccleſia modus & ordo 51.b.287.238
Docendi prouincia in eccleſia requirit diligens examen 5.b
Docendi ratio optima quę ſit 226.272
Doctrina apoſtolorum 45.b
Doctrina dei non ita certis locis alligari debet: quaſi illi ad ſalutem aliquid momẽti cõferant 287.b
Doctrina ea in eccleſia docenda quã ſpiritus ſanctus dictauit 7.b
Doctrina & prædicatio Chriſti ex prophetarum libris deſumi & diſci poteſt 124.b
Doctrina Euãgelij feliciſsime propagatur inter medios hoſtes 179
Doctrina fidei bonis operibus minime inimica 207
Doctrina in eccleſia primas tenere debet 91
Doctrina Pauli accuſatur 248.b
Doctrina Pauli ex ſcripturis 269.b
Doctrina ueritatis aduerſus quaſuis incurſiones firma conſiſtit 292
Doctrina uere apoſtolica quæ ſit 132
Doctrinæ apoſtolicæ authoritas 3.b
Doctrina ueritatis nunquam tam cordate & modeſte prædicari poteſt, quin calumniandi occaſionẽ infelix mundus arripere poſſit 94
Doctrinæ apoſtolicæ author eſt Chriſtus 3.b
Doctrinæ apoſtolicæ fons 287.b
Doctrinæ Chriſti conſideratio cuius ſit uſus 2.b
Doctrinæ Chriſti initium & finis 21.b
Doctrinę in eccleſia prima cura haberi debet 45.b
Doctrinæ locus publicus ſit 228.b
Doctrinæ Iohannis & Chriſti diſcrimen 225
Doctrinæ Pauli ratio 209
Doctrinæ ueræ rationem tradunt apoſtoli 1.b
Doctrinam Chriſti impune contemnere nemo poterit 177
Doctrinę exitioſæ ſunt omnes quę Chriſti meritum obſcurant 81
Doctores eccleſiæ columnæ uocantur 112
Doctores qui? 164.b
Dogmatis falſi effectus 190.b
Domitianus eccleſiæ Chriſti perſequutor à domeſticis ſuis confoſſus obijt 96.b
Domus nomine cuiuſcunque loci ſiue ordinis homines cõprehenduntur 42
Domus dei eſt eccleſia dei 40
Donum dei præcipuum eſt in terris ſi externa religio firmiter conſtituta ſit 112.b
Donum linguarum 27.b
Donum ſpiritus ſancti omnium præſtantiſsimum 31
Donum ſpiritus ſancti quibus potiſsimum obtingat 44
Donorum dei uſus 225.b
Dorcadis deſcriptio 136.137.
Dorcadem quomodo ſuſcitarit Petrus 137

E.

Ebrietatis initium & malum 31
Eccleſia Chriſti corpus 46.b
Eccleſia Chriſti rubi inſtar quomodo ſit 106.b
Eccleſia concordiæ ſtuduis 73.b

Ecclesia deo uindice defenditur 97.b
Ecclesia disciplina op⁹ habet 49.b
Ecclesia domus dei dicitur 40.23
Ecclesia eligit diaconos 91
Ecclesia etiam confutatione impiorum opus habet 226.b
Ecclesia in mundo peregrinatur & affligitur: & cur hoc permittatur 97
Ecclesia mūdi impiꝭ conatibus oppugnatur quidem, sed non expugnatur 116.b
Ecclesia non aliam doctrinam audire & recipere debet quàm eam quæ à spiritu sancto dictata fuerit 7.b
Ecclesia olim etiam fuit in Aegypto 97
Ecclesia patet solis fidelibus & ueris Christi cultoribus 78.b
Ecclesia per preces ad deum confugit 68.b
Ecclesia persequutionibus augetur 79
Ecclesia primitiua è quo hominū genere fuerit collecta 137.b
Ecclesia primitiua non caret uitijs 89
Ecclesia primitiua quomodo inter infestos hostes tuta fuerit 46.b
Ecclesia primitiua uitium & originem habuit ex opibus ecclesiæ destinatis 90
Ecclesia quo præsidio tuta esse possit 46.b
Ecclesia quibus armis pugnet, folio 160.b
Ecclesia saxo quare conferatur 97
Ecclesia semper habebit falsos fratres 119.b
Ecclesia Tyria 245
in Ecclesia nil priuata authoritate institui aut decerni debet 22.b
in Ecclesia nihil sine scripturis instituendum 18.b
in Ecclesia uersantibus quis finis & scopus esse debeat 135
Ecclesiæ absoluta forma 46.b
Ecclesiæ bona publica male distribuere quantum pariat malū 89.b
Ecclesiæ Christi formam & exemplar docet liber actorum apostolicorum 1.b
Ecclesiæ Christi fucum facere audentes quid maneat 77
Ecclesiæ Christi in hoc mūdo conditio 2
Ecclesiæ Christi perpetuitas 124
Ecclesiæ Christi sors qualis semper in mundo fuerit 87
Ecclesiæ constitutio & forma absoluta 73.74
Ecclesiæ cura à Christo apostolis est commendata 3
Ecclesiæ decus esse idoneos ministros & doctores 165.b
Ecclesiæ deus per prophetas consulit 156.b
Ecclesię dei conditio contemplanda nobis proponitur 97
Ecclesiæ dei omnibus seculis quæ fuerit spes 273
Ecclesiæ dignitas 140
Ecclesiæ disciplinam docuerūt apostoli 1.b
Ecclesiæ & doctrinæ euangelicæ hostes qui futuri sint 61.b
Ecclesiæ forma nulla tam perfectè institui potest, quin semp aliquid dignum correctione incidat 89.
Ecclesiæ fundamentum quod 66
Ecclesiæ germana & propria nota est audire uocem pastoris sui 91
Ecclesiæ incrementum à deo 49
Ecclesiæ in hoc mundo conditio 274
Ecclesię initium post misionē spiritus sancti 44.b
Ecclesiæ membra qui sint 46
Ecclesiæ ministri architectis conferuntur 65.b
Ecclesiæ pax quomodo consequi posit 135
Ecclesiæ primitiuæ exercitia 161.b
Ecclesiæ primitiuæ facilitas in reformandis erroribus est imitanda 91
Ecclesiæ primitiuæ florentissimus status 78
Ecclesiæ primitiuæ forma, & reformationis regula 1.b
Ecclesiæ primitiuę forma in eligendis ministris non deserenda 22.b
Ecclesiæ primitiuæ forma, mores, ritus & exercitia 45.b
Ecclesiæ primitiuæ fortitudo, & flagrantissimus Christi zelus 72
Ecclesiæ primitiuæ paucitas 17
Ecclesiæ primitiuæ publica exercitia 78.b
Ecclesiæ primitiuæ studia & exercitia specialiora 89
Ecclesiæ primitiuæ studia & exercitia quæ fuerint 72.73.74
Ecclesiæ Samaritanæ publica constitutio 119
Ecclesiæ sors 157.b
Ecclesiæ sors est ex persequutionibus incrementum sumere 63.b
Ecclesiæ studium in persequutione 159
Ecclesiæ titulum gerentes quid facere debeant 47
Ecclesiæ ueneranda maiestas & authoritas qua Christus eam exornauit 78.b
Ecclesiæ ueræ cognitio 47
Ecclesiæ ueteris duæ uirtutes perseuerantia & unanimitas 48
Ecclesiæ etiam lōgè dissitæ mutuo se iuuare debent 154.b
Ecclesiæ per fidē rectè coalescunt, & ecclesia esse non potest ubi fide destituuntur homines 119
Ecclesię quomodo dei constructio & ædificatio dicantur 135
Ecclesiam suam quomodo ab origine mundi deus defenderit 106
Ecclesiam Christus doctrina sua non relinquit 3.b
Ecclesiarum per Iudæam, Galilęā, & Samariam, conditio 134.b
Ecclesiarum præsides quales sint eligendi 68
Ecclesiarum præcipua cura de idoneis ministris esse debet 155
Ecclesiarum tyranni qui 32
Ecclesijs pax reddita 134.b
Ecclesiasticæ authoritatis extinctæ quæ sint causæ 20.b
Ecclesiastici cœtus 236
Ecclesiasticorum bonorū quæ ratio esse debeat 73.b
Ecclesiasticorum bonorum usus quomodo dissipatus 50
Edictum de non prædicādo Christo renouatur 88
Educatio liberorum bona 199
Effectus cōcionis apostolicæ 184
Effectus concionis Petri 42.b
Effectus consilij apostolici 45.b
Effect⁹ doctrinę apostolorū 181.b
Effectus persecutionis, exiliū 180
Effectus uerbi dei in electis, & eorundem officia 179.b
Electio Aaronis ad ministeriū ecclesiæ qualis fuerit 22.b
Electio ab æterno facta 179
Electio gratuita omnium bonorum fons 170
Electio illegitima ministrorum quid pariat 23.b
Electio legitima authoritatem ministris parit 23.b
Electio legitima in ministerij officio confirmat ministros ibid.
Electio ministrorū ecclesiæ requirit attentionem diligētem tum in nobis ipsis, tum in alijs examinandis 91.b
Electio ministrorum legitima fit oportet 22

Electio

Electio ministrorum propriè ad deum referri debet 23
Electio peccatis nostris non impeditur 219.b
Electio publicè fiat coram ecclesia 22.b
Electionis & prædestinationis certitudo 219.b
Electionis fidelium scopus & finis 10
Electionis in ecclesia primitiua forma non est deserenda 23.b
in Electione ministrorum primitiuæ ecclesiæ forma retineri debet 23
in Electionibus ministrorum animi potissima ratio est habēda 23
Electi à communibus calamitatibus non sunt immunes 136.b
Electi uerbum dei agnoscunt & recipiunt 177.b
Electi uocem Christi facile agnoscunt 179.b
Electorum ingenium quale 45.b
Electos suos deus in quouis hominum genere habet 165.162.b
Electos suos deus uarijs tribulationibus exercere solet, eosdem uerò insperatis medijs liberat 258
Eleemosynæ opus sunt misericordiæ 138.b
Eleemosynæ uocabulo quæ comprehendantur 136.b
Eligendorum ministrorum uetus consuetudo 22.b
Eloquentia est donum spiritus sancti 225
Ephesi conditio 227
Epicurei 9
Epicureorum dogmata 213
Epicureismum regnare postremis temporibus 213.b
Epilogus Paulinæ cōcionis 176.b
Episcopi semper passi sunt se ab episcopis corrigi 151.b
Epistola Tribuni, Cl. Lysię & eius partes 261.b
Error, qui librariorum incuria annorū numeros deprauauit 107.b
Erroris Apostolorum utilitates 8.b.9
Errorem ueterem esse de carnali Israelis regno, probatur locis scripturæ 9
Errores inueteratos difficile est tollere 9.b
Essenorum secta quæ fuerit 258
Euāgelicæ doctrinę auditores idonei qui sint 29.b
Euangelicæ doctrinæ capita & ordo 273
Euangelicæ doctrinę præstātia 81
Euāgelicæ prędicationis finis 217
Euangelico cursui remora obijcitur, Simon Magus 118
Euangelistæ ueri qui sint 111.b. & quomodo à falsis discerni possint ibid.
Euangelium gratia dei dicitur 178
Euangelium infortuniorum & calamitatum publicarum causa nō est 118
Euāgelium in quibus hominibus fructus dignos edere possit 29.b
Euangelium Iudæis primùm prędicari debuit 172.b
Euangelium non est causa dissidiorum aut licentiæ quidiuis audendi 25.b
Euangelium non potest absq; disceptatione prædicari 213.b
Euangelium nunquam frustra prędicatur 209.b
Euangelium perfectè tradit quæ saluti nostræ seruiunt 3
Euangelium regnum dei quomodo dicatur 278.b
Euangelium sine cruce prædicari non potest 131
Euangelium uel prædicationem Christi apostoli dei magnalia uocant 28.b
Euangelium uerbum uitæ, gratiæ, reconciliationis dicitur, & alijs atq; alijs titulis decoratur in scriptura 80.b
Euangelij cursus felicissimus 245
Euangelij dignitas 90.b.122
Euāgelij dignitas et efficacia 149.b
Euangelij doctrina cur male audiat 63
Euangelij doctrina in medijs turbis propagatur 179
Euangelij doctrina non est noua 273
Euangelij doctrina quomodo prędicari debeat 132.b
Euangelij finis & usus 275.b
Euangelij finis obedientia fidei 96.b
Euangelij felicissimus progressus fol. 92
Euangelij hostes deus iusto iudicio reijcit 138.b
Euangelij laus maxima quæ sit 119.b
Euangelij ministri obediāt dei pręceptis 7
Euangelij ministri spiritu sancto opus habent 7
Euangelij negotium à Iohanne cœpit 146
Euangelij præcones tam doctrina quàm scriptis Christi cognitionem disseminare in toto terrarū orbe debent 11
Euangelij prædicatio hominibus est lapis offendiculi & contradictionis 30
Euangelij prædicatio inchoanda à peccatorum redargutione 36
Euāgelij prædicatio miraculis per apostolos confirmatur 49
Euangelij prædicandi ratio quid comprehendat 60.61
Euangelij prædicandi uera ratio 287.b
Euangelij sors quæ sit 287.288
Euangelij summa 276.b
Euangelij testes apostoli et spiritus sanctus 86
Euangelij uera descriptio 134
Euangelij uerbum lux & gladius quomodo dicatur 42.b
Euangelij usus & effectus 26.b
Euangelio coniungendæ etiam minæ & pœnarum denunciationes 177
Eunuchus baptismum expetit, cuius Bapt. diligenter describitur 125.126
Eunuchus nō queritur de Philippi absentia 125.b
Eunuchi zelus multa tamen adhuc ignorantis 124
Ex afflictionibus religionem et doctrinā qui iudicant, errant 87.b
Examen ministrorum ecclesiæ necessarium 5.b
Excidium hostium Christi 20.b
Excidunt à gratia qui Euāgelium reijciunt 178
Excæcatio impiorū incurabilis 82
Executio legationis ad Antiochenam ecclesiam 197
Executio legum anima & neruus est 199.b
Exemplum admirabile efficacis spiritus sancti operationis & potentiæ 30
Exempla maiorum errores non excusant 217
Exempla omnis ordinis & loci hominū Acta apostolica præbēt 2
Exempla piorum dei cultorū qui à domino sunt seruati 76
Exempla singularia uniuersalē regulam non constituunt 47
Exercitium apostolorum 197.b
Exhortationibus pijs semper ad officium excitandi fideles 169
Exilium comitatur bonorum direptio & egestas 180.b

Exordiũ concionis Paulinę 169.b
Exorcistæ Iudæorum 229.b
Exorcistæ Papistarum 229.b
Externa religio 207
Exules propter religionem consolantur 284

F.

FAcies dei quæ 39.b
Facta omnia ad scripturæ regulam examinari debent 173
Falsæ doctrinæ & nouæ doctores esse accusantur apostoli 83
Falsi doctores suis coloribus depingendi & proprijs nominibus notandi sunt 45
Falsi testes contra Stephanum finguntur 93.b
Falsos doctores & eorum cõmercia esse uitanda 45
Fama asserenda eorum, qui de publica hominum salute bene meriti 196
Fames et persecutio grauissima mala concurrunt 158
Famem à deo immitti 156
Familiæ bene institutæ fruct⁹ 140
Familiæ institutio in uera pietate & dei timore 138.b
Famulorum officium 142
Faticidæ artes damnantur 10
Felix quis? 261.b
Felix & Drusilla Pauli auditores 265.b
Felix trium Reginarum maritus 261.b
Ferendum patienter quod mutari non potest 188
Festorum à deo institutorũ causa finalis 25.b
Festus eorũ typus est qui prophana mente uerbũ dei audiũt 277
Festus Paulo attentionem conciliat 271
Festus Paulo innocentiæ fert testimonium 270
Festus prouocationem admittit licet inuitus 268.b
Festi de Paulo ad Agrippam oratio 269.b
Festi iniquitas & iniustitia 268
Festi tempore, cum omnes læti, Petrus in uinculis agit 261.b
Fides Baptismi usum nõ inutilem aut superuacaneum esse putat 125
Fides Christiana non est causa malorum 33.b
Fides dissimulanda non est 125
Fides donum dei 183
Fides duntaxat electorum est 179
Fides est medium quo salus apprehenditur 55
Fides & constantia apostolorũ 181
Fides & religio non iudicanda ex euentibus huius seculi 125
Fides ex auditu 183
Fides in Christum omnium uetustissima est 286.b
Fides in Christum sola gentibus ad salutem profuit 1.b
Fides multuariã exercetur 282.b
Fides non est iudicanda ex multitudine sectatorum 17
Fides non est otiosa 136.b
Fides non obstat quò minus oremus 16.b
Fid[illegible] Pauli quæ 264
Fi[illegible] uera tam corporum quàm animarum uitam credit 4.b
Fides uetustissima omnium patrũ 273
Fides uincit mundum 47
Fides una & eadem ueteris et noui Testamenti 193
Fidei asserendæ ratio uera quæ sit 273.b
Fidei causa non ex hominum authoritate est iudicanda 15
Fidei Christianæ certitudo & antiquitas 60.40.b
Fidei Christianæ præcipui articuli qui 35.36.37
Fidei Christianæ summa 264
Fidei confirmatio ex Pauli exemplo est petenda 261.b
Fidei effectus in exemplo apostolorum docetur 14.b
Fidei & charitatis exemplum 219
Fidei & Euangelij fructus 264
Fidei fructus 55
Fidei fructus & operatio 206.b
Fidei in Christum certitudo & authoritas 40.b
Fidei in Christũ eadẽ est ratio 266
Fidei incrementa à Christianis requiruntur 277.b
Fidei ingenium 284.b.138
Fidei ingens argumentum 281
Fidei iustificationem etiam prophetæ docent 149
Fidei natura quæ sit 45.b
Fidei nostræ dignitas 174.b
Fidei obediẽtia quæ sit 104.& quę huius efficacia 14.b
Fidei obedientiã, quæ finis Euangelij est, Christus à nobis requirit 96
Fidei opus est patienter ferre disciplinam 171.b
Fidei progressus & incrementa spiritus sancti 119.b
Fidei singulare argumentum in Mose 108.b
Fidei ueræ ingenium quod nequaquam latere cupit 125
Fidei ueræ sors in hoc mundo 273
Fidei uirtus quanta sit in exemplo Abrahæ ostenditur 96.b
Fidem à dilectione separari impossibile est 207
Fidem salutẽ nobis cõciliare posse demonstrat S. Stephanus 96
Fidem solam hominibus ad salutem sufficere 1.b
Fidem suorum deus explorat 180
Fidem suorum & constantiã quomodo deus exerceat 201.b
Fide ne sola iustificentur homines, uel num legalis iustitia ad salutẽ necessaria sit 190.b
Fide peccatorum remissio percipitur 148.b
Fide recipi oportet dei promissiones 281
Fidelis animi indicium est uerbum dei libenter audire 226
Fidelis orationis uis & efficacia 205.b
Fideles deum suæ causæ uindicem habent 158.b
Fideles ex mera dei gratia in solo Christo electi sunt 10
Fideles quid in hoc mundo maneat 256.b
Fideles quandoq; errant 149.b
Fideles quid quęrant in Christo 9
Fideles sub crucis uexillo triumphant 82.b
Fideles ubiuis terrarũ feliciter moriuntur, nec miseri censendi qui extra patriæ fines in exilio hac uita defunguntur 101.b
Fidelium exercitia 149.b
Fidelium in hoc mũdo perexigua securitas 69.b
Fidelium in terris quæ sit conditio 97
Fidelium persecutores Christi persecutores sunt 253
Fideliũ prima nota est apostolicæ doctrinę fidelis obseruatio 45.b
Fidelium sors est ut domesticorũ insidijs petantur 19
Fidelium uera nota est consensus mutuus siue charitas 73
Filiæ Philippi prophetantes 246
Filij dei qui sint 31.b
Filij dei quomodo agnoscãtur 59
Filiorũ Iacob grauia peccata 100
Finis & euentus certaminis Pauli cum Elyma 167.b
Finis & scopus pseudoprophetarũ homines à fide auertere 165.b
Finis seditionis lætus 210.b

Fortitudinis

Fortitudinis Christianæ exemplũ 67
Fractio panis 46. 236.b
Fratres Christi pro cognatis nuncupantur 16
Fratres cur & quomodo dicamur 195.b
Fratrum Romanorum gratitudo 286
Fructus doctrinæ Pauli 209.b
Fructus fidei gaudium conscientiæ 126
Fructus studij apostolici 199.b
Fructus uerę pietatis qui sint 48.b
Fuga Christianorum qualis esse debeat 133.b
Fuga quandoq; ministri uerbi sibi consulere possunt 116.b. 133.b
Fugæ iusta causa quæ esse possit 247
Fugæ sanctorum quales sint 105.b
Funera à Christianis honeste sunt curanda 137
Funera cur antiquitus lota fuerint 136.b

G.

GAlerij psecutoris ecclesię Christi, exitus 98
Gamaliel apostolos morti eripit 85.b
Gamalielis argumentatio 86.b
Gamalielis consilium 86
Gaudium æternum 39.b
Gaudium cordis uerum 38
Gaudium impiorum quale 38.b
Gaudium piorum quale sit 88
Gaudium spiritus 207
Gaudij æterni causa efficiens facies dei 39.b
Gaudij piorum magnitudo 38
Gaudij ueri causa est dñs ibid.
Generatio praua sacerdotes & scribæ 4.b
Generationis uocabulum quomodo accipiatur in scripturis sacris
Gentium uocatio 138 (124
Gentiũ uocationis initium in Cornelio. ibid.
Gladij ius, quo magistratus improbos cohercet, asseritur 76
Gladij iure in causa religionis uti licet ibid.
Gloria Christi quæ sit 124
Gloria quę ex Maiorũ uirtute quæritur, uana est 99.b
Gloriatio titulorum & successionis inanis 195.b
Gloriatio uerbi dei & euangelij uana est, nisi factis exequamur, quæ per hanc præscribuntur 114
Glorificare uerbũ dei quid 179.b
Græci turbas mouẽt eò ꝙ suas uiduas in publica bonorũ ecclesiæ distributiõe negligi putabãt 89.b
Gratia confertur in Christo 176
Gratia dei nõ est alligata sacramentis 150
Gratiæ diuinæ exemplum erga miseros peccatores 15
Gratiam dei & operum nostrorũ meritũ simul consistere non posse 193
Gratiarum actio docetur 286
Gratiarum actio pro beneficentia domini 38
Gratitudo 211
Gratitudo Lydiæ erga apostolos 202
Gratitudinis Christianæ exemplũ 67
Gratitudinis exemplum in fratribus Romanorum 286
Gratitudinis exemplum in Melitensibus 285
Gratitudinis exemplum in Pharaone 101

H.

HAbere dominũ ob oculos qui dicantur 37.b
Habere qui dicantur in sacris literis 20.b
Hæresum authores aduersus naturæ ordinem peccant 215
Hæreticus quis sit, & quis non 264
Hæretici quomodo sint refellendi 295
Henochi fides quę fuerit 273
Herodes Agrippa persecutionis author 158
Herodes diuinos honores affectat 163.b
Herodes finitimis infensus est 163
Herodes miraculo dei ut affectus fuerit ibid.
Herodis acta persequentis ecclesiã
Herodis interitus 164 (159
Hierosolyma scelerata & interitui obnoxia cur rei sanctæ sit destinata 6
Hierusalẽ gloria & potentia inter oẽs urbes primatũ obtinet 6.b
Hierosolymæ urbis peccatũ & excidium 6
Hierosolymis apostoli spiritũ sanctum accipiunt 6.b
Hierosolymis Euangelij prædicationis initium fit 6
Historia sacra dei inuisibilis contemplationem proponit 1
Historiæ apostolicę finis 290
Historiæ euangelicæ terminus est ascensio Christi 3
Historię sacrę ueteris & noui Testamenti commendatio 1
Historię sacrę usus quintuplex ibi.
Hominis finis de unius dei cultu admonet 216
Hominis secundũ naturalẽ animã quę sit natura & conditio 128.b
Homines qui sub prętextu religionis fallere conantur quo loco haberi debeant 74.b
Homines quid deo debeant 68.b
Homines quomodo pręparari oporteat ut spiritum sanctum accipiant 26
Homines uasa & organa dei cur & quomodo dicantur 129.b
Hominum conatus nõ multũ moremur, sed uni deo placere studeamus 262
Hominum contra deum potentia nulla est 280
Hominum tria genera odio ueritatis flagrantia 68
Hominibus suæ dignitatis ratio habenda 156
Honore digni sunt qui in prouehenda dei gloria strenuam operam nauant 243.b
Honores diuinos qui sibi uendicant quales censendi 184.b
Hospitalitatis exemplũ 218.275.b. 245.b.285.b.284.b.276
Hospitalitatis præmia 285
in Hospitio concionatur Paulus 287.b
Hostes acerrimi doctrinæ Christianæ semper erũt antistites, quorũ studio hanc ꝓuchi oportebat 127
Hostes apostolorum qui 62.b
Hostes Christi & doctrinæ Euangelicæ qui ibid.
Hostes Christi omnis dignitatis & auxilij inopia afficiuntur 20.b
Hostes Christi professi sunt fugiendi 45
Hostes Christi quibus pœnis afficiantur 20
Hostes Christi sunt qui ecclesiã persequuntur 127.b
Hostes & persequutores ecclesiæ 79.b
Hostes Pauli hostiliter inter sese cõmittit deus 258
Hostes ueritatis acerrimi ex sacerdotum grege prodeunt 79.b
Hostes ueritatis & huius ministrorum qui sint 262.b
Hostes ueritatis in reprobum sensum traduntur 93
Hostium Christi conatus uani sunt 79

Hostium Christi conatus 71
Hostes Christi cum deo bellum gerunt 71. b. Dei consilia exequuntur ibid.
Hostium Christi conatus quem finem & scopum habeant 85. b
Hostium Christi coniuratorũ proprium 87
Hostium Christi conatus ridiculi 81. 82.
Hostium dei conatus facile infringuntur, quemadmodum multa docent exempla 127.b
Hostium ecclesiæ conatus nil aliud sunt quàm mera opinio 274
Hostium Christi excidium 20
Hostium ueritatis artes 64.b.80
Hostium ueritatis astutia & typus 62. 64.b
Hostiũ ueritatis conatus à deo eluduntur, & pij asseruntur 80
Hostiũ ueritatis impudentia quanta sit 267.b
cum Hostibus ueritatis ut sit agendum 65.b
Humana corruptio è sanctorũ uitijs agnoscenda est 9
Humanæ infirmitatis exemplũ in Anania proponitur 130.b
Humanæ redemptionis typus & ratio 183
Humanæ traditiones saluare non possunt 114. 98.b
Humanis consilijs regnum Christi non permouetur 10. b
Humanas traditiones & bonas intentiones humanæ rationis, ecclesijs obtrudere pniciosum est 7.b
Humani generis origo de unius dei cultu admonet 116
Humani ingenij tarditas 141
Humanitatis exemplũ 260.b.283.b
Humiliati animi & ad omne obsequium propensi exemplum in Paulo proponitur 128.b
Humilitas 238
Humilitatis & mansuefacti animi indicium in Saulo 128
Humilitatis nomine quid intelligatur 123.b
Hypocritæ & circumforanei ueritatis hostes 210
Hypocritarum confidens audacia in Sapphira exprimitur 70.b
Hypocrisis malum quantum sit, Iudæorũ exemplo docetur 255. b
Hypocritæ quo loco haberi debeant 75.b
Hypocritæ satanæ sunt mancipia ibidem (34.
Hypocritarum argumẽta quæ sint
Hypocritarum mores exprimit Ananias 76
Hypocritarum proprium 256
Hypocritica tyrãnis arguitur 257. 248.b
Hypocriticæ confidentiæ exempla 76.b

I.

IAcob cur in Aegyptũ descẽderit 101
Iacobum apostolum accedit Paulus 245.b
Iacob filij beneficentia, quem grauiter luxerat, alitur 101
Iacobus occiditur gladio 159
Iacobus Petri sententiæ subscribit
Iconium 181 (194
Idololatria cùm deus ipse tum etiã sancti maxime offendũtur 211.b
Idolorum cultus 109.b
Idololatriæ defensores 33.b
Idololatrarum exultatio 109.b
Idololatriæ fons & progressus 109
Idololatrię infelix malũ inter Christianos 111
Idololatrię Papisticę descriptio 110
Idololatria per se illicita & abominabilis 194.b
Idololatriæ pœna Israelitis imposi- (ta 111
Idololatriæ scelus 109
Idololatriæ tres species 111
Idololatria Israelitarum pertinax 109.b
Ieroboam uitulorum superstitionẽ renouauit 110.b
Iesus ex mera gratia nobis datus 172
Iesus natus iuxta ꝓmissiones è semine Dauidis 171.b
Iesus uocatur Christus, id est unctus 42. 146.b
Iesu Christi nomen impijs exosum est 88
Iesum Christum uerum Messiã amplecti nolentes qd maneat 86.b
Iesum esse Christum, & eius officiũ 170.b
Ignauia hominũ nostri seculi confutatur 88.b
Ignauorum hominum reprehen- (sio 284
Ignauus timor 8.b
Ignorantiæ prætextus quomodo excuset 56
Illusores, canes & porci 29.b
Imaginũ cultus quantũ malum peperit inter Christianos 110.b
Imaginum miracula 234
Imaginum usus damnatur 216.b
Immundi qui 143. b
Impietas quantũ procedat, nisi initijs obstare studeamus 114
Impietatis exemplum 111
Impietatis extremæ infallibilis nota quæ sit 113
Impietatis gradus 220.b
Impij cõueniunt apud inferos 175
Impij dei impio sũt subiecti 267.b
Impij frustra pugnant aduersus Christum 173.b
Impij iuris speciem seruant 114
Impij licet uarie in religione scindantur, contra ueritatem tamen facile conueniunt 258.b
Impij maximè tum ferociunt quando illorum interitus præ foribus est 102.b
Impij pauci malorum magnorum authores esse possunt 101
Impij quibus argumentis cõtra ueritatẽ disputare soleãt 109.b.114
Impij quibus armis ueritatem oppugnent 210
Impij turbarũ causas in pios transferunt 182.258
Impiorum aduersus Christi regnũ conatus uani & irriti sunt 126. 92.b. 260
Impiorum animi sunt inquieti 267
Impiorum artes quæ sint 259.b
Impiorum commercia uitanda 143.b
Impiorum conatus deus in authores retorquet 129
Impiorum conditio 160
Impiorum consensus non est diuturnus 258.b
Impiorum & piorum discrimen 160
Impiorum ingenium quale 38. 108.b.82.a.b
Impiorum metus præposterus 208
Impiorum mores 266.b
Impiorum sententiæ uel uoces quę sint 82.b
Impiorum societas periculosa & noxia est 101.b
Impiorum socij cum ijsdem puniuntur 129
Impiorum successus ruinæ præludium 163.b
Impiorum successibus offendi stultum est 163.b
Impios dei iudicio non emendari 162.b
Impijs deus multa indulget, donec ipsis paretur fouea 252.b
Impijs nõ licet quicquid libet 82.b. 87. 13
Impijs proprium quid sit 114
Impijs quantũ in electos suos deus permittat 268
Impijs quantum interdum deus permittat

permittat 114
Impijs quantū permittat deus 127
Impios nulla iuuat maiorum gloria uel prærogatiua 6.b
Impostorum nota diuinos sibi honores uendicare 118
Impudentiæ & impiæ tyrannidis exemplum 67.b
Incantationes & artes magicas cur permittat deus 202
Incarnatio Christi uera est, & quis eius sit usus 58
Inconstantiæ & leuitatis exemplū in uulgo 93.b
Incredulitas Iudæorum uoluntaria 288.b
Incredulitas quantum sit malum aut scelus 10.b
Incredulitatis in Iudęis causa 288.b
Incredulitatis pœna ibidem
Increduli proprio iudicio pereunt 178.b
Incrementum ecclesiæ à deo 48.b
Increpationum in ecclesia finis 121
Indulgentia dei erga peccatores 170.b
Industria Pauli 197.b
Industria Silæ, Pauli & Barnabę in propagādo regno Christi 197.b
Industriæ exemplum 261
Industriæ uel prudentiæ nostræ nihil tribuendum 189.b
In ecclesia sola salus & tutissimum contubernium est 134
In ecclesiam Christi qui recipiantur 51
Inertia & otium 210.b
Inferi Hebræis quid sint 38
Infimæ sortis homines & ignobile uulgus Euangelium amplectuntur 201.b
Infirmis aliquid dandum in externis 199.b
Infirmitas humana non agnoscit opera dei 161
Infirmitas nostra dei tutela opus habet ibidem
Ingenium fidelium quale 197
Ingenium satanæ 293
Ignorantia duplex in scripturis 56
Ignorantiæ & errori medetur Petrus 52.b
Ingratitudo populi uel mundi neminem offendat 195
Ingratitudo qua in Christum peccamus exprobratur nobis 105
Ingratitudinis exemplum 265. 285.105
Ingratitudinis pœna 288.b.279.b
Ingratis digna charitatis officia sūt exhibenda 114.b
Ingratorum pœnæ 105.b
Initiū euangelicę prędicationis 6.b
Innocentia Christi expiat peccata nostra 173
Innocentem aliorum libidini donare non licet 268.b
Inobedientiæ accusantur apostoli 83.b
Inobedientiæ correptio 280.b
Inobedientiæ exemplum 111
Inobedientiæ pœna 280
In impijs causæ multorum malorum 33.b
In pijs etiā malorū causę sunt ibid.
Inquinamentum idolorum & scortatio 194.b
Inscriptio epistolę Synodicę 195.b
Insolentia eorum quàm infelix sit, qui cùm quotidie diuinæ potentiæ exempla cernant, adhuc tamē aduersus deum insolescere audēt 127.b
Inspiciendi uerbo quid intelligatur 71.b
Instituta dei sancta non polluuntur ex loco 112.b
Institutio pia liberorum quantum momenti habeat 272
Intercessio diuorū sternitur 255.b
Integritas prophetarum & apostolorum commendatur 254
Intentiones humanæ ecclesijs non sunt obtrudendæ 7.b
Intestinis dissidijs apostolorum doctrina petitur 190
Inuocatio fieri debet confidentia in gratuitam dei liberalitatē 34
Inuocatio uni et soli deo debet 34
Inuocationis fructus 35
Inuocationis modus 34
Inuocatione nominis omnia à nobis inchoari & pfici debēt 49.b
Iobi fides de resurrectione corporum 5
Iohannes Marcus deficit in euangelij ministerio 168
Iohannis Baptistæ testimonum de Iesu 172
Ioseph ex gratia saluatus est 100
Ioseph typus Christi est 100.b
Iosephi charitas & iustitia temperata 101
Iosephi historia 100
Ioses quare cognominatus Barnabas 74
Iosis Barnabæ beneficentia ibid.
Ira pessimus est consultor 86.b
Isaaci & Iacobi fides quæ fuerit 273
Israelitæ accusantur à pphetis idololatriæ 110.b
Israelitæ in reprobum sensum iusto dei iudicio traditi sunt 110.b
Israelitæ peculium dei fuerunt 31.b
Israelitici populi multiplicatio in Aegypto, diuinę gratię inscribenda est 102
Iudææ ciuitatum infelix sors 6.b
Iudęi Christum abnegantes quàm grauiter peccarint 54
Iudæi compuncti corde consilium à Petro & apostolis requirūt 43
Iudæi cultores dei non sunt 264
Iudæi de Pauli innocentia testantur 286.b. 287
Iudæi Euangelium audire cupiunt 287
Iudæi filij prophetarum 58.b.59. & filij Testamenti ibid.
Iudæi hypocritæ 255.b
Iudæi liberati sunt ex Aegypto nō operum ipsorum merito, sed gratiæ dei beneficio 102
Iudæi Petri prædicatione exciti cōpuncti sunt corde 43
Iudæi Pauli hostes 248.b
Iudæi quomodo uerbi diuini prædicationem exceperint 137.b
Iudæorum arma & artes 178
Iudæorum contra Paulum nouus conatus 267
Iudæorum de Euangelij doctrina contentio 288.b
Iudæorum error de regno Christi 8.b.5
Iudæorum excidium 20
Iudæorum importuna malitia 256
Iudæorum incredulitas uoluntaria 288
Iudæorum incurabilis malitia 271
Iudæorum indignatio contra Paulum 256
Iudæorum infelix sors 270.219.b
Iudæorum misera conditio 218.b
Iudæorum nomen quid significet 30.b
Iudæorum sacerdotes Christi regnum prohibere conantes illud ipsum promouent 71.b
Iudæorum squamæ 131.b
Iudæorum truculentia Christo nil potuit adimere 54.b
Iudæis primis missus Christus 61.b
Iudas Galilæus 86
Iudas prodendo Christum non solus culpam sustinet, sed eadem est totius gentis 20
Iudæ ager 19
Iudæ dolores ibid.
Iudæ horrendum genus mortis ibidem
Iudæ horribilis exitus 19.b
Iudæ imitatores qui 75

Iudæ peccata quæ 18.b
Iudæ pœnæ oraculis prædictæ 19.b
Iudæ posteritas cuius sortis fuerit 20
Iudæ prior dignitas 18.b
Iudaicæ gentis incurabilis malitia 120.b
Iudaicæ gentis peruicacia 239
Iudaicorum sacerdotum impudentia 260.b.261
Iudicium domini in Iudaicam gentem 20
Iudicium extremum 148.257
Iudicij extremi tempus quomodo refrigerij & restitutionis tempus sit 57
Iudicij extremi terrore pœnitentia est urgenda 217.b
de Iudicio extremo 217.b
Iudicia dei diligenter ab hominibus sunt obseruanda 51.b
Iudicia humana & æstimationes magnificæ de hominibus ad superbiam nõ debent stimulare homines 24.b
Iudicia in hominum gratiam præcipitare quàm sit noxium 256.b
Iudiciorum dei causæ non altius scrutandæ 217.b
Iudiciorum dei usus 230
Iudiciorum pestis est personarum respectus 268.b
in Iudicijs utraq; pars est audienda 263.b
Iudici duæ aures datæ, ut altera actori, altera reo pateat 205
Iudices absq; dilatione causas audire debent 270
Iudices concilij Hierosolymitani obstupescũt, & consiliorũ incerti fiunt 66. causæ perplexi animi & terroris ipsorum ibid.
Iudices dei bonitatem imitari debent 76.b
Iudicum consessus qualis in concilio Hierosolymitano 64
Iudicum officium quod sit 272
Iugum cum incredulis non ducendum 199.b
Iulianus apostata 97.b
Iuliani apostatæ extrema uerba 71
Iulius Maximinus cum impia audacia in ecclesiã fureret, iusto dei iudicio unà cum filio à militibus discerptus est 97.b
Iuramentum dei promissioni de filio suo adiunctum 41
Iusiurandum Christi 41.b
Iustificatio hominis per fidem in Iesum Christum in Actis apostolorum exemplis illustribus asseritur 1.b
Iustificationis & salutis modus ac uia 44
Iustificationis ordo 150.b
Iustificationis ratio 192
Iustificationẽ fidei etiam prophetæ docent 149
Iustificationẽ fidei qui euertũt, illis cũ apostolis nihil cõmune 196
Iustificationem operibus legis tribuere, scelus est 192.b
Iustitia et temperantia fidei fructus 266
Iustitia propria corã dei tribunali consistere non potest 257
Iustitiæ diuinæ tenor æqualis est erga æqualia peccata 77
Iustitiam nõ esse ex meritis operũ, sed ex fide, Stephanus in tota sua oratione subindicat 96.b.97

L.

Laborantes fideli ope subleuandi 187
Laqueus non inijciendus conscientijs 199
Laus redemptionis nostræ uni & soli Christo transcribenda 172
Laude decorandi sunt qui præclarũ specimen uirtutis ediderũt 74
Lectio scripturæ nõ pdest, nisi sensus scripturæ nobis perspectus sit
Lætitia uera quæ 38 (173
Legalis cultus abrogatio à Stephano asseritur 107.b
Legales cultus ad salutem non sunt necessarij 95.b
Legitima defensio pijs pmissa 208
Lenitas dei non facit impunitatem scelerum 170
Leuitas in religionis causa est fugienda 253.b
Leuitarum ordo Christo infensus 74
Leuitatis uulgi exemplum in Samaritanis 118.b
Lex ad Christum manuductio est 25
Lex non potest iustificare 176
Lex posteris quoq; data 109
Lex quatenus sit abrogata 108.b
Lex q̃modo sit promulgata ibid.
Lex speculum est 176
Lex ueram uitæ consequendæ rationem monstrat 108.b
Lex uiuus sermo quomodo dicatur ibid.
Leges absq; executione non sufficiunt 199.b
Legis & ceremoniarum finis & usus quis sit 95
Legis fiduciam Iudæis eripit Stephanus 114
Legis finis est Christus 25.b
Legis initium in die Pentecostes factum est ibid.
Legis uera sententia non aliunde quàm ex Christi spiritu hauriri potest ibid.
Legis usus 176.b
Leges publicas custodire quàm psit 256.b
Legum authoritas unde dependeat ibidem
Liberalitas dei 170.b
Liberatio Aegyptiaca à Paulo citata 170
Liberatio Aegyptiaca patribus ex gratia contigit 104.b
Liberationis gloria deo accepta ferenda 161
Liberationis Petri obstacula facile superantur 160.b
Liberati à deo ad maiora certamina se præparare debent 259.b
Liberatorum à deo è periculis & calamitatibus officium 80.55
Liberi arbitrij assertores cõuincuntur 253
Liberorum petulantia cohercenda 246
Libertas Christiana non euertenda 196.b
Libertas in corripiendis peccatis hominum 36.b
Libertatis abusus in populo quàm sit perniciosus 261.b
Libertatis bono qui bene frui possint 138
Libertatẽ Christianorũ saluã & integram debere seruari 194.b
Libertinorũ synagoga coniurationis contra Stephanũ dux est 93
Libri ueterum ad nos quoq; pertinent 106
Licentiam peccandi non plantari Christi doctrina 171.b
Licinius Valerianus ecclesiæ Christi psequutor, à Sapore rege Persarum captus, equum conscensuro tergũ scabelli loco substernere coactus est 97.b
Lingua Chanaan 28
Lingua una eademq; omniũ gentium fideles loquuntur 28
Linguæ apparent apostolis cur hac specie, cur dissectæ & igneæ 27
Linguæ custodia & cura quàm sit necessaria 28.b
Linguæ exultatio 38
Linguæ quæ insederunt apostolorum uerticibus symbola fuerunt spiri-

spiritus sancti 27
Linguarum cognitio cuius sit usus 28
Linguarum cognitio qualis ministris necessaria 28
Loca quomodo religioni seruiant 113
Loci sacri 236
Longanimitatis diuinæ exempla 76.b
Lucas diligẽs & spiritu sancto inflatus scriptor est doctrinæ apostolicæ 1.b
Lucas quomodo de omnibus scripserit 2.b
Lucernarum usus in sacris 236
L. Septimius Seuerus turbas mouens contra ecclesiã Christi, prælmatura morte extinct⁹ est 97.b
Lux in Christo nobis exhibita 179
Lux refulget in carcere Petri 160
Lydia conuersionis ueræ exemplum 201.b
Lydia familiam suam baptizari curat 202
Lydiæ conuersionis modus & ordo 201. b
Lystrenses ut miraculo affecti fuerint 283.b

M.

MAgistratus à munerum corruptela sibi caueat 266.b
Magistratus apostolis infensi 180
Magistratus cõtemptores quid mereantur 263.b
Magistratus est gladio cohercere blasphemos, seductores & pseudoprophetas 76
Magistratus est officium, causas diligenter inspicere 271.b
Magistratus fidei & religionis curam habere debent 272
Magistratus impij 207.b
Magistratus in defensione hominum bonorum industria uti debent 261
Magistratus in hominum gratiam nil facere debet 214. 267.b
Magistratus iudicia in hominum gratiã præcipitare non debet 265
Magistratus nõ est honore suo defraudandus 65
Magistratus officium 104.b. 259. 262
Magistratus opem implorare pijs licet 260.b
Magistratus pœna quæ sit cùm innocentes opprimunt 257.b
Magistratus religionem debet curare 222.b. 261.b
Magistratus spiritus sancti uirtute instructi esse debent 7
Magistratui quatenus sit obediendum 89
Magistratũ ornat humanitas 261.b
Magistratuum authoritas quomodo seruetur 257.b
Magistratuum impiorum mores 256
à Magistratibus diligentia in causarũ cognitione requiritur 263.b
Magnifica dei opera quæ sint 29
Magistratibus infimis absq; summorum regum consensu est obediendum 138
Maiestas uerè Christianorum 80.b
Maior numerus impiorum 185.b
Maiorum exempla errores nõ excusant 216
Maiorum in ueteri populo discrimen 113.b
Malorum atrocissimorum in hominibus quis usus sit apud deum 50
Malorum omnium causæ diligenter sunt considerandæ 33.b
Maltha Iohannitarum militum sedes 283.b
Manaen nobilis & aulicus 165
Manasses impius idololatra 110.b
Mandata à Christo apostolis data quę et qualia et cur data fuerint 3
Mansuetudinis exemplum 286.b
Manuum impositio 131.b. 134
Manuum impositio cuius rei symbolum antiquitus fuerit 92
M. Antoninus Verus contra ecclesiam Christi insurgẽs deum iratum sensit 97.b
Maria mater Christi tutelæ Ioãnis committitur 16
Maria uirgo mater Christi ibid.
Martyrũ supplicia quomodo considerãda sint exemplum Stephani docet 113.b
Matthæum uxoratum fuisse ex familia quam aluit constat 15.b
Mathias designatur apostolus 24
Mathiæ apostoli electio 22.b
Mathiæ in locum Iudæ surrogatio & eius usus 16.b
Mathię uocationis authoritas 19.b
Medentur crucis offendiculo apostoli 188
Media à deo concessa & licita non sunt temere negligenda 261
Media & indifferentia, quando & quomodo desinant esse indifferentia 199
Mediorum legitimus usus 282
Medijs illicitis nemo sibi consulere debet 278.b
Melitẽses hospitalitatis exemplum 283.b
Melitenses humanitatis exemplum ibidem
Melitenses Paulum pro deo habẽt 284.b
Melitensium gratitudo 285
Mendici in populo dei non erant ferendi 50
Mendicorum nostri seculi ingenium 50
Mensæ disciplina 282.b
Mentes barbaras deus mansuefacere potest 262
Mercenarię militię sectatores quid maneat 97.b
Meriti assertores Papistæ confutantur 139
Merito humano quid sit tribuendum ibid.
Metus impiorum præposterus 154
Metus pessimus & stultissimus consultor, quò pducat homines 130
Militia cœli non adoranda 111
Militũ de occidendis captiuis consilium 283
Minæ mũdi Christianos homines non facile terrere debent 69.b
Ministerium Christi duobus terminis comprehenditur 2.b
Ministerium ecclesiasticum matrimonio non polluitur 245.b
ad Ministerium ecclesiæ quales eligi debeant 21.b
Ministerium uerbi externum, si rite administretur, quantum referat 129.b
Ministeriũ uerbi nõ inutile esse exemplis quibusdã declaratur 129
Ministerij ecclesiastici commendatio 139
Ministerij ecclesiastici partes quæ sint 91
Ministerij ecclesiastici ratio 164.b
Ministerij quo Euangelium prædicatur dignitas 200.b 58.b
Minister Christi & uerbi eius, etiã uilissimus si sit, tamẽ non est contemnendus 129
Minister ecclesiæ διδακτικὸς sit 21.b
Ministrum ecclesiæ certam & solidam Christi cognitionem habere oportet 21.b
in Ministro ecclesiæ certum ac euidens perseuerantiæ specimen requiritur 21.b
in Ministro uerbi, uel ecclesiæ, quæ requirantur 21.b
Ministri à deo ordinati 241.b
Ministri Christi, humilitatis & unanimitatis studiosi esse debent 30

Ministri Christi ubi nomen ipsius prædicare debeant 130.b
Ministri ecclesiæ idonei inter dei beneficia numerantur 16.b
Ministri ecclesiæ sint unanimes 48
Ministri ecclesiæ sunt apostoli 24
Ministri ecclesiarum ab inspectione & cura publicorum bonorũ non sunt arcendi
Ministri ecclesiarum à cupiditate pecuniarũ coacervandarum debent esse alieni 243
Ministri ecclesiarum an possint habere sua stipendia 218.b
Ministri ecclesiarum publicæ saluti studere debent 238
Ministri Euangelij dei præceptis obedire debent 7
Ministri Euãgelij nec sacrilegi nec blasphemi sunt 234.
Ministri Euangelij quibus armis se contra mundi conatus armare debeant 69
Ministri Euangelij spiritu sancto opus habent 7
Ministri functio circa doctrinam præcipuè uersatur 21.b
Ministri inepti ecclesijs nõ sunt præficiendi 5.b
Ministri legitimam uocationẽ expectent 19.b
Ministri legitimi & illegitimi qui 165.b
Ministri loquantur & non taceant 220
Ministri ne temere deserant ecclesias 219.b
Ministri officium suũ faciant etiam si parum proficiant 240
Ministri quomodo extra culpam sint alienorum peccatorũ 219.b
Ministri scripturis pugnare debent 227
Ministri uerbi à seditionis crimine alieni esse debent 264.b
Ministri uerbi cognitionem habere debent uoluntatis diuinæ, quo hanc alios docere possint 254
Ministri uerbi ecclesiarum sedulam debent habere curam 49.b
Ministri uerbi exemplo Pauli suæ gentis & patriæ præcipuam curã gerere debent 255
Ministri uerbi fuga quandoq; sibi consulere possunt 133.b
Ministri uerbi non peccant dum operum fiduciam & superstitionem ceremoniarum oppugnant 286.b
Ministri uerbi precibus populi salutem prouehere debent 255
Ministri uerbi quid docere debeat 254.b
Ministri uerbi quo ardore spiritus eos arguere debeant, qui turpis quæstus studio dei gloriæ derogant 121
Ministri uerbi respub. seditiose non turbare debent 264
Ministri uerbi sint fortes & affabiles 131.b
Ministri uerbi spiritu sancto opus habent 7
Ministri uerbi sui officij admonentur in exemplo Pauli 130.b
Ministri uerbi sunt hoĩes, proinde & lapsibus humanis obnoxij 18
Ministri uerbi tam docendo quàm scribẽdo Christi & salutis cognitionem in toto terrarum orbe disseminare debent 11
Ministri uerbi tam manifesta quàm occulta scelera contra ueritatem commissa arguere debent 75
Ministri ueritatis cõcilijs Antichristianis nõ sunt committendi 259
Ministrorũ auaritia damnatur 242
Ministrorum Christi fideliũ quàm uarij sint casus, in exemplo Pauli ostenditur 133
Ministrorum dissidijs non debemus offendi 198
Ministrorum ecclesię auaritia quid pepererit 258
Ministrorum ecclesiæ examen 5.b
Ministrorum ecclesiæ officia 91
Ministrorũ & Christi distinctio 8
Ministrorum electio sit publica 22
Ministrorum electiones quomodo institui debeant 22
Ministrorum eligendorum uetus consuetudo 22
Ministrorum falsorum descriptio 242
Ministrorum finis 241.b
Ministrorum idoneorum in ecclesia cura habenda est 16.b
Ministrorũ legitima uocatio quid conducat 19.b
Ministrorum uera laus quæ sit 153.b
Ministrorum uerbi authoritas unde 107.b
Ministrorum uerbi & ecclesiæ officium quod sit 122. 185. 275
Ministrorum uerbi hostes qui sint 241.b
Ministrorum uerbi obedientia uera 6.b
Ministrorum uerbi officium est falsos doctores suis coloribus depingere, & proprijs nominibus notare 45
Ministrorum uerbi παῤῥησία in accusandis publicis hominum flagitijs 35.b
Ministrorum uerbi uitijs nemo offendatur 18.b.19
Ministrorum uerbi uocatio debet esse legitima 253.b
Ministrorum uerbi zelus 122
Ministris Christi q̃d debeamus 286
Ministris ecclesiæ licet referre ecclesijs quæcunq; hostes ueritatis contra Christũ & gregem ipsius moliuntur 70
in Ministris ecclesiarum quid potissimum requiratur 101
Ministris exacta institutione opus est 5
in Ministris uerbi apostolica libertas & prædicandi fiducia requiritur 72.b
à Ministris uerbi arguendi libertas requiritur 67
Ministris uerbi innocentiæ ratio est habenda 268.b
Ministris uerbi gratitudo debetur 143
Ministris uerbi non ita inhærendũ est, ut illis sublatis de fidei causa desperemus 126
Ministros ecclesiæ inaugurãdi quę sit ratio 91.b.92
Ministros ecclesiarum auditorum rationem habere oportet 218.b
Minor piorum numerus 185.b
Miraculum apostolorum 77.b
Miraculum claudi sanati 182.b
Miraculum linguarum quale 27
Miraculum maris rubri 108
Miracula apostolorum Christi opus sunt 52.b
Miracula Christi & apostolorum sunt perfecta 3.51
Miracula cur à Christo sint edita 51.b
Miracula Mosis in Aegypto 167.b
Miracula Mosis in deserto 108
Miracula per Philippũ edita 117.b
Miracula pugnantia cũ uerbo dei non sunt miracula 182
Miracula recte iudicare docet doctrina uerbi diuini 52
Miracula uera quæ dicantur 52.b
Miraculorum ab apostolis editorũ finis & scopus duplex est 77.b eorundẽ causa efficiens est Christus ibid.
Miracula duo Petri describuntur 135.b
Miraculorum ab apostolis editorũ usus 135.b.130

Miraculorũ author unus est deus 52.b.53.b
Miraculorum causa finalis 53.b
in Miraculorum cõsideratiõne ad quæ respiciant homines 52
Miraculorum duo sunt genera 52
Miraculorum in Paulo editorum maximum quid sit 290
Miraculorum negligens consyderatio quid pepererit 52
Miraculorum noui Testamenti finis 53.b
Miraculorum usus quis 182
Miraculis euãgelij prædicatio per apostolos confirmatur 49.b
Misericordiæ uocem quomodo usurpet Paulus 175
Mysteria Christi ueteribus non ignota fuerunt 40
Mnason Pauli hospes 244.b
Monachismus euertitur 243.b
Monachi Stoicorum successores 213.b
Monachis cur euangelij doctrina sit intolerabilis 254.b
Monarchis cum liberis ciuitatibus rarò conuenit 163
Modestia Pauli 134.191
Modestiæ Christianæ exemplum præbent apostoli 82.b.52.b
Modestiæ exemplũ 246.234.b 137.b
Modus misionis spiritus sancti 26.b
Moloch deus Ammonitarum fuit 111
Moloch inter ordines monachorum 111.b
Mores tyrannorum 163
Morientium interna consolatio est spiritus sanctus, externa uerò uisio, iuxta exemplum Stephani 113.b
Mors carnis uel corporis non est interitus 38.b
Mors Christi uoluntaria 123.b
Mors est quies 38.b
Mors in animam potestatem non habet 38.b
Mors ingressus ad Christi regnum 115.b
Mors læta 38.b
Mors piorum dormiendi uocabulo exprimitur 115.b
Mors somnus 175
Mors trãsitus in cœlos dicit 115.b
Mortis Christi causæ quantum ad homines 35.b.36
Mortis Christi effectus 37
Mortis Christi prædicatio resurrectioni inclusa est 21.b
Mortis conditio quæ sit 38.b
Mortis consyderatio 175.240
Mortis & satanæ uictor Christus declaratus est 123.b
Mortis quies fundata est in spe 39
Mortem sibi minimè consciscendam 206
Morte Christi nemo offendatur 173.b
Morte offendi non debemus 124
Mortuorum corporibus quid debeamus 116
Mortuos canonizare derogat merito Christi 116
Moses à deo accepta tradidit 108
Moses charitatis & concordiæ fuit author 104.b.105.b
Moses Christo testimonium dat 58
Mosem gratia dei seruatum & exaltatum esse tribus argumẽtis probatur 103
Moses in omni Aegyptiorum sapientia institutus fuit 103.b
Moses legislator 108.b
Moses modestiæ & constantis fidei exemplum 106
Moses populi Israelitici assertor 103.101.b
Moses princeps & redemptor Israelis quomodo fuerit 107.b
Moses typus Christi 104.b
Mosis ætas, & causa quæ illum ut populi afflictissimi curam susciperet, impulit 104.b
Mosis apud Iudæos authoritas 58
Mosis cum Christo collatio 105.b
Mosis dignitas quanta fuerit 108.b
Mosis encomium 107.b.108.
Moses exemplũ Christi, & redemptionis nostræ typus 105.b
Mosis fides quæ fuerit 273
Mosis fuga 105
Mosis lectio 195
Mosis miracula 107.b
Mosis officiũ quod fuerit, & quomodo suo sit functus officio 107.b
Mosis uocatio, quando, à quo, & qua forma sit uocatus 105.b 106
Mosem non cõtempsit Stephanus sed patres Mosem contempserũt 104.b
Mulieres contra apostolos incitantur 180
Multitudo religionem non defendit 185
in Multitudine murmur 89.b
Mundus Christi & Euangelij impatiens est 68
Mundus contra Christũ incassum furit 41.b
Mundus quid semper de fidelibus ministris uerbi sit accusaturus 263
Mundus quomodo doctrinam apostolorum exceperit 62
Mundi ingratitudo erga ministros uerbi 265
Mundi status turbulentus à prophetis prædictus 32.b
Mundi uires aduersus deum sunt irritæ 101
Mundus quomodo erga dei uerbum affici soleat 270.b
Munus prædicandi quantæ sit dignitatis 90
Murmur & confusio est, ubi multitudo est 89.b
Murmur Græcorum aduersus Hebræos, & quæ eius fuerit causa et occasio 89
N
NArratio Paulinæ concionis 169.b
Natura rerum diuinæ uoluntati cedit 160.b
Naturę diuinę & humanę in Christo distinctio 35
Naufragij descriptio 283
Naufragorum numerus 282.b
Nauigatio Pauli longa & periculosa 244.b
Nautarum incredulitas & perfidia 272.b
Nazaræorum uotum 224
Neronem ecclesiæ Christi persequutorem diuina uindicta corripuit 97.b
Nicolaitæ qui & quis eorum author 91
Nicolaus qui in catalogo diaconorum recẽsetur qualis fuerit 91.b
Nicolai exemplum docet quanta cura opus sit illis qui stare uidentur, ne quando & ipsi cadãt 91.b
Nihil citra dei consilium nobis accidit 187
Noe fides quæ fuerit 273
Nomen dei quid sit, & cur sic dicatur 34
Noua miracula non effingenda 182
Noui dij 109
Nouissimi diei conditio quæ futura sit 57
Nouissimi diei inuestigatores 10
Nouissimi diei memoria & metus quid pariant 57
Nouissimi iudicij illusores 33.b
Nouissimi seculi status turbulentissimus 32.b

O.

Obedictia fidei euãgelicæ prædicationis scopus est 81
Obedientia fidei scopus est euangelij 59
Obedientia placatur & delectatur deus 170.b
Obedientia primus & principalis fidei effectus 206.b
Obedientia quam deo sancti præstare student, præcipua persequutionum causa est 276
Obedientia uera 14.b
Obedientia uera quæ sit 37.b
Obedictiæ Christianæ exemplum 236.b.81.140
Obedientiæ erga diuinam uoluntatem exemplum 26
Obedientiæ exemplum in Samaritanis 118
Obedientiæ fidei exemplum 14
Obedientiæ ueræ modus 276
Obedientiæ ueræ ratio 68.83.b
Occasio certaminis apostolorum cum Iudæis 178
Occasio certaminis Pauli cum Elyma Mago 166.b
Ociosi & luxuria perditi quanta pernicies 210
Odium uerbi dei quousq; progrediatur 248
Odij aduersus ueritatem quanta sit uirulentia 262.b
Offendiculum in cibis etiam licitis uitari debet 194.196.b
Offendiculo crucis medetur Paulus 172.b
Officium Christianorum in persecutionibus 159
Officium illustratorum Christi cognitione quod sit 253.b
Officium utriusq; populi, dominũ quærere 194
Officia Christianorum quæ sint 59
Omnes homines sunt peccatores 175.b
Omnia ad deum authorem referunt apostoli 189
Omnia iusto & sancto iudicio administrat deus 187
Onus est, quicquid præter fidem in Iesum Christũ traditur 196.b
Opera bona quæ sint 135.b
Opera & doctrina Christi sunt cõiungenda & utrisq; credendum est 3
Operum bonorum hostes uerè fideles non sunt 136.b
Operum Christi commendatio 35
Operum Christi cõsideratio quid doceat 2.b.35
Operum Christi finis 35
Operum dei consideratio hominibus necessaria 51.b
Operum dei magnorum maiestas in Christo euidentissime cernitur 28.b
Operum iustitia euertitur 176
Opes impiorum maledictæ sunt 121
Oraculum dei de seruitute Israeliticæ gentis in Aegypto, recensetur 97
Oraculi diuini ueritas 283
Orationis Petri argumentum 18
Orationis Stephani argumentũ 95
Orandi studium indefinens commendatur 130
Orationis uis & efficacia 205.b
Ordo Concilij apostolici 193
Ordo in eccle. seruari debet 165.b 17.b
Ordo primitiuæ ecclesiæ in publicis causis 195.b
Ordinati ad uitam æternam credunt 179
Origo & progressus idololatriæ 183.b
Ostium fidei aperire 189.b

P.

Pamphilia euangelio illustratur 168
Panis fractio 228.46
Papistarum error refutatur, infantibus enim sine baptismo natis, salutem & dei conspectum negant 45
Paralysis humanę corruptionis typus 135
Partium studia quantum possint 258.b
Pastoris ueræ typus 245.b
Patientia Christiana nõ obstat quo minus ueritatem defendere liceat 30.b
Patientia Christi in agone mortis 123
Patientia fidelibus opus est 158
Patientia in expectatione diuinarum promissionum 26.b
Patientia quousq; extẽdatur 256.b
Patientiæ & obedientiæ in cruce ferenda exemplo nobis esse debet Christus 123
Patientiæ exemplum 278
Patientiæ exemplũ in Paulo 256
Patientiæ leges quousq; extendantur 268.b
Patriarchas in Aegypto mortuos esse asserit Stephanus 101
Patriarchæ per fidem ex mera dei gratia saluati sunt, non per legis ceremonias 101
Patresfamiliâs industrij laudantur 282
Patres diuinis pręceptis nunquam morigeri fuerunt 110
Patres olim sine lege et ceremonijs deo placuerunt per solam fidei obedientiam 95
Patres qui nam in religione sint imitandi 53.b
Patrum & maiorũ fiduciam euertit Stephanus 113.b
Patrum exẽpla quomodo sint imitanda 95
Patres semper Mosis cõtemptores fuerunt 109.b
Patrum fiduciam & gloriationem oppugnat Stephanus 99.b
Patrum populi Israel inobedientia & impietas 110.b
Patrum recentiorum inanis gloriatio 53.b
Paulinæ concionis argumentum & partes 169.b
Paulinæ prædicatiõis effect⁹ 132.b
Paulinę prædicatiõis successus 290
Paulus ab Asianis auulsus 244.b
Paul⁹ absq; metu causam agit 271.b
Paulus accusatorum manus effugit 265
Paulus accusatur 262
Paulus ad Apostolatum uocatur 275
Paulus ad Cæsarẽ prouocat 268.b
Paulus ad cibum sumendum hortatur 282
Paulus ad gentes ablegatur oraculo 254.b
Paulus ad ministerium uerbi à deo uocatus 254
Paulus Agrippæ euangelium prædicat 277.b
Paulus à uipera mordetur 284
Paulus baptizatur 254
Paulus baptizat & baptismi usum non neglegẽdum esse docet 131.b
Paulus Berrhœa decedit 212
Paulus cibo sumpto recreatur 132
Paulus concionem precibus claudit 243
Paulus confutat Iudæos 132.b
Paulus consolatione confirmatur à deo 156.b
Paulus contra sacerdotum decreta deo obtemperat 275.b
Paulus cum Ananias uocaretur, orat toto triduo 130
Paulus cum dei contemptoribus periclitatur 280

Paulus cum facinorosis per milites Romam deducitur 278
Paulus cum posset tamen fugam non parat 278
Paulus cur alicubi docere permissus, alicubi uero prohibitus fuerit 200
Paulus deploratis rebus cõsilium & consolationem affert 280.b
Paulus destinatus ad prædicationẽ Christi 130.b
Paulus ecclesiæ Hierosolymis coniungi cupit 134
Paulus electum organum 130.b
Paulus Elymam confutat 166.b
Paulus eò quod deo obedit capitur 276
Paulus erigitur à Christo quẽ ante prostrauerat 275
Paulus & Barnabas acriter resistũt turbatoribus ecclesiæ 190.b
Paulus & Barnabas inuisunt ecclesias 198
Paulus & Barnabas prædicant in Synagogis Iudæorum 165.b
Paulus & Barnabas ut gentibus prædicare cœperint 165.b
Paulus euoluto biennio quid fecerit 290
Paulus Felici sistitur 262
Paulus Hierosolymis quoq; persecutores habet 134
Paulus humilitatis exemplum 128
Paulus in cõcilio intrepidus 256.b
Paulus in domo conductitia asseruatur 286
Paulus in prima actione ministerij sui, fidelibus qui Damasci erãt & Christum profitebantur, coniunxit sese 132
Paulus in quem finem à deo uocatus 255.b
Paulus in templo orauit 256.b
Paulus inuictus in ferenda cruce 131
Paulus in uinculis prædicat & scribit 289
Paulus Iudæorum contumaciam arguit 288
Paulus Iudæis prædicat 208.b
Paulus libere prædicat 236.289.b
Paulus ministerium suum constanter & modeste asserit 277
Paulus miraculo apud Melitenses innotescit 284.b
Paulus modestiæ Christianæ argumentũ præbet dum modeste fert repulsam 134
Paulus naui idololatrica uehitur 285.b
Paulus nautas retinere iubet 282
Paulus Nazaræi uotum suscipit 247.b
Paulus ne Hierosolymam ascẽdat monetur 244.b
Paulus non peccat arguendo pontificem 257
Paulus non uult clam dimitti 208
Paulus occurrit his uocationis sui historiam suspectam habebant 253
Paulus occursu fratrum confirmatur 286
Paulus omnibus debitor est 276.b
Paulus per Ananiæ ministeriũ ad apostolicæ functionis munus legitime ordinatur 253
Paulus Philippis prædicat 201.b
Paulus prædicat Iesum 132
Paulus præter animi sui uoluntatẽ ad Christum transiuit 274
Paulus primos Iudæorum conuocat 286
Paulus prohibetur in Asia prædicare 200
Paulus quomodo sit conuersus 253
Paulus redit Hierosolymã 254.b
Paulus regnum dei prędicat 289.b
Paulus relegatur ad Ananiã à quo pleniorem institutionem petat 253
Paulus restituitur & baptizatur 131
Paulus Romanis legibus se tuetur 255.b.256
Paulus seditionis accusatur, hæreseos, & prophanationis templorum 263
Paulus seipsum excusat 263.b.264
Paulus seniores Hierosolymis accedit 247
Paulus se Pharisæum esse profitetur 257.b
Paulus tentoriorum textor fuit 243
Paulus toto biennio captiuus 289
Paulus toto die docet 288
Paulus tribuni opem petit 260
Paulus uarie à deo tentatus 245.b
Paulus uenit Hierosolymam 133
Paulus uinctus producitur ut concionetur 271
Paulus uiperam excutit absq; periculo 284.b
Paulus uirgis cædi iubetur 255.b
Paulus uitæ periculũ subit 247.b
Paulus uocatur in Macedoniam 200.b
Pauli ab Asia discessus 243.b
Pauli accusatores potentissimi & præclari 261
Pauli actio coram Festo præside nouo 267
Pauli ardẽs studium in commisso sibi munere, commendatur 244
Pauli comites 278.b
Pauli commendatio 261
Pauli conditio 129
Pauli confessio 264
Pauli confidentia 265
Pauli consilium contẽnitur 278.b
Pauli constantia 208.b.134
Pauli constantia 246
Pauli constantia 255.b
Pauli contra ecclesiam Christi tyrannis 274
Pauli cum Christo colloquium 254.b.255
Pauli dignitas 281
Pauli doctrinæ argumentum 209
Pauli ecstasis 254.b
Pauli è Iudaismo transitus excusatur 252
Pauli & Barnabæ missio ad gentes 165
Pauli & comitum ipsius doctrina 199.b
Pauli & Elymæ Magi congressus 166.b
Pauli familia 284.b
Pauli fortitudo 271
Pauli hostes inter sese committuntur 257.b
Pauli illustre præconium 130.b
Pauli ingenuitas 281
Pauli innocentia 270.256.b 277.b
Pauli in paradisum raptus 129
Pauli nauigatio describitur 277 278
Pauli nauigatio plena periculi 278
Pauli oculis squamæ decidũt 131.b
Pauli officium quod à deo illi est iniunctum describitur 254
Pauli oratio ad Agrippam, & orationis quod sit argumentũ 271.b
Pauli oratio interturbatur 254.b
Pauli ordinatio ad apostolicũ munus 129.b
Pauli primus Actus in apostolatu 132
Pauli profectionẽ in Arabiam Lucas omisit 133
Pauli prudentia 266
Pauli pueritia & educatio 272
Pauli Romam peregrinatio 285.b
Pauli scriptorum authoritas 129.b
Pauli transitus in Macedoniã 201
Pauli uocatio ad prædicãdum gentibus diuina & legitima esse asseritur 254.b
Pauli uotũ uere Christianũ 277.b

Paulo apostolo apud Felicem præsidem quid euenerit 261.b
Paulo datur pro seipso dicendi copia 271.b
Paulo quæ Damasci acciderint 133
Paulum ad Ananiam relegat Christus & in quem finem 129
Paulum humiliatum Christus nō auersatur 128.b
Paulum Mercurium dicūt Lystrenses 183
Paulum odio leuare student seniores 247.b
Pauperes commendantur 48
Pauperum curam apostoli susceperunt 48
Pauperibus impatientiæ causas pij homines præbere nō debent 89
Pauperibus quomodo subueniendum 48
Paupertas non est ignominiosa 50.b
Paupertas querula est 89
Pax ecclesijs reddita 134.b
Pacis & concordiæ studio nihil admittendū esse, quod Christi gloriam obscurat 191
Pacem ecclesiæ quomodo cōsequi possint, & quis ecclesiasticę pacis fructus sit 135
Pace cōcessa pij quomodo usi sint 135
Peccant grauissimè defectores 168
Peccatores ad deum remitti debēt 121.b
Peccatores deus nō punit nisi eos antea monuerit 207.b
Peccatores nō auersatur deus 165
Peccatores potius seruandi quàm perdendi sunt 129.b
in Peccatoribus cōuertendis, deus quo utatur modo 253.b
Peccatum ignorantię excusari quomodo possit 56
Peccatū in spiritū sanctū quid 56
Peccata aliorum à nobis non sunt temere iudicanda 56.b
Peccata hominum Christi meritū superare non possunt 43
Peccata malorum omnium causæ sunt 34.b
Peccata prædicatione uerbi sunt arguenda 42
Peccata remittuntur ex gratia 176
Peccatorum atrocitas ad desperationem nos non adigere debet 42.b
Peccatorum atrocitas dei uerbo reuelatur 253.b
Peccatorum redargutio necessaria in ecclesia 36
Peccatorū remissio in Christi nomine 148.b
Pentecostes dies cur missioni spiritus sancti sit destinatus 25
Pentecostes festum quale & quando institutum 25
Pentecostes nomen & eius ceremoniæ 25.b
Peregrinationis apostolorū usus 200
Peregrinationum religio 214.b
Perfidia aliorum & ignauia nos ab officio non reuocet 168.b
Persecutio contra apostolos 181.b
Persecutio ecclesiæ uniuersalis Hierosolymis 116
Persecutio grassatur tempore famis 158.b
Persecutio Iudæis authoribus excitata 180
Persecutio manet Christi ministros 133
Persecutiōis authores Iudæi 180.b
Persecutionis author, et causę 158.b
Persecutionis tempestas quousque progressa 182
Persecutione ecclesia augetur 63.b
Persecutiones apostolorum quid nos doceant 260
Persecutiones ecclesiæ decem, & persecutorum horrendus exitus 97.b
Persecutiones primitiuæ ecclesiæ cur à Luca diligenter describantur 70.b
Persecutionum finis lætus fidelibus 180.b
in Persecutionum procellis scripturæ oracula in mentem sunt reuocanda 71
Persecutionibus fracti stationem nō debemus ilico deserere 116.b
Persecutionibus grassantibus Christiani quid facere debeant 70.b
Persecutores blasphemare cogunt 274.b
Persecutores dei manu frenantur 133
Persecutores ecclesiæ qui 62.b
Persecutores fidelium Christi persequutores sunt 253.b
Persecutores ueritatis Christianæ acerrimi quinam semper futuri sint 79.b
Persecutorum Christi & ecclesiæ eius imago euidens proponitur 274.b
Persecutorum ecclesiæ exempla si consideremus, uidebimus neminem horrendas dei iudicis manus euasisse 97.b
Persecutorum ecclesiæ pœna 127.b
Persecutorum impietas incurabilis 67
Persecutoribus impijs ecclesiæ, certi limites præscripti sunt 116.b
Perseuerantia opus in fidei causa 177.b.154.b
Perseuerantiæ in precibus quanta sit uis 16
Perseuerantię ratio cur in precibus sit habenda 16
Personarum respectus, iudiciorū pestis est 268
Personarū respectus non est apud deum 144.b
Pertinacia impijs propria est 87.b
Peruersitas hominū in salute quærenda 189
Petitiones credentium 71.b
Petrus capitur 159
Petrus cohabitat Simoni coriario 137.b
Petrus consolatur promissionibus 44.b
Petrus dei beneficium prædicari uult 161.b
Petrus Dorcadem quomodo suscitarit 137.b
Petrus ecclesię denuo coniungi studet 160.b
Petrus excitatur ab angelo Ibid.
Petrus fuga sibi consulit 162.b
Petrus fuit uxoratus 16
Petrus ieiunus ascendit ad orandū 140.b
Petrus in liberatione quid fecerit 160.b
Petrus medetur offēdiculo per dei prouidentiam 18
Petrus leuissimo dicterio lacessitus Christi & euangelij causam constanter asserit 30
Petrus in prima euāgelij concione quid docuerit 42
Petrus pędicat Iesum esse saluatorem 65
Petrus primatum inter apostolos accepto spiritu sancto non affectauit, sed æqualitatē inter ipsos 30
Petrus uisione docetur de uocatione gentium 140.b
Petri aduentu fideles quomodo affecti fuerint 161.b
Petrus peragrat omnes ecclesias 135
Petri consilium Iudæis datum in prima sua concione post acceptū spiritum sanctum 43.b
Petri de Ananiæ facto iudicium 75

Petri

Petri de iustificatione sententia 192
Petri de salutis ratione consilium 43.b
Petri descriptio, ut in carcere affectus fuerit 159.b
Petri duo miracula describuntur 135
Petri ecstasis 140.b
Petri exhortatio facta ad ecclesiam de alio apostolo in Iudæ locum surrogando 20.b
Petri expostulatio cũ Simone Mago 120.b
Petri ingenuitas aduersus sacerdotes & scribas 45
Petri in peccatis arguendis libertas 34.b
Petri liberationis modus 159.b
Petri modestia 137.b
Petri patrimonium quæ comprehendat 50
Petri paupertas ibidem
Petri primatum & prærogatiuam in ecclesia quib. argumentis Pontificij asserant 17.b
Petri promptitudo & uoluntas benefaciendi 50
Petri quæstio qua Sapphiram aggressus est 76
Petri responsum in Concilio Hierosolymitano & eius effectus 66. 67
Pharao gratitudinis exemplũ 101
Pharaonis prudentia & gratitudo 101
Pharisæorum error quis fuerit 272
Pharisæorũ secta quæ fuerit 257.b
Philippus Aethiopẽ baptizat post perfectam fidei confessionem 254
Philippus Euangelista 245.b
Philippus euãgelici pastoris typus 245.b
Philippus Eunucho doctor datur 122.b
Philippus fidei confessionem requirit 125
Philippus fortitudinis Christianæ exemplum 118
Philippus Samariç apostolus quid fecerit 117
Philippi facilitas 124.b
Philippi laboriosa industria 126
Philippi obedientia 122.b
Philosophia an præcedere debeat cognitionem theologiæ 214.b
Φερὰ quid sit 11.b
Phrygia & Galatia conuertuntur 200
Pietatis & religionis sũma quç 37
Pietatis fructus 37.48
Pietatis officium Berrhœensiũ 212
Pietatis studium 198.210.b
Pietatis studiũ cõmendatur 260.b
Pietatis ueræ studia quæ sint 138.b
Pius uerè quis sit 253.b
Pij discessu Pauli dolent 243.b
Pij & religiosi qui sint 29.b
Pij homines ministros uerbi tueri & liberare debent 133.b
Pij patientiæ legibus non coguntur ut se temere impiorum libidini subijciant 268.b
Pij nunquã uiuunt inglorij 243.b
Pij rationibus cedunt 153
Piorum conditio 160
Piorum imperfectio 33.b
Piorũ in hoc mundo conditio 262
Piorũ in hoc mundo sors 257.262
Piorum proprium est diuinæ maiestatis præsentia terreri 138.b 139
Piorum proprium est, ut ex gloriæ Christi propagatione gaudendi causam percipiant 191.b
Piorum sententiæ uel uoces quales 87.b
Piorum tribulationes ad suam gloriam dirigit deus 269
Pijs deus semper periculorum socios adiungit 235.b
Pijs licet ut iniquis iudicijs circumuenti, effugia quærant, quatenus illa citra ueritatis iacturam inueniri possunt 258
Placere omnib. nemo potest 151.b
Planctus Christianorũ qualis esse debeat 116.b
Pœna contempti consilij diuini 279.b.280
Pœna contemptorum Christi 59.b
Pœna idololatriæ & impietatis 111.b
Pœnæ hostium Christi quç sint 20
Pœnas deus nõ exigit nisi præmonitis peccatoribus 217.b
Pœnitentia impiorum 207.b
Pœnitentia nouissimi iudicij terrore urgenda est 217.b
Pœnitentia non ex nostro cerebro sed ex dei uerbo est instituenda 253
Pœnitentia post transgressionem salutis uiam ostendit 43.b
Pœnitentia quid sit 43.b
Pœnitentia quibus constet 56
Pœnitentiç diuinæ exemplũ 263.b
Pœnitentiæ & remissionis peccatorum doctrina cum in Christi nomine prædicatur, mundo intolerabilis esse uidetur 88
Pœnitẽtiæ in hominibus quæ causa sit efficiens 84
Pœnitentiæ partes 43.b
Pœnitentiæ ueræ exemplum 230.b
Pœnitentiam quomodo deus det 153
Põtifex Romanus religionẽ quæstui habet 231.b
Pontificis criminatio contra apostolos 83
Pontifices Romani errare possunt 65
Pontificũ consilia qualia sint 78.b
& quis horum finis Ibid.
Pontificum Rom. astutia & tyrannis in persequenda ueritate 62.b
Pontificum Rom. incurabilis impietas 67
Populari auræ ne fidamus 186
Populus Israel in Aegypto dei gratia seruatus & multiplicatus est 102
Populi liberi conditio 138
Posteritas Christi est æterna 124
Potentia dei insuperabilis 173
Potentia huius mundi nulla est, si Christo conferatur 157.b
Potestas sine timore dei summa pestis 68
Precari sublata uoce quid sibi uelit 70
Precandi ardorem quç meditationes excitare possint 130
Precandi studium non est inutile 139
Precandi uera ratio 70
Prçceptorum dei obseruatio quantam benedictionem pariat 14.b
Præceptorũ dei transgressio quàm sit infelix 14.b
Preces assiduas esse oportet 16
Preces commendantur 245
Preces debent esse ardentes & assiduæ 25.b
Preces deo per Christum oblatæ gratæ sunt 34
Preces fidelium exaudiuntur 72
Preces piorum non sunt irritæ 162
Preces manuum impositioni iunguntur 120
Preces publicç deo sunt gratç 45.b
Preces requirunt secessum & solitudinem 138
Preces sine fide inutiles 16
Preces sobrietatem exigunt 140.b
Preces sunt fidei argumẽtum 25.b
Precũ gestus qui esse debeãt 243.b
Precum piarum efficacia 18.b
Precum publicarum commendatio 243.b
Precibus ad deum confugit ecclesia 70.b

Precibus adsit unanimitas & perseuerantia 16.b
Precibus certæ antiquitus destinatæ sunt horæ 49
Precibus ieiunia sint coniuncta 23
Precibus instandum est 130
Præcursorem habuit Iesus 172
Prædestinationis certitudo 221
Prædestinationis scrutatores 10
Prædicari quid debeat 124.b
Prædicandi initium in Synagogis Iudæorum apostoli recte fecerunt 166
Prędicandum quomodo sit 289.b
Prædicatio Euangelij unde inchoanda 36
Prædicatio uerbi qualis esse debeat 266
Prædicationis Euangelicæ finis 217
Prædicationis euangelicæ initium fit Hierosolymis 6
Prædicationis euangelicæ ratio qd comprehendat 60.61
Prædicationis Paulinæ successus 290
Præfationis in Actis apostolicis cōprehensæ expositio 2
Præparatio & uigilantia ad aduentum Christi res nobis sunt necessariæ 3
Prærogatiuæ omnes extra Christum inanes sunt 61
Præsentiæ Christi in terris promissiones quomodo accipi debeant 13.b
Præsides rerumpub. quibus uirtutibus ornati esse debeant 101
Primatus affectatores in ecclesia refutantur 18
Primitiua ecclesia non caret uitijs 89.b
Principijs obstandum 178
Principis officium quod sit 104.b
Principum studia quæ esse debeāt 122.b
Principes uiri qui magistratum gerunt, à regno Christi non excluduntur 122.b
Priuata uitæ Christianæ ratio 48
Procrastinatores auersatur deus 201
Prodigia & signa quæ per Mosem edita sint 108
Prodigia quid sint, prodigiorum species & usus 32.b
Proditores Christi qui & quis eorum exitus 19.b
Profectio Pauli & Barnabæ Hierosolymam 191
Prophetæ apostolis consentiunt 194
Prophetæ Christi prænuncij fuerunt 113.b
Prophetæ de Christo testantur 59
Prophetę etiam interpretes prophetarum dicuntur 197
Prophetę futura intelligunt, consilium uerò et finē quandoq; ignorant 245
Prophetæ qui? 164.b
Prophetæ serui dei sunt per quos arcana sua reuelat iudicia 33
Prophetarum officium 39.b
Prophetarum ordo sub Samuele cœptus 59
Prophetarum princeps Christus quomodo 107.b
Prophetarū testimonia de Christo & eius resurrectione 173.b
Prophetandi uerbo quæ comprehendantur 32
Prophetiæ author spiritus sanctus 156.b
Prophetiæ beneficium 60.b
Prophetiæ uocabulum quomodo accipi debeat 32
Propheticæ cōciones scriptura sancta sunt 18.b
Propositio & summa orationis apostolicæ ad Lystrenses 184
Proprietatem rerū Christianis esse licitam 47
Promissio de spiritu sancto 5.b
Promissio spiritus sancti 31
Promissio ueteris Testamēti etiam ad gentes extenditur 44
Promissiones Christi de spiritu sancto factæ apostolis sunt uniuersales 28.b
Promissiones dei de filio suo Dauidi factæ 30
Promissiones dei fide recipiendæ sunt 281
Promissiones dei hominū impietate non in uniuersum irritæ fiunt 6
Promissiones dei in aduersis diligenter considerandæ sunt 106.b
Promissiones dei omnes in Christo ratæ sunt 273
Promissiones dei patientia etiam expectandæ 26.b
Promissiones dei pijs dei cultoribus propositæ 38
Promissiones dei primū Adamo factæ sunt 273
Promissiones dei quomodo intelligendæ 222
Promissiones dei sunt infallibiles 278
Promissiones dei uerissimē præstantur quando minime sperare licet 26.b
Promissiones de resurrectione Christi 4.b
Promissiones de spiritu sancto in sacris literis sunt crebrę & sæpius iteratæ 24.b
Promissiones euangelij ad singulos homines pertinent 60
Promissiones patribus factæ cur crebro repetantur 53.b
Promissiones salutis ad infantes quoq; pertinent 44
Promissionum Christi ueritas 89 245.256.b
Promissionū de spiritu sancto iteratio cuius sit usus 25
Promissionum diuinarum certitudo & ueritas 106
Promissionum diuinarū effectus 271
Promissionum diuinarum ueritas exemplo urbis Hierosolymæ illustratur 6
Promissionum diuinarum usus 44
Promissionum salutis nostræ ueritas inuiolabilis est 92.b.263.b
Promissionib⁹ dei in aduersis quomodo uti nos conueniat 259
Πρόσκαιροι 9
Prouidentia dei 142
Prouidentia dei admirabilis in gubernandis rebus 284
Prouidentia dei ad temeritatē non est abutendum 259.b
Prouidentia dei decretum & præscientiam habet 36.b
Prouidētia dei in aduersis quomodo nos uti conueniat 259
Prouidentia dei non liberat peccatores culpa 18
Prouidentia dei sceleribus non patrocinatur 20
Prouidentia dei solatur peccatores 56.b
Prouidentia unum deum esse colendum monet 215.b
Prouidentiæ dei omnia subiacent 185.b
Prouidentiæ diuinæ argumentum 123.b
Prouidentiæ diuinæ exemplum in Iuda proditore 18.b
Prouidētiæ diuinæ singularis usus 71.36.b
Prudentiæ exemplum 260.b
Prudētiam in publicis ecclesiarum causis adhibendam 195.b
Pseudoapstoli perstringūtur 195.b

Pseudo-

Pseudoapostoli salutis incertos reddunt auditores suos 196
Pseudochristianorum typus Ananias est 75
Pseudoprophetarum finis & scopus 166
Pseudoprophetarum mores & studia 155.166
Pseudoprophetæ nominis diuini prætextu sibi authoritatem conciliant 166
Publicis officijs pij & sancti homines adhiberi debent 101
Publius hospitalitatis exemplum 275.b.276
Puella Pythonica diaboli organum 202.b
Pugnandum cum ueritatis hostibus 167
Pugnas semper nobis expectandas 155
Pulueris excusio 180.b
Purificatio fide fit 192.b
Purificationis author Deus 192.b
Puteolana ecclesia 285.b

Q.

QVæstio apostolorum de terreno & carnali regno Christi 8.b
Quæstio concilij sacerdotalis Hierosolymis 65
Quæstum facientes ex religione 231.b
Quales oporteat esse, qui cum fructu Euangeliū audire uelint 211

R.

RAptus Philippi 125.b
Ratio consequendæ salutis traditur 45
Ratio maior ecclesiæ quàm propriarum rerum habenda 197.b
Ratio optima componendorum disidiorum quæ sit 191
Rationem reddunt apostoli legationis suæ 189.b
Redēptio quæ in Christo habetur ad omnes homines pertinet 26
Redemptionis humanæ modus 148.b
Reformationis errores unde proficiscantur 1.b
Reformationis uera Regula quæ sit ibidem
Refutatio eorū quę à Lystrensibus Apostolis obijci poterant 185.b
Reges ambitiosi à mancipijs reguntur 163.b
Reges historiarum cognitionem tenere debent 193
Regnum Christi æternum & inuictum 224
Regnum Christi euerti nequit 211
Regnum Christi nō est terrenum folio 8.b
Regnum Christi prædicatione Euangelij longe lateq; propagatum est 1.b
Regnū Christi propagatur ad fitimos 79. & quibus medijs adhuc propagari posit Ibid.
Regnum Christi quale 42
Regnum Christi spirituale 10
Regnum Christi prędicatione propagatur 10
Regnum Dei 229
Regnum Dei diuino decreto ad gentes translatum 165
Regnum Dei explicatur, & qua de causa 5
Regnū Dei prędicat Paulus 289.b
Regnum Dei quando prædicetur 289.b
Regni Christi bona quæ sint 42
Regni Christi conditio 10
Regni Christi & regni huius mundi quæ sit differentia 124
Regni Christi gratia cœtus sacri sunt colligendi 48
Regni Christi in hoc mundo initium, progressus & incrementū 1
Regni Christi limites 1.10.b
Regni Christi potestas & maiestas 42
Regni Christi propagatio 164
Regni Christi status pacificus quo modo sit 32.b
Regni Christi termini à prophetis olim designati 11.b
Regni Christi ueritas & maiestas in historia apostolica illustratur 1.b
Regni Dei & gloriæ cœlestis quomodo participes reddamur 93
Regni Dei nomine redemptio nostra & salutis negotiū notatur 5
Regni Iudaici translatio ad Dauidem 171
Religio absq; Dei cognitione nulla est 214.b
Religio & salutis ratio non cōsistit in externis ceremonijs, sed in fide qua Dei gratiam apprehendimus 101.b
Religio falsa euertenda & uera plantanda 185
Religio in militibus quoq; locum habet 340
Religio non ex sectatorum multitudine siue authoritate iudicanda 262
Religio uera non ab hominum iudicio dependet 15.b
Religionis causa ad solum Deum pertinet 246.b
Religionis causa certa est nec obscuritate suspecta 268.b
in Religionis causa conscientię ratio est habenda 256.b
Religionis causa ex euentu & successibus nō est dijudicanda 87.b
in Religionis causa nemo rectam uiam tenere potest, nisi qui Dei manu & spiritu regatur 110
Religionis cura ad magistratum pertinet 222.b
Religionis mutatio per solius Dei uerbum excusari potest 256
Religionē quæstui habentes 231.b
Religiones hominum authoritate metiri non tutum est 180
Religiones omnes falsæ sunt quæ extra Christum salutem monstrant 66
Reliquię uerę sanctorum & Christi fidelium quę sint 137
Remissio peccatorum solius diuinę gratię beneficium est 98.b
Remissio peccatorum in Christi nomine 148.b
Remissio peccatorum in Christo confertur 176
Renatorum uerę notę 45.b
Reprehēsiones omnes absq; Christi prędicatione frigent 219
Reprobationis argumentum infallibile 83
Reprobi uerbum Christi audire non possunt 177.b
Reproborum mores & studia, & quomodo cū illis agendū 229.b
Rerum proprietas asseritur 47
Reipub. & regni cōstitutio 170.b
Rerumpub. forma optima 234.b
Rerumpub. prędides quales eligendi sint 68
Restitutionis humanę typus 50.b
Restitutorum per Christum quę sint officia ibid.
Resurrectio Christi asseritur 173.b 272.b
Resurrectio Christi, doctrinę apostolicę fidem & functionem asserit 4.b
Resurrectio Christi est testatissima ibidem
Resurrectio Christi fidei & salutis nostrę fundamentum est 5
Resurrectio Christi nostrę redemptionis & salutis cardo est 4.b
Resurrectio Christi promissionibus munita est. ibidem
Resurrectio Christi quib. de causis adeo diligenter sit confirmata 4

Resurrectio Christi redemptionis nostræ complementum est 22
Resurrectio Christi solidis argumẽtis et crebris cur confirmet 37
Resurrectio filiorum Dei gloriam patefacit 174.b
Resurrectio mortuorum non debet incredibilis putari 273.b
Resurrectio mortuorum est uniuersalis 264
Resurrectio regni Christi maiestatem & certitudinem asserit 4.b
Resurrectionis articulus illustratur 38.b
Resurrectionis articulũ prę alijs diligẽter inculcarũt apostoli 72.b
Resurrectionis Christi diligens assertio 4.b
Resurrectionis Christi effectus 37
Resurrectionis corporum fructus amplissimus 39
Resurrectionis corporum modus & ordo 38.b
Resurrectionis illusores, & quid de his sit iudicandum 5
Resurrectionis illusores omnem fidẽ & humanæ salutis mysteria omnia simul tollere probatur 5
Resurrectionis meditatio & usus 5
Resurrectionis prædicatio quid in se complectatur 22
Resurrectionis spes est certa 38.b
Resurrectionẽ uita ęterna sequit 39
Resurrectione Christi à mortuis mors deuicta, peccatũ sublatũ, & sal⁹ humano generi restituta est 5
Resurrectione Christi mors deuicta est 148
Resurrectione probatur Iesum esse Mesiam 41
Ritus ueteris ecclesiæ in eligendis presbyteris 189
Romana ecclesia à Christianis hominibus rectè deseritur 256
Romanæ ecclesiæ cultores, ecclesię nomine sunt indigni 61.b
Romanæ sedis præsulibus contradicere licet 95
Romanæ urbis excidium & miseria 20.b
Romanam ecclesiam non posse errare tradunt Romani 91.b
Romanus Antichristus ob nundinationẽ quam in negotio religionis exercet reprehendẽdus est 121
Romano Põtifici uerè Christianis hominibus cõtradicere licet 114
Romani fratres Paulo occurrunt 286
Romanorum fratrum gratitudo 286
Romanorum in administrando iure diligentia 278
Romanorum pontificum audacia taxatur 109
Romanorum pontificum impietas 114
Romanorum pontificum insolentia 152
Romanorum pontificum primatus ridiculus 135.b
Rubus ardens populi cõditionem qui in Aegypto affligebatur, Mosi ob oculos statuit 106

S.

SAbbati obseruatio & prophanatio 236
Sabbata religiosè obseruanda 169
Sabbatorum & sacrorum cœtuum obseruatio 209
Sabbatorum religio, quid obseruandum & faciendum 169
Sacerdotium Christi iuramento confirmatum 40.b
Sacerdotes & Scribæ quare à Christo & apostolis generatio praua dicantur 45
Sacerdotes ignorarunt Christum & scripturas 173
Sacerdotes impleuerunt scripturas 173
Sacerdotes persecutionis apostolorum authores 62
Sacerdotum conatus non potuerunt Christo obesse 173.b
Sacerdotum improborum æterna ignominia 21
Sacramentalis locutionis exemplum uel forma 98.b.254
Sacramenta à Deo instituta, non sunt negligenda 254
Sacramenta Dei promissiones & beneficia obsignant 8
Sacramentorum τὸ ῥητὸν ac mysteria quomodo cõsideranda 98.b.99
Sacramentorũ contemptores 150
Sacramentorum contemptores à fide uera sunt alieni 125
Sacramentorum & salutis dona nobis communicat inuocatio nominis domini 254
Sacramentorũ fides efficaciã concipit non ex uerbis cõsecrationis sed propter Christi institutionẽ 8
Sacramentorum uerus usus in ecclesia 119.113
Sacramentis coniungenda est doctrina 146
Sacramentis non alligata est gratia 119
Sacri cœtus ecclesiæ ueteris 47.b
Sacrificio Christi peccata expiantur 147.b
Sacrificia Christianorum 215.b
Sacrificia quomodo peccatorum expiatio dicta sint 99
Sacrificiorum ratio 215
Sacrilegi quinam sint 234
Sacrilegorũ typus est Ananias 75
Sadducæorum religio siue doctrina quæ fuerit 61
Sadducæorum secta quæ fuerit 257.b
Saluari nullus homo potest nisi diuinitus illuminetur trahatur & emolliatur 128
Salus gratuitum Dei donum precibus est impetrandum 34
Salus hominum ex mera Dei gratia dependet 44
Salus hominum resurrectione corporum absoluitur 39.b
Salus in inuocatione consistit 34
Salus in uno Christo est 66
Salus non ad Iudæos tantum sed & ad gentes pertinet 137.b
Salus nostra à Dei prouidentia pendet 189
Salus in nobis 187.b
Salus rerumpub. & omnium hominum à Deo dependet 171
Salutis assequendæ ordo qui sit 127.b
Salutis author Christus 54
Salutis & redẽptionis nostrę causa iurisiurandi religione confirmatur 40.b
Salutis & ueniæ spes superest peccatoribus 55.b
Salutis finis est ὁλοκληρία, id est integritas totius hominis 55
Salutis gradus primus discipulum Christi esse 136
Salutis medium est fides 55
Salutis negocium diuino iussu ad gentes translatum 164.b
Salutis nostræ certitudo 42.174
Salutis ordo 150.b
Salutis ordo & ratio 275.b
Salutis ratio, & modus quis sit 84
Salutis ratio in nouo Testamento multo perspicacius tradita est quàm in ueteri 31
Salutis spes hominibus non alia est data quàm quæ in Iesu Christo habetur 286.b
Salutis summaria ratio 34.b
Salutis uia & consilium præscribitur à Petro 56.b
Salutis uiam & rationem quæ impediant 59.b
Saluti aliorum congratulandum est 153

Saluti nostræ ita cõsulamus, ne interim stationem nostram deseramus 211
Samariæ conuersio 117.b
Samaritani Christo aures præbent & uni Christo credere incipiunt 118
Samaritani euangelium amplectuntur 118
Samaritanorum obedientia 118.b
Sancti etiam confirmatione opus habent 286
Sancti qua fide in Christi gloria asserenda uti soleant 172
Sancti interdum quædam ignorant 144.b
Sancti quomodo cum Deo contendere uideantur 255
Sancti quomodo innocentiã suam in priuatis causis allegare soleant 256.b
Sancti quomodo sint admirandi 132.b
Sancti quoq; affectibus obnoxij sunt 198.222
Sancti omnem gloriam Christo tribuunt 52
Sanctorum cultus superstitiosus unde ortus sit 51.b
Sanctorum Dei omnibus seculis quæ fuerit spes 264
Sanctorũ egregiè facta, ad Deum authorem referenda 198
Sanctorum fugæ quales 100
Sanctorum ingeniũ & zelus 187.b
Sanctorum lapsus nostram corruptionem arguunt 9
Sanctorum patientia non est ignauia 156
Sanctorum studia non esse irrita 224.b
Sanctorum in hoc mundo sors & conditio 67.256.278.286.289
Sanctorum uirtus unica Deo obedire & credere 37.b
Sãctis cohabitare quàm prosit 281
Sanctis dei cultoribus quid sit tribuendum 52.b
Sanguinariorũ exitus qualis 19.b
Sapientiæ Christianæ termini 9.b
Sapientiæ diuinæ tribuendum, si quis ex hominum delictis fructus bonus oriatur 198
Sapientiæ salutiferæ primus gradus est agnoscere corruptæ nostræ naturæ ingenium, & quòd omnes bene agendi facultates ab uno deo nobis contingant 9
Sapphira confidẽter mẽtitur 74.b & confidentem hypocritarũ audaciam exprimit Ibidem
Sapphira cur mariti mortem aliquandiu ignorauerit 76.b
Sapphiræ improbitas à Petro arguitur Ibid.
Sapphiræ pœna eadem quæ Ananiæ 77
Satan à salutis uia homines retrahit 186
Satan nil aduersus homines, nisi deo permittente, moliri potest 133.b
Satan paßim sua habet organa 186
Satan per Christi nomen eijcitur 203.b
Satan quibus armis regnum inter homines affectet 202.b
Satan quomodo piorũ & impiorum corda replere dicatur 75
Satan ueritati fert testimonium 203
Satanæ artes obseruandæ 186.b
Satanæ effectus in hypocritis aut impijs 75
Satanæ ingenium quod sit 116
Satanæ stratagema 186.b
Saulus duplex responsum accipit à domino 128
Saul fideles persequens, Christum ipsum persequitur 253
Saulus immanis tyrãni exemplum 116.b.126.b
Saulus lupus rapax uerè dicitur 116
Saulus peculiare gratiæ & bonitatis diuinæ exemplum proponitur 128
Saulo potestas tyrannidem exercendi data est à sacerdotib. 130.b
Saulus quãdo sit conuersus 127.b
Saulus quomodo sit conuersus 127.b
Saulus singulare tyrannidis exemplum 116.b
Sauli ad Christum conuersi historia 128
Sauli conuersionis effectus 127.b 128.b
Sauli finis & scopus 127.b
Sauli persecutoris descriptio 126.b
Sauli persecutoris pœna 128
Sauli salus solius gratiæ dei beneficio tribuenda est 126.b
Scholæ, & harũ institutio 16.b.28
Scholis opus esse 165
Scinditur tota ciuitas 182
Schisma causa persecutionis 158.b
Schismatũ authores Romani Pontifices 63.b
Scopus apostolicæ doctrinæ est, unicum docere Christum salutis nostræ esse authorem 1.b
Scop⁹ doctrinę Christi est unus 2.
Scortatio 194.b
Scriptura est αὐτόπιστος 277.b
Scriptura sacra est θεόπνευστος 18.b
Scriptura sacra omnia quæ à nobis credi & obseruari necesse est comprehendit 2.b
Scriptura ueteris & noui Testamenti ad omnes dei amantes pertinet 2.b
Scripturam explicandam esse 209
Scripturæ sacræ authoritas & certitudo 277.b
Scripturæ author spiritus sanctus 18.b
Scripturæ aliorum locorum collatione interpretari debent 42
Scripturæ sacræ quo animo à nobis legi debeant 21
Scripturæ interpretationibus illustrari debent 123
Sectæ Iudæorũ dissensionis causa extiterunt 257. b
Secundæ concionis Paulinæ pars, docens Iesum esse Christũ 171.b
Securitas cauenda 87.b
Seditionis descriptio 232
Seditionis lętus finis 210.b
Seditionis studiũ exprobratur apostolis 83.b
Seditiones facilè componuntur 234.b
Seditionum authores qui sint 247
in Seditionibus quomodo se gerant Christiani 233.b
Seditiosi quamuis pauci, multorũ malorum authores 233
Sedulitas apostolorum et indefessa industria 189.b
Seniorum oratio 247
Sepultura debet esse honorifica & non superstitiosa 116.b
Sepulturę descriptio ad certitudinẽ resurrectionis 173.b
Serpenti ueteri in Christi cultores nihil est iuris 284.b
Seruis tyrãnorum quid expectandum 163
Sex⁹ fœmineus superstitiosior 180
Signum uisibile pręsentię spiritus sancti 27
Signa à deo edita ab hominib. diligenter sunt consideranda 51.b
Signa externa & nuda ad salutem sufficere non possunt 99
Signa rerum signatarum nomina accipiunt 27.54.b
Signorum cum rebus signatis magna est similitudo 27
Signorum diuersitas 52
Signorum diuinorũ ueritas 66.b
Signorum usus 116

Signis externis non est nimium tribuendum 98.b
Signis inhærere, idololatriæ initium est 52
Simon expostulatione Petri quomodo afficiatur 121.b
Simon Magus credit & baptizatur 119
Simon Magus impostoris & hypocritæ exemplum 118
Simonis Magi peccatum 120
Simones nostro seculo qui sint 120.b
Simplicitas fidei 218
Simulachra quæ Deo fiunt mera sunt mendacia 216.b
Socordiæ exemplum in Saulo 128
Solomon in gratiam uxorum alienigenarum dijs templa condidit 110.b
Solomonis optio 7.b
Somnolentia in sacris cœtibus 236
Sortilegium illicitum, & qui licitis sortibus abutantur 24
Sortilegij duo sunt genera 24
Sors ministerij & apostolatus 23.b
Sors pro parte accipitur 23.b
Sorte præsenti contenti esse docemur 279.b
Sortes diuinæ prouidentiæ subijciendæ 24.b
Sortes illicitæ & licitæ quæ sint 24
Sortium antiquissimus usus 24.b
Sortium usus in diuidundis hæreditatibus Ibid.
Sortibus deligitur Mathias 24
Sortibus uti licet 24.b
Spes Israelis Christus fuit 286.b
Spes omnis in Deum collocanda non in præsidia hominum 15.b
Spes promissionis patribus facta, in Christo sita est 272
Spirituũ apparitiones quomodo iudicandæ 244.b
Spiritus Christi author concordię & sanctimoniæ 26.b
Spiritus Christi efficacia quanta in hominibus 51
Spiritus Christi in quib. regnet 30
Spiritus defunctorum non obambulant 162
Spiritus flatus siue uenti uoce significatur, & qua de causa 26.b
Spiritus sanctus ab omni metu homines liberat ut Christum intrepide confiteri audeant 29
Spiritus sanctus ab æterno fuit 25
Spiritus sanctus cur promissus sit apostolis 6.b
Spiritus sanctus de rebus diuinis disserere, & Dei opem implorare docet 28.b
Spiritus sanctus in apostolis est operatus 25
Spiritus sanctus locutus est per apostolos 3.b
Spiritus sanctus magnanimos reddit homines in Christi confessione 28.b
Spiritus sanctus mutat & instruit linguas, & quibus de causis 28
Spiritus sanctus promissum patris 6.b
Spiritus sanctus quando sit missus (25
Spiritus sanctus quo die missus sit apostolis 15.b
Spiritus sanctus quomodo accipi possit 26
Spiritus sanctus quomodo & quibus detur 31.b.84
Spiritus sanctus quomodo sit missus 26.b.61
Spiritus sanctus quomodo dicatur promissus patribus 6.b
Spiritus sanctus sæpe promissus, &, qua de causa 25
Spiritus sanctus ubi sit datus 25
Spiritus sanctus uisibiliter missus, & quibus de causis 26.b
Spiritus sancti effectus 31
Spiritus sancti effectus in apostolis & auditoribus eorum 27.b
Spiritus sancti effectus communes sunt in credentibus 32
Spiritus sancti in hominibus necessitas & usus 26
Spirit⁹ sancti inuicta uirtus 130.b
Spiritus sancti missio ascensioni Christi in cœlos cõiungitur 41
Spiritus sancti missio quomodo baptismi nomine appelletur 7.b
Spiritus sancti promissio confirmatur à Christo argumento ducto à baptismo 7.b. Argumenti eiusdẽ sensus & explicatio Ibid.
Spiritus sancti operatio & dona 25.26.b
Spiritus sancti operatio quàm efficax sit 41
Spiritus sancti operationes & dona cur hodie sint rara 84
Spiritus sancti promissio seruit consolationi 6
Spiritus sancti promissio seruit institutioni 6.b
Spiritus sancti uis à nullis hominum contineri aut impediri potest 27
Spiritum sanctum quomodo apostoli accepisse dicantur 25
Spiritum sanctum ut homines accipiant quomodo eos præparari oporteat 26
de Spiritu sancto promissio 5.b
Spiritu sancto repleri quid sit 72
Spiritus satanæ in immundis hominibus quid agat 28.b
Spiritus ueteris & noui Testamenti idem est 25
Status dissensionis 189
Stephanus accusatur impietatis & pertinaciæ, & quæ huius accusationis fuerit causa aut occasio 94
Stephanus accusatur quòd in Deũ & legẽ blasphema locutus sit 95
Stephanus calumnijs & falsis testibus inuisus redditur toti populo 93.b
Stephanus diuinit⁹ edoctus acutũ & fortem agit disputatorẽ 93.b
Stephanus iam iam moriturus consolationẽ habet per uisionẽ 109 & q̃d illa uisio nos doceat Ibid.
Stephanus in mortis periculo intrepidus 94.b
Stephanus legem abrogare non conatus est 114.b
Stephanus martyrij coronam meruit 116
Stephanus moriturus quid egerit 115.b
Stephanus non fuit contemptor Mosis 104.b
Stephanus non in externum cultũ legis, aut in templum siue locum sanctum blasphemus fuit 112.b
Stephanus obdormit 116
Stephanus oppugnatur disputatione 93.b
Stephanus seditione opprimitur & capitur ibidem
Stephanus se impium & religionis ueræ aduersariũ non esse duobus argumentis ualidis euincitur 69
Stephanus spiritu sancto repletus moritur 109
Stephani antagonistæ, & eorundẽ aduersus ipsum conatus 93
Stephani descriptio 93
Stephani hostium rabies incurabilis 115.b
Stephani iam iam morituri exemplum quomodo sit imitandũ 116
Stephani oratio quomodo ab hobus sit accepta 114.b
Stephani orationis & responsionis qua causam suam dicit coram concilio sacerdotum argumentum, narratio, & partes 95
Stephano lapidibus obruto fideles quid impenderint 116.b
Stephanum moriturum Deus consolatur 115

Consola-

Consolationis diuinæ modus et ratio ibid.
Stipendium debitum quare Paulus non exegerit 243
Stipendio ecclesiastico ministri uerbi priuari non debent ibid.
Stipendia ministrorum ecclesiæ 217.b
Stoicorum dogmata 212
Stoicorum indolentia damnatur 243.b
Studendum esse charitati 199.b
Studiũ placendi populo causa persecutionis 160
Studia hostium ueritatis 211
Studia nostra soli deo approbare studeamus 186.b
Suffocatum & sanguis 194.b
Summa salutis fides in Christum 106
Superbia omnis mali causa, & peccati initium est 121.b
Superbiã quàm potenter deus ulciscatur 157.b. 164.b
Syderum cultus gentibus frequens 110.b
Syderum superstitiosa obseruatio 111
Symbola externa, dei interna et spiritualia dona obsignant 27
Symbola sunt inania nisi dei uerbum accedat & promissio 99
Symbolis externis non iuuantur homines, nisi ijs studeant, quæ per hæc adumbrantur 114.b
Συμπάθεια qualis inter nos esse debeat 252.b
Synecdoche scripturis sacris familiaris 245
Synodus Miletana 237
Synodorum usus ibid.

T.

TAbernaculum fuit typus cœlestium rerum 111.b
Tabernaculum in terram gentium delatum ibid.
Tabernaculũ testimonij qd ibid.
Tabernaculi in ueteri populo usus 112
Tabernaculi sedes incerta 112.b
Tabernaculo nõ fuit alligatus cultus dei 112
Temerariorum iudiciorum exitus 208
Temperantia fidei fructus 266
Temperãtiæ effectus qui sint 48.b
Templi dei ædificatores 66
Templo non alligatus est cultus dei 112.b
Templa ab omni prophanatione custodienda 264.b
Templa qui uiolent, nec ne 265
Templorum religio uana 214.b
Templis luxum ac fastum inferentes quales censeri debeant 270.b
Tempus liberationis Petri 160
Tempus quomodo religioni seruiat 113
Temporũ articulos quærere Christus prohibet 9.b
Terra Chanaan typus salutis et cœlestis patriæ fuit 95.b
Terræ promissæ possessio 170.b
Tergiuersatores nõ fert dominus 166
Termini regni Christi 10.b
Termini regni Christi olim à prophetis sunt designati 11
Tertulli oratio 262.b
Testamentum circũcisionis Abrahamo datum, quid sit & quomodo intelligendum 98
Testamentum uetus & nouum lex sunt bene beateq; uiuendi 18.b
Testamenti dei summa 61
Testamenti ueteris & noui consensus 288. 287.b
Testamenti ueteris & noui discrimen 32.b
Testimonium Dauidis de resurrectione Christi 37
Testamento dei salus nostra continetur 60.b
Testimonium Psalmi 16. asseritur 40
Testimonia de regno Christi 8.b
Testis nomen quid comprehendat 254.b
Testis officium triplex 10.b
Thabita mortua resuscitatur à Petro 136. eiusdem descriptio ibid.
Theophilus quis 2
Theudas 84. 86
Timor prohibetur 220
Timoris uocabulo quæ comprehendantur 135.b
Timore tentantur sancti 220
Timotheus circumciditur 199
Timotheus ex impari coniugio natus ibid.
Timotheus quis, & qualis 108.b
Timothei uocatio ibid.b
Titulorum abusus 214
Titulorum quis usus esse debeat 169.b
Tormentorum & quæstionum iustam rationem magistratus tenere debet 256
Traditiones humanę ecclesijs non sunt obtrudendæ 7.b
Traditiones nouas nullas ecclesijs obtrudunt apostoli 187.b
Traianus ecclesiæ Christi persecutor deum iratum sensit 93.b
Tribulationes fratrum nobis communes ducamus 159
Tribulationũ finis lætissimus 188
Tribunus denuo Iudæorum manibus Paulum eripit 159
Tribunus metu legum cohercetur 256.b
Tribunus Paulo opem ferre paratus est 260.b
Triticum in mare eijcitur 283
Turbatores ecclesiarũ qui 190.b
Turcæ dei cultores non sunt 264
Turcici legati dictum in idololatras Christiani nominis 110.b
Turpiloquium quale sit peccatum 28.b
Typus restituti humani generis 51
Tyrannis hypocritica arguitur 257.b
Tyrannis non semper licet quod libet 69.b
Tyrannidis irritus euentus 116
Tyranni miserè & turpiter perierunt 164
Tyrannorum artes in Pharaonis exemplo depinguntur 103
Tyrannorum & hostium ecclesiæ natura in Saulo exprimit 126.b
Tyrannorum patroni adulatores 257.b
Tyrannorum sors & conditio 69.b. 70
Tyrij Paulum honorificè deducũt 243.b
Tyrij publicè orant 243.b. 244
Tyrum uenit Paulus 243

V.

VAl. Aurelianus persecutionẽ mouens aduersus ecclesiã, primo fulmine ante pedes delapso territus, mox cùm non pœnitentia duceretur, suorum insidijs occisus est 97
Vanus est omnis cultus, qui sine dei uerbo instituitur 185
Vaticinia prophetarum astrologiã non defendunt 16
Vaticiniorum de nouissimorũ temporum ærumnis, usus 32.b
Veniæ & salutis spem Christicidis facit Petrus 56
Ventus præter naturam excitatus 26.b
Verbum dei aduersariorum conatibus propagatur 179.b
Verbum dei ita prædicandum, ut auditores ad se pertinere intelligant 172.b
Verbum dei nil proficit apud eos

qui humana modò ratione ducuntur 277
Verbum dei non hominũ figmentum prædicandum est 287.b
Verbum dei non uincitur 68. 271. 288
Verbum dei omnia obstacula perrumpit 45.b
Verbum dei quę res impedire possint ibid.
Verbum dei quomodo audiendũ 145
Verbum dei recipere 151
Verbum dei solum in ecclesia dei prædicandum 166
Verbum nunquã sine fructu prædicatur 181.b
Verbi dei contemptus atrocissimũ peccatum 177
Verbi dei efficacia 76
Verbi dei odium quousq; progrediatur 247
Verbi dei prædicatio non est irrita 45.b
Verbi diuini dignitas 86.b
Verbi diuini effectus apud impios quis sit 114
Verbi ministeriũ nõ est inutile 129
Verbi prædicatio 131.b
Verbo dei per homines prædicato, qui resistunt, quàm grauiter peccent 114
Verbo dei quod per homines prædicatur, credendum est 119
Veritas apta ui oppugnatur 54.b
Veritas dei infallibilis 172
Veritas diuinarum promissionum 174.b
Veritas promissionum dei inuicta 283.b
Veritas publicè doceri debet 168.b
Veritas quo prætextu oppugnetur 63
Veritas quorum criminum accusari soleat 204.b
Veritatis causa non conuitiandi libidine est tuenda 263.b
Veritatis effectus quis sit 271.b
Veritatis Euangelicæ hostes 62
Veritatis Euangelicæ propugnatores seditiosi habẽtur ab impijs 63
Veritatis hostibus non est fidendũ 267
Veritatis in hoc mundo sors quæ sit 273.b
Veritatis odium laboriosos & audaces facit homines 246.b
Veritatis odium quantum possit 254.b
Veritatis odium quò tandem perducat homines 178
Veritatis odium quousque progrediatur 259.b
Veritatis osores qui potissimũ sint 68
Veritatis sors quæ sit in hoc mundo 246.b
Vnanimitatis ratio cur in precibus sit habenda 16.b
Vnctionis sacræ usus & ratio apud ueteres 146.b
Vnanimitatis & charitatis exemplum 26
Vnitatis ecclesiasticę nobis cura esse debet 162
Veteres errores difficulter tolluntur 183.b
Veteris noui Testamenti idem spiritus 25.b
Veteris Testamenti contemptores arguuntur 25.b
Veteris Testameni libri ad nos pertinent 193
Veteris Testamenti libri non sunt contemnendi 124
Veterum libri ad nos quoq; pertinent 106
Via Christi 224.b
Via uitæ in Christo est manifestata 39
Viæ hominum in salutis negotio cæcæ 185. b
Viles & contemptos homines non fastidit Deus 15.b
Virtutes ministri eligendi 199.b
Visionis Petro factæ descriptio 140.b
& allegorica eius expositio Ibid.
Visione Ananias & Paulus instruuntur 129.b
Vita æterna 39
Vita nostra peregrinationis instar est 97
Vitæ æternæ certitudo 124
Vitæ æternæ cõditio beatissima 39
Vitæ humanæ conditio quæ sit 278.b
Vitæ periculum subit Paulus 246.b
Vitijs ministrorum uerbi nemo offendatur 19
Vocatio Abrahæ qua à deo ex Vr Chaldæorũ in terram Chanaan translatus est, nullo præcedente merito facta est, sed à nudo dei uerbo dependet, deinde quid doceat 95.b
Vocatio Dei ad salutẽ ex mera dei gratia contingit nobis: & à solo dei uerbo dependet 95.b
Vocatio & uoluntas dei omnibus nostris affectibus est anteponenda 243.b
Vocatio gentium 178.b
Vocatio Philippi specialis 122
Vocatio salutis est gratuita & non humani arbitrij 44.b
Vocationis diuinæ uis apud fideles 104
Vocationis gentiũ initium in Cornelio 138
Vocationis legitimæ ministrorum in ecclesia quis usus 20
Vocationi diuinę obediendum est 122
Vocationi suæ fideliter seruire, habet multas promissiones 93
Vocationi suæ quiuis homo constanter insistere debet, de Dei ope & gratia non diffidens 28.b
Vocationem Dei qui habent non debent admittere rationes carnis 212
Vocanti & trahenti Deo obedire decet 104
Vocatus & instructus, & nemo alius aliquid publicè agendi in ecclesia ius habet 197
Volũtaria & arbitraria fuit rerum cõmunio in ueteri ecclesia 75.b
Voluntas Dei in uno Christo continetur, & addiscitur 254
Votum Pauli 222.277.b
Vota monachorum 222.b
Vota Sanctorum quæ 38
Votorum Monasticorum stulta religio 69
Vrbs quæ primatum obtineat 6.b
Vulgi inconstantia 186.b.284.b

Z.

Zelus præposterus in religionis negotio, quam parum ad salutis causam faciat, docet Sauli exemplum 130
Zelo & ardenti studio opus ijs, qui regnum Christi propagare uolunt 177.b
Zelo pietatis excusari ea non possunt, quæ contra pietatem & ueram religionẽ instituuntur 127
Zelum esse pijs necessarium 212

FINIS.

INDEX LOCORVM SCRIPTVRAE, IN HIS HOMILIIS ET ANNOTATIONIBVS EXPLICATORVM.

GENESIS 3. Ponam inimicitias inter te & mulierem 209.b
3. Ad uirum erit respectus tuus, et ipse tibi dominabitur 76.b
4 Cain occidit Abelū fratrem 99
4 Quis me constituit custodem fratris mei 76.b
12 Exi è terra tua, & de domo patris tui 95.b
15 Gentem cui seruierint ego iudicabo 39.b
15 Semen tuū peregrinum erit 96
17 Circumcidatur uobis omnis mas 98.b
22 Per memetipsum iuraui 40.b
22 In semine tuo benedicētur omnes familię terræ 53.b.60.b
26 Confirmabo iusiurandū quod iuraui Abraamo patri tuo 40.b
37 Patriarchæ fratrem uendunt Ioseph 89.b
45 Misit me Deus ante uos, ut ponerem, &c. 101
46 Iacob cum uniuersa familia in Aegyptum descendit ibid.
50 Iacob sepelitur in Chanaan 101.b
EXODI 1. Pharao iubet exponi masculos 102.c
2 Moses nascitur cum maximè serueret tyrānis 104.b.103.104.b
2 Quis te constituit principem super nos? 104.b
3 Vocatio Mosis 106
3 Ego sum Deus patrum tuorū, Deus Abraami 106
3 Et expletis annis quadraginta uisus est illi in deserto montis Sina angelus domini in flammeo incendio rubi ibid.
5 Videat dominus super nos, & iudicet, qui fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone, &c. 272.b
19 Vos eritis mihi regnum sacerdotale & gens sancta 31.b
22 Nullam uiduam nec pupillam affligetis 107
32 Fac nobis Deos, qui præcedāt nos 108.b
LEVITICI 20. Quicunque è filijs Israel aut ex incolis de semine suo dederit Molech 111
35 Morte multetur homicida 114
NVMERORVM 1. Quantum auctus sit populus Israel 192
6 De Nazaræis 223
12 Si fuerit Propheta Domini inter uos, per uisionem ei apparebo 108
DEVTERONOMII 7. Sculptilia deorum igne combures, argentum & aurum, &c. 194
15 Omnino non sit in te mendicus 47.b.73.b
18 Prophetam de medio tui, ex fratribus tuis sicuti me excitabit tibi Dominus Deus tuus, illum audies 58.107.b
32 Mea est uindicta ego retribuam 98.b
28 Domum extrues, & alius in ea habitabit 19.b
IOSVE 10. Ne timeas ab eis 220
1. SAM. 2. Honore prosequar eos qui me honore prosequuntur 79.48.b
15 Num tā uolupe est Domino in holocaustis & uictimis quàm quū auditur uox Domini 171.b
2. SAM. 7. Quū exacti fuerint dies tui, dormierisq; cum patribus tuis, excitabo semen tuum, &c. 40 8.b
7 Quis sum ego Domine Deus? & quæ domus mea, quod me tantopere euehis? 171.b
15 Reduc arcam Dei in urbem, Si nactus fuero fauorem, &c. ibid.
16 Permitte ei, ut maledicat, etc. 171.b
24 Supra modum angor, incidamus quæso in manum domini. Item, Ego peccaui, ego inique egi, oues, &c. ibid.
1. REGVM 8. Cœli cœlorum te nō capiunt, quanto minus ædes ista quam extruxi 214.b
2. PARALIPOM. 14. Domine nihil refert apud te ut auxiliū feras uel multis, uel his quibus non est robur 283
NEHEMIAE 13. De sabbato 237
ISAIAE 2. Temporibus postremis erit mons domus domini 1
6 Audiendo audire, &c. 110
10 Si fuerit numerus filiorum Israel, ut arena maris, &c. 194
23 Exactis septuaginta annis uisitabit dominus Tyrum, reuertetur ad mercedem suam 245.b
29 Frustra me colunt docentes doctrinas hominum 111.190.b
30 Ne prophetetis, &c. 72
33 Væ qui prædaris, quoniam prædaberis 98.b
40 Verbum Dei nostri stabit in æternum 108.b
42 Ego dominus, hoc est nomen meum, & gloriam meam alteri nō dabo 184.52.b
42 Ecce seruus meus, quo nitar: electus meus, quo placatur anima mea 66
48.57 Impijs non est pax, &c. 65
49 Leue sit quod seruus meus sis ad erigendas tribus Iacob 11
49 Num obliuioni tradit mulier infantem suum, &c. 16.b
52 O quàm speciosi sunt super montes pedes euangelizātis & prædicantis pacem 145.b
53 Quis credidit prædicationi nostræ 17.b.30
53 Omnes ut oues errauimus, singuliq; suas uias secuti sunt 183
53 Et in ore eius non est inuentus dolus 114
53.23. Hoc erit nomen eius quo uocabunt eum Dominus Iustitia nostra, &c. 149
55 Derelinquat impius uiā suam, & iniquus cogitationes suas, & conuertatur ad dominū 43.b
55 Verbum meum quod exit de ore meo, non redibit ad me uacuū, sed faciet quæcunque uolo, & prosperabitur in his, ad quę misi illud 45
55 Cur expenditis pecunias pro eo quod cibus non est 190.b
58 Clama ex gutture, ne parcas: exalta instar tubæ uocem tuam 65
58 Quare ieiunauimus & tu non aspicis 77
60 Gens & regnum, quod non seruierit tibi, peribit 201
63 Abraam nos non cognoscit, nec Israel nouit nos 175
64 Ea diligentibus se præparauit Deus, quę nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt 69
65 Futurum est ut priusquam inuocent ego respondeam 220
66 Cœlum mihi thronus est, & terra scabellum pedum meorū 113.214.b.12
IEREMIAE 1. Ecce ego posui uerba mea in os tuum 7.b
1 Ecce ego constitui te ut euellas & extirpes 178
1 Ne timeas à conspectu illorū. 220.b
1 Ecce ego facio te ciuitatem munitam 242
2 Duo mala fecit populus meus, me deseruerunt fontem 190.b
4 Si reuerti uoles Israel ad me reuertere 43.b
10 Viam gentium ne discatis, & à signis cœli ne formidetis 111
12 Qui fit ut uia impiorum prospere tur, &c. 163.b
17 Benedictus qui fidit domino, & cuius spes est dominus 114.b
23 Ecce dies uenient dicit dominus, ut excitem germen iustum Dauidi 8.b
23 Cœlum & terrā ego impleo 12.b
23 Dominus iustitia nostra 113.b
23 Verbum Dei ignis, &c. 212.b
31 Inseram legem meam in interiora

eorum, & cordibus eorum inscribam eam 33
31 Conuerte nos & cōuertemur 253
48 Maledictus quisquis opus domini maligne fecerit 49.b
EZECHIELIS 3. Sanguinem pereuntium de manu tua requirā 5.b
3 & 33 Audies uerbum ex ore meo, & diserte monebis eos ex me 7.b
3 Si monueris peccatorem, tu liberabis animam tuam 133.b
3 Cum dixero ego impio, certissime morieris 181.b
3 & 33 Fili hominis speculatorē constitui te, &c. 219.b. 239.b
DANIELIS 2. De monte 1
HOSEAE 4. Auferunt idola cor hominis 119
13 Vbi tuus mors aculeus 37
IOELIS 2. Et erit in nouissimis diebus, dicit Deus, effundam de spiritu meo super omnem carnem, &c. 29.b.30.31.32.33
2 Cōuertimini usq; ad me toto, &c. 43.b
AMOS 2. Ne prophetetis, &c. 72.b
3 Duntaxat uos agnoui ex omnibus cognationibus terræ 32
3 Non est malum in ciuitate cuius nō author sit Deus 156
3 Dominus Deus locutus est, & quis non prophetaret 219.b
5 Nunquid uictimas & hostias obtulistis mihi per annos quadraginta 110.b
7 Ego neque propheta eram neque filius prophetæ, &c. 23.b
Locus Amos cap. 9. 194
MICHEAE 4. Mons domus domini 1
ABACVC 2. Si distulerit expecta eum 26.b.59
2 Væ ei, qui adauget non sua 97
ZACHARIAE 2. Qui uos tangit, tangit pupillam oculi mei. 162.
2 Pupillam oculi mei, &c. 97
9 Imperium eius pertinget à mari usq; ad mare 11.b
9 Ecce rex tuus ueniet tibi iustus & seruator, & mitis 65
11 Væ pastori idolo, qui gregem deserit 167
13 Excitare ô gladie super pastorem meum, & super uirum coæqualem mihi 35.b
MALACHIAE 2. Labia sacerdotis custodient scientiam 21.b
3 Frustra seruitur Deo 76.b
IOB 5. Capit sapientes in ipsorum calliditate, & cōsiliū, &c. 66.b
50 Noui & ego quod uindex meus uiuit, &c. 5
ECCLESIAST. 3. Multos decepit uana sua opinio 9.b
35 Oratio afflicti nubes penetrat 205.b
PSALMO 1. Beatus uir qui non ambulauit, &c. 206
2 De regno Christi 1
2 Postula à me, daboq; gentes ut sint hæreditas tua 8.b.64.b
2 Sceptro ferreo confringes eos 204.b
2 Concipiunt molestiam, parturiunt uanitatem 171
14 & 53. Non est Deus 206
PSALMO 16. Verba non de Dauide sed Christo intelligenda esse probatur 37.b.40.b.41
22 De te est laus mea in concione magna 38
27 Expecta dominum, forte sit, & roboretur cor tuum 26.b.102
27 Vbi pater meus & mater mea destituunt me, dominus colligit me 99.168
34 Custodi linguam tuā à malo 28.b
34 Angelus Domini castrametatur circa eos qui ipsum timent 177.b
34 Oculi domini intenti sunt super iustos 95.b.162
37 Vidi impium uiolentum & sese diffundentem instar lauri, &c. 163.b
39 Quo discedā à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam, &c. 25
45 Vnxit te Deus tuus, &c. 246.b
48 Ciuitas magni regis 6.b
50 Premente aduersitate inuoca me, & cum te eripio gloriam meā celebra 38.b.161
59 Num comesturus suam sanguinē taurorum, & sanguinem hircorum bibiturus 207.b.176
51 Laua me plurimum ab iniquitate mea, & à peccato, &c. 176.192
51 Spiritum rectum intra me innoua 26
56 Fugas meas tu numeratas habes, lachrymas meas repone 16. 107
58 Virus est illis ut uirus serpentis, ut aspidis surdæ, auremq; suā obturantis 114.b
65 Beatus quem tu elegeris 170
68 Ascendisti in altum, captiuam duxisti captiuitatem 42
68 Zelus domus tuæ exedit me 205
69 Laudabo nomen Dei cum cantico, &c. 33
72 Imperitet à mari ad mare usq;, & à flumine usque ad terminos terræ 8.b
72 Liberabit pauperem clamantem, & afflictum 104.147.b
76 Notus est in Iudæa Deus, præclarum nomē eius in Israele 31.b
80 Ostende nobis faciem tuam & salui erimus 40
89 Semel per sanctitatem meam iuraui, haudquaquam Dauidem fefellero, &c. 8.b
89 Non prophanabo fœdus meum, quodque egressum est de labijs meis 96.b
94 Quomodo non uideret, qui oculum finxit? 97
94 Pro æstu multarum cogitationū intra me recrearunt animam meā consolationes tuæ 205.b
94 Dominus non uidet neque Deus Iacob intelligit 213.82b
104 Qui ponis nubem ascensum tuū 12.b
104 Rigat montes è suis cœnaculis, & de fructu operum eius saturatur terra 186
105 Nolite tangere Christos meos 162.b.47.221.
106 Et permutauerunt maiestatē Dei sui effigie bouis comedentis fœnum 111
107 Vindicati in libertatem à Domino dicant, quod ipse eos uindicauerit à manu hostili 161
110 Dominus dixit domino meo, sede à dextris meis 11.b
110 Tu es sacerdos in æternum iuxta ordinem Melchisedech 13
110 Regnabit in medio inimicorum suorum 33
113 Deus erigit tenuē ex puluere, &c. 107.b.208
116 Non permittes, ut sanctus tuus uideat corruptionem 175
116 Preciosa in oculis Domini mors sanctorum ipsius 238.b
116 Quid retribuā domino pro omnibus quæ in me contulit? 149.b
118 Dominus robur uitæ meæ 82.b
118 Lapis quem reiecerunt ædificantes 65.b
118 Spem habere in Domino melius est 81
119 Bonū mihi quod humiliauisti mē 34
121 Leuo oculos meos ad montes, unde nam ueniat auxilium meum 114.b
123 Ecce ut oculi seruorum intenti sunt ad manum dominorum suorum, &c. 38
132 Malè sit mihi, si tabernaculum domus meæ subiero, &c. 114. 112.b
141 Pone domine custodiam ori meo 29
146 Nolite cōfidere principibus 103
147 Nunciat uerbum suum Iacobo, & decreta sua & iudicia Israeli 113.b
147 Ipse operit cœlum nubibus, & parat pluuiam terræ, &c. 186
PROVERBIORVM 1. Initium sapientiæ timor domini 68
2 Si sapientiam ut aurum quæsieris, inuenies illam 29.b
6 Odit dominus testem falsum qui spirat mendacia 115
16 In sinum deijciuntur sortes, atomne iudicium earum pendet à domino 24.b
25 Qui scrutatur maiestatem, opprimetur à gloria 9.b.38
MATTHAEI 1. Vocabis nomē eius Iesum. Is enim saluū faciet 55
3 Pœnitentiam agite 43

3 Et ne

3 Et ne dicatis, Patrem habemus Abraam 113.b
3 Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacitum est 145.66
5 Beati qui mundo corde sunt, quoniam illi Deum uidebunt 30
5 Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam 99
5 Ciuitas magni regis 6.b
5 Iota unum aut unus apex non præterierit ex lege 109
5 Si obtuleris munus tuum ad aram, & illic recordatus fueris 16.b
5 Eritis perfecti, quemadmodum pater uester qui in cœlis est 101
5 Solem suũ exoriri sinit super, &c. 206
6 Vbi fuerit thesaurus uester, illic erit & cor uestrum 204
7 Quærite & inuenietis 30
7 Qua mensura metimini, eadem, &c. 99.b
7 Non omnis, qui dicit mihi, domine domine, &c. 203
7 Discedite à me qui operamini iniquitatem 114
8 Sequere me, & sine, ut mortui sepeliant mortuos suos 165.b
9 Fides tua saluauit te 55
10 Inimici hominis domestici eius 19.b
10 Quisquis me confitebitur coram hominibus, illum & ego confitebor coram patre meo cœlesti 29.b
10 Qui recipit uos me recipit 3.b
10 Ioã.13. Qui uos audit, me audit 53
10 Non uos estis illi loquentes, sed spiritus patris 66.b
10 Estote prudentes ueluti serpentes 211.b
10 Nolite metuere, &c. 220
10 Si uos persequantur in una ciuitate, &c. 162.b
10 In uiam gentiũ ne abieritis 172.b
10 Qui amauerit patrem & matrem supra me 191
10 In illa hora dabitur uobis quod loquamini, 349.b
11 Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis 3.66
11 Nemo nouit patrem nisi filius, &c folio 182
11 Gratias ago tibi pater quod abscondéris hæc à sapientibus 201.b
12 Aut quomodo aliquis intrare domum potẽtis & uasa, &c. 203.b
13 Mysteria regni cœlorum 216.b
15 Ex abundantia cordis os loquitur 29
15 Omnis plantatio, quam non plantauit, &c. 111
15 Non decet panem filiorum projicere canibus 140.b
15 Frustra me colunt docentes doctrinas hominum 190
15 Nihil quod per os ingreditur 196.b
16 Et portæ inferorum non præualebunt ei, &c. 99
17 Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacuit, hunc audite folio 58
18 Vbicunq; duo aut tres congregati sunt in nomine meo 161.b.13.b
20 Quicunq; uult inter uos magnus fieri sit uester minister 24.
21 Trãsferetur à uobis regnum Dei, & dabitur genti facieti fructus eius 178.219.b.288.b
22 Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac 106.b
22 Date Cæsari quæ sunt Cæsaris, & Dei quæ sunt, Deo 69
23 Omnia quæcunq; iusserint uos seruare, seruate, & facite, &c. 19
23 Hierusalem Hierusalem, quæ occidis prophetas, &c. 6
24 Ecce hic Christus, &c. 3
24 Audietis bella & rumores bellorum 33.b
24 Qui autem manu aratro admota, à tergo respexerit, non est idoneus, nec dignus regno Dei 45.b
25 Talentorum parabola 227.100
25 Intra in gaudiũ domini tui 39.40
25 Hospes fui, & collegistis me 180.b
27 Si rex est Israel, descendat nunc de cruce 87.b
28 Ego uobiscum sum usq; ad consummationem seculi 3.13.93 106.167.b
28 Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra 12.b
28 Docentes eos seruare omnia quæcunq; præcepi uobis 108.b
MARCI 8. Quecunq; mei ac meorum sermonum puduerit, &c. 191.29
10 Nullus est qui reliquit domum, aut fratres & sorores 178.b 284.b
10 Amen dico uobis: Quisquis reliquit domum 245.b
16 Ite in orbem uniuersum & prædicate 68.b
16 Qui non crediderit, condemnabitur 59
16 Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit 149
16 Dominus postquã locutus fuisset eis, receptus est in cœlum 11.b
LVCAE 1. Detrxit potentes de sedibus, & euexit humiles 107.b
6 Væ uobis qui ridetis, quia lugebitis & flebitis 38.b
7 Remittuntur tibi peccata tua 59
9 Si qui non receperint uos, egressi de ciuitate illa, &c. 178.b
9 Nemo qui manu aratro admota, respexerit à tergo, dignus est regno Dei 197.b
10 Qui uos audit, me audit: qui uos spernit, me spernit 191.196.b
10 In quamcunq; ciuitatem intraueritis 178.b
11 Beati qui audiunt uerbum, & faciunt 114
12 Sint lumbi uestri præcincti, & lucernæ accensæ, &c. 3
12 Noli timere pusille grex, quia complacitum est patri 99.18
13 Fieri non potest, ut propheta alibi pereat quàm Hierosolymis 6
16 Filij seculi huius prudentiores sunt filijs lucis 63.211.b
17 Sicut accidit in diebus Noe, ita erit & in diebus filij hominis 213
18 Iudex quidã erat in quadã ciuitate. Vidua aũt quædam, &c. 161.b
21 Dabo uobis os & sapientiam, cui non poterunt contradicere 57
22 Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis 88.178.b
22 Ego dispono uobis, sicut mihi disposuit pater 174
22 Quasi ad latronẽ existis cum gladijs & fustibus 159
23 Hodie mecum eris in paradiso 39
23 Pater remitte eis, quia nesciunt quid faciant 55.b
24 Nónne hæc oportuit Christum pati, &c. 9.b
24 Quod hæc oportebat fieri, ut implerentur quæ de ipso in Mose, prophetis & Psalmis scripta sunt folio 217
24 Contrectate me & uidete, quia spiritus carnem & ossa non habet 4
24 Marc.16. Matth 28. Prædicari oportet in nomine meo pœnitentiam, & remissionem peccatorũ in omnes gentes 44.b
IOANNIS 1. In sua uenit 100.
1 In ipso uita erat 174
1 Deum enim nemo uidit unquam, filius autem, &c. 178.b
1 Ecce agnus Dei 176
2 Zelus domus tuæ exedit me 212
3 Qui non credit filio, non uidebit uitam 59
3 Sic Deus dilexit mundum, &c. 59.b.67
3 Spiritus ubi uult spirat, & uocem eius audis, sed nescis unde ueniat & quo uadat 26.b.45.64
4 Qui biberit ex aqua quam ego do, non sitiet in æternum 3.214
4 Veri adoratores adorabũt patrem spiritu ac ueritate 107
4 Vos adoratis quod nescitis 214
5 Opera quæ dedit mihi pater ut perficiam ea, testificantur de me 2
5 Qui sermonem meum audit & credit ei qui misit me, &c. 182
5 Sed transiuit ex morte in uitam 101.b
5 Veniet hora in qua omnes qui in monumentis sunt, audient uocem meam & prodibunt 39
6 Nemo uenit ad me, nisi pater meus traxerit eũ 45.98.189.b.200.b
7 Si quis credit in me, flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ folio 6.b
7 Nũ quis ex principibus credidit in

eum 15.b
8 Abraham uidit diem meum & gauisus est 41
8 Qui ex Deo uerba Dei audit 58.b
10 Si non facio opera patris mei, nolite credere mihi 3
10 Oues meæ uocem meam audiunt 58.b.104
10 Nemo eripiet è manu eius oues 64.114.b
10 Alias quoq; oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili 177.b
11 Infirmitas hæc non ad mortem, sed pro gloria Dei ut glorificetur filius Dei per eam 54
11 Expedit nobis, ut unus homo moriatur pro populo 204.b
12 Vbi ego sum illic & minister meus erit 4.b.173.b.181.b
12 Vbi exaltatus fuero à terra, omnes traham ad meipsum 1.b
13 Qui recipit quemcunque misero, me recipit 3.b
13 In hoc cognoscent omnes quòd discipuli mei sitis, si charitatẽ mutuam habueritis 72.100
13 Vos quoq; debetis inuicem alij aliorum pedes lauare 107
14 Ego sum uia, lux & ueritas 2.3 174.b
14 Nemo uenit ad patrem nisi per me 35.b
14 In domo patris mei multæ mansiones sunt 12.b.200
14 Non derelinquam uos orphanos 100.b.106.168.280
14 Iterum ueniam & assumam uos ad meipsum 4.b
14 Ego rogabo patrẽ, & alium consolatorem dabit uobis 6.b
15 Sine me nihil potestis facere 89.36.b
15 Si meum sermonem audiuerunt, & uestrum audient 177.b
15 Iam uos mundi estis propter sermonem meum 192.b
16 Meq; solum relinquetis: & non sum solus 100
16 Nunc quidem mœrorem habetis, sed iterum uidebo uos, & gaudebit cor uestrum 38.b.178.b
16 In mũdo afflictionẽ habebitis 32.b
17 Hæc est uolũtas eius qui misit me: ut omnis qui uiuit & credit, &c. 4.b
17 Ego te glorificaui super terrã 38
17 Pater, quos dedisti mihi uolo ut ubi sum ego & illi sint mecum 4.b.12.b.99.168.b
17 Hæc est uita æterna (pater) ut te cognoscant, &c. 175.b.178
18 Regnum meum non est de hoc mundo 32
19 Non habemus regem nisi Cæsarem 58.b
19 Consummatum est 39.b
20 Hæc autem scripta sunt ut credatis, &c. 2.b
ROMAN. 1. Qui declaratus fuit filius Dei cum potentia, &c. 175
2 Qui absq; lege peccauerunt, absq; lege damnabuntur 217
3 Quid enim si quidam fuerunt increduli 6.194
3 Arbitramur igitur fide iustificari hominem 192.b
3 Omnes peccauerunt & destituuntur gloria Dei, iustificantur autem gratis per illius gratiam, &c. 176.b.148.b
4 Non in circumcisione, sed in præputio 95.b.98
5 Vbi abundauit peccatum, ibi quoque abundet gratia 165.b
7 Lex enim Dei spiritualis est, nos autem carnales, &c. 51
7 Miser ego homo, quis me eripiet ex hoc corpore morti obnoxio 198
8 Si Deus pro nobis quis contra nos 4.b.96.b
8 Non accepistis spiritum seruitutis iterum ad timorem 29
8 Quos præsciuerat, eosdem & præfiniuit 178.b
8 In eodem adoptionis spiritus est datus, per quem clamamus, Abba pater 174
8 Quis intentabit crimina aduersus electos Dei 192.b
8 Neq; mors, neq; uita nos à dilectione Dei separare poterit 106
9 Non est uolentis, aut currentis, sed miserentis Dei 44
10 Corde creditur ad iustitiam, ore autem sit confessio ad salutem 29
10 Qui inuocauerit nomen Domini saluus erit 214
10 Quomodo enim inuocabunt eum in quem non credunt 16.b
10 Quomodo credẽt, nisi audierint? Quomodo audient, &c. 182.164.b
10 Quomodo prædicabunt nisi missi fuerint 165.20
10 Auditus per uerbũ Dei 202
11 Dona Dei sunt absque pœnitentia 20.10.b
11 Nam si Deus naturalibus ramis nõ pepercit, &c. 177
11 O profunditatem diuitiarum, &c. 10.b.37
12 Qui miseretur in hilaritate 48.b
12 Honore alius alium præuenientes 98
12 Gaudete cum gaudentibus, Flete cum flentibus 158.b
13 Principes non sunt terrori bene agentibus, sed male 104.b
14 Noui siquidem & persuasum habeo per dominum Iesum, nihil esse commune 194.b
15 Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinã scripta sunt 1.b
16 Mysterium absconditum à seculo 216.b
1. CORINTH. 1. Prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem offendiculum 213.b
1 Sed iisdem uocatis Iudæis pariter & Græcis, Christum Dei potentiam ac Dei sapientiã 174
2 Animalis homo non percipit quæ sunt spiritus Dei 98.b.179
3 De lacte quo Paulus Corinthios aluit 218.b
3 Ministri Dei sumus per quos credidistis 182
4 Dispensatores mysteriorum Dei 3.b
4 Quid habes quod non accepisti 88.99.b
4 Per euangelium in Christo Iesu ego uos genui 164
6 Scortatores & adulteri non possidebunt regnum Dei 59
9 Væ mihi si non Euangelizem 69
10 Fidelis est Deus, nec nos ultra quàm ferre possumus, tentari sinit 187
10 Non potestis mensæ Domini participes esse 194.b
11 Sectas esse oportet, ut qui probati sunt, manifesti fiant 190.b
13 Nunc per speculum cernimus in ænigmate, tunc autem facie ad faciem 57
14 Prophetarum spiritus prophetis subijciuntur 227.b
15 Oportet ut corruptibile hoc induat incorruptibilitatem 175
15 Vbi tuus mors aculeus 4.b.17
2. CORINTH. 1. Quotquot sunt promissiones Dei, per Iesum, &c. 174
1 Sicut abundant afflictiones Christi in nobis 205.b.159
3 Ex nobis ipsis ne ad cogitandum quidẽ idonei sumus 104.178.b
5 Nomine Christi legatione fungimur 24
5 Vnusquisque reportabit quod fecerit in corpore suo 217.57
5 Deus illum, qui non nouit peccatum, pro nobis, &c. 173.b
9 Nam hilarem datorẽ diligit Deus 48.b
GALAT. 1. Miror quod à Christo tam cito transferamini 196.190.b
1 Si angelus è cœlo aliud euangelii prædicauerit, sit anathema 211
2 Παρισάκτ☉ 20.b
3 Hoc solum cupio discere à uobis: utrum ex operibus legis spiritum accepistis 149
3 Si hominis Testamentum legitime cõfirmatum nemo reijcit, &c. 60.b
3 Non dicit & seminibus tanquam de multis, sed tanquam de uno. Ibidem
3 Lex pædagogus est ad Christum 107.b
3 Non est seruus neque liber: non est masculus ac fœmina 211.95
4 Quoniam estis filij emisit Deus spiritum

ſpiritum filij ſui in corda ueſtra 29
4 Vbi uenit plenitudo temporis, emiſit Deus filium ſuũ, &c. 145
5 Quod ſi alius alium mordetis, & deuoratis, uidete, &c. 73. 48.b
5 Vtinam & abſcindantur qui uos labefactant 196
5 Conteſtor omnem hominem, qui circumciditur, &c. 190
EPHES. 1. Quemadmodum elegit nos in ipſo, antequã iacerentur fundamẽta mundi 170.b. 95.b
1 Chriſtus in nobis operatur omnia 64
1 Simul cum eo ſedere fecit in cœleſtibus 13
4 Chriſtus aſcẽdit ſuper omnes cœlos ut impleret omnia. 13.b. 16.b
4 Cum aſcendiſſet in altum captiuã duxit captiuitatem 13
4 Dedit alios quidem Apoſtolos, alios uerò prophetas, &c. 3.b
6 Vigilate cum omni ſedulitate & precatione, &c. 67
PHILIPPEN. 2. In nomine eius omne genu flectatur 100
2 Deus eſt qui in nobis operatur uelle & facere 88. 178.b
3 Conuerſatio noſtra in cœlis eſt 13
4 Excipit autem nos perfecta ſalus, & uera beatitudo 55
COLOSSEN. 2. Expoliatos principatus et poteſtates oſtentauit palàm 13
3 Turpiloquium 5.b
THESSALONICEN. 2. Quemadmodum dominum occiderunt Ieſum, &c. 179
4 Ipſe dominus cum hortatu & uoce archangeli ac tuba Dei deſcendet de cœlo 13
5 Semper gaudete, indeſinenter orate 38.b
5 Omnia probate, quod bonum eſt tenete 211
1. TIMOTH. 2. Vnus mediator 36
2 Cunctos homines uult ad agnitionẽ ueritatis uenire 211. 180.b
3 Epiſcopus unius uxoris ſit maritus 244.b
4 Per fidem enim & gratiarũ actionem ſanctificantur cibi 48.b
5 Alienis peccatis ne cõmunices 5.b
6 Nihil intulimus in mundum, uidelicet nec efferre quicquam poterimus 99
2. TIMOTH. 2. Ὀρθοτομεῖν 218
3 Attende lectioni 5.b
3 Tu uerò aſſecutus es doctrinam meam, &c. 187. 191
3 Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata, utilis eſt ad doctrinã 169.b
4 Inſta tempeſtiue, intẽpeſtiue 114
HEBRE. 1. Sunt adminiſtratorij ſpiritus 80.b
2 Non angelos ſed ſemen Abrahæ aſſumpſit 35.b. 58
4 Nõ habemus pontificẽ qui nõ poſſit affici ſenſu infirmitatum noſtrarum 36
4 Verbum Dei eſt gladius utrinque acutus 212.b
9 Chriſtus accedens Pontifex futurorum bonorum 13
10 Non poteſt ſanguis taurorum & hircorũ auferre peccata 176.b 98
11 Fides eſt earum rerum quæ ſperantur ſubſtantia 95.b
11 At ſine fide impoſſibile eſt illi benè placere 111. 214
11 Per fidem Moſes, iam grandis, renuit uocari filius filiæ Pharaonis 104
13 Beneficentiæ & communicationis ne obliuiſcamini 46
13 Memores eſtote uinctorum, tanquam unà cum illis uincti 158
IACOBI 4. Amicitiã huius mundi eſſe inimicitiam cum Deo 9.b
1 PETRI 1. Chriſtum ab æterno præfinitum 210
4 Tempus eſt ut incipiat iudicium à domo Dei 87.b
5 Deus ſuperbis reſiſtit 164
2 PETRI 3. Vbi eſt pollicitatio aduentus eius, &c. 213
1 IOAN. 2. Quod ab initio audiuiſtis in uobis permaneat 191. 46
3 Nunc filij Dei ſumus, & nondum apparuit id quod futuri ſumus 175
4 Maior eſt qui in nobis agit, quàm qui in mundo furit 63. 114.b
4 In hoc eſt charitas, non quod nos dilexerimus, &c. 172
APOCALYP 3. Epiſtola ad Laodicenſes 212
4 Beati qui in domino moriuntur 101.b
20 Dabit enim mare mortuos, qui in ipſo ſunt, &c. 57
21 Erunt enim cœli noui ac terra noua, &c. 57
22 Deum adora 52.b

FINIS.

IN ACTA APOSTOLORUM PER DIVUM LUCAM DESCRIPTA, RODOLPHI GUALTHERI Tigurini Homeliæ.

HOMILIA I.

PRIOREM quidem sermonem fecimus, ô Theophile, de omnibus, quæ cœpit Iesus facere & docere ad eum usque diem, quo postquam mãdata per Spiritum sanctum dedisset apostolis, sursum assumptus est.



MAGNA *historiæ, etiam prophanæ, laus est, quòd eam sapientissimi quiq; testem temporum, lucem ueritatis, uitam memoriæ, magistram uitæ et nuntiam uetustatis dixerunt. Nulli tamen titulos hosce meritò & uerius tribui, certum est, quàm ei, quam ueteris et noui Testamenti libris comprehensam Spiritus sanctus ecclesiæ tradidit. Ea enim temporum exactam & infallibilem supputationem à prima mundi origine ad Christi Iesu usq; natales ducit, quæ apud omnes alios incerta & fallax habetur. Eadem ueritatis historicæ non modò lux est, sed etiam index, ad quem reliquorum historicorum scripta & fides examinari debent. Hæc rerum & uerè gestarum & ad nostram salutem uerè pertinentium memoriam nobis conseruat, & quæ in abditissimis sacro sanctæ uetustatis penetralibus habentur, nobis fidelissime nuntiat. Vitæ uerò magistra unica & sola dici meretur. Quia non exempla tantum uitiorum & uirtutum proponit, uariosq; rerum euentus, ex quibus quæ ad præsentis uitæ institutionem spectant, discamus: sed altiori uolatu sese extollens, de æterna animarum salute præcepta tradit, dei uoluntatem sanctam reuelat, promissionum & minarum dei exempla proponit, iudicia dei contra immorigeros describit, & eiusdem patrocinium, quo cultoribus suis fideliter adest, commemorat. Deniq; uniuersum dei ingenium, ceu in speculo contemplandum proponit, ut quiuis uidere possit, qualis erga nos deus esse dignetur, & quales nos uicissim exigat. Quæ nisi animo comprehendamus, frustra in omnibus aliarum gentium historijs uersabimur, quæ animum quidem inani uoluptate demulcere possunt, eundem uerò uirtutis ueræ amore & sanctæ religionis studio inflammare non possunt.* Historiæ sacræ commendatio.

Cæterum inter sacræ scripturæ libros, qui historicas rerum gestarũ narrationes continent, nullum extare puto, cuius lectio & cognitio & utilior sit & magis necessaria hoc ipso, qui de apostolorum actis inscribitur: cuius explicationem, diuinæ gratiæ auxilio freti suscepimus. Nam ut de authore Luca nihil dicam, cuius laus est in euangelio Christi, quiq; omnium ferè oculatus testis fuit (nec enim diuinæ literæ, cum diuinitus inspiratæ sint, hominum authoritate commendari debent) tanta est rerum quæ in hoc tractantur, dignitas & maiestas, ut si quem illa in huius libri admirationem & amorem abripere nequit, illum frustra humanis rationibus persuadere coneris. Ex illis ergo eas in præsenti commemorabimus, quæ totius narrationis argumentum & summam comprehendere uidentur. Libri de Actis apostolorum commendatio, & argumentũ.

Et primo quidem describitur à Luca regni Christi, quod in hoc mundo habet, initium, progressus & incrementum, de quo multa à prophetis prædicta extant. Dauid enim Christum à deo patre regem declaratum esse testatur, cuius hæreditas sint omnes gentes terræ, & eundem insulis quoq; imperitaturum dicit. Psal. 2. & 72. Zacharias regni ipsius limites à mari ad mare extẽdendos esse, uaticinatur. Zach. 9. Apud Danielem uerò mons dicitur, qui totum orbem impleat. Dan. 2. Quò etiam referri debent, quæ apud alios prophetas in hæc uerba leguntur: Temporibus postremis erit mons domus domini præparatus in uertice montium, & editior erit collibus, confluentq; ad eum omnes gentes, &c. Isa. 2. Mich. 4. &c. Prætereo multa, ne prolixior sim, quæ in hanc sententiam produci poterant. At si hæc in Christi Iesu historia, quæ ab Euangelistis descripta est, requiras, nihil aut parum inuenies, quod oraculis tam magnificis respondeat. Illi enim Christum describunt humilem, egenum, iniurijs & contumelijs quorumuis obnoxium, quiq; post infinitas calamitates in Cruce infamem mortem sustinuerit. 1. Regnũ Christi in hoc mundo.

Adhæc regni ipsius terminos perquàm angustos indicant, eò quòd huius mysteria à paucißimis tantummodò agnoscerentur. Quòd si uerò hunc librum inspicias, mox patebit uerißima esse, quæcunq; de Christi regno prophetæ prædixerunt. Qui enim contemptus & nullius precij homo uidebatur, gloriosa ascensione in cœlos de Satana et omni aduersaria potestate triumphans, ad dexteram patris considet, inde promissum antè spiritum apostolis demittit, quo illi inflammati Christum prædicare incipiunt, nec Iudææ finibus contenti, in gentes disperguntur, & inter has regnum Christi simplici euangelij prædicatione longè lateq; propagant. Ita Christus à mari ad mare regnum extendit. Ita insulæ maris regem hunc agnoscere cœperunt, & apostolorum ministerio factum est, ut ad montem hunc, super omnes colles exaltatum, imò in cœlis regnantem, omnes gentes & populi confluxerint, quod fore ipse Christus paucis ante mortem suam diebus, his uerbis prædixerat: Vbi exaltatus fuero à terra, omnes traham ad meipsum. Iohan. 12. Tamq; euidens est istud regni Christi & diuinæ in Christo potentiæ argumentum, ut nullum hoc euidentius inueniri poßit. Nec enim ullus principũ, quantumuis potens, uniuersam orbis terrarum faciem innouare tam citò potuisset, quàm paucis annis apostoli, uiles & contempti homines, Christi spiritu in ipsis operante, animis hominum nouum & incognitum antea fidei et religionis Christianæ studium inseruerunt. Nisi ergo hic liber extaret, regni Christi ueritas & maiestas, uel nulla omnino appareret, uel saltem obscura & incerta uideri poterat.

2. Ecclesiæ primitiuæ forma, & reformationis regula.

Accedit his aliud, cuius cognitio non minus utilis & necessaria est, quæ nimirum primitiuæ ecclesiæ, per apostolos fundatæ, forma & facies fuerit, secundum quam omnibus seculis ecclesia, si qui errores & abusus incidunt, reformari debeat. De qua re ut hodie paßim ab omnibus disputatur: ita paucos inuenias, qui recta uia, & per apostolos olim aperta, uelint ingredi. Quo fit, ut ueteribus erroribus nouos surrogemus, & ueteres superstitiones nouis non minus ineptis & noxijs propulsemus. Quòd si uero quæ à Luca scribuntur obseruare libeat, tam doctrinæ quàm Ceremoniarum, quas olim apostoli ecclesijs tradiderunt, certa & infallibilis ratio constabit. Docuerunt illi unum Iesum Christum, qui unicus & solus nostræ salutis author sit: ac homines, qui natura peccatores & damnationi obnoxij sunt, non alia ratione quàm fide in Iesum Christum iustificari & saluari contendunt. Imò scatet liber hic exemplis illustrißimis, quibus principalis & summus, quem modò diximus, fidei Christianæ articulus contra omnes Sophistarum & Pharisæorum cauillationes confirmatur. Quid enim ab impuris gentibus, & à repub. populi dei alienis, unquam aliud requisiuerunt apostoli, quàm ut ueteri superstitione abiecta, in Christum crederent? Nonne ex aperta idololatria conuersis salutem & peccatorum remißionem prædicarunt? Nonne tenebrionibus istis sese opposuerunt ualidißime, qui legis opera gentibus obtrudere conabantur, quasi Christus non nisi illis salutifer esset, qui per legis opera sese ad hunc præparauissent? Quòd si ergo gentibus olim fides in Iesum Christum sufficere potuit, nec legis diuinitus latæ operibus & ceremonijs aggrauari debuerunt: quid obsecro obstabit, quò minus hæc ipsa fides nobis hodie sufficiat? Vel num hominum traditiones ad iustificationem & salutem consequendum magis utiles & necessarias dicemus, quàm quæ à deo olim ad tempus correctionis usq; institutæ fuerunt? Quoad uerò ceremonias & externos ritus, nefas duxerũt apostoli, quicquã priuata authoritate ecclesijs obtrudere. Baptismum, cuius formã à Christo domino acceperant, simplicißimè tradiderunt. Cœnæ dominicæ usum & formam, qualem Christus instituerat, retinendam esse putauerunt. In reliqua uerò ecclesiæ œconomia hoc illis potißimum curæ fuit, ut salua & integra esset disciplina, qua improbos & falsos fratres coerceri Christus uoluit, & ut pauperibus dignè prospiceretur, quorum causam & curam dominus tanto studio nobis commendare dignatus est. Quæ præter hæc hodie ecclesijs sub apostolorum nomine & Canonum apostolicorum prætextu obtruduntur, pro apostolicis agnoscere non possumus: nec id nobis aliquis bonus uitio uertet, quando nullam horum mentionem Lucas facit, cuius opera & studio spiritus sanctus in apostolorum concionibus & actis consignandis uti uoluit. Ego certè spiritum sanctum nunquam uel tam imprudentem putabo, ut negligentem scriptorem tantis rebus adhibuerit: uel tam obliuiosum, ut illi quicquam eorum, quorum cognitio & obseruatio in ecclesijs necessaria est, excidere potuerit. Dicerem de singulis copiosius, nisi in historiæ tractatione recurrerent, ubi commodius de illis agi poterit. Sufficiat modò eximiam huius libri utilitatem monstrauisse, quòd ueram & infallibilem ecclesiæ reformandæ regulam exhibet, quam nisi obseruent, qui reformatores dici & haberi uolunt, reformationibus quidem carnis iudicio gloriari poterunt, ecclesias uerò

nunquam

nunquam dabunt, quas omni ex parte syncerас & uere apostolicas quisquam in sacris literis mediocriter uersatus, agnoscere poßit.

Atqui non formam modò & exemplar ecclesiæ Christi liber hic exhibet, uerumetiam quæ illius in terris hisce conditio sit, diserte docet: quam cognouisse cum primis utile & necessarium est, cum propter doctrinam & institutionem, tum propter consolationem, quæ inde ad nos redit. Videbimus enim apostolos ubiq; terrarum expertos esse, quod de cruce & persecutionibus sustinendis Christus prædixerat. Nec enim ita per ipsos operari uoluit dominus, ut sponte illorum prædicationi cederent quæ superstitiosè & impiè eòusq; in mundo obseruata erant. Sed laboribus & contentionibus illos exercuit. Et ubiuis locorum inuenti sunt, qui ipsorum doctrinæ contradicerent, iiq; non uulgares homines & obscuri, sed qui illo seculo eruditionis & pietatis nomine à plerisq; suspiciebantur, quales inter Israelitas scribæ & sacerdotes erant, & inter gentes philosophi. Nec uerbis modò actum est. Sed tantum authoritate ualuerunt ueritatis hostes, ut magistratus in suas partes pertraherent. Coram his ergo causam dicere, & illorum mandatis cum aperto capitis discrimine sese opponere coacti sunt. Profligati ergo è natali solo, exilij molestias sustinuere, terra mariq; periclitati sunt, carcerum squalore & uinculorum molestijs sunt exerciti, omnium petiti odijs & conuitijs, tandemq; morte & sanguine impositam sibi euangelizandi functionem finiuere. Hæc si expendamus, uidebimus quid nobis hodie sperandum sit, nec offendemur ulla hominum uel authoritate uel potentia, qui simili furore & conatu euangelij doctrinæ reluctantur. Rursum uerò mirificè nos consolabitur Christi fides, quam in promißis suis apostolis sanctißimam & inuiolabilem experti sunt. Promiserat enim sui spiritus suggestionem, præsens in aduersis consilium, patrocinium & defensionem contra quosuis. Quæ omnia sic præstitit, ut omni fortuna superiores, inuito mundo & mundi principe, causam suam obtinere, & commisso sibi munere feliciter omnino defungi potuerint. Nemo igitur hodie tyrannorum minis concutiatur, neminem Satanæ conatus perterreant, nemo mũdi procellis frangatur. Viuit enim adhuc Christus, & inuiolata est promißionum ipsius ueritas: quæ ut apostolis olim facta sunt, ita ad omnes extenduntur, qui in Christum iuxta ipsorum doctrinam credunt. Iohan. 17. Et sanè, si nulla alia esset huius libri utilitas, quàm una hæc, nemo non uidet quàm necessaria sit hodie eius cognitio, quando & mundi contra Christi ecclesiam horribiles conatus, & infelices ecclesiæ motus paßim oculis nostris incurrunt.

3. Ecclesiæ conditio in hoc mundo.

Præter hæc tamen omnia non exiguum eruditionis & pietatis fructum exempla nobis præbent, quibus historia hæc refertißima est. Conspiciuntur enim in hoc quasi theatro ecclesiæ apostoli uiriq; apostolici, quorum exemplo ecclesiæ Christi ministri omnes discunt qua fide & prudentia Christi causam agere, qua constantia in ueritate defendenda uti, qua morũ integritate reliquis præire, qua item fortitudine & patientia aduersam fortunam omnem superare debeant. Producuntur hîc magistratus boni & mali, ex quorum consilijs & factis, qui in magistratu uersantur, sui muneris formam sumere poßunt. Non desunt diuitum exempla, non pauperum. Habent uiri à quibus discant, & cumprimis illustria mulierum quarundam acta commemorantur, ex quibus totus ille sexus uiuẽdi regulam sumere poterit. Deniq; nullus in repub. & ecclesia hominum ordo est, quem non infinitis, & illis quidẽ proprijßimis, exemplis liber hic instituat. Et licet pauca sint, quæ in eius commendationem dixi, constare tamen ex his puto, deum singulari quodam & pretiosißimo thesauro ecclesiam suam, in hoc mũdo militantem, donare uoluisse, quando per Diui Lucæ ministerium apostolicam & primitiuæ ecclesiæ historiam conscribi uoluit. Huius bonitatem nos agnoscere, & spiritus sancti diligentiam imitari decet in ijs cognoscendis, quæ scripto hoc tam salutari comprehensa sunt, quem his uerbis Lucas orditur:

4. Exempla omnis ordinis & loci hominum.

Priorem quidẽ sermonẽ fecimus, ô Theophile, de omnibus, quæ cœpit Iesus facere & docere, &c. Priusquam rerum per apostolos gestarum narrationem incipiat, ea quæ Christus à resurrectione sua cum apostolis paulò ante ascensionem egit, commemorat. Præfatiuncula uerò utitur breui & perspicua, qua per Anacephalæosim hunc librum cum priori, qui euangelium Iesu Christi secundum Lucam inscribitur, coniungit, simulq; innuit, quid altero hoc suo libro tractare instituat. Sensus enim uerborum hic esse uidetur: Priori libro de omnibus ijs sermonem feci, quæ Dei filius Iesus Christus, dum in terris hisce uersatus est, nostræ salutis ergò egit: Nunc uerò eorũ narrationem institui, quæ postquam corpore suo è mundo hoc sese subduxit, apostolorũ suorum ministerio perfici uoluit. Et librum quidem hunc Theophilo inscribit, quem singularem aliquem Lucæ amicum, & fide insignem, fuisse, pleriq; ar-

Theophilus quis?

bitrantur. Epitheton certè, quo illum in operis sui Euangelici inscriptione ornat, κράτιστον id est præstantißimum uocando, non nisi principibus uiris conuenit. Et infra hoc ipsum Felici & Festo, præsidibus Iudeæ tribui audiemus. Fuit ergò princeps aliquis pius, quales semper Deus ecclesiæ suæ dare solet, qui illam in huius mundi palestra certantem iuuent & protegant. Nec tamen inde quisquam colligat, librum hunc non ad omnes nos pertinere. Quin potius singuli studeant se quoq; ipsos Theophilos, id est Dei amantes præbere, & Lucam sibi non minus quàm ueteri illi Theophilo loqui cogitent. Et sanè quotquot Christo credunt, per hunc Deo reconciliati, eundem ex animo & totis uiribus suis diligunt. Sed utut hæc sese habeant, non multum interest, quandò satis constat, omnem tam ueteris quàm noui Testamenti doctrinã cum primis ad omnes Dei amantes pertinere, ut inde doctrinã & consolationẽ habeant. Rom. 15. Prodest aũt pauca hæc Euãgelistæ uerba diligentius excutere.

Quomodo de omnibus scripserit Lucas.

Vbi primo occurrit, quod se de omnibus scripsisse profitetur. Potest enim uideri Lucas Iohanni contradicere, qui circa finem euangelij, abs se conscripti, ait: Sunt & alia multa quæ fecit Iesus, quæ si singula scribantur, nec ipse opinor mundus caperet eos, qui scriberentur, libros. Sed facilis est locorum conciliatio. Nec enim Lucas omnia abs se singulatim scripta esse gloriatur, sed de omnibus abs se dictum esse testatur: ijs nimirum, quorum cognitio ad salutem assequendam nobis necessaria est, & quæ sufficienti Christi Iesu cognitione nos instruere possunt. Nam licet non omnia Christi tum dicta tum facta Euangelistæ commemorent, nihil tamen fidei in Christum decedit, nec ut omnia exponerentur, opus fuit. Constat equidem Christum, qui ipsa ueritas est, sibijpsi nusquam contradixisse, sed unum & eundem in omnibus sermonibus suis finem obseruauisse. Constat ad eundem scopum omnia Christi opera tendere. Quare etsi nihil ex omnibus illis reticuissent apostoli, non tamen aliam habere possemus Christi cognitionem, non aliam fidem, quàm quæ ex ijs quæ scripta extant, discitur. Testatur hoc Iohannes, quando inquit: Multa quidem alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc: Hæc autem scripta sunt, ut credatis quòd Iesus est Christus ille filius dei, & ut credentes uitam habeatis per nomen eius. Iohan. 20. Fide in Christum nos uitam consequi Iohannes fatetur. Quia uerò fides illa ex ijs, quæ de Christo scripta sunt, plenè disci & percipi potest, nemo opinor, nisi planè impudens, negare poterit, in scripturis euangelicis perfectam salutis nostræ & fidei Christianæ doctrinam comprehendi. Arguit igitur hisce uerbis Lucas Sophistarum nostri seculi arrogantem impudentiam, qui cum ecclesiæ absq; scripturæ sacræ authoritate multa obtrusisse conuincuntur, hoc effugio sese subducere conantur, quod non omnia scripturis comprehensa sint, quæ credi & obseruari necesse sit. Quod si admittamus, uel fidem in Christum ab apostolis & prophetis imperfectè tradi, uel hanc ad salutem non sufficere, fatendum erit. At neutrum ex his Christianis auribus tolerabile esse poterit.

Christi ministerium omne operibus & doctrina continetur.

Porrò uniuersum Iesu Christi ministerium, siue munus, quod in terris gessit, duobus terminis comprehendit Lucas, Factis nimirum siue operibus, & Doctrina. Nolumus hîc de doctoris officio loqui, quem operũ exemplo præire debere, benè dicitur. Nõ enim hoc loco doctoris partes tradere uult Euangelista, sed ea proponere, quæ in Christo consyderari debent. Primum uerò locũ Operibus tribuit, quorum nomine non miracula modò intelligi debent, sed quæcunq; nostræ salutis causa, tanquam Rex & Sacerdos egit. Regem enim & Sacerdotem ecclesiæ dei datum fuisse, paßim scriptura docet, imprimis uerò Dauid, cui peculiaris de hoc promißio facta fuit, Psal. 2. & 110. Itaq; pro Regis officio leges tulit uitæ æternæ, & in mundum hunc quasi expeditione facta, aduersus Satanam communem nostri generis hostem bellum geßit, eũdem deuicit, & nos qui peccatorum laqueis constricti tenebamur, in libertatem asseruit. Adhæc plusquàm regia liberalitate regni cœlorũ thesauris omnes in se credentes abundè ditauit. Rursum uerò Sacerdotis munere defungens docuit, orauit pro omnibus, tum pro ijs quoq;, à quibus in crucem agebatur, & corpus suum atq; sanguinem, quæ à nobis sumpserat, pro peccatis nostris hostiam sufficientem & deo gratißimã obtulit. His accesserunt miracula, quibus sensus quoq; hominũ in fidei obedientiã capere, & quantumuis rudibus sui cognitionẽ persuadere uoluit. Alterũ locũ Doctrinæ tribuit, qua omniũ, quæ per Christum gesta sunt, ratio exponitur. Interim nõ temere factum putabimus, quod Opera & Doctrinam coniungens Lucas, duobus hisce terminis omnia, quæ Christũ spectant, comprehendit. Docet enim, in Christi consyderatione duo hæc necessariò coniungi debere. Nisi enim doctrinã consyderemus cũ operibus, hæc nõ plus ad salutis cognitionẽ nobis conferent, quàm alterius

rius cuiusdam, qui annis mille quingētis aut amplius nos præcessit, res gestæ conferre possent. At si doctrinam cōsyderemus, omnia hæc propter nos facta esse intelligemus, ut Christi redemptoris beneficio salus nobis obtingeret. Simul etiam operum consyderatio doctrinæ authoritatem & fidem conciliabit, eò quòd hæc de diuina Christi uirtute, adeoq; ipsa diuinitate, luculentissimum testimoniū ferunt: quod ipse Christus admonet, dicens: Opera quæ dedit mihi pater, ut perficiam ea, ipsa inquam opera quæ ego facio, testificantur de me, quòd pater miserit me. Ioan. 5. Et rursum: Si non facio opera patris mei, nolite credere mihi. Sin uerò facio, etsi mihi non credatis, operibus credite, ut cognoscatis & credatis, quòd pater in me est, & ego in eo. Ioan. 10. Arguuntur his nostri seculi pseudochristiani, qui opera quidem Christi fatentur omnia, et historica fide instructi, quæcunq; ille unquam uel fecit uel passus est, magnificè commemorare solent. Vbi uerò de fide in unum Christum collocanda & salute in unius Christi merito quærenda agitur, mox quasi prioris Confessionis obliti, aliò conuertuntur, & extra Christum infinita salutis consequendæ media confingunt. Perindè autem faciunt isti homines, quod ij, qui uel communis famæ testimonio uel amicitiæ & familiaritatis uinculo compulsi, medicorum artem splendidè prædicant, ubi uerò ipsi laborare cœperunt, illa uti detrectant, ea re abundè declarantes, se illorum arti & peritiæ prorsus diffidere. Ita isti quod ore de Christo confitentur, factis negant. Causa uerò huius tam noxiæ tergiuersationis non alia est, quàm quòd nuda Christi opera consyderant, quibus in aliquam eius admirationem rapiuntur, quæ tamen stabilis & firma esse non potest, quia doctrinæ fulcro destituitur, & operum finem ignorat. Quòd si uerò Christum docentem audirent, opera hæc ideò & facta & descripta esse intelligerēt, ut in uno hoc omnem salutis spem repositam habeamus. Huius enim uox est: Ego sum uia, lux et ueritas. Nemo uenit ad patrem, nisi per me. Ioan. 14. Quisquis bibit ex aqua elementali, uel proprijs uiribus hausta, iterum sitiet: qui autem biberit ex aqua, quam ego do, non sitiet in æternum. Ioan. 4. Venite ad me, qui laboratis & onerati estis, & ego requiem uobis præstabo. Matth. 11. &c.

Præterea non negligendum est, quòd euangelicæ historiæ terminum siue limitem Christi ascensionem Lucas constituit. Dicit enim se priori libro de omnibus dixisse, quæ Christus tum fecit tum docuit, usq; ad illum diem, quo postquam Apostolis, quos elegerat, mandata dedisset, assumptus est in cœlos. Hinc colligimus, Christum gloriosa in cœlos ascensione omnes nostræ redemptionis & salutis partes impleuisse. Nam supra docuimus, euangelio perfectè tradi, quæ saluti nostræ seruiunt. Quia ergo in hoc postremum locum ascensio Christi obtinet, eandem omnium, quæ ad nos saluandos necessaria erant, Colophonem fuisse certum est. Hoc si teneamus, luce clarius patebit, nos corporali Iesu Christi in terris præsentia posthac non opus habere. Quid enim in terris ageret, qui iam olim quæ agenda erant, fideliter simul & plenè præstitit? Spiritu, gratia, merito, doctrina, consilijs & protectione Christi nobis opus est, quæ ille nunquam à suis aufert, & ea ratione sicut promisit, cum illis est usq; ad consummationem seculi. Matth. 28. Idem uerò fidem illis adhibere prohibet, qui ipsum corporaliter præsentem alicubi monstrare audent. Matth. 24. Sed quia de his paulò post commodior erit disserendi locus, ubi Ascensionis historia tractabitur, paucula hæc in præsenti sufficiant.

Ascensio Christi euangelicæ historiæ terminus.

Illud nunc obseruandum uenit, quòd non antè terras hasce deserere uoluit Christus, quàm mādatis suos instruxisset apostolos. Neq; enim de unico illo mandato hunc locū intelligo, quo ne ab Hierosolymis discederent præcepit, priusquā spiritum promissum accepissent. Sed uniuersaliter de omnibus illis mihi Lucas dicere uidetur, de quibus Christus suos admonere uoluit, et imprimis quidem ijs, quæ ad apostolici muneris functionem pertinebant, de qua infra plura adhuc sequentur. Est autem hoc consolatione plenum, quòd Christum, licet corpore absentem, ecclesiæ suæ curā minimè deposuisse constat. Boni enim et fidi patrisfamiliâs officio in præsenti fungitur, qui peregrè profecturus, familiæ suæ curam amicis, quorum fides ipsi perspectissima est, committit, simulq; quid singuli domesticorum interea dum ipse abest faciant, præcipit. Ita Christus in cœlos ascensurus, ecclesiæ suæ curam apostolis commendauit, quos amicorum loco se habuisse in euangelio testatur. Eosdem uerò mandatis instituit, ne uel temeritate uel inscitia peccare possent. Faciunt ad huius loci expositionem parabolæ, quæ Matth. 24. & 25. habentur. Nemo itaq; sese tyrannis & seductoribus ita prædæ expositum putet, ut nullo Christi præsidio munitus, illorū crudelitati & libidini per omnia subiaceat. Qui enim oues suas proprij sanguinis precio redemit, & earundem curam, è mundo discessurus, apostolis cōmisit, eas haud

Christi cura & studium pro ecclesia.

dubie nunc quoq; uidet, nec illas è manu sua eripi patietur. Ioan. 10. Interim & institutioni hoc ipsum seruire debet. Qui enim discessurus mandata dedit, ea re se aliquando rediturum non obscurè testatur. Præparemur ergò ad ipsius aduẽtum, semper uerborum Christi memores, quibus ait: Sint lumbi uestri præcincti, & lucernæ accensæ, & uos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando reuertatur à nuptijs, ut cùm uenerit ac pulsauerit, confestim aperiant ei. Beati serui illi, quos cùm uenerit dominus, inuenerit uigilantes, &c. Luc. 12.

Apostolorum & doctrinæ eorundem authoritas.

Priusquam uerò sermoni finẽ imponamus, quædã in his excutienda restant, quæ apostolicæ doctrinæ dignitatem authoritatemq; nobis commendant. Primũ in his est, quòd illos à Christo electos dicit. Loquitur autem de speciali electione, qua non modò in saluandorũ numerũ cooptati, sed in eum quoq; finem & usum destinati fuerunt, ut diuinæ gratiæ, per Christũ collatæ, præcones, & (ut Paulus nominat) mysteriorum Dei dispensatores essent. 1. Cor. 4. Deinde hos à Christo mandata quoq; accepisse dicit. Vt enim principes legatis literas mandatorias (quas nostrates Instructiones uocant) expediũt, quibus non modò rerum agendarum memoria conseruatur, uerumetiam legatis fides & authoritas conciliari solet: ita Iesus Christus suos legatos mandatis instruere uoluit, ut quid illi agere deberent omnibus compertum esset. At quia multi Christum Iesum, ut nudum hominem, consyderant, nec in Apostolis quicquam uulgari hominum conditione excellentius obseruant, addit Lucas, mãdata hæc per spiritum sanctum data esse. Hæc si omnia in unum conferamus, diuinum, non humanum, patebit negotium esse, cuius executio Apostolis commissa fuit. Patebit item, doctrinam ipsorum ad Christum authorem debere referri. Nam Christi nomine legatione funguntur, ut Paulus monet. 2. Cor. 5. Et Christi testimonio commendantur, dicentis: Qui recipit quencunq; misero, me recipit. Ioan. 13. Item: Qui recipit uos, me recipit: & qui me recipit, recipit eum qui misit me. Matth. 10. Nostrum ergò est fratres, ut de Apostolorum functione & doctrina rectè iudicemus, & ineffabile Dei beneficium, quod horum prædicatione nobis offert, gratis animis agnoscamus, ac fide uera amplectamur. Sic enim fiet, ut immortali illo diuini uerbi semine regenerati, uitam filijs Dei dignam degamus, & illius præsidio ex mundi huius immanibus procellis erepti, æternum in cœlis uiuamus cum filio Dei, domino nostro & saluatore unico, Iesu Christo, cui debetur benedictio, honor, gloria et potestas in æternum. Amen.

HOMILIA II.

Quibus [apostolis Iesus] etiam seipsum exhibuit uiuentem, postquam passus erat, idq; compluribus argumentis, dum per dies quadraginta ab illis conspicitur, & disserit de regno Dei.

Apostolica historia euangelicæ coniungẽda.

DIuus Lucas de Apostolorum actis scripturus, eam narrationem cum euãgelica historia, ut heri diximus, connectit. Facit hoc non temere, sed spiritus sancti consilio, & suggestione admonitus, qui sublimius quiddam hac connexione nos docere uoluit. Hinc enim patet, apostolicam historiam ab euangelica nullo modo separari uel disiungi debere, et quæcunq; per apostolos in euãgelij ac regni Iesu Christi propagatione facta sunt, nõ minus ad Christũ authorẽ esse referẽda, quàm ea, quæ is in propria persona gessit, cũ corpore adhuc in terris ageret. Constat enim apostolos nihil priuato consilio uel proprijs uiribus egisse, sed ut electa Christi organa, illius spiritu ad quæuis agenda fuisse impulsos. Docet hoc ipsius Christi uerba, dicẽtis: Non uos estis loquẽtes, sed spiritus patris mei, qui in uobis est. Matt. 10. Et alibi spiritũ pollicetur, qui omnẽ ueritatem, adeoq; rerũ agendarum cõsilia suggerat, Ioan. 14. Quò Paulus respiciens Corinthijs ait: Num experimentũ quæritis loquẽtis in me Christi? 2. Cor. 13. Non inanis autẽ est horum cognitio, eò quòd & institutioni et cõsolationi multũ seruiunt. His enim testimonijs docemur, apostolorũ doctrinæ & scriptis nos tutò credere posse, nõ modò quia Iesu Christi legati sunt (Nã legatos aliquãdo παραπρεσβεύειν uidemus) sed quia Christi spiritu instructi, illo suggerente & mouente suã functionẽ obierunt. Consolatio uerò non uulgaris est, quòd ecclesiã Christo curæ esse cernimus. Qui enim olim corpore discessurus apostolos reliquit, quorũ ministerio illa cõgregaretur, idem omnibus seculis spiritus sui dona distribuẽs, ecclesiæ suæ dat alios quidem apostolos, alios uerò prophetas, alios autem euãgelistas, alios autẽ pastores ac doctores ad instaurationem sanctorum in

opus

opus administrationis, in ædificationẽ corporis sui, &c. Ephes. 4. Cæterũ quia in hesternis Lucas ascensionis Christi in cœlos meminerat, inde occasione sumpta, ultimũ Christi actum, quẽ paulò ante ascensionem habuit, commemorat: eò quòd is institutæ narrationi plurimum seruiebat. Et in præsenti quidem duo proponuntur, de quibus Christus cum discipulis suis tractauit, quorum alterum est, Resurrectionis assertio diligens, alterum Institutio siue doctrina de regno dei. Nos de utroq; quantum dominus dederit, dicemus.

I. Resurrectionis Christi assertio.

Atqui in resurrectionis ueritate asserenda paucis quidẽ sed ijs grauissimis uerbis utitur. Ille enim Iesus (inquit) qui antequàm moreretur multa in terris fecerat et docuerat, is inquã, postquàm passus fuit & mortuus, sese uiuentẽ denuò exhibuit discipulis, & seipsum quidẽ, non alium, nec alio assumpto corpore, sed hoc ipso, in quo passus erat. Nec obiter tantũ, & quasi aliud agens, se illis exhibuit, sed se reuera uiuere, ac uero suo corpore, quo antea in terris usus erat, uerè resurrexisse, multis argumentis & infallibilibus demonstrationibus cõprobauit. Loquitur autẽ de illis Lucas, quæ in Euangelij historia de rebus Christi post resurrectionẽ gestis copiosius describuntur. Primum inter illa locũ apparitiones tenent, ut quòd Mariæ Magdalenæ in horto prope sepulchri locũ hortulani habitu uisus, et ab illa agnitus est. Ioan. 20. Et paulò post reliquis etiam mulieribus à sepulchro redeuntibus occurrens, illis & salutem dicit, & suam resurrectionem fratribus suis, ac imprimis quidem Petro, annunciare iussit. Matth. 28. Mar. 16. Rursum duobus discipulis Emauntem proficiscentibus sese comitem itineris adiunxit, & post longam disputationem, cùm iam mensæ accubuissent, se illis agnoscendum præbuit. Luc. 24. Et post multas eius generis apparitiones, tandẽ plus quingentis fratribus (ut Paulus testatur) apparuit. 1. Cor. 15. Cæterum quia oculorum sensus ut plurimum fallit, & notæ sunt dæmonis præstigiæ, quibus incautos apparitionibus falsis sæpe dementauit, non uidendũ modò, uerumetiam contrectandum suis sese præbuit dominus. Timentibus enim, ne satanica aliqua illusione aut spectro fallerentur, ait: Videte manus meas, & pedes meos, quia ego ipse sum. Contrectate me & uidete, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me uidetis habere. Luc. 24. Non ergo formam modò pristini corporis, uerumetiam substantiam & partes, adeoq; carnem & ossa, Christus à mortuis resurgens assumpsit. Et ut certius esset eius rei argumentum, non tantùm contrectari sese passus est, sed etiam ne quid superesset dubij, cibum petijt, & spectantibus discipulis manducauit. Non quidem ea ratione, quòd corpora, quæ in resurrectione clarificata sunt, cibo & potu refici & ali opus habeant (quia enim ab omni corruptione libera sunt, generatione etiam nulla indigent) sed ut omnibus testatum faceret, se omnes organici corporis partes retinere. Clarificatio enim nec substantiam nec partes corporis tollit, sed corruptionem & affectiones, quæ ex peccato in corporibus obortæ sunt, aufert, & iuxta Pauli sententiam, quod corruptibile fuerat & mortale, incorruptibile, immortale, gloriosum & cœlestis uitæ capax resurgat. 1. Cor. 15. Facit uerò ad resurrectionis Christi assertionem & temporis circumstantia. Nec enim uno aut altero die hæc inter discipulos egit, sed quadraginta diebus continuis cum illis conuersatus est, & singulis quidem diebus eiusmodi resurrectionis suæ argumenta præbuit.

Corpus clarificatum non est ubique.

Fuerunt hæc copiosius paulò & diligentius recensenda, fratres in Christo dilecti, eò quòd omnibus seculis reperti sunt, qui uel resurrectionem Christi in dubium uocare, uel corporis resuscitati ueritatem aliquo modo exinanire conati sunt. Nec desunt hodie, qui Christi corpus clarificatione ita mutatum & conuersum esse contendunt, ut iã nullo loco certo contineri opus sit, sed ubiq; præsens esse queat. Nec aliam habent sui illius dogmatis causam, quàm quòd corporalem Christi in Cœna præsentiam tueri student. Non autem uident interea contentiosi homines, se dum corporalem præsentiã statuunt, corporis Christi ueritatem negare, & ita sponte abijcere id, pro quo ardentissime tanquam pro focis & aris depugnant. Si enim corporaliter in Cœna Christus præsens est, aut corpus eius loco contineri oportet, aut nõ magis in Cœna quàm ubiuis alibi à nobis reperiri & percipi poterit. Qua autẽ ratione fieri poterit, ut certo loco cõtineatur, quod multis in locis simul est? Rectius ergo hæc D. Augustinus perspexit, qui locorum spatia à corporibus adeò nõ separari posse uidit, ut si illa auferas, corpora amplius nõ dici mereantur. Spatia locorũ (inquit) tolle corporibus, nusquã erunt: & quia nusquã erunt, nec erunt. Tolle ipsa corpora qualitatibus corporum, non erit ubi sint, & ideò necesse est, ut non sint. Idem Augustinus in hac causa ad Christi diuinitatẽ & omnipotentiã confugientibus, egregiè respondet, cùm ait: Cauendum est, ne ita diuinitatem astruamus hominis, ut ueritatẽ corporis auferamus.

Sed de his alibi plura dicentur. Nunc ad eas causas explicandas transeamus, quæ Christum, ut sui corporis resurrectionem tam multis assereret, mouerunt.

1. Resurrectio regnum Christi asserit.

Prima hic mihi esse uidetur, regni Christi maiestas & certitudo, quam resurrectione comprobari oportuit. Quia enim Christum Iesum uerè mortuum & sepultum esse constat, quod et Iudæi fatentur, nisi eundem uerè à mortuis resurrexisse constaret, uanißima haberentur quæcunq; de illius regno extant testimonia. Quis enim hunc super montem Sion, id est, ecclesiam dei regem constitutum crederet, quem mortuum esse certò sciret, resuscitatum uerò esse nesciret? Quis ad dextrā patris illum sedere, & hostibus suis tanquā pedum scabello uti confidat, de cuius uita incertus est? Nisi ergo Christi Iesu resurrectio nobis perspectißima sit, illum nec regem agnoscere, nec in illius regno quicquam præsidij uel auxilij sperare poterimus. Nec dubium est, Apostolos hac fiducia omnes mundi minas contempsisse, & imposito munere tanta constantia fuisse defunctos, quòd illum mortis uictorem agnoscebant, & in cœlis regnare nouerant, qui ipsos sui Euangelij ministros fecerat.

2. Resurrectio Christi Apostolicæ doctrinæ fidem asserit.

Secundam assertionis huius tam diligentis causam arbitror Apostolorum doctrinā atq; functionem, cuius certitudinem contra mundi iudicia fortiter astrui oportebat. Quod uerò illius efficacius argumentum inueniri potuit, quàm gloriosa ac omnibus nota Christi, quē illi prædicabant, resurrectio? Quòd si obscurum aliquem & ignotum omnibus hominem prædicassent, non immerito suspecti esse poterant. Quis autem nunc de illorum doctrina dubitet, qui eum annuntiant atq; docent, qui potenti resurrectione mortis imperium contriuit, ac omni aduersaria potestate superata regnum in cœlis sempiternum obtinuit? Huius equidem consyderatio facilè nobis fidem facit, ut Christum Iesum suo spiritu in Apostolis locutum esse credamus, & quæ illi tradiderunt, totis animis amplectamur.

3. Resurrectio Christi salutis nostræ cardo, &c.

Tertiò, Christi resurrectionem testatißimam esse oportuit, eò quòd in hac uniuersus nostræ redemptionis & salutis cardo uersetur. Illum enim in Euangelio frequēter resurrectionem & uitam æternam nobis polliceri legimus. Qui sermonem meum audit, & credit ei qui misit me, habet uitam æternam, & in iudicium non ueniet, sed transiuit à morte in uitam. Ioan. 5. Hæc est uoluntas eius, qui misit me, ut omnis qui uidet filium & credit in eum, habeat uitam æternam, & ego suscitabo eum in nouißimo die. Ioan. 6. Et alibi dicit: Ego sum resurrectio & uita. Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, uiuet: & omnis qui uiuit, & credit in me, non morietur in æternum. Ioan. 11. Quid multis? Non alia nobis in Christum credendi causa est, quàm quòd tam corporum quàm animarum uitam in illo nobis deus paßim pollicetur. Quis uerò uitam in eo inueniri putaret, qui seipsum in uitā asserere non posset? Ne ergo Christi morte offensi, de illius promißionibus dubitaremus, tertio statim post mortē die reuixit, & uero corpore resuscitatus, se nostra quoq; corpora resuscitandi ius & potestatem habere declarauit. Qui enim cùm iuxta humanam naturam uerè mortuus et sepultus esset, seipsum excitare potuit, nónne multò magis iam uiuens & regnans, nos è mortuis reuocare, & in terram uersis corporibus nostris uitam restituere poterit? Eodem & aliæ Christi promißiones pertinent, quæ illius resurrectionem flagitabant. Ait enim: Vbi ego sum, illic & minister meus erit. Ioan. 12. Et alibi: Iterum ueniam & assumam uos ad meipsum, ut ubi ego sum & uos sitis. Ioan. 14. Item: Pater, quos dedisti mihi, uolo ut ubi sum ego, & illi sint mecum, ut uideant gloriam meam. Ioan. 17. Quid uerò promißiones istæ tam magnificæ aliud quàm mortem nobis denuntiare poterant, nisi à morte Christus resuscitatus in cœlis uiueret? Sic enim necessariò concludendum fuisset: Vbi Christus est, ibi erunt & ministri ipsius, qui in illum credunt. Atqui Christus mortuus & sepultus in morte mansit. Ergo & ministri ipsius in morte maneant oportet. Argumētum uerò hoc, desperationis plenum, Christi resurrectio ualidißime confutat, & contra mortis minas & inferorum terrores sic argumentari docet: Vbi Christus est, ibi & ministri eius erunt. Christus mortuus à morte resurrexit, & in cœlos subuectus ad dextram dei patris considet. Ergo & ministri Christi à mortuis resurgent, & in cœlis cum Christo rege suo æternum uiuent. Quæ si penitius inspecta animis suis recondant fideles, mox cum Paulo Apostolo Christi fiducia animati tam morti quàm omni aduersariæ potestati insultare audebūt & dicere: Vbi tuus ô mors aculeus? Vbi tua ô inferne uictoria? Si deus pro nobis, quis contra nos? Persuasum siquidem habent, quòd neq; mors neq; uita, ipsos separare poßit à dilectione dei, quæ est in Christo Iesu domino nostro. Vide locos 1. Cor. 15. & Rom. 8. cap. Accedit his, quòd mors, quæ peccati stipendium atq; pœna est, non aliter quàm resurrectione uinci poterat. Quoad enim illa mortuos detinebat, quos semel è

uita

uita sustulerat, uires illius nequaquam confractæ & attritæ uideri poterant. Atqui illam uinci oportebat, siquidem humano generi libertas è peccatis & salus debebat obtingere. Quis enim de peccatorum remißione & reconciliatione cum deo patre certus esset, regnante adhuc morte, quam deus iratus peccati pœnam constituerat? Christum Iesum igitur mortis iugum excutere, & è sepulchro suscitari necesse fuit, ut certò constaret & mortem deuictam, & peccatum (qui mortis aculeus erat. 1. Cor. 15.) sublatum, & humano generi salutem ex integro restitutam esse. Non temere ergo factum est, quòd Christus suæ resurrectionis ueritatem tot tamq; euidentibus argumentis asserendam putauit. Et hæc causa maxima est, quòd eandem ueteres prophetæ, spiritu Christi instigati, prædixerunt, ut cùm alibi, tum Psal. 16. & Isa. 53. cernitur. Hanc certè piorum omniū spem præcipuam fuisse & summum Confeßionis & fidei articulum, ex quo catholici & ueri cultores dei semper agniti & probati sunt, Iobi exemplo discimus, qui ab amicis nimium importunis uiolatæ fidei & religionis accusatus, hoc uno se innocentem esse probat, quòd radicem & fundamentum salutis firmum credat. Quod uerò illud fundamentum, & quæ illa radix est? Noui (inquit) & ego, quòd uindex meus uiuit, qui nouißimo tempore adhibebit uim suam pulueri. Postquam uerò corpus hoc mea cute circumdederit, spectabo deum è carne mea. Quem ego mihi contemplabor, & oculi mei uidebunt, & non alius: quod unicum meum est desyderium. Vide Iob. 19. cap.

Contra resurrectionis illusores.

Docet locus hic, quid de resurrectionis illusoribus iudicari debeat, quales omnibus seculis fuisse historiæ probant, & nouißimo seculo regnaturos Apostoli prædixerunt. 2. Pet. 3. Et audiuntur paßim hodie prophanæ ac impiæ uoces eorum, qui tum demum se egregios congerrones & ciuiliter facetos censent, si quicquid de nouißimo Christi aduentu & corporum resurrectione creditur, scurrilibus iocis exagitent. At hi nullo alio argumento euidentius, quàm uno hoc, se ab omni religione alienos esse, probare poterant. Ita enim in hoc articulo omnia fidei & religionis capita conueniunt, ut qui hunc negarint, omnem fidem & omnia humanæ salutis mysteria semel sustulerint. Sensum hunc ex Pauli uerbis accepimus, qui contra eos scribens, qui apud Corinthios resurrectionem negabant, inter alia inquit: Si Christus prædicatur à mortuis resurrexisse, quomodo dicunt quidam inter uos, non esse resurrectionem mortuorum? Equidem si mortui non resurgunt, ne Christus quidem resurrexit. Quòd si Christus non resurrexit, superuacanea & inanis est fides uestra, adhuc estis in peccatis uestris. Igitur & qui in Christo obdormierunt, perierunt. Et si in hac uita spem in Christo tantum fixam habemus, maxime miserabiles omnium hominum sumus, & c. 1. Cor. 15. Procul ergo arcendi sunt impij isti illusores, & locus negandus talibus in bene ordinatis rebuspub. Quid enim intentatum relinquent, qui salutis nostræ fundamentum tam audacter euertere conantur, & quasi uno ictu, quantum in ipsis est, omnem fidem atq; religionem iugulant?

Resurrectionis meditatio & usus.

Discamus autem in resurrectionis meditatione rite uersari, ut ea & uitæ gubernandæ & consolationi seruiat. Efficacißimum enim hoc est contra carnis & mundi illecebras antidotum, si nouißimi iudicij simulachrum, in scripturis propositum, crebro ob oculos & in mentem reuocemus. Rursum nulla Christiano homini efficacior cōsolatio obtingit, quàm cùm in resurrectione mortuorum in hoc ipso corpore cœlestis uitæ gaudia sese percepturum cogitat, quod nunc infinitis molestijs, curis & doloribus conficitur. Paulus certè Christianos hortatur, ut ijs sese mutuò consolentur, quæ de hoc articulo in scripturis tradita extant. 1. Thess. 4.

II. Regnum dei explicatur.

Restat, ut de altero illo dicamus, quod Christus in ultima illa cum discipulis conuersatione tractauit. Locutus est (inquit Lucas) de regno Dei. Vsitatus uero ille scripturæ mos est, ut nostræ redemptionis & salutis negotiū regni Dei uel cœlorum nomine appelletur: eò quòd hic unicus illius finis & scopus est, ut quoad hìc uiuimus dei spiritu regamur, & hac uita exempti, cum deo uiuamus & regnemus in cœlis. Quæcunq; ergo ad huius rei mysteria pertinent, Christus diligenter & ordine certo exposuit. Huius uerò initium à nobis sumitur. Ante omnia enim, quo nam in regno nascamur & uersemur, antequam nobis Christus illucescit, nouisse oportet. Nisi enim peccatores nasceremur, & propter peccatum regno diaboli atq; inferorū essemus obnoxij, nulla in nobis regni dei instauratione opus esset. At quia tam misera est nostra conditio, filium Dei dari oportuit, qui peccata nostra in se transferens, illa corporis & sanguinis sui sacrificio in ara crucis expiaret, & spiritus sui operatione nos per immortale uerbi sui semen regeneraret in filios dei. Quæ regeneratio ueteris hominis mortificationem

& uitæ totius innouationem gignit, & facit, ut qui antea satanicis suggestionibus & corruptis affectibus regebantur, sub fidei obedientiam redacti, toti à deo & uerbo ipsius pendeant. Et hoc illud dei regnum est, quod per filium suum inter nos instaurauit, & pro cuius instauratione, iubente Christo, oramus dicentes: Adueniat regnum tuum. Necesse uerò fuit, huius regni mysteria Apostolis diligenter explicari, eò quòd communi Iudæorum errore decepti, terrenum in Christo regnum imaginabantur, in quo honores, opes & uictorias, & pacem huius seculi sperabant, quod crebræ illorum de primatu contentiones abunde docent. Matth. 18. & 20. Luc. 22. &c.

Ministris exacta institutione opus est.

Porro non oscitanter Christi exemplum obseruare decet, qui apostolos, ad euangelij prædicationem & ecclesiæ suæ ministerium destinatos, tanta diligentia & studio in regni dei cognitione erudire & docere uoluit. Atqui hos cum illo triennio ferè toto uersatos, concionibus ipsius interfuisse, & miraculorum omnium spectatores, ad prædicandum deniq; missos fuisse legimus. Voluit ergo admonere dominus, docendi prouinciam in ecclesia non temere à quouis suscipi, nec etiam cuiuis sine diligenti examine committi debere. Si enim res pretiosæ, quarum custodia difficilis & periculosa est, non cuiuis committuntur, nec illas, quicunq; sapit, apud se temere deponi patitur: quantò maiori cura & studio hic opus est, ubi de ecclesia Christi & animarum salute, quas proprio sanguine filius dei redimere dignatus est, agitur? Num uerò aliquid his pretiosius inueniri poterit? Quàm difficilis autem & periculi plena sit harum conseruatio, non ignorare potest, qui nostræ carnis infirmitatem, mundi illecebras & communis nostri hostis artes perspectas habet. Atqui dei uox est, quæ Ezechieli olim denuntiata, ad omnes ecclesiæ ministros pertinet: Sanguinem pereuntium de manu tua requiram. Ezech. 3. & 33. Huius frequenter meminisse debent, qui Theologiæ candidati, munus hoc aliquando subituri sunt, ut ardentius sacrarum literarum lectioni incumbant, & in regni dei mysterijs inuestigandis indefesso studio desudent, ne fortè ignorantia decepti in functione hac perperam aliquid committant. Paulus equidem periculi, quod hic maximum subest, non immemor, Timotheum, quem à puero sacras literas didicisse fatetur, grauiter urget, ut lectioni sedulò incumbat. 2. Tim. 3. & 1. Tim. 4. Debent huius etiam meminisse, quorum ea est authoritas in ecclesia, ut ministros eligere & ordinare possint, ne ineptos eligendo ecclesiam dissipent, cuius cura ipsis maximè cordi esse debet. Nec enim leuis est error, qui hic committitur: quia & dissipationis in ecclesia authores sunt, & alienis peccatis communicant, ut Paulus non obscurè monet. 1. Tim. 5. Vtinam obseruarent hæc, qui ecclesiæ ministerium paupertatis asylum fingentes, illud non nisi priuati commodi & uentris causa inuadunt, uel nullo maturo consilio adhibito, sed cæcis affectibus ebrij, ecclesijs ineptissimos homines, & interdum palàm improbos ac omnis disciplinæ osores obtrudunt.

Christianorum colloquia sint de regno dei.

Postremò, Christi exemplo discimus, quæ & qualia Christianorum colloquia esse debeant. Sancta nimirum, & quæ morum emendationi pietatiq; seruiant. Christus enim de regno dei cum apostolis colloquitur. Ad huius exemplum intenti, de regno dei & salutis nostræ per Christum partæ negotio frequenter disseramus. Excutiamus diligenter naturæ nostræ corruptionem, & ut hanc alij quoq; intelligant, elaboremus. Meditemur & prædicemus Christi in nos beneficia. Repetamus officium, quo is nos sibi totos obstrinxit. Fugiamus uicissim colloquia praua, quæ bonos mores corrumpunt, Paulini dicti memores, qui turpiloquium inter ea recenset, propter quæ uenit ira dei super omnes inobedientes. Col. 3. Et illud Christi nunquam non occurrat, qui de omni uerbo otioso nos rationem reddituros esse dicit in die iudicij. Matth. 12. Faxit deus, ut in regni sui meditatione crebrò uersantes, terrena fastidire, cœlestia amare, carne mori, & spiritu uiuere discamus, ut olim in cœlis uiuere & regnare detur cum Iesu Christo, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA III.

Et congregatis illis, præcepit, ne discederent Hierosolymis, sed expectarent promissum patris. De quo (inquit) audiuistis ex me: Quia Ioannes quidem baptizauit aqua: Vos autem baptizabimini spiritu sancto post dies hosce non multos.

Argumentum & usus præsentis loci.

QVoniam apostolos in eum finem Christus delegerat, ut ipsorum ministerio salutis doctrina in omnes gentes disseminaretur, necesse fuit, ut ipsi priores probè instituerentur in omnibus ijs, qu

quæ ad illorum munus spectabant. Qua in re ut nihil intermisit Christus, quem nostræ salutis sitientissimum esse constat: ita diuus Lucas postremam ipsius cum apostolis conuersationem magna diligentia describit, partim quidē ut Christi studiū nobis innotescat, partim uerò ut ostendat quę nam uerbi ministris maxime necessaria sint. Et primò quidem resurrectionis suæ ueritatem multis argumentis per dies quadraginta asseruit. Quia enim hæc salutis nostræ fundamentum est, nihil in euangelij prædicatione profecerit, quicunq; illam non probè habuerit perspectam & cognitam. Secundo loco regni dei mysteria exposuit: tum ut opinionem, ex communi errore de terreno Christi regno conceptam, animis illorum eximeret: tum ut intelligerent, quo modo & ordine salutis & fidei negotium per euangelij prædicationem mundo prædicari debeat. Cohæret duobus hisce tertium, promissio nimirum de spiritu sancto, quam & in præsenti repetit, & illius ueritatem, ne subito ipsius è terris discessu toti consternarentur, graui testimonio cōfirmat, simulq; de loco & tempore, quæ hic illis obseruanda erant, admonet. Est autem insignis locus, cuius diligens consyderatio tam institutioni quàm consolationi plurimum seruit.

Principio de loco admonet, dum præcipit, ne ab Hierosolymis digrediantur, sed illic patris promissum expectent. Hierosolymorum ergo urbs negotio omnium maximo destinatur, quo nullum unquam salutarius & excellentius in orbe terrarum contigit. Et ut in ea dei filius corporis & sanguinis sui sacrificio humani generis salutem reparauit: ita ibidem apostolos spiritu suo illustrari & euangelicæ prædicationis initium fieri uoluit. Erit hic quod cum stupore admiremur, si urbis huius statum consyderes. Illa enim ipsa ciuitas est, de qua tam dira & horrenda pronuntiauit Christus Dominus. In illam dicitur quod extat Matth.23. Hierusalem Hierusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te mittuntur: quoties uolui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & tu noluisti? Et cùm in Galilæa agens de insidijs ab Herode sibi structis admoneretur, respondet, fieri non posse, ut propheta alibi pereat, quàm Hierosolymis. Luc.13. Nec illa tantum de ciuitatis illius peccatis recenset, sed eidem interitum & excidiū non semel denuntiat. Matth.23. & 24. Luc.19. Quam ergo causam fuisse putabimus, quæ Christum, ut sceleratam urbē, & exitio proximam, tantæ rei & tam sanctæ destinaret, impulit? Nō alia certè quàm irrefragabilis dei ueritas, cuius promissiones fallere non possunt. A prophetis olim prædictum erat, salutis prædicationem hinc orituram. Temporibus nouissimis (aiunt prophetæ) erit mons domus domini præparatus in uertice montium, & editior erit collibus: confluentq; ad eum omnes gentes, & proficiscentur multi populi, dicentes: Adeste, & ascendamus ad montem domini, ad domum dei Iacob, & docebit nos de uijs suis, ambulabimusq; in semitis eius: quoniam de Zion exibit lex, & uerbum domini de Hierusalem. Isa.2. Mich.4. Vbi non prætermittendum mihi uidetur, cuius Suetonius, quamuis ethnicus author & Christianis malè propitius, in Vespasiano meminit, in toto Oriente ueterem & constantem opinionem fuisse, in fatis esse, ut Iudæa profecti rerum potirentur. Quod oraculum ipse quidem, utpote homo prophanus, de Vespasiano interpretatur, qui Iudaico bello strenuè res gerendo ad imperium sibi & filijs aditum fecit. Rectius autem de apostolis exponemus, qui ex Iudæa oriundi, in Hierosolymorum urbe euangelicam prædicationem exorsi, postea totam Iudæam doctrina sua repleuerūt, tandemq; ex Iudæa in omnes gentes dispersi, totum orbem Christo subiecerunt. Hæc quia à deo patre decreta esse, Christus ignorare non potuit, apostolos Hierosolymis discedere uetat.

Hierosolymis euangelij prædicationis initium fit.

Interim nostræ tam consolationi quàm institutioni plurimum seruit horū consyderatio. Hinc enim constat, dei promissiones aliquorum hominum improbitate & impietate non in uniuersum irritas fieri siue aboleri. Quid enim (inquit Paulus) si quidam fuerunt increduli? Num illorum incredulitas fidem dei faciet irritam? Absit: imò sit deus uerax, omnis autem homo mendax. Rom.3. Debet hoc imis animis recondi, quia frequenter fieri uidemus, ut uniuersali ferè omnium hominum impietate & incredulitate conspecta, ab omni nostræ salutis spe deijciamur, quasi aliorum impietas nobis etiam fraudi sit. Quæ tentatio grauissima est, & ut deum uel nimiæ seueritatis, uel etiam iniustitiæ insimulat: ita in pietatis cursu quàm maxime remoratur. Cur enim in illo pergat, qui semel in animum induxit, quod ipsi unà cum maiori impiorum numero sit pereundum? Hic ergo nos contra armari necesse est. Nullis autem armis ualidioribus poterimus instrui, quàm si cogitemus, deum suos nouisse, utut ingens impiorum turba sit. 2. Timoth.2. Et apud prophetam, se eo in nos affectu præditum esse fa-

Multorum impietas dei promissa non facit irrita.

tetur, quo matres ex utero suo prognatos infantes prosequuntur. Isa. 49. Et quia iustus uniuersæ terræ iudex est, non perdit pium cum impio, id quod pater credentiũ Abraham probè obseruauit. Gen. 18. Rursum, quia & sapientissimus est & omnipotens, facilè inter pios ac impios discernere, & his quidẽ meritas pœnas immittere, illos uerò tueri potest. Quò referri debet, quod Baptista Christo uentilabrum tribuit, quo aream suam purgat, & paleas à tritico discernit. Matth. 3. Extant huius rei exempla undiq. Nouit Lotum in medijs Sodomis dominus. Idem patriarcharũ curam habet inter Chananæos uersantium, licet illi diuina sententia excidio iam essent destinati. Ita in præsenti apostolos suos nouit, & quoscũq. Hierosolymis ex electorũ suorum numero habuit: nec illis fraudi est aliorum corruptio & impietas, qui numero & authoritate præualebãt. Eadẽ ergo ratione & nos hodie pro suis agnoscet & saluabit, modò ab iniquitate discedamus, & uita exprimamus Christiani nominis professionẽ.

Impios nulla iuuat maiorũ gloria uel prærogatiua.

Ad uitæ uerò institutionem facit, quòd Hierosolymorum exemplo discimus, nulla uel maiorum gloria & authoritate, uel nominis prærogatiuã, eos contra dei iudicium defendi posse, qui impij & deo ingrati esse pergunt. Si quæ enim unquam urbes gloria & potentia insignes fuerunt, inter has facilè sibi primatum Hierusalem uendicat. Nam ut omittam, quòd per annos circiter quadringentos septuaginta septem in populo dei regni simul & sacerdotij sedes fuit, quòd regnum ad Euphratem usq. extendit, quòd fortissimos reges, sanctissimos sacerdotes, & prophetas diuinissimos peperit: unum hoc omnem mundi gloriam longè superat, quòd illam ecclesiæ Christi Iesu typum & exemplar deus facere dignatus est. Eo enim nomine tot præconijs apud prophetas & in Psalmis illustratur. Ideò in Zion Christus regnaturus dicitur. Psal. 2. Ideò ciuitatẽ magni regis illam scripturæ appellant. Psal. 48. Matth. 5. Accedit uerò ad gloriam hanc, quòd in eadem & spiritum sanctum accipiunt apostoli, & diuinis auspicijs salutarem euangelij prædicationem primùm aggrediuntur. Num uerò omnis hæc gloria illam ex manu irati dei & imminenti excidio liberare potuit, cùm beneficiorum & præceptorum dei immemor, nec maiorum uirtutibus responderet, nec deo sese gratam & obedientem exhiberet? Imò, quia eos potius ex patrum numero imitari placuit, qui diuina & humana iura uiolauerant & prophetarum sanguinem effuderant, non Dauidis (qui primus illic sedem regno & templo constituerat) pietas, non Solomonis sapientia, non Iosaphati integritas, non Ezechiæ fortitudo, non Iosiæ zelus, non prophetarum sermones quibus personuerat, non miracula per Christum & apostolos edita, non illic inchoatum euãgelij præconium, obstare potuit, quin intra quadraginta annos tota funditus excinderetur, & solo æquata uix aliquod urbis tantæ monumentum post se relinqueret. Et quod Hierosolymis contigisse dicimus, hoc ipsum & Capernaum (peculiaris illa ciuitas domini) & Corozain & Bethsaida apostolis alumnis præclaræ, senserunt. Vide Matth. 11. Desinant ergo auitis maiorum uirtutibus & antiquis Dei beneficijs gloriari, qui ingratitudine & inobedientia dei iram prouocare non desinunt. Nisi enim uerbi dei audientes, eiusdem beneficijs respondeant, eandem cum infaustis Iudææ ciuitatibus sortem subibunt.

Spiritus sanctus promissum patris.

Porro ut ad Christi institutum reuertamur, quid apostoli in Hierosolymorum urbe facere debuerint, uidendum est. Iubet autem ut ibi expectent promissum patris. Quo nomine spiritum sanctum intelligit, quem patris promissum uocat, tum quòd à solo deo patre & uerè promittitur & datur, tum autem quòd ille per prophetas non semel pollicitus erat, se in aduentu Messiæ spiritum suum super homines liberaliter effundere uelle, quemadmodum Petrus infra ex Ioele docebit. Interim suas quoque promissiones ipsis in animum reuocat, quæ passim in euangelio extant. Si quis credit in me (inquit) sicut dicit scriptura: flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ. Iohan. 7. Quæ uerba de spiritu sancto, quem in Christum credentes accepturi erant, intelligi debere, Euangelista ibidem docet. Et alibi ait: Ego rogabo patrem, & alium consolatorem dabit uobis, ut maneat uobiscum in æternum, spiritum ueritatis, quem mundus non potest accipere. Iohan. 14. Item: Paracletus ille, qui est spiritus sanctus, quem pater mittet nomine meo, ille uos docebit omnia, & suggeret uobis omnia quæcunq. dixi uobis. Et rursum Iohan. 15. Cùm uenerit paracletus, quem ego mittam uobis à patre, spiritus ueritatis qui à patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Et paulò post: Cùm uenerit ille, qui est spiritus ueritatis, ducet uos in omnem ueritatem. Iohan. 16. Quia ergo & pater olim per prophetas spiritum hunc filijs sui Iesu Christi cultoribus promisit, & eundem Christus pro mediatoris & intercessoris officio nobis à patre impetrauit, rectè patris promissum dicitur.

Venit

Venit autem hic obseruandum, quòd Christus Iesus discipulos suos iam olim ecclesiasticæ uel euangelicæ functioni destinatos, & longo tempore abs se fidelissime institutos, non illico ad muneris huius administrationem exilire patitur, sed obedientiam exigens, promissum à patre spiritum expectare iubet. Docemur hoc Christi exemplo, diuinorum præceptorum obedientiam cum primis à uerbi ministris requiri. Aequum enim est, ut qui alios ad obedientiam fidei (qui euangelicæ prædicationis scopus est, 2. Cor. 10. Rom. 1. & 26.) adducere debent, ipsi priores obedientiæ assuescant, nec quicquam sine Christi imperatoris sui nutu atq; præcepto faciant. Ita enim non tam doctrina quàm proprio exemplo obedientiæ studium auditoribus persuadebunt. Euangelij ministri obediant dei præceptis.

Præterea admonet locus hic, non sufficere ministris uerbi, si rerum cognitione & eruditione instructi sint, nisi spiritus sancti donum accedat. Quia enim nemo uenit ad Christum nisi à patre cœlesti trahatur, frustra docendo & monendo instabunt qui ecclesiarum antistites sunt, nisi spiritum sanctum suis studijs & laboribus cooperantem habeant. Vidit hoc Paulus apostolus, qui ecclesiam dei agricolationem uocat, & nec eum qui plantat, nec eum qui rigat, quicquam esse fatetur, sed omnem huius functionis effectum & gloriam uni deo transcribit, qui incrementum dare solus potest. Præparatione ergo per spiritum sanctum ministris opus est, ne dum sine huius auspicijs tãtum onus suscipiunt, non sibijpsis modò, uerumetiam toti ecclesiæ malum dent. Nec unquam huic muneri idoneus erit, qui non efficaces intra animum suum spiritus sancti motus experitur. Hinc præparationes illæ prophetarum in scripturis leguntur, quales sunt, quæ Isaiæ, Ieremiæ, Ezechielis & aliorum prædicationem præcesserunt. Quæ causa uidetur, quòd neophytos ad ecclesiæ ministerium admitti Paulus prohibet, eò quòd tales plerunque de spiritus sancti operatione & præsenti auxilio non satis certi esse possunt. Cæterum quod de uerbi ministris dicitur, ad omnes quoque alios referri debet, qui rebus arduis & ad publicam multorum salutem pertinentibus destinati sunt. Quorum in numero non postremum locum obtinent, qui in magistratu uersantur, & iudiciorum dei interpretes, dij nominari in scripturis solent. Quid enim illi uel rectè prospicere uel iudicare poterunt, nisi spiritus sancti uirtute praui affectus, qui transuersos abripiunt, coherceantur? Vel quæ nam rerumpublicarum incolumitas esse poterit, quæ non dei spiritu, sed carnali prudentia reguntur, quando omnem felicitatem ab uno deo dependere constat? Obseruauit hoc sapientissimus mortalium Solomon, qui cùm optionem inter ea quæ maximo in pretio inter homines habentur, sibi diuinitus offerri audiret, omnibus alijs contemptis, sapientiæ spiritum à deo petijt, & ueræ quidem illius sapientiæ, quam in Prouerbiorum libro describit, cuius initium & radix est timor domini. Atqui utinam in huius rei meditatione frequentes essent, qui hodie ecclesiarum & rerumpublicarum habenas moderantur. Ea enim & ad preces ac pietatis studium ardens accenderet, & uerbi dei audientiores redderet, unde non posset non uera & solida emanare populi, qui ipsorum fidei commissus est, incolumitas. Euangelij ministri spiritu sancto opus habent. 1. Cor. 3.

Priusquam uerò ab hoc loco digrediamur, duo excutienda restant, quæ ex promissione spiritus sancti, apostolis facta, non sine fructu elici possunt. Primò enim hinc constat, apostolicæ doctrinæ authorem esse spiritum sanctũ, & proinde illam, non humanam, sed diuinam censeri debere. Quia enim docendi munus accepto demum spiritu sancto subierunt, qui iuxta Christi promissionem, omnem ueritatem illis suggessit, ad eundem certè spiritum omnis illorum doctrina referri debet. Hinc tanta eius agnosci debet dignitas & authoritas, quantum illi Christus tribuit, dum prædicatum discipulos emittens, ait: Qui uos audit, me audit: qui autem uos spernit, me spernit. Luc. 10. Quo ipso argumento Paulus mihi animatus dixisse uidetur: Si angelus è cœlo prædicauerit uobis euangelium præter id, quod prædicauimus uobis, anathema sit. Gal. 1. Nam quantacunq; sit angelorum maiestas & gloria, ea tamen si cum spiritu sancto, per quem illi creati sunt, conferantur, nullius momenti fuerit. Habemus itaque hoc loco quod illis respondeamus, qui ubi humanas traditiones à nobis reijci & damnari audiunt, apostolos quoque homines fuisse clamant, & hoc uno euinci posse confidunt, uel apostolorum quoque doctrinam reijci debere, uel aliquem humanis traditionibus locum in ecclesia esse relinquendum. Atqui homines fuisse apostolos non ignoramus. Quia uerò non ut homines locuti sunt, nec humanæ mentis cogitationes inter docendum exposuerunt, sed dictante in cordibus ipsorum spiritu sancto salutis & regni cœlorum mysteria nunciarunt, illorum dogmata inter humanas traditiones nullo modo censeri merentur. Apostolica doctrina ex spiritu sancto exorta.

b

Nil docendum nisi quod spiritus sanctus dictauerit.

Secundò admonet locus hic, nihil in ecclesia doceri & prædicari debere nisi à spiritu sancto traditum. Dei enim domus est ecclesia, in qua unius patrisfamiliâs uox audiri, & ad huius præscriptum omnia institui debent. Et ut sponsa unius sponsi iussis obtemperat, nec casta censebitur, si amatorum & impudentium procorum uel blanditijs uel promissis aures præbeat: ita cum fidelium ecclesiam dei filius proprio sanguine ablutam sibijpsi desponderit, nosq́; (qui coniugij propriissimus finis est) bonorum suorum omnium fecerit consortes, minimè admittendum erit, ut aliam uocem sequamur, quàm quæ sponsus Christus nos ad sese inuitat. Adhæc quia oues sui gregis nos fecit Christus, & salutem nostram proprij sanguinis dispendio redemit, illius uocem nos sequi, non alienam & mercenariam audire, conuenit. Ioan. 10. Nec illorum opinio recipienda est, qui uenia dignum errorem censent, si in salutis & fidei doctrina non malo instituto quicquam immutent, modò in omnibus unius dei cultum solicitè spectant. Nam ut concedamus tales habere zelum dei, quia tamen scientia ueritatis destituuntur, deo non magis placere poterunt, quàm Iudæi olim, qui zelo dei inflammati, propriam iustitiam stabilire nitebantur, eam uerò reijciebant, quàm in filio suo nobis deus per fidem amplectendam offert. Et sanè, si noster zelus in tanta re sufficeret, superuacaneum erat, apostolos spiritus sancti missionem expectare. Quin ergo prorumpebant ad euangelizandum, & pio animi proposito tradebant quæcunque ad dei cultum & Christi gloriam pertinere uidebantur? Sed Christi præceptum obstabat, qui ut alibi abs se tradita prædicare iussit (Matth. 10. & 28.) ita non sine spiritu duce ipsos prædicandi munus subire uult, ne uel humanæ sapientiæ consilijs, uel corruptis carnis affectibus seducti exorbitarent. Atqui eodem præcepto ueteres prophetas obstrictos fuisse legimus, in quibus spiritum Christi locutum esse Apostolus non obscurè testatur 1. Pet. 1. Ieremiæ equidem dicitur: Ecce ego posui uerba mea in os tuum. Ierem. 1. Et Ezechiel audit à deo: Audies uerbum ex ore meo, & disertè monebis eos ex me. Ezechiel. 3. & 33. Impia ergo & Cyclopæa illorum temeritas est, qui sibi permissum putant, nouos fidei articulos statuere, & humanæ rationis ductu inuentas traditiones ecclesijs obtrudere. Et quis obsecro fidelem paranymphum dixerit, quicunque sponsam, ut suis legibus & iussis obtemperet, solicitare non uereatur? Ex dei igitur ore doctrinam suam omnem excerpant, qui in ecclesia docendi munere funguntur. Loquitur is nobis in scripturis per spiritum suum. Has ergo legant, & errare non poterunt.

Promißionis Christi confirmatio, argumento à baptismo ducto.

Cæterum ad Christi uerba, unde digressi sumus, reuertamur. Is enim præcepti sui causam redditurus ait: De quo audiuistis ex me. Quia Ioannes quidem baptizauit aqua: uos autem baptizabimini spiritu sancto post dies hosce non multos. Habent uerba hæc promissionis confirmationem & consolationem cumprimis necessariam. Vt enim multa erant alia, quæ apostolos in sui muneris consyderatione solicitos reddere poterant: ita non leuis timendi causa erat, ne ex mora & diuturniori spiritus sancti cunctatione aliquid incommodi oboriretur. Quapropter ut omnem metum eximat, promissiones suas repetit, non ijs quidem uerbis, quibus apud Euangelistas comprehensæ sunt, sed talibus, quæ etiam Ioannis Baptistæ hac de re sententiam in animum reuocare poterant: id quod factu erat ualde necessarium, propter summam, qua apud omnes pollebat, Ioannis authoritatem. Nec absurdum uideri debet, Christum Iesum (qui alibi ab homine testimonium non accipit, Ioan. 5.) promissioni suæ argumento, ab Ioannis & baptismi authoritate ducto, fidem facere uoluisse: quando hic dei mos est, ut nostri captus imbecillitati sese accommodet, & Ioannem ex spiritu sancto locutum esse constat. Hic ergo uerborum Christi mihi sensus esse uidetur: Si quæ & ipse non semel pollicitus sum, & quæ ex Ioanne præcursore meo audiuistis, memori mente reuoluatis, de spiritus sancti missione dubitare amplius non poteritis. Is enim cùm ad se uenientes baptizaret in Iordane, non sibi, sed mihi populum colligebat, quem se præstantiorem esse ingenuè fatebatur, & quid ipse in me credentibus collaturus essem, monebat, spiritum uidelicet sanctum, qui & adoptionis spiritus est ac salutis arrhabo, & credentes mirifico ardore regni mei prouehendi accendit. Huius beneficij per me olim conferendi symbolum erat aquæ baptismus, quem cùm non sine numinis ductu ab Ioanne acceperitis, nolite dubitare de ijs quæ idem uobis pollicitus est. Vt enim suo officio erga uos Ioannes defunctus est, & aqua tinctos in mei corporis, id est ecclesiæ, consortium assumpsit: ita ego quoque quod mearum est partium non minus fideliter exequar, ut spiritum meum liberalissimè in uos effundam, cuius signaculum iam olim accepistis. Hic sensus (inquam) Christi instituto præ alijs conuenire uidetur. Nec

Christus hoc loco inter suum & Ioannis baptismum externum distinguere uoluit. Quia unum baptismum esse constat & Ioannis & Christi, cùm hic ab illo baptizari uoluerit. Potius ergo inter rem signatam & signum distinguit, interq; suum & Ioannis officium. Spiritus sancti uerò missionem baptismi nomine appellat per allusionem & propter analogiam, quæ in Sacramentis inter signa externa & res signatas cernitur. Cæterum habemus in his duo consyderatu dignissima.

Distinguendum inter ministros & Christum.

Primò, distinguendum esse inter ministros & Christum, cuius illi ministri sunt, ne his tribuatur quod solius Christi est. Ioannes aqua baptizat, Christus uerò spiritum sanctum largitur. Minister ergo circa externa occupatur, dum uerbum prædicat, monet, hortatur, increpat, consolatur, dum pro ecclesia preces fundit, & sacramenta administrat. In animos uerò hominum nihil illi iuris est, ut illos pro suo arbitrio formare siue flectere possit. Sed uni Christo subiacent, qui in illis per spiritum suum pro bona sua uoluntate uerbi semen uiuificat, motus sanctos operatur, consolatione exhilarat, totos deniq; ad dei imaginem reformat. Nec obstat, quòd omnia hæc ministris interdum tribuuntur, & quòd Paulus se Corinthios in Christo genuisse, & Galatas se denuò parturire dicit. Quia enim deus, qui nostri minimè indigebat, hominibus cooperarijs uti dignatur, ut maior sit ministerij abs se instituti authoritas, illud eiusmodi titulis ornare consueuit. Quæ causa est, quòd idē Paulus Corinthijs, quos ministris nimium addictos esse uidebat, ait: Quis est Paulus? quis Apollo? nisi ministri per quos credidistis, & ut cuiq; DOMINVS dedit. Ego plantaui, Apollo rigauit, sed DEVS dedit incrementum. Itaq; neq; qui plantat est aliquid, neq; qui rigat, sed qui dat incrementum, deus. Hæc si obseruentur, & ecclesiæ ministerium dignè æstimabimus, & Christo tribuemus omnem nostræ salutis gloriā, pro qua spiritus ipsius passim in scripturis tam constanter dimicat.

Sacramenta dei promissiones obsignant.

Secundò cumprimis memorabile est, quòd Christus à baptismo argumentum ducit, quo apostolis suæ promissionis fidem facit. Docemur hîc, Sacramenta dei promissiones & beneficia sic obsignare, ut nullus dubitationi locus supersit. Nec enim inanibus signis & promissionibus nos ludit deus, sed quæcunq; uerbo pollicetur, & sacramentis obsignat, uerè nobis præstare solet. Promittit autem per euangelij prædicationem peccatorum remissionem in Iesu Christi nomine & adoptionis spiritum, quo in filios dei regeneremur. Promissioni baptismum signaculi instar addit, quo tincti uisibiliter in externam ecclesiæ Christi uel filiorum dei societatem cooptamur. Quisquis ergo euangelicæ promissioni crediderit, de peccatorū suorum remissione & adoptione sua ac cœlestis hæreditatis possessione tam certus est, quàm certò se baptismi lauacro tinctum esse nouit. Simili ratione euangelio docemur, Christi carnem & sanguinem in ara Crucis pro mundi uita data & immolata esse, ut mundi peccata immaculati agni sacrificio expiarentur. Promissioni huic Cœnam suam, mortis suæ commemorationem, Christus signaculi loco adiunxit. Quicunq; igitur euangelio credit, tam certus est Christi corpus & sanguinem pro suis peccatis immolata esse, tamq; certo corporis & sanguinis Christi merito cibatur ad uitam æternam, quàm certò scit, se pani & poculo dominicæ mensæ ex Christi institutione participare. Et hac ratione Sacramenta fidei iustitiam obsignare, fidem confirmare & alere dicuntur: non quòd externa symbola uim quandam occultiorem ex Consecrationis uerbis concipiant, sed efficacia illa propter Christi institutionem toti illi actioni sacræ tribuenda est, quam si uel tollas, uel contra Christi institutum immutes aut uioles, Sacramentum prorsus euertisse & prophanauisse diceris. Sursum ergo tollendæ mentes, ut quod externa actione testamur, fide quoq; peragamus, quæ sola & Christum, & quæ ille in nos contulit, beneficia percipere potest, & eorum numero aggregat, qui in cœlis cum Christo regnaturi sunt: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA IIII.

Illi igitur quum conuenissent, interrogabant illum, dicentes: Domine, an in tempore hoc restituis regnum Israeli? Dixit autem illis: Non est uestrum nosse tempora & articulos temporum, quos pater in sua ipsius potestate constituit. Sed accipietis uirtutem, cum spiritus sanctus aduenerit super uos: & eritis mihi testes tam Hierosolymis quàm in tota Iudæa, & in Samaria, & usq; ad extremum terræ.

CAPVT I.

Argumentum & usus præsentis loci.

Postquàm non sine magna diligentia Diuus Lucas exposuit, ut saluator noster Iesus Christus apostolos, quos totius orbis doctores esse uolebat, omnibus illis instruxerit, quorum cognitio & usus ipsis in muneris sui administratione necessarius erat, tandem ad gloriosam Ascensionis Christi historiam transitum parat. Præmittit uerò illi narrationi postremnum actum, qui Christo cum discipulis intercessit, in quo illos & consolatur, & de officio ipsorum, cuius rationem hucusque minus perspexisse uidebantur, euidentius & plenius disserit. Occasionem uerò de his disserendi Christo ipsi discipuli præbuerunt, dum crassam regni Christi ignorantiam ineptissima & multis modis absurda quæstione produnt. Et quia locus hic multiplicem rerum cumprimis necessariarum cognitionem continet, neminem uel studij uel temporis pigere debet, quod in singularum partium consyderatione erit impendendum. Et primò quidem discipulorum quæstionem, deinde uerò ut Christus illi responderit, uidebimus.

Causa erroris apostolorum.

Quæstionem paucis uerbis proponunt, sed quæ multiplicem ignorantiam & ruditatem incredibilem arguant. Domine (inquiunt) an in tempore hoc restituis regnum Israeli? Quærunt autem de terreno & carnali regno, quale commune Iudæorum uulgus ex prophetarum oraculis sinistrè intellectis exoriturum sperabat. Nam Dauidi dominus dixerat: Quum exacti fuerint dies tui, dormierisq; cum patribus tuis, excitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, regnumq; eius firmabo. Et firmabitur domus tua & regnum tuum perpetuò coram facie tua, firmumq; erit solium tuum perpetuò, &c. 2. Sam. 7. Item: Semel per sanctitatem meam iuraui, haudquaquam Dauidem fefellero. Semen eius in æternum erit, solium eius coram me ut Sol perstabit. Firmum ut Luna manebit, quæ est æternus in æthere testis. Psal. 89. Et rursum: Ecce dies uenient, dicit dominus, ut excitem germen iustum Dauidi, regnabitq; rex, & prudenter rem geret, & faciet iudicium & iustitiam in terra. In diebus eius saluabitur Iuda, & Israel habitabit tutò, &c. Ierem. 23. Omitto infinita alia, quæ in hanc sententiam passim apud prophetas & in Psalmis extant. Hæc uerò cùm secundum literam acciperent discipuli, terrenum regem ex Dauidis posteritate proditurum credebant, qui Israeliticam gentem, è Romanorum tyrannide liberatam, auitæ libertati restitueret, regnumq; constitueret uictorijs & triumphis clarum, quale olim Dauidis & Solomonis temporibus fuerat. Quo errore etiamnum hodie Iudæi fascinati, Iesum Christum, uerum Dauidis filium, aspernantur, & Messiam, qualem modò descripsimus, uanissima spe expectant. Idem error, quia quasi per contagium, discipulorum quoque mentes obsederat, quæstionem hanc ualde ineptam loco & tempore importunissimo proponunt, insigne documentum dantes, quid ijs eueniat, qui in scripturis oscitanter uersantes, in solo cortice hærent, nec ad ipsam medullam uel nucleum sancto studio contendunt.

Error apostolorũ multiplex.

Sed præstat circumstantias omnes excutere, ut uideas tot ferè in quæstione hac errores, quot uerba contineri. Primò insignis error est, quòd de regno terreno quærunt, cùm Christus toties illos de cruce ferenda admonuisset. Ipsum dicentem audiuerunt: Si quis uult post me uenire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Matth. 16. Ecce mitto uos ut oues in medium luporum. Tradent enim uos in concilia, & in conciliabulis suis flagris cædent uos: quin & ad principes ac reges ducemini, in testimonium ipsis ac gentibus. Matth. 10. Si me persecuti sunt, & uos persequentur. Alienos à synagogis facient uos. Et ueniet tempus, ut quisquis interficiat uos, uideatur cultum præstare deo. Ioan. 15. & 16. Item: In patientia uestra possidebitis animas uestras. Luc. 21. Hæc (inquam) & multa alia huius generis ex Christo audiuere. Nihilominus tamen omnium immemores, terrenum regnum somniant, in quo se quoque rerum dominos fore sperant. Arguit hoc in illis & ambitionis malum & ignauum timorem, quo perculsi aduersa & crucem imminentem horrent, ac regnare cupiunt priusquàm de regno, ut bonos milites decet, certauerint.

Deinde in hoc quoque reprehendendi sunt, quod de Christi regno quærentes, Israelis sollus mentionem faciunt, nihil de aliarum gentium salute soliciti. Atqui ueteres scripturæ, Christũ saluatorẽ non in Israele solo, sed in toto orbe regnaturum docent. Illi enim dicitur: Ego constitui regẽ meum super Zion montem meum sanctũ. Postula à me, daboq; gentes ut sint hæreditas tua, & terminos terræ ut sint possessio tua. Psal. 2. De eodem quoque intelligi debent quæ Psal. 72. legimus: Imperitet à mari ad mare usque, & à flumine usq; ad terminos terræ. Coram illo procumbant accolæ deserti, & inimici eius puluerem lingant. Reges mediterranei maris & insularum munera adferant, reges Scheba & Seba honoraria

noraria adducant. Et adorent eum omnes reges, omnes gentes seruiant ei, &c. An non ergo notabilis discipulorum error est, quod de solius Israelis regno sciscitantur? Ita enim & Christo multum derogant, cuius regnum tam angustis terminis includunt: & in reliquas gentes uehementer iniurij sunt, quarum salus ipsis commendatißima esse debebat.

His si fontem mali omnis conferas, & quo affectu moti quæstionem hanc moueant, inquiras, grauißimam adhuc culpam deprehendes, cuius reos illos paulò post Christus facit: curiositatem uidelicet, quam nemo absq; graui numinis offensa sequi, & cui nemo absq; ingenti salutis iactura satisfacere potest. Nec enim de regni restitutione simpliciter quærunt, sed temporis articulum scrutantur, quo regnum illud (quod fore nequaquam dubitabant) constitui debeat. At quàm multa alia restabant, quorum inquisitio ipsis & utilior erat & magis necessaria? Quin potius de suo officio interrogant, & quia Christum in terris principum more regnaturum confidunt, quæ ipsis in regno illo munia obeunda sint, sciscitantur? Cur non suam industriam, sua studia, curas, uigilias & labores ad Christi regnũ prouehendum alacriter offerunt? Sed est hoc curiositatis malum, ut de ijs, quæ nihil ad nos pertinent, uehementer soliciti, ea facilè negligamus, in quibus omnis nostri officij ratio uersatur.

Diligentius autem & prolixius in Apostolorum errore inuestigando uersamur, non quòd uolupe sit illos cum contemptu traducere & diffamare, quorum labor & fides postea in salutis regno longè lateq; propagando clarißimè eluxit, & quibus gratias debent immortales quicunq; illorũ doctrina Christi cognitionem adepti sunt. Sed in hoc sumus, ut nostræ carnis & corruptæ naturæ ingenium discamus agnoscere, qui primus salutiferæ illius & ueræ sapientiæ gradus est. Et solet in eum usum scriptura frequenter horribiles sanctißimorum hominum lapsus commemorare, ut in illis eluceat, quàm facilis omnibus nobis ad peccatum & damnationem ruina accidere poßit, nisi fideli & continua dei cura & spiritus ipsius manuductione sustentemur. Quid enim de se sperabit amplius, qui Dauidis, uiri iuxta cor dei, adulterium & atrox homicidium, Solomonis sapientißimi regum omnium polygamiam nimisq; uxorium animum, Petri fœdum lapsum, & hic omnium apostolorum simul collectorum tam multiplicem errorem uiderit? Fatendum utiq; erit, nos ex nobis ipsis non esse idoneos, ut uel cogitemus aliquid boni, nedum faciamus, sed omnes bene agendi facultates nobis ab uno deo contingere, qui in nobis operatur & uelle & facere pro bona sua uoluntate. 2. Cor. 3. Phil. 2.

Sanctorum lapsus nostram corruptionem arguunt.

Præterea, quo animo Christum & doctrinam ipsius amplectantur, qui spiritu Christi non ducuntur, præsenti hoc apostolorum exemplo patet. Quemadmodum enim isti de cœlesti Christi regno parum soliciti, terrenum regnum expectant, & in hoc magnarum opum, potentiæ, gloriæ & uoluptatum spem animo conceperunt: ita plerosq; cùm Christi meritum, & in hoc libertas nobis restituta prædicatur, affectos uideas hodie, ut in sola terrena bona intenti, sub Christi prætextu honores, opes, pacem publicã & alia eius generis quærant, nulla interim cœlestium & æternorum bonorum ratione habita, quæ sanguinis sui merito nobis Christus acquisiuit. Vt interim de impuris illis, Epicuri de grege porcis, nihil dicam, qui Christianam fidem profeßi hoc unum agunt, ut omni sanctioris uitæ disciplina abiecta, effrenem peccandi licentiã sectentur. Certè qui nostro seculo inter optimos haberi poßunt, sub plausibili pacis & concordiæ prætextu non rarò à fidei simplicitate discedunt, & in hominum gratiam multa & concedunt & faciunt, quæ à Christi præceptis alienißima sunt: quasi uerò mundi studium cum Christi uero cultu coniungi poßit, & non uerius multò Iacobus pronunciet, amicitiam huius mundi esse inimicitiam cum deo. Iacob. 4. Est autem hæc maxima fidei & religionis pestis, quæ licet interdum egregio fuco & prætextu sese celet, tandem tamen horribili cum iactura salutis & multorum offendiculo erumpit. Ex hac enim πρόσκαιροι, id est, præmaturi & nimium præcoces enasci solent, quos dominus apud Matthæum per terram petricosam adumbrat. Nam ut hæc semen quidem excipit & confestim in lucem profert, illud ipsum uerò ad maturitatem & frugem aliquam proferre nequit, quia humoris expers est, quo illud contra torrentes Solis æstus defendat: ita isti homines, quum priuati alicuius commodi spem ex euangelio conceperunt, illius miro studio flagrare uidentur, Christum nunquam non in ore habent, & pro illius gloria cum quouis pugnare paratos sese gloriantur. Ast ubi spes illa fallit, & præter spem crucis æstus incumbit, atq; exilium, paupertas, periculaq; omnis generis sese offerunt, mox tanquam angue conspecto resiliunt, atq; omni fide fideiq; simulatione abiecta, ne uocibus quidem temperant, quibus se improbè deceptos conqueruntur, & in apertos ueritatis hostes degenerant, qui paulò

Quid in Christo quærant carnales.

ante illius propugnatores putabantur. Ne quid ergo tale & nobis contingat, Christum & doctrinam eius rectè nos æstimare conuenit. Quæramus in illo cœlestia bona, quæ æternæ saluti seruiunt. Quoad uerò hic uiuimus, crucem & afflictiones omniuarias nos manere putemus. Ita fiet, ut nec spe frustremur, quæ nobis in cœlo reposita est, nec cruce & afflictionibus offendamur, ad quas patienter ferendas nos iam olim præparauimus.

Inueteratos errores tollere difficile est.

Accedit his alia adhuc ex apostolorum errore utilitas. Docet enim horum exemplum, quàm difficile & laboriosum sit inueteratos errores hominum animis eximere, in quibus & ipsi consenuerunt, & publico multorum exemplo confirmantur. Nam ut paulò ante dictum est, uetus & communis hic fuit de terreno Messiæ regno Iudæorum error, in quo corrigendo Christus Iesus plus ferè quàm uspiam alibi laborauisse legitur. Quoties enim hoc errore seducti de primatu contendunt apostoli, toties illos humilitatis admonet, & longè aliam sui regni, quàm mundi huius, rationem esse testatur. Vide Matth. 18. & 20. Luc. 22. Nec semel à resurrectionis die in hanc disputationem incidit. Cum enim duobus Emauntem euntibus, erronea hæc opinio offendiculi occasionem præberet, & illum crucifixum ac mortuum esse quærerentur, quem ipsi Israelis redemptorem fore sperauerant, Christus respondet: O stulti & tardi corde ad credendum omnibus, quæ locuti sunt prophetæ. Nónne hæc oportuit pati Christum, & intrare in gloriã suam? Luc. 24. Adhæc suprà Lucas monuit, Christum per quadraginta dies cum apostolis conuersatum esse, & cum illis de regno Dei, adeoq; de omnibus sui regni mysterijs disseruisse. Vnde ergo hoc est, quòd toties explosa & fortissimè confutata quæstio denuo profertur? Non aliunde profectò, quàm ex corrupto nostræ naturæ ingenio, quæ ut errores facilè imbibit, ita eosdẽ pertinacissimè retinet. Et quod ethnicus poeta dixit, Naturam expellas furca, tamen usque recurrit, hic maximè locum habet. Sic Israelitæ olim, Aegyptiorum idololatriæ assueti, ad uituli cultum relabuntur, licet terrificam Dei concionantis, & omnem imaginum usum prohibentis, maiestatem non multis antè diebus uidissent. Hinc etiam pertinax illa excelsorum superstitio in libris Regum tam diu seruata mihi uidetur, quam ne pijssimi quidem reges in uniuersum tollere potuerunt. Et utinam non hodie etiam exempla extarent, quæ quod dicimus luculentissimè comprobarent. Est uerò huius considerationis usus, ut partim discamus, quàm referat in reformationibus radicitus euellere quæcunq; alicuius erroris uel speciem uel occasionẽ præ se ferunt: partim uerò æquiores simus ijs, qui cum ueteribus superstitionibus bellum perpetuò gerunt, quando omnium seculorum exemplis compertum est, nullam diligentiam hac in re nimiam, & nullum studium superuacaneum esse posse.

Christus curiosam discipulorum quæstionem reijcit.

Porrò tempus mihi postulare uidetur, ut Christi responsionem explicemus, quæ duabus partibus constat. Prima apostolorum quæstionem, ceu ineptam & responsione indignam, reijcit: altera uerò regni sui rationem clarius explicat, & ita quidem, ut & apostolos formidulosos consoletur, & quo officio ipsi in suo regno functuri sint, exponat. Ad primam partem hæc uerba pertinent: Non est uestrum nosse tempora & articulos temporum, quos pater in sua ipsius potestate constituit. Et initiò quidem nihil de regno suo, nec aliquid aduersus falsam ipsorum de suo regno opinionem dicit, quia & alibi multis hoc egerat, & spiritus sancti aduentus instabat, qui omnem ueritatem ipsos erat docturus. Perinde autem uerba hæc sonant, ac si diceret: Sæpe quidem de meo regno disserui, nec quicquam, ut uideo, hucusque potui proficere. Sed esto, in fatis esset, ut regnum, quale uos somniatis, in Israelitica gente constituerem, uestra tamen curiositas reprehendi meretur, qui temporis articulum inquiritis, de quo nihil me unquam disseruisse audiuistis, & quem uos in patientia & spe expectare decebat, non autem inutili & confidenti temeritate Dei reuelationem anteuertere. Sunt hæc Christi uerba diligenter obseruanda. His enim ingenij humani audacẽ curiositatẽ coheret, & Christianæ sapientiæ terminos describit, quos transilire nephas est. Quia enim hoc nomine reprehenduntur discipuli, quòd quæ pater in sua ipsius potestate constituit, curiosius inquirerent: satis constat, hunc nobis sapiendi modulum & limitem præscriptũ esse, ut in illorum inquisitione & consyderatione assidui uersemur, quorum notitia deus non sibi soli reseruare, sed in scripturis nobis quoq; reuelare dignatus est. Quæcunq; uerò is absconsa & incognita esse uoluit, ipsius potestati, sapientiæ & iudicio iustissimo relinquamus, usq; in eum diem, quo non ex parte cognoscemus, sed facie ad faciem regni cœlorum mysteria intuebimur. 1. Cor. 13. Idem sapiens ille monet, cuius uerba utinam curiosorum multorum animis inscripta essent. Altiora te (inquit) ne quæras, & ne scruteris stultè quæ uires tuas superant. Quæ tibi mandata sunt à Deo, sanctè meditare, nec

Sapientiæ Christianæ termini.

plurium

In arcana dei judicia inquirere ...

plurium operum eius esto curiosus. Non enim opus est, ut oculis tuis arcana præuideas. Plura negotijs tuis ne cura, nec superuacua scruteris multiuariam. Nam plura quàm pro humano captu tibi sunt patefacta. Multos enim decepit uana sua opinio, & praua coniectura sensus sui labefactauit. Eccli. tertio. Quò & illud Solomonis referri debet: Qui scrutatur maiestatem, opprimetur à gloria. Prou. 25.

Confutantur ergo & damnantur hac Christi sententia fatidicæ Mathematicorum artes, inter quas Astrologia iudiciaria ferè primatum obtinet. Nam temporum articulos, id est, quid uno quouis tempore fieri debeat, uel quod nam tempus cuiuis rei destinatū sit, Christus inquirere prohibet. Atqui hic præcipuus Astrologiæ usus est, ut rerum euentus in certa tempora prænunciet. Indicatur enim natiuitatis hora, & mox horoscopo uel cœli figura inspecta de totius uitæ cursu uaticinantur: nec ijs quæ corporis & fortunæ bona attinent, contenti, in animam quoq; sibi ius sumunt, quasi hominis uirtutes & uitia, & per consequens salus quoq; æterna, ex astris dependeant. Simili ratione de singulorum annorum euentibus prognostica edunt, in quibus de bellis, de morbis, de rerū penuria & caritate, deniq; de uitijs & sceleribus uenturi anni, tanquam ex tripode disserunt. Quid uerò isti homines aliud faciunt, quàm quod in discipulis reprehenditur, qui tamen non per artem aliquam diuinitus prohibitam tale quidpiam cognoscere, sed ex Christi ore, qui nobis à patre sapientia factus est, discere studuerūt? Nec est, quòd nobis prophetarum exempla obijciant, quorum uaticinia de futuris rebus extant, quiq; rebus futuris interdum certa tempora aßignauere, quod Ieremiam imprimis & Danielem fecisse constat. Hi enim quæ ex spiritus sancti reuelatione acceperant, ad hominum institutionem & consolationem prodiderunt. Et solet frequenter Deus per prophetas suos futura prædicere, ut hominū saluti consulat: idem uerò artes fatidicas, quibus futurorum cognitio humani ingenij solertia inquiratur, nuspiā tradidit, sed damnauit, illarumq; studiosos à populi et regni sui consortio excludit, ut uidere est Deut. 18. & Micheæ 5. cap.

Astrologi & fatidici omnis generis.

Damnantur etiam hoc ipso loco, quorum curiositas longius progressa nouißimi diei & aduentus Christi terminum inquirere audet, quem in solius patris potestate ita Christus constituit, ut nec angelis nec sibijpsi, quatenus homo est, cognitum esse dicat. Mari 13. Quæcunq; uerò nos nouisse prodest, abunde sacris literis sunt tradita. De signis enim illum diem præcessuris admonemur, non ut ex illis de temporis illius articulo disputemus, sed ut à somno uitiorum exciti leuemus capita nostra, ut appropinquante redemptionis nostræ die, famuli fidi & industrij reperiamur. Luc. 21.

Nouißimi diei inuestigatores.

Simili ratione hic mihi reprehendi uidentur, qui æternæ prædestinationis & prouidentiæ Dei arcana altius scrutantur, dum electorum numerum inquirunt, & dei iudicia, quibus ille & eligit & reprobat, ad humanæ rationis calculum reuocant, quæ ut humanum captum longè superant, ita sine maximo periculo inuestigari non possunt. At quæ in illa causa nostræ tam institutioni quàm consolationi seruiunt, Deus reuelare dignatus est. Constat enim fideles ab æterno ex mera gratia Dei, in solo Christo, nullo nostrorum operum siue meritorum respectu, electos esse. Constat electionem hanc esse firmam & stabilem, cuius Deum (ut Paulus inquit) pœnitere non potest. Rom. 11. Constat electionis huius signum esse infallibile fidem, qua & Christum Iesum & in hoc iustitiam atq; salutem ipsam apprehendimus. Constat electionis finem & scopum esse, ut sancti & irreprehensibiles simus, quoad præsenti uita fruimur, hac autem exempti, in cœlestibus æternum uiuamus cum Christo Iesu, Eph. 1. Hæc reuelauit dominus, & his nos contentos esse oportebat. In illis uerò, quæ humana ratione nec percipi nec inuestigari possunt, cum Paulo nos pia & sancta ignorantiæ nostræ confeßione obstupescere decebat, & exclamare: O profunditatem diuitiarum & sapientiæ & cognitionis Dei: quàm inscrutabilia sunt iudicia eius, & imperuestigabiles uiæ eius? Quis enim cognouit mentem Domini? Aut quis illi fuit à consilijs? Aut quis prior dedit ei, & reddetur illi? Quoniam ex illo, & per illum, & in illum omnia, &c. Rom. 11. cap.

Prædestinationis scrutatores

Porrò alteram quoq; responsionis Christi partem uideamus, qua de regno suo repetit, quæ præsenti instituto seruire uidebantur. Ita uerò negotium hoc tractat (quod & supra monuimus) ut & discipulos mirificè consoletur, & sui eosdem officij admoneat. Ait enim: Accipietis uirtutem, cum spiritus sanctus aduenerit super uos. Et eritis mihi testes tam Hierosolymis quàm in tota Iudæa, & in Samaria, & usq; ad extremum terræ.

CAPVT I.

Christi regnũ spirituale.

Primò quidem promißionem spiritus sancti repetit, qua & consolatur discipulos, & regni sui conditionem describit. Nolim (inquit) uos animo deijci, quando uos regni mei propagationi inter gentes destinatos esse auditis. Nec enim humanis uiribus, quas in uobis exiguas & contemptas esse non ignoro, hoc opus perficiendum est. Cœlesti & diuina uirtute opus erit, quam uobis non defore sæpius promisi, & nunc iterum promitto. Veniet enim super uos spiritus sanctus, qui & animum & uires addet, ut commisso uobis muneri sufficere poßitis. Admonemur autem hoc loco, Christi regnũ (ut ipse coram Pilato Iohan. 18. fatetur) non mundanum siue terrenum, sed spirituale esse, nec huius seculi potentia, honore, gloria, triumphis, opibus & uoluptatibus, sed iustitia, pace & gaudio in spiritu sancto constare. Rom. 14. Vnde rursum colligimus nec carnalibus armis & principum huius seculi uiribus regnum illud propagari & defendi, sed uerbi prædicatione, cui spiritus Christi in hominum mentibus efficaciter cooperari solet. Docent hoc Pauli uerba, quibus ait: In carne ambulantes, non secundum carnem militamus. Siquidem arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad demolitionem munitionum, quibus consilia demolimur & omnem celsitudinem, quæ extollitur aduersus cognitionem dei, & captiuam ducimus omnem cogitationem ad obediendum Christo, &c. 2. Cor. 10. Frustra ergo laborant, quicunque humanis consilijs, fœderibus, armis, principum fauore & amicitijs, & quibuscunque eius generis medijs, Christi regnum prouehere conantur. In animis enim hominum Christus regnum obtinet, qui nulla humana ui, sed solius spiritus potentia & operatione cogi possunt. Reges equidem & principes ecclesiæ Christi nutritios & defensores esse decet, ueluti Isaias monet, sed ijdem externis uiribus atque armis Christi regnum minimè propagabunt. Et exempla omnium seculorum luculenter docent, nunquam feliciter cessisse, quæcunque humanis consilijs atque uiribus in illum finem instituta sunt.

Apostolorum officiũ de Christo testari.

Deinde officium, quod apostoli in hoc suo regno administraturi sint, disertè exprimit, & ut ita dicam, specificat. Eritis mihi testes, inquit. Hoc uestrum illud regnum erit, hoc uestrum munus, & hæc uestra dignitas, ut de mea doctrina, uita, miraculis, paßione, morte, sepultura, resurrectione ex mortuis, ascensione in cœlos, de omnibus denique quæ salutis humanæ causa tam feci quàm paßus sum, ingenuè testemini. Nec historiam modò rerum abs me gestarum exponetis, sed eius finem & usum urgebitis, ut uidelicet me doctorem unicum, saluatorem & redemptorem suum omnes gentes agnoscant. Voluit autem Christus hoc loco, ut etiam Iohan. 15. cap. testis uocabulo uti, ut tam apostolos quàm illorum auditores officij sui admoneret. Discunt enim ex testis officio apostoli, & qui horum successores sunt, qua ratione euangelium Iesu Christi prædicari debeat. In teste ueritatis studium cumprimis requiritur, & mendacem testem odit dominus. Prouerb. 6. Deinde testis est non nisi comperta loqui, quæ tam certò ipse uidit & audiuit, ut de illorum ueritate dubius esse non poßit. Adhac affectus praui remouendi sunt, ne quid uel odio uel metu uel fauore impulsus siue addat siue celet & reticeat, sed ingenuè quæ ipsi comperta sunt proferat. Eiusmodi testes apostolos fuisse legimus. Quæcunque enim Christum docentem ac facientem audiuerant uiderantque, ingenuè prædicauerunt, nec hostium minis fracti sunt, quò minus de ijs testarentur, id quod per omnem historiam patebit. Nec uerbis modò, sed uita, sed morte & sanguine suum illud de Christo testimonium confirmauêre. Horum fidem et constantiam uerbi ministros imitari decet, qui si in hominum gratiam, uel periculi metu, in Christi causa quicquam mutare, uel saltem dißimulare audent, horribili crimine sese polluunt, & Christi sententiæ subiacent: Quemcunque mei puduerit coram mundo hoc prauo & adultero, eius & me pudebit, ubi uenero cum angelis sanctis in gloria patris mei. Mar. 8.

Quantum scelus sit euangelio non credere.

Rursum admonentur hic apostolorum & doctrinæ apostolicæ auditores, quàm atrox scelus sit euangelio fidem negare, uel etiam contradicere. Nec enim simplex de Christo præconium, uel historica narratio censeri debet, sed testimonium est, quod apostoli, ceu iurati testes, ab ipso dei filio in mundum producti, non modò coram uili plebe, uerumetiam coram sacerdotibus, concilijs, principibus et regibus, tulerunt. At qui in forensi actione iuratis testibus fidem derogat, & illorum testimonio palàm contradicit, capitali periculo sese inuoluit. Quid ergo de illis dicemus, qui apostolis, Christi testibus, obloqui non uerentur? Nec enim apostolos modò mendacij insimulat, sed ipsum Christum (quantum in ipsis est) imò deum patrem suspectum faciunt, quasi is falsos testes sistere, & filij sui causam subornatis testibus obtinere uoluerit. Vidit hoc dilectus ille Christi discipulus, cum ait: Si testimonium hominum accipi-

accipimus, testimonium dei maius est: quoniam hoc est testimonium dei, quo testificatus est de filio suo. Qui credit in filium dei, habet testimonium in seipso. Qui non credit deo, mendacem fecit eum: quia non credidit in testimonium, quod testificatus est deus de filio suo, &c. 1. Iohan. 5. Hæc si expendamus ô fratres, præcipuam malorum nostri seculi causam deprehendimus. Quia enim pro lusu & ioco habetur ea in quæstionem & dubium uocare, quæ de Christo Iesu ab apostolis traduntur, imò illis multi improbè contradicunt, & testimonium illud Iesu Christi ferro & igne persequuntur, fieri nequit, quin deum mundus sibi iratum habeat, & proinde omni malorum generi implicetur. Baptista enim ait: Pater diligit filium, & omnia dedit illi in manum. Qui credit filio, habet uitam æternam. Qui non credit filio, non uidebit uitam, sed ira dei manet super eum. Iohan. 3.

Postremò regni sui terminos, quos illi Israeliticæ gentis finibus contineri putabant, Christus describit. Nam cum apostolos sibi testes fore dicit usque ad extremum terræ, non obscurè innuit, ipsius regnum ad omnes gentes per uniuersum terrarum orbem extendi. Significanter uerò & disertè locorum aliquot meminit, nec id temere. Quia enim Hierosolymorum urbs propter immanißimum facinus, in filium dei designatum, salutari euangelicæ gratiæ testimonio indigna uidebatur, illam quoque nominari oportuit, ut scirent, illic præconij salutis initium fieri debere, ubi maximè abundarat iniquitas. Rursum, quia inueterato & ingenito siue hæreditario odio Samaritanos Iudæi persequebantur, Samariæ quoque mentionem expressam fieri oportuit, ne apostoli, communi Iudæorum exemplo, ab ea gente sibi abstinendum esse putarent. Quàm uerò necesse fuerit, alias gentes omnes per totum orbem dispersas, finibus hisce regni Christi comprehendere, Petri exemplum abunde docet, qui tunc quoque, cum Samaria Christo nomen dedisset, aliarum gentium conuersatione abstinet, donec uisione cœlesti instituitur. Actor. 10. *Termini regni Christi.*

Cæterum eos regni sui fines in præsenti Christus constituit, quos in prophetis iam olim spiritus sanctus designauerat. Nota sunt enim quæ Psal. 2. & 72. habentur, quorum suprà meminimus. Adhæc Zacharias cap. 9. de Christo loquens ait: Imperium eius pertinget à mari usque ad mare, & à fluuio usque ad fines terræ. Omnium uerò euidentißimum est, quod apud Isaiam cap. 49. his uerbis continetur: Leue sit quòd seruus meus sis ad erigendas tribus Iacob, & ad reducendas uastitates Israelis, nisi te dedero, ut lux sis gentium, & sis salus mea usque ad extremum terræ. Extant infinita alia huius generis testimonia, quæ prophetas legentibus paßim occurrent. Est autem hoc consolationis plenum, quòd Christum Iesum communem omnium gentium saluatorem esse uidemus, in quo (ut Paulus & Petrus inquiunt) non est Iudæus uel Græcus, non Barbarus nec Scytha, non seruus neque liber, non mas neque fœmina: sed in quauis gente, qui timet ipsum & operatur iustitiam, acceptus est illi. Galat. 3. Colos. 3. Actor. 10. Admonentur etiam hic officij sui, quos euangelij præcones Christus esse uoluit, ne unius tantummodo gentis saluti studeant, sed quantum in ipsis est, Christi Iesu & salutis cognitionem tam docendo quàm scribendo (quod apostolos quoque fecisse legimus) in uniuerso orbe disseminent. Omnium uerò & singulorum est, Christi bonitatem amplecti, qui salutem suo sanguine partam omnibus tam liberaliter offert. Excipiamus ergo gratis animis regnum hoc salutis, ut aliquãdo in cœlis cum Christo regnemus: cui debetur benedictio, honor, gloria et potestas in æternum. Amen. *Christus communis omnium gentium saluator.*

HOMILIA V.

Atque hæc locutus, uidentibus illis in altum sublatus est, & nubes subduxit illum ab oculis eorum. Quum autem essent defixis in cœlum oculis, eunte illo, ecce uiri duo astiterunt illis, amicti uestibus albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid statis intuentes in cœlum? Hic Iesus, qui assumptus est à uobis in cœlum, sic ueniet, quemadmodum ipsum uidistis euntem in cœlum.

QVoniam diuus Lucas, spiritus sancti suggestione motus, apostolorum acta commemorare instituit, non incommodè ab illorum narratione orditur, quæ dominus & saluator noster Iesus Christus, iam terras hasce relicturus, cum apostolis egit. Ex illis enim euidentißimè conijci potest, apostolos nihil priuata authoritate uel temeritate gesisse, sed eorum fuisse executores, quæ Christus *Argumentum & usus præsentis loci.*

ipsis iniunxerat, & proinde illorum doctrinam non pro humana censeri, sed pro ipsius Christi doctrina agnosci & recipi debere. Sequitur tandem Christi Iesu è terris discessus in cælos, quem & ipse Lucas magna diligentia describit, & nos singulari studio considerare decet: eò quòd in huius descriptione duo insignes fidei Christianæ articuli comprehenduntur, in quibus potissima Christianorum spes fundata est, Ascensio nimirum Christi Iesu in cælos, & eiusdem reditus, quo in seculorum consummatione in nubibus cæli ueniet ad iudicandum uiuos & mortuos. Præstat autem singula eo, quo à Luca describuntur, ordine considerare.

Ascensionis Christi historia

Ascensionis Christi Iesu historiam paucis absoluit hoc loco. Nam hæc locutus (inquit) uidentibus illis, in altum sublatus est, et nubes subduxit illum ab oculis illorum. Breuitatis huius causa uidetur, tum quòd angelorum orationem subijcit, qui rem omnem disertius exponunt, tum quòd ipse Lucas circa finem euãgelicæ historiæ pluribus de hac egerat. Illic enim ait: Eduxit Iesus discipulos foras usq; in Bethaniam, & sublatis in altum manibus suis, benedixit eis. Et factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis, ac ferebatur in cælum. Quibus coniungi debent, quæ Marci 16. cap. scribuntur in hanc sententiam: Dominus postquam locutus fuisset eis, receptus est in cælum, & consedit à dextris dei. Summa uerò omnium est, Iesum Christum, qui hucusq; in terris egerat, corpus suum ex mundo hoc subduxisse in cælum, & ibi à dextris dei patris sui collocauisse, iuxta illud Dauidis: Dominus dixit domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellũ pedum tuorũ. Psal. 110. Quamuis uerò tanta sit huius historiæ simplicitas, ut his ipsis uerbis ferè inter fidei Christianæ uel symboli apostolici articulos relata sit, in quibus maiores nostri omnia simplicissima esse uoluerunt, ita ut à pueris quoq; comprehendi et intelligi possent: diligentius tamen per singulas circumstantias nobis excutienda est propter eos, qui nostro seculo illam maxima ex parte eleuare audent, dum ex Ascensione disparitionem uel euanitionem fingunt, & nihil præter inane spectrum nobis reliquum faciunt. Eò autem delabuntur isti homines, ut localem & substantialem corporis Christi in pane dominico præsentiam statuant. Sed non obseruant contentionis studio fascinati, quòd dum Christi corpus certo loco contineri negant, eidem nec in Cœna locum relinqui posse. Videamus ergo primò quid per ascensionem propriè intelligi debeat? Deinde quis ascẽderit? Quo item modo & in quem locum? His deinceps causas ascensionis subijciemus, quibus etiam fructus continentur, qui ex illa ad nos redeunt.

Ascensio quid

Ascendere propriè dicuntur, qui ex loco inferiori in superiorem euadunt. Quare ascensio motus est siue φορά, ut Græci nominant, ex loco in locum, & quidem ex inferiori in superiorem. Atqui tale quid hîc quoq; intelligendum esse, nemo nisi contentiosissimus negabit. Hoc enim huius libri initio Lucas innuit, cum de Christi ascensione loquens, ἀνελήφθη, inquit, quod in præsenti loco, ἐπήρθη dixit. Vtrũq; uerò assumptionem uel subuectionem ex loco inferiori in alium sublimiorem significat. Nec cauillum admittimus, quo uerba hæc per illud exponunt, quòd nubes ipsum ab oculis ipsorum subduxerit, unde illi suam disparitionem fingunt. Nam illic quoq; de nube dicitur, ὑπέλαβε, id est, in altum assumpsit. Vt interim taceam, Christum non potuisse non certo in loco esse, quando in nube fuit, cuius opera uti uoluit. Accedit his, quòd apostoli oculis & uisu sequuntur, euntem, non autem disparentem aut euanescentem oculis hinc inde iactatis aut circumactis requirunt. Nam πορευομένου αὐτοῦ, id est, eunte illo (obserua locutionem qua motus de loco in locum disertè exprimitur) apostoli defixis in cælum oculis constiterunt. Quid autem opus erat oculos in cælum defigere, si non in cælum ferebatur dominus? Quin potius aerem hinc inde uisu lustrantes eum quærebant, qui tam subitò disparuerat? Sed & angeli postea non ideo apostolos reprehendunt, quasi falsò putent in cælum illud elementale Christum penetrauisse, quin illud ipsum fatentur, & de eiusdem ex cælis reditu non obscurè uerba faciũt. Ascensio igitur motus de loco inferiori in superiorem est, quo Christus è terris subuectus est. Nisi enim hoc fateamur, spiritus sanctus incusandus erit, qui sine causa in simplicis historiæ narratione, quam omnibus notissimam esse oportebat, inanibus uerbis nobis fucum facere uoluerit.

Quis ascenderit?

Proximum est, ut quis ascenderit, uideamus. Atqui de Christo Iesu sermo est, qui à mortuis resuscitatus, corporis sui ueritatem per dies quadraginta quàm pluribus argumentis asseruit. Cæterum quando de Christo scripturæ disserunt, naturarum distinctio probè obseruanda est, quibus illum constare omnis scriptura docet. Qui enim ab æterno uerus deus est, eiusdem cum patre maiestatis & gloriæ consors, imò patri consubstantialis, is constituto tempore ex muliere (ut Paulus ait) homo factus est,

est, id est, humanam naturam assumpsit. Quare in una eademq; Christi persona duæ naturæ, diuina & humana, conueniunt, ut unus & idem Christus, & uerus deus & uerus homo sit. Nec tamen propter personæ unitatem naturæ uel confunduntur uel mutantur, sed distincta & integra manet utriusq; naturæ proprietas. Propter unitatem uerò personæ fit, ut quod unius tantummodo naturæ proprium est, toti Christo tribuatur, & totus Christus fecisse uel passus esse dicatur, quod uni duntaxat naturæ proprium est, quod ueteres idiomatum communicationem dixerunt. Ad hanc pertinet, quòd Christus ab æterno fuisse dicitur, & priusquam Abraham nasceretur, qui tamen quoad humanitatem præfinito demum tempore natus est. Et filius dei passus & mortuus dicitur, cum diuinitas nec pati nec mori possit. Verè tamen hoc dicitur, quia qui uerè filius dei est, secundum id quod mori potuit, mortuus est. Eadem ratione filius hominis in cœlo esse dicebatur, quãdo in terris agebat, quia idem ille quoad diuinitatem, cœlos quoq; penetrabat, licet secundum carnem in terris ageret, & ibi cum Nicodemo colloqueretur. Quæ si hoc loco obseruemus, patebit, Christum Iesum humanam naturam, quam ex uirginis utero assumpserat, in cœlos subuexisse. De diuinitate enim hoc minimè intelligi potest, de qua dicitur: Cœlum & terram ego impleo. Iere. 23. Item, Cœlum mihi thronus est, & terra scabellum pedum meorum. Isa. 66. Et quia diuinitas de loco in locum non mouetur, imò immensa & infinita est, in illam ascensio minimè competit. Interim deum ascendisse rectè dicimus, quia Christus, qui uerè deus est, in assumpta hominis natura ascendit. Nec propterea Christum in partes distrahimus, aut unionem personalem negamus, ut olim Nestorius fecit: sed inter naturas Christi & earundẽ proprietates distinguimus: ut nec hominem scindit, qui inter animæ & corporis actiones, quas diuersissimas esse constat, distinguit. Et hic cum primis illud Augustini tenendum est, quo prohibet, ne omne id quod in deo est, perinde ut deum ubiq; esse statuamus. Et Christus suæ diuinitatis præsentiam, non corporis sui extensione in omnes locos, sed spiritus sui operatione probari uoluit.

Sed locum quoq;, in quem Christus ascendit, scripturæ monstrant. Et Lucas quidem illum in altũm sublatum esse dicit. At angeli postea cœlum nominant, ut constaret nobis, quò nam locorum ille abijsset. Et Marcus in ipso cœlo locum significantius exprimens, ipsum in dextra patris consedisse scribit. Scimus quid multi de cœlis philosophentur, qui per hos regnum & præsentiam dei intelligunt. Scimus etiam dextram dei pro diuinæ maiestatis & regni consortio sumi posse, in quod Christum uere assumptum esse fatemur, iuxta id quod dicit: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Matthæi 28. Sed certum aliquem locum hic designari dicimus, & illum quidem ipsum, in quem nos olim recipiemur, æternùm cum Christo regnaturi. Et hunc sensum ex Christi uerbis haurimus, qui de suo discessu loquens ait: In domo patris mei multæ mansiones sunt. Quòd si secus esset, dixissem uobis. Vado paraturus uobis locum. Et si abiero ad parandum uobis locum, iterum ueniam & assumam uos ad me ipsum, ut ubi sum ego & uos sitis. Iohan. 14. Num uerò apertius & magis disertè locum aliquem certum designare poterat? Paulus certè in cœlesti loco & beatorum sede Christum nobis monstrat, dicens: Conuersatio nostra in cœlis est, ex quibus & saluatorem nostrum expectamus, dominum Iesum Christum, &c. Philip. 3. Annon hic eundem locum Christo tribuit, in quem nostra corpora olim sint transferenda? Coniungi his debet, quòd modum & ordinem omnem futuræ resurrectionis describẽs, ait: Ipse dominus cum hortatu & uoce archangeli ac tuba dei descendet de cœlo: & mortui in Christo resurgent primùm, deinde nos qui uiuemus, qui reliqui erimus, simul cum illis rapiemur in nubibus in occursum domini in aera, & sic semper cum domino erimus. 1. Thess. 4. De cœlo uenturum, imò descensurum, dicit Christum dominum, & ut constaret quo nam de cœlo istud deberet intelligi, nos nubibus ad domini occursum in aerem abripiendos esse dicit. De sublimiori igitur loco aliquo in cœlestibus omnia hæc intelligenda sunt, in quo & Christus suo corpore regnans sedet, & in quem electi omnes olim transferentur.

Quò ascenderit Christus.

Cæterum in modo ascensionis describendo diligentissimus est Lucas. In quo primum locum obtinet quòd manibus in cœlum sublatis Christus apostolis benedixit, id est ualedixit, eosq; pro communi discedentium more diuinæ protectioni commendauit. Deinde ipsis uidentibus in altum subuectus est. Quod unum uanitatis & turpissimi erroris eos conuincit, qui Christum disparuisse & inuisibilem factum fuisse dicunt. Si enim hoc uerè dicunt, quomodo uidentibus discipulis in altum sublatus est? Vel num ideo ascendere uideri noluit, ut nos illum in terris adhuc uersari credamus? Accedit his

Ascensionis modus.

nubis ministerium, quæ ut illum à terris instar uehiculi subuexit, ita illum altius, quàm hominis uisus assequi posset, subuectum tandem illorum oculis abstulit. Nube autem uehiculi loco usus est, iuxta illud Psalmi 104. oraculum: Qui ponis nubem ascensum tuum. Hæc enim & cœli symbolum est, quò ille erat ascensurus & de illius cœlesti ac diuina maiestate non obscurè testabatur. Quò & angelorum apparitio referri debet, quos non testes modò, uerumetiam ministros ascensionis adhibere uoluit. Conueniebat enim ut qui in conceptione, natiuitate, tentatione, morte & resurrectione angelorum ministerio usus erat, nunc quoque eosdem ministros haberet, quando maximum diuinæ maiestatis opus erat designaturus. Sed & nobis proderat regis & saluatoris nostri maiestatem agnoscere, ut sciremus illum, licet corpore absentem, nos & spiritu suo protecturum esse, & angelorum ministerio facilè defensurum, quorum potestas immensa & inuicta esse multis exemplis iam olim comprobata est.

Causæ ascensionis & fructus. 1. Patefacit cœlorum fores.

Atqui magna licet & præclara sint hæc diuinæ Christi maiestatis & potentiæ indicia, plus tamen consolationis ex causis percipere poterimus, quæ Christum ut in cœlos ascenderet, mouerunt. Quia ex his eximij, qui inde ad nos redeunt, fructus elucent. Et primò quidem exigebat hoc nostræ redemptionis atque salutis ratio, quæ aliter perfici non poterat. Quia enim propter peccatum regni cœlorum fores nobis occlusæ erant, tantaque est nostræ naturæ corruptio, ut Paulus carnem & sanguinem (id est, hominem carnalibus affectionibus & ingenitæ corruptioni adhuc obnoxium) regni cœlorum hæreditatem adire posse neget: necessariò cœlos per Christum reserari & rursum patefieri oportebat, siquidem pro saluatore & redemptore uolebat haberi. Commodissimè uerò hoc præstitit, suam carnem, quam ex nobis assumpserat, cœlis inferendo. Quis enim non intelligat, carni nostræ aditum in cœlos patere, quando Christi carnem, nostræ per omnia simillimam (uno peccato excepto) in cœlis residere audit? Vt interim de permutatione, quæ hic facta est, nihil dicamus. Nam ut suum spiritum animis nostris Christus inserit, ut is in hoc mundo agentibus salutis nostræ pignus & arrhabo sit: ita uicissim carnem nostram, quam ex Maria uirgine assumpserat, cœlis intulit, ut eo quasi pignore nobis certum fiat, nos quoque olim unà cum corporibus nostris regni cœlorum hæreditatem adituros. Quò Paulus respiciens scribit: Deus qui diues est in misericordia, propter multam charitatem suam, qua dilexit nos, etiam cum essemus mortui per delicta, cōuiuificauit nos unà cum Christo (per gratiam estis seruati) simulque cum eo resuscitauit, & simul cum eo sedere fecit in cœlestibus, &c. Ephes. 2. Nec temere ista Paulus pronuntiat, sed sententiæ suæ suffragatorem, imò authorem, habet Iesum Christum, cuius hoc quasi testamentum est: Volo pater, ut ubi ego sum, illi etiam mecum sint, quos dedisti mihi. Iohan. 17. Quapropter omnium animis ex ascensionis consideratione fortis illa & inuicta fiducia oboriri debet, quam Tertullianus his uerbis exprimit: Securi estote caro & sanguis, usurpastis & cœlum & regnum dei in Christo.

2. Victoriam Christi confirmat.

Deinde ascensione Christi in cœlos, ceu publico triumpho, nos de uictoria, quam is de Satana reportauit, certiores fieri oportuit. Vt enim principes huius seculi, ubi hostes debellarunt, ad suos cum triumpho redeunt, in quo & hostium duces capti ducuntur, & eorundem signa ostentantur, quæ omnia uictoriam uerissimè partam esse demonstrant: ita dei filius cum contra mundi principem, diabolum, bellum suscepisset, eumque deuicisset penitus, hac quasi solenni pompa in suorum conspectu cœlos repetere uoluit, ut certò nobis constaret, diaboli uires fractas, & nos ex illius tyrannide reuera liberatos esse. Et in hunc finem Paulus illud Psalmi 68. adducere uidetur: Cum ascendisset in altum, captiuam duxit captiuitatem, & dedit dona hominibus. Eph. 4. Et alibi scribit: Expoliatos principatus & potestates ostentauit palàm, triumphans de illis per semetipsum. Coloss. 2. Quoties ergo Satanæ, peccati & mortis uires nobis formidinem & terrorem incutere incipiunt, toties ad ascensionem Christi confugiamus, qua uictoriæ suæ contra eas has euidentissimum signum dedit dominus, & redemptionis nostræ negocium ceu publico triumpho obsignare uoluit.

3. Christus pro nobis intercessor in cœlis comparet.

Tertiò ut Christus in cœlos ascenderet, sacerdotij ratio postulabat, cui illum destinatum fuisse testatur Dauid, dicens: Iurauit dominus, & non pœnitebit eum. Tu es sacerdos in æternum iuxta ordinem Melchisedech. Psal. 110. Atqui sacerdos summus olim semel quotannis sanctum sanctorum, quod intra uelum erat, ingrediebatur, nec id sine sanguine. Leuit. 16. Qui cum rerum futurarum typus fuerit, Christum quoque semel in uerum illud sanctuarium, cœlos nimirum, cum uero suo corpore & sanguine, quæ ex nobis assumpserat, ingredi oportuit, ut illic in conspectu dei pro nostris peccatis compareret

pareret & placaret iram dei. Huc pertinet quod Paulus ait: Non in manu facta sancta ingressus est Christus, sed in ipsum cœlũ, ut appareat nunc in conspectu dei pro nobis. Item: Christus accedens Pontifex futurorum bonorum, per maius & perfectius tabernaculũ, non manu factum, hoc est, non huius structuræ, neq; per sanguinem hircorum ac uitulorum, sed per proprium sanguinem ingressus est semel in sancta, æterna redemptione reperta. Hebr. 9. Ex quibus colligitur, Christum posteaquam executus est quæcunq; in terris agenda erant, cœlos ingressum esse, ut quod illic agendum restabat, perageret, id est, ut ibi seipsum pro nobis mediatorem, intercessorem & aduocatum sisteret. Quo referri debent, quæcunq; de intercessoris & aduocati officio in scripturis habentur. Et est hîc non pœnitendus ascensionis Christi fructus. Quoties enim peccatorũ conscientia nos exagitat, & nobis propter peccata aditum in cœlos præclusum esse sentimus, toties in ascensionis consyderationem, ut tutissimum asylum nos recipere possumus, ac certò statuere, quòd in cœlis sit, qui pro nobis interpellet, qui sui meriti respectu nostram immunditiam tegat, nosq; cum deo reconciliet. Docet hoc Iohannes apostolus his uerbis: Filioli, hæc scribo uobis ne peccetis. Quòd si quis peccauerit, aduocatũ habemus apud patrem, Iesum Christum iustum. 1. Ioan. 2. Et Paulus: Quis intentabit crimina aduersus electos dei? Deus est qui iustificat, quis ille qui cõdemnet? Christus est qui mortuus est, imò qui & suscitatus est, qui etiam est ad dextram dei, qui & intercedit pro nobis. Rom. 8.

Porrò quia hæc nondum uidebant apostoli, & proinde subito Christi discessu obstupefacti, cœlos defixis oculis intuebantur, & corporalem Christi præsentiam, cui tam diu assueuerant, requirebant, plenius illos oportebat institui. Apparent ergo angeli, albis amicti uestibus, qui illos in hunc modum compellant: Viri Galilæi, quid statis intuentes in cœlum? Hic ipse Iesus, qui assumptus est à uobis in cœlum, sic ueniet, quemadmodum ipsum uidistis euntem in cœlum. Inest uerbis hisce primùm reprehensio quædam, deinde & consolatio haud uulgaris. Nos itaq; de utraq;, quantum præsens locus exigit dicemus. Angelorum apparitio.

Reprehensionis speciem habet orationis huius initium: Viri Galilæi, quid statis intuentes in cœlum? Non autem discipulorum factum simpliciter accusant angeli, sed animi potius affectum & ignorantiam. In cœlum enim ideò oculos defixerat apostoli, quòd Christum illuc in nube subuectum esse uidissent. Nec id negatur ab angelis, qui id uerissimè factum fatentur. Reprehensione uerò dignum erat, quòd toties de Christi discessu admoniti, & tot promissionibus de spiritu sancto instructi, adhuc corporalem Christi præsentiam desiderant, illam mente & oculis requirunt, & quodammodo expectant, ut denuo ad illos delabatur. Hoc ergo reprehendunt angeli, quasi dicant: Quæ hæc uestra est ignorantia & animorum crassities? Quid adhuc Christi discessum miramini? Nónne hunc talem fore iam ante audiuistis? Nónne spiritum sanctum uobis consolatorem & tutorem promisit? Quin ergo illum expectatis, & corporalem præsentiam in illum diem usq; reijcitis, quo in gloria patris ad iudicandum uiuos & mortuos uenturus est, ut illum prædixisse meministis?

Contra corporalem Christi in terris præsentiam.

Quòd si uerò angelorum uerba cum ijs, quæ paulò ante in ascensionis historia dicta sunt, conferamus, luce clarius patebit, nullam posthac corporalem Christi Iesu in terris præsentiam statui debere, qualem illi fingunt, qui corpus Christi, quod ex Maria uirgine natum est, quod in cruce pependit & sepultum est, in Cœna corporaliter, substantialiter & realiter fidelium manibus contrectari & manducari dicunt. Vident illi crassæ huic opinioni ascensionis historiam obstare. Quare ex illa dis-
paritionem faciunt, ut suprà diximus. Deinde & scripturæ locis abutuntur. Primò Pauli uerba 1.
allegant: Christus ascendit supra omnes cœlos, ut impleret omnia. Eph. 4. Vnde colligunt, illum cor-
poris conditione mutata, per omnes tam superos quàm inferos locos diffusum esse, & corpore suo o-
mnia implere. Deinde ad diuinitatem confugientes, huius ratione humanam quoq; naturam ubique
necessariò esse contendunt, quia cum diuina coniuncta & unita sit. Et Gordium quendam nodum se 2.
reperisse putant, cùm dicunt: Ea est naturarum in Christo coniunctio, ut nec morte dirimi potue-
rit: quantò minus ergo crassa hæc locorum distantia illam separare potest? Habent etiam Christi 3.
promissiones, quibus opinionem suam stabiliri putant. Eius enim uerba sunt: Vbicunq; duo aut tres
congregati sunt in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Matthæi 18. Item: Ego uobiscum sum usq;
ad consummationem seculi. Matth. 28. Coniungunt his Cœnæ uerba, & ad rauim usque clamant, 4.
Hoc est corpus meum: quæ & promissionis uerba faciunt, quasi illis Christus realem & substantia-

lem corporis sui præsentiam polliceatur. Sed facilis est ad omnia hæc responsio.

1. Locus Ephes. 4.

Quoad Pauli locũ, nos de Cœlis philosophicè disputare nolumus. Scimus Aristotelem extra cælorum orbem extremum nullum locum amplius statuere. Sed nefas est hominis ethnici authoritate niti, quando fidei causa contrauertitur. Paulus de cœlis qui supra nos sunt loquitur, & quia hi inter mundi partes numerantur, & nouissimi diei igne liquescent, Christum supra hos ascendisse dicit, ut testetur illum iam extra mundum hunc corruptibilem positum esse, & in eum locũ receptum, qui ab æterno electis destinatus, & omnis corruptionis expers est. Quò magis ergo illi hoc urgent, Christum supra omnes cœlos ascendisse, eò magis liquet, illũ è mundo exiuisse. Addit Paulus: Vt impleret omnia. Quod ipsi de corpore Christi exponunt, ut satis crassos & ridiculos sese præbeant. Quis enim non uideat ineptam & plus quàm puerilem consequentiam: Christus corpus suum euexit supra omnes cœlos, & omnes mundi huius uisibilis partes. Ergo corpus Christi mundũ hunc totum implet corporaliter & substantialiter? Atqui ad hunc modum illi argumentantur. At Paulus hîc de ueteris scripturæ oraculis, siue (ut alij sentiunt) de Christi potentia & maiestate loquitur. Alij de spirituali gratia & donis locum exponunt, quæ Christus post acceptã omnem potestatem in homines effundere cœpit, sicuti Ioel olim prædixerat. Sed utrũ intelligas, nulla statuitur corporalis Christi in terris præsentia. Impleuerat Christus quæ de ipsius incarnatione, paßione, morte & resurrectione prædicta erant. Luc. 24. Restabat ascensio, de qua extabant oracula, & qua redemptionis nostræ negotium (ut suprà demonstrauimus) consummari & perfici oportebat. Ascendit ergo ne quid in hoc infectum relinqueret. Quòd si quis de maiestate potius & potentia Christi hoc dictum uelit, quam donorum cælestium distributione declarat, cum illo non contenderim. Eòdem enim sententia recidit, quia Christus peracto demum salutis negotio (quoad humanam naturam) se potestatem accepisse dicit in cœlo & in terra. Matth. 28. Et idem se tunc demum spiritum missurum ait, quando ex hoc mundo ad patrem discessit. Ioan. 14. Imò expedit uobis (inquit) ut uadam. Nam si non abiero, consolator ille non ueniet ad uos.

2. Diuinitas Christi humanitatem nõ absorbet, nec extendit per omnia.

Non minus friuolum est, quod à diuinitate ad humanitatem Christi argumentantur. Fatemur equidem duas hasce naturas in Christo coniunctas esse, nec personam Christi propter has scindi aut diuidi debere: nec morte disiunctas esse dicimus. Sed quod in morte factum esse nemo pius negat, id hic quoq; obseruandum est. Mansit in morte salua & integra naturarum & proprietatum distinctio. Humana siquidem natura mortem subijt, quam diuina sustinere non poterat. Humana crucem & dolores pertulit, qui in diuinam non cadunt. Et qui ut uerus homo in cruce moriebatur, mortuus sepeliebatur, idem ut uerus deus terram quatiebat, Soli lucem eripiebat, in animis hominum efficaciter operabatur, & uerißima edebat diuinitatis suæ indicia. Idem si hic obseruetur, res erit perspectu facilis. Christus enim quoad diuinam naturã, ubiq; est & ubiq; operatur. Idem uerò quoad humanam, certo cœli loco, æterna nimirum beatorum sede, continetur. Nec propterea diuinitatem ab humanitate separamus, quando illam omnia implere & ubiq; præsentem esse dicimus: sed Augustini regulam sequimur, dicentis: Cauendum est, ne ita diuinitatem astruamus hominis, ut ueritatem corporis auferamus, &c.

3. Loci Matth. 18. & 28.

His autem simul, quo sensu Christi promißiones accipi debeant, edocemur, quibus se nobis affuturum dicit præsentem usq; ad consummationem seculi. De diuinitatis enim potentia & uirtute illas exponimus. Adest quippe suis Christus diuina uirtute & spiritus sui operatione, qua illos regit, ducit, tuetur & defendit. Adest illis sua gratia & merito, ne in peccati & satanæ laqueos relabantur, sed in dei patris fauore & amicitia firmi maneant. De corporali autem præsentia nihil hic illum dicere, alijs eiusdem Christi uerbis edocemur, quibus se è mundo abiturum, & non amplius in mundo moraturũ, non semel inculcat. Ioan. 14. 16. Quòd si uerò priores illas promißiones de corporis præsentia exponere libet, altera illa, quibus se posthac in mũdo mansurum esse negat, de diuinitatis absentia intelligi necesse erit. Nisi enim per naturarum distinctionem uel idiomatum cõmunicationem locos hosce, alioqui diuersos, conciliemus, incerti & perplexi hærebimus. Quid ergo aliud isti obtinebunt, quàm quòd de corpore Christi contendentes, spiritu illius & diuina protectione sese scientes & uolentes spoliant, & quod Comicus dixit, cum ratione insaniunt? Neq; hic frigidum illud & ignobile suffugium admittimus, quo ad uisibilem corporis Christi in mundo conuersationem elabuntur.

Nec

Nec enim de qualitate aut modo rei, sed ipsa re Christus loquitur, & se in mundo posthac mansurum negat. At qua ratione hoc diceret, si in mundo inuisibiliter erat mansurus? Et Matthæi 24. illis credere uetat, qui ipsum hinc inde in penetralibus uel penuarijs & ciborijs nouissimo seculo sint monstraturi.

Ex his uerò facilè colligitur, quo sensu Cœnæ uerba accipi debeant. Scimus Christum panem porrexisse discipulis, & dixisse: Hoc est corpus meum, quod pro uobis traditur. Sed sacramentalem locutionem esse dicimus, qua (ut uulgò fieri solet) signo rei signatæ nomen tribuitur. Qua ratione circumcisio fœdus dicebatur, & paschale epulum transitus nomine appellabatur. Nec id temere in præsenti causa obseruamus, quia id suadet corporis Christi ueritas, de qua iam aliquoties diximus. Et ipse Christus apud Ioannem discipulis crassam de carnis suæ opinionem eximere uolens, eos ad ascensionem relegat, ut ex ea uidelicet discant, corpus suum substantialiter & realiter manducari non posse, sed spiritualem manducationem, quæ fide conficitur, intelligi debere. Vide Iohan. 6. cap. Transeo infinita alia quæ dici poterant, ne uerbosior sim. Nostrum est, simplicem tenere ascensionis Christi historiam, & Christum animis per fidem eleuatis, in cœlo quærere, ut carnis ipsius & sanguinis uirtute & merito æternum pascamur. 4. Verba Cœnæ.

Sed ad angelos reuertamur, quorũ oratio consolationẽ quoq; habet mirificam. Nam ut crassam discipulorum opinionem reprehendunt, qua illi corporalem Christi præsentiã desiderabant: ita eosdem promissione nouissimi aduentus consolantur. Hic ipse Iesus (inquiunt) qui assumptus est à uobis in cœlum, sic ueniet, quemadmodum ipsum abeuntem uidistis. Visibilem Christi aduentum pollicentur angeli. Inuisibilem, præter eum qui spiritu constat, scriptura prorsus ignorat. Visibilis uerò ille est, quem in fidei articulis profitemur, quo uenturus est ad iudicandum uiuos & mortuos. Multa de hoc in scripturis extant, ut uidere est, Dan. 7. 12. Et Christus eundem diligenter describit, Matth. 24. & 25. Iohan. 5. Voluit autem huius in præsenti apostolos quoq; admoneri, quia & institutioni & consolationi nostræ huius meditatio plurimum seruit. Si enim iuxta Ecclesiastici dictum mortis recordatio peccandi cupiditatem reprimit, quantò plus efficietur, si nouissimi iudicij imaginem animo uoluamus, quo omnes nos coram tribunali Christi sistemur, ut unusquisq; in corpore suo reportet iuxta id quod fecit, siue bonum siue malum? 2. Cor. 5. Rom. 14. Quid enim tunc homini proderit, si totum mundum lucrifecerit, animæ uerò suæ iacturam faciat? Matth. 16. Rursum mirifica ad nos redit ex eius diei recordatione consolatio. Qui enim uindex malorum & ultor adueniet impijs, suorum redemptor apparebit, quos corpore & anima glorificatos sui regni & suæ mensæ consortes faciet. Quapropter de signis nouissimũ diem præcessuris loquens ait: His fieri incipientibus attollite capita uestra, quia appropinquat redemptio uestra. Luc. 21. Et Iob de Christo ad iudiciũ uenturo loquens, Scio (inquit) quòd uindex siue redemptor meus uiuit, &c. Iob. 19. Huius ergo admoneri oportuit discipulos, ut imminentia pericula & labores grauissimos, qui ipsos manebant, hac spe animati uincere possent. Interim nostri quoq; muneris esse intelligamus, ut in eadem meditatione frequenter uersemur, quæ & carnis prauas cupiditates reprimere, & inter labores ac pericula spem inuictam animis nostris addere poterit, qua animati uitæ præsentis cursum feliciter superabimus, æternum aliquando uicturi cum Christo Iesu domino nostro: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen. Consolatio ex nouissimo aduentu Christi.

HOMILIA VI.

Tunc reuersi sunt Hierosolymam, à monte qui uocatur Oliueti, qui uicinus est Hierosolymæ, distans Sabbati iter. Et cum ingressi essent ascenderunt in cœnaculum, ubi mansitabant, nimirũ Petrus & Iacobus, Iohannes & Andreas, Philippus & Thomas, Bartholemæus & Matthæus, Iacobus Alphæi & Simon Zelotes, & Iudas Iacobi. Hi omnes perseuerabãt unanimiter in oratione & deprecatione cum mulieribus, & Maria matre Iesu, & cum fratribus illius.

Quamuis dominus & saluator noster Iesus Christus corpus suum per ascensionem gloriosam ex terris hisce in cœlos subuexerit, non tamen ideò nostræ salutis curam deposuisse putari Argumentum & usus præsentis loci.

debet: quia fieri non potest, ut eorum obliuiscatur bonus ille pastor, quos sanguinis sui pretio redimere dignatus est. Patet hoc tum multis alijs argumentis, tum maximè eo, quòd in ipsam ascensionē, ut nuper uidimus, incidit. Cùm enim apostoli, subito Christi discessu stupefacti, cœlum intuerentur, rerumq; suarum omnium essent incertissimi, angelos mittit, quorum ministerio non tantū de ascensione ipsius edocentur, uerumetiam de eiusdem reditu amplissimam consolationem audiunt. Quam efficacem fuisse, ex sequenti rerum euentu cernere licebit. Pergit enim in instituta narratione Lucas, & quid apostoli, postquam Christus ab illis sublatus est, fecerint, commemorat. Nos de singulis ordine dicemus, ut plus inde ad nos doctrinæ uel institutionis & consolationis redire possit.

I. Apostoli Hierosolymas redeunt.

Primum uerò hic locum ipsorum in urbem reditus obtinet. Postquā enim adorauerunt (ut Lucæ 24. legitur) reuersi sunt Hierosolymam, & in superiori domus parte (cuius usus ipsis concessus erat) congregati, promissum à deo patre & Christo Iesu spiritum expectauerunt. Fuit autē ex monte Oliueti, ex quo cœlos Christus petierat, in urbem usq; sabbati iter, quod bis mille passuum fuisse, ex Hieronymi authoritate traditur.

Obedientiæ fidei exemplum.

Habemus in his non uulgare obedientiæ fidei exemplum, in cuius imitatione nos uersari decet. Vrbem enim non priuato humanæ rationis consilio, sed ex domini mandato apostoli repetunt, qui (ut circa initium libri huius uidimus) præceperat, ne Hierosolymis discederent, nec ab inuicem separarentur ante acceptum cœlitus spiritum sanctum. Atqui multa erant, quæ diuersum suadere poterant. Inter quæ non leue uideri debebat undiq; imminentis periculi metus, & hostiles Iudæorum insidiæ. Et quis nam sibi tutam speraret eam urbem, quæ & prophetarum sanguini assueuerat, & manus filij dei sanguine adhuc madentes habebat? Deinde non exigua loci incomoditas multorum animos auertere poterat. Nam unica in domo, imò parte duntaxat domus unicæ, homines circiter centum uiginti (ut ex sequentibus colligi potest) simul cohabitant, quod absq; singulari molestia fieri non potuisse, quiuis cordatus intelligit. Accedebat his grauior adhuc tentatio, fidei & religionis prætextu palliata: quòd nimirum scirent spiritum sanctum, cuius causa ipsis in ea urbe manendum erat, nulli certo loco alligatum esse, sed (ut Christus Iohan. 3. ait) spirare ubicunq; ipse uult. Vnde non frustraneum modò, sed stultum quoq; facinus, putare poterant, loco tam periculoso spiritus sancti missionem expectare, quæ alibi quoque non minus quàm illic perfici poterat. Et sanè cogitationes eiusmodi non paucas animis illorum obortas esse uerisimile est, cum nemo non norit, quàm multa metu perculsis in mentem incidere soleant. At omnia hæc una fide, quam Christi uerbis adhibere didicerunt, superant, ac omni siue periculo siue rationis humanæ consilio spreto cōtemptoq;, Christi præceptis obedire statuunt. Nec deest felicissimus tam sanctæ obedientiæ euentus. Nam & tutò agunt in urbe sanguinaria, & spiritum sanctum non multis elapsis diebus, quemadmodum Christus promiserat, accipiunt. Debet ex hoc exemplo generalis lex siue regula constitui, ut nimirum in dei uocatione & præceptis dei qualibuscunq; obedienter ambulemus, nec ullis rationibus, quas caro dictare solet, nos ab officio nostro reuocari patiamur. Quia enim sanctus est deus noster, & humani generis pater indulgentissimus, nihil quod non & sanctum & nobis salutare sit, præcipit. Nam iudicia eius omnia sunt iustitia & ueritas, & iuxta Pauli sententiam, hic diuinæ uoluntatis scopus & finis est, ut homines salui fiant. 1. Tim. 2. Et quia idem omnipotens est, in uocatione sua & præceptorū suorum obseruatione ambulantes protegit atq; tuetur, nec illis quicquam noxij euenire patitur. Tentantur quidem interdum sancti cultores dei, quia fidem ipsorum exerceri & probari opus est. Sed quia fidelis est deus, illos ultra uires tentari non sinit, imò cum tentatione euentum largitur, ut sufferre possint. 1. Corinth. 10. Extant huius rei exempla, præter hoc quod in præsenti habemus, infinita alia. Euocatur ex patrio & natali solo Abraham, & in terram alienā & ignotam, quæq; ab impijs usurpatoribus tenebatur, abire iubetur. At quia uocanti deo obedit, res omnis succedit felicissimè, & in ea terra non diuitijs modò augetur, uerumetiam amicitias cum potentissimis quibusuis contrahit. Manent in eadem ipsius posteri, & quia dei uocatione ambulant, tutò agunt inter eos quoq;, quos urbis Sichem excidium iusta uindictæ cupiditate cōtra illos armare posse uidebatur. Sed deum protectorem habent fidelissimum, qui in Chananæorum animis & auribus uocem hanc resonare faciebat: Nolite tāgere Christos meos, & prophetis meis nihil mali inferatis. Psal. 105. Transferant horum meditationem ad sese omnes homines, cuiuscunq; sint loci aut ordinis, & meminerint,

dei

dei mandatis benedictionem amplissimam & infallibilem diuini auxilij promissionem coniunctam, atq; adeò inclusam esse, qua haud dubiè fruentur, si illis obtemperare studeant. Vide de hoc Deut. 28. & Leuit. 26. cap. Imprimis uerò cauendum, ne carnis rationes admittamus in ijs, quæ expressis dei uerbis uel præcepta uel prohibita uidemus. Hæc enim præsentissima pestis est, quæ obedientiæ studium omne excutit, & totam uitam deo inuisam reddit. Quia nullum dei præceptum tam sanctum, tam facile & salutare est, in quo non caro nostra & difficultatem & periculum, imò & iniustitiæ & iniquitatis speciem aliquã deprehendat. Fidei obedientia requiritur, quæ (ut Paulus ait) omnem intellectum captiuum ducit, omnia humanæ rationis consilia demolitur, & totum hominem uni deo ac uerbo ipsius subijcit. 2. Corinth. 10. Huc referri debet, quod in lege dominus his uerbis præscribit: Ne peruestigetis post cor uestrum, nec post oculos uestros, post quos scortari soletis. Quin memores sitis, & facite omnia præcepta mea, eritisq; sancti deo uestro. Numeri 15. Et rursum: Ad uerbum meum, quod ego præcipio uobis, nihil adijcietis, nihil item ei detrahetis, &c. Deut. 4. & 12. Quòd si quis exempla eorum requirat, quibus infelicissimè cessit præceptorum dei trãsgressio, tum alibi, tum in Saulis historia non pauca reperiet. Vide 1. Samuel. 13. & 15. cap. Sed pergamus ad reliqua.

II. Apostolorum nomina.

Secundo loco apostolorum nomina Lucas recenset, nec id temere. Præter id enim quòd notissimos esse oportebat, quos Christus Iesus totius orbis doctores fecerat, ne illud munus eiusq; muneris authoritatem seductores improbi sibi uendicarent: necesse erat, ut certò sciremus, illos post turpem defectionem à Christo priori dignitati & loco restitutos fuisse. Notum siquidem est omnibus, quàm turpes sese dederint, cùm Christus à militibus & sacerdotum seruis caperetur. Tunc enim omnes, illo derelicto, fugerunt. Et Petrus, qui maxima quæq; de sua fortitudine erat pollicitus, turpiori flagitio sese polluit, dum eundem tertia uice negat. Non immerito igitur dubitari poterat, num tales in gratiam recepisset dominus, & num defectoribus tam ignauis fides haberi deberet. Ne quid ergo dubij animis nostris inhæreret, & ne prioris lapsus turpitudinẽ ueritatis doctrinæ officere putaremus, spiritus sanctus nominatim illos ipsos (uno Iuda excepto) recenseri uoluit, qui priusquam Christus pateretur, euangelio per orbem diuulgando ordinati erant. Et si huius loci catalogum cum ijs, qui Matth. 10. Marc. 3. & Luc. 6. habentur, conferas, nihil discriminis reperies.

Bonitatis diuinæ exemplum.

Est autem hoc singulare diuinæ bonitatis exemplũ, quæ tam turpi defectionis crimini, non ignoscere modò, uerumetiam illius reos in prioris officij atq; dignitatis gradum restituere uoluit. Verè enim hic iuxta Pauli dictum abundat gratia, ubi abundarat delictum. Rom. 5. Nam Petrus, qui plus alijs peccauerat, ter sibi à Christo dici audit: Pasce oues meas. Iohan. 21. Hinc consolationem petant, qui peccatorum conscientia exagitantur, ne ob illorum uel atrocitatem uel multitudinem animum despondeant. Conuertimini ad me (inquit dominus) & ego conuertar ad uos. Zach. 1. Viuo ego, quod nolo mortem peccatoris, sed potius ut conuertatur, & uiuat. Ezech. 18.

Apostoli uiles & contempti.

Adhæc obseruatione non indignum est, quod in catalogo hoc non nisi uilissimorum & mundi iudicio contemptissimorum hominum nomina recensentur. Primi enim ponuntur Petrus, Iacobus, Iohannes & Andreas, quos antè ignobiles piscatores fuisse legimus. Numeratur hic & Matthæus publicanus, & uitæ prioris cõditione infamis. De aliorũ uel nobilitate uel opibus ac honoribus nihil uspiam extat. Atqui poterat dei filius, cui in animos quoq; hominum ius est, & sacerdotum & principum filios in suum obsequium pertrahere, ut illorum ministerio euangelium uulgaretur, qui authoritate & potentia in mundo præclari habebantur. Sed uiles & contemptos eligere ipsi placuit, tum ut sciremus deum neminem, quantumuis in mundo contemptum ac uilem, fastidire, tum ut de fidei & religionis causa non ex hominum authoritate, sed ipsius ueritatis cognitione & uerbo dei iudicare disceremus. Grauis enim & periculosissimus illorum error est, qui de fidei causa pronunciaturi ad hominum authoritatem oculos conuertunt, quasi fides & religio ab hominum iudicio dependeat, & non potius dei solius uerbo nitatur. Ridentur apud Tertullianum, uetustissimũ scriptorem, Romani, quòd deos suos senatus decreto crearent, nec pro dijs agnoscerent, nisi qui senatui placuissent. Atqui idem faciunt hodie, qui pro hominum authoritate & gloria de fide & fidei doctrina pronunciant. Quod hominũ genus uulgò cernitur, & eo nomine ab aduersarijs maximè nostra fides & religio damnatur, quòd paucos ex Cæsarum & regum numero, paucos item ex Pontificum & Cardinalium atq; Episcoporũ grege sectatores habeat. Sed quàm turpiter isti homines fallantur, Iudæo-

rum exemplum docet, quos ad eundem lapidem offendisse legimus. Cùm enim ministris suis Christi doctrinam nonnihil arridere cernerent, mox hominum authoritate ipsos obruere conantur, dicentes: Num & uos seducti estis? Num quis ex principibus credidit in eum, aut ex pharisæis? Sed turba hæc, quæ non nouit legem, execrabiles sunt. Iohan. 7. Nos ergo dei consilium spectemus, qui (ut Paulus monuit) quæ stulta, contempta & ignobilia & quasi nulla sunt in hoc mundo, eligere consueuit, ut mundi sapientiam, potentiam & authoritatem omnem confundat. 1. Corinth. 1. Nec id temere facit: quia hoc argumento constat, in solo deo nobis gloriandum esse. Obijciant alij nobis Imperatores & Reges, Pontifices & Cardinales, Concilia & Scholas uniuersales, Doctores Seraphicos & illuminatos, Magistros nostros & quicquid uspiam in mundo sapientiæ & sanctitatis nomine prælucet, & uicissim miseram & contemptam in mundo conditionem eorum exagitent, qui euangelio nomen dederunt: nos cum Christo Iesu saluatore & doctore nostro respondebimus: Gratias agimus tibi pater, domine cœli & terræ, quòd absconderis hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelaris ea paruulis. Certè pater, sic fuit bona uoluntas apud te. Matth. 11.

Apostolorum uxores.

Cæterum apostolorum congregationi mulieres etiam interfuisse Lucas scribit. Quas aliqui eas tantummodo fuisse putant, quæ cum Christo Iesu postrema profectione ex Galilæa Hierosolymam ascenderant. Atqui ut negare nolim, ex illarum numero aliquas cum apostolis mansisse: ita de apostolorum uxoribus locum hunc commodissimè intelligi posse existimo. Petro equidem uxorem fuisse euangelica historia disertè docet. De Matthæo si idem asseramus, non absurdè faciemus, quando illum familiam aluisse, & domum habuisse propriam, satis constat. Et Paulus non obscurè testatur, apostolos uxores circumduxisse, quando euangelij doctrinam per omnes gentes diuulgabant. 1 Cor. 9. Quàmuis non ignorem, impuri cœlibatus defensores illum locum de Christianis mulieribus, quæ apostolos secutæ sint, exponere. Sed non animaduertunt inepti homines, se apostolis magnam iniuriam facere, dum ista asserunt. Quam enim excusationem habebunt reliquam apostoli, si proprijs uxoribus relictis, mulieres alienas circumduxerunt? Absit ergo, ut tam absurda & inepta, nec etiam honesta, de sanctissimis Christi Iesu legatis cogitemus. Ego certè apostolorum uxores cum illis è Galilæa ascendisse, & cum apostolis, maritis suis, quibus ab urbe non licebat discedere, in hunc usque diem mansisse credo. Quia enim omnium & laborum & periculorum sociæ apostolis futuræ erant, ipsas quoq; non uulgari spiritus sancti dono præparari & confirmari oportebat. Qui cœlibatum ecclesiæ ministris necessarium esse contendunt, ineptiores sunt, quàm ut in tanta euangelij luce multis confutari debeant, quando omnibus constat, coniugium in omni hominum ordine honorabile, & thorum coniugalem impollutum esse. Hebr. 13.

Maria uirgo mater Christi.

Mulieribus uerò istis diua quoq; uirgo, Christi Iesu mater, affuit unà cum aliquot Christi fratribus, quos iuxta Hebraici sermonis consuetudinem, cognatos illius fuisse intelligimus. Commendarat hanc Christus moriens Iohanni dilecto discipulo, qui illam ad se receptam fidelissimè custodiuit. Atqui hoc loco postremam illius mentionem faciunt sacræ literæ. Nicephorus illam regnante Claudio mortuam esse scribit, cùm annum ageret quinquagesimum nonum. Eusebius in Chronicis in cœlum assumptam tradidit, sed traditionē hanc incertam esse, ipse non dissimulat, cùm addit: ut quidam fuisse sibi reuelatum scribunt. Secuti sunt postremis temporibus monachi, quos non puduit totā Assumptionis historiam confingere: quam ueteribus planè ignotam fuisse, ex Epiphanio patet, qui contra Antidicomarianitas sic scribit: Si uidentur quidam errasse, quærant uestigia scripturarum, & inueniant neq; mortem Mariæ, neq; an mortua sit, aut non mortua: neq; an sepulta sit, aut non sepulta. Et paulò post, Non dico quòd immortalis mansit, sed nec affirmo quòd mortua sit. Excessit enim scriptura mentem humanam, & in suspenso reliquit propter uas pretiosum & excellentissimū, ut ne quis in suspicionē ueniat carnaliū de ipsa rerum, &c. Quibus ego addo, non credibile uideri spiritum sanctum miraculosam Mariæ assumptionem uoluisse tacere, si quæ fuisset facta, cùm Enochi & Eliæ translationem tam diligenter describi curarit. Quæ uerò post Christi ascensionem illi acciderunt, obliuione sepulta uoluit, ne quam superstitioni causam præberet, quam circa illius cultum orituram sciebat. Et sanè mirum uideri poterat, illius facta taceri, cum apostolorum res gestas & doctrinam tam diligenti studio deus conscribi uoluerit. Sed admonemur ea re, nos non circa superstitiosum hominum cultum, sed apostolorū potius doctrinā occupari debere. Interim obseruasse prodest,

Christum

Christum Iesum dilectißimæ matri, & cognatis suis itidem charißimis, tutelam & patrociniũ tam infirmum & imbecillum constituisse. Nam si iuxta mundi iudicium apostolos æstimes, nullæ illorũ uires fuerũt, nullæ opes, nulla nominis authoritas, nulla deniq; arma, quibus sanctißimum illud uas gloriæ & gratiæ dei contra mundi conatus possent defendere. Quin ergo potius potentißimi alicuius regis fidei matrem tuendam committit, cuius animum & uoluntatem facilè, ut illius curam susciperet, inclinare poterat? Sed qui in animos hominum ius habet, externis armis & carnali præsidio ad suos tuendos non indiget. Sufficiens ergo fuit hæc tutela diuæ uirgini, quam ab Iohanne suscipi uoluit. Discamus itaq; & nos, non in hominum præsidijs, sed in dei protectione spem omnem collocare, nec animum despondere, si à potentioribus derelicti, amicos & fautores eos tantum habeamus, qui & uiribus omnibus destituti sunt, & ipsi patronis & tutoribus opus habent, uel etiam omnium iniurijs sunt expositi. Cum Dauide enim nos imperterrito animo exclamare cõuenit: Dominus lux mea & salus mea, à quo nam timerem? Dominus robur uitæ meæ, à quo expauescerem? Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo, &c. Psal. 27. & 118.

Postremò exponit Euangelista, quid omnes isti interea temporis fecerint, dũ spiritus sancti missio differtur. Nam si dies supputemus, decimo demum ab ascensione Christi die illum datum esse reperiemus. Per quadraginta enim dies continuos cum discipulis Christus conuersatus est, & suæ resurrectionis ueritatem argumentis pluribus asseruit. Quinquagesimo autẽ die à festo paschatis missum esse spiritum infrà capite secundo Lucas indicat. Interea temporis unanimiter perseuerauerunt in orationibus & deprecationibus. Quàmuis uerò precationum, quas habuerunt, argumenta non explicentur, ex circumstantijs tamen, quid precati sint, facilè conijci potest. Quid enim aliud orassent qui infirmitatis suæ conscij tantum onus humeris suis impositum uidebant, quàm ut deus spiritus sui mißionem maturare, & ipsos à lapsu omni clementer seruare dignaretur? Prioris etenim defectionis exemplo didicerant, quàm inanes & nullæ sint in diuinis rebus hominis uires, nisi præsenti diuinæ gratiæ auxilio sustentemur.

III. Quid apostoli congregati fecerint?

Obseruemus autem in his, quòd orationem & deprecationem aßiduam illis Lucas tribuit, qui promißionibus amplißimis & fide instructi erant. Nam si ea legas, quæ apud Iohannem Christus, iam mortem aditurus, cum discipulis egit, spiritus sancti promißionem tantumnon ad fastidium usq; repetitam fuisse cernes. Et de eadem non semel, à mortuis resuscitatus, eos admonuerat. Ipsos uerò promißionibus Christi fidem adhibuisse, ex illorum in urbem reditu clarißimè cõstat. Nisi enim credidissent Christum promissis staturum, in urbem sanguinariam & periculi plenam minimè fuissent reuersi. Fides ergo non obstat, quò minus in precibus & bonorum operum studio aßidui ac frequentes simus. Scio equidem multos, quæ de sola fide iustificante & saluante dicuntur, hoc modo cauillari, quasi & preces inutiles reddant, & bonorum operum studia uel extinguant, uel saltem magna ex parte remorentur. Sed tam longè à uero aberrant isti homines, ut non aliud efficacius ad preces & bona opera incitamentum sit, quàm quod ex fide in animis nostris oboritur. Imò nisi fide instructi simus, nec cum fructu orare, nec in bonis operibus feruere poterimus. Quomodo enim inuocabunt eum, in quem non credunt? inquit Paulus. Rom. 10. Et quomodo gratæ erunt deo preces nostræ, nisi de ipsius benigna in nos uoluntate certam fiduciam conceperimus? Deniq; cum natura à bonorum operum studio abhorreamus, fieri nequit, ut illis nos toti consecremus, nisi illa deo patri propter fidem in Christum Iesum placere certi simus. Vt iam de eo nihil dicam, quòd sine fide aliquem deo placere impoßibile est, & quòd peccatum est quicquid sine fide fit. Heb. 11. Rom. 14.

Fides nõ obstat quò minus oremus, &c.

Precibus autem suis duo coniungunt apostoli & qui cum ipsis agunt, sine quibus nulla apud deum precum nostrarum potest esse uirtus siue authoritas, Vnanimitatem nimirum & Perseuerantiam. Vnanimitate opus est, quia eiusdem patris filij sumus, quod in oratione dominica profitemur, dicentes, Pater noster qui es in cœlis, &c. At quis obsecro pater tam uecors & ignauus est, qui filios inter se dißidentes ferre poßit? Et naturæ ea lex est, ut qui eodem semine prognati, & eandem hæreditatem adituri sunt, mutuo amori & concordiæ studeant. At quotquot Christo per fidem sunt insiti, ex eodem semine, uerbo scilicet dei incorruptibili & immortali renati sunt in filios dei, & eiusdem regni in cœlis hæredes erunt: imò ut maius aliquid addamus, eiusdem corporis membra facti, unum caput agnoscunt, & uno eodemq; spiritu animantur. Num ergo fieri poterit, ut tales à chari-

Precibus adsit unanimitas & perseuerantia.

tate & unanimitatis studio alieni sint? Nónne dum odijs & inimicitijs indulgent, sese à corpore Christi auellunt, & hypocrisim execrabilem exercent, dum ut germani filij dei, quasi communibus uotis, in dei conspectu apparere audent? In precibus ergo cumprimis locum habere debet, quod Christus de sacrificaturis admonet, dicens: Si obtuleris munus tuum ad aram, & illic recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque illic munus tuum coram altari, & abi, prius reconcilieris fratri tuo, & tum ueniens offer munus tuum. Matth. 5. Si enim cauendum est, ne quam odij contra nos causam frater habeat, quantò minus admitti debet, ut nos fratris odio ringamur? Non minor uerò perseuerantiæ etiam ratio in precibus habenda est, eò quòd interdum promissam opem diu differt deus, adeoq; nostri curam omnem deposuisse uidetur. Quæ res sanctissimis quoq; uiris uoces illas extorsit: Quousq; obliuisceris mei ô domine? Num perpetuò? Quousq; faciem tuam à me abscondis? Quousq; domine clamo, & non exaudis? Psal. 13. Hab. 1. &c. Cæterum in eiusmodi cogitationibus animo repetendum est, deum nostri curam & memoriã deponere non posse, quos filij sui sanguine redimere dignatus est. Nam apud prophetam ait: Num obliuioni tradit mulier infantem suum, quò minus misereatur filij uteri sui? Sed esto obliuiscantur illæ, ego tamen tui non obliuiscar. Ecce in manibus istis ambabus insculpsi te, &c. Isa. 49. Et Dauid: Fugas meas tu numeratas habes, & lachrymas meas reponis in laguncula tuam, annon in rationario tuo? Psal. 56. Quoties ergo opem petitam differt dominus, hac una de causa fit, ut nostram patientiam atq; fidem exerceat, nec tamen (quod suprà monuimus) ultra uires tentari patitur. Quapropter tunc maximè fidei neruos intendere, & illius robur aßiduis precibus testari conuenit. Et quanta huius perseuerantiæ adeoq; importunitatis uis sit apud deum, Christus Iesus elegantißimis parabolis adumbrat, Luc. 11. & 18. cap. Quod igitur apostoli, dum spiritum sanctum expectarunt, fecêre, id nos quoq; faciamus sedulò. Spiritu sancto enim & nobis opus est ad coercenda carnis desideria & firmandam fidei constantiam. Præparemur ad hunc suscipiendum obedientiæ studio, unanimitate & precum perseuerantia, ut illo animati & illustrati in præsenti seculo diuinæ maiestati uitam nostram approbare, & olim in cœlis uiuere poßimus cum Iesu Christo, saluatore nostro: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA VII.

In diebus illis exurgens Petrus in medio discipulorum, dixit: (erat autem turba nominum simul ferè centum uiginti) Viri fratres, oportuit impleri scripturam hãc, quam prædixit spiritus sanctus per os Dauidis, de Iuda, qui fuit dux ijs qui comprehenderunt Iesum, qui & cooptatus erat in numerum nostrum, & sortitus erat partem ministerij huius. Et is quidem possedit agrum ex mercede iniquitatis, suspensusq; crepuit medius, & effusa sunt omnia uiscera eius. Et innotuit omnibus habitãtibus Hierosolymis: ita ut uocatus sit ager ille propria illorum lingua, Acel-dama, hoc est, ager sanguinis.

EXposuit hucusq; diuus Lucas, quid apostoli in sua priuata causa post Christi è terris discessum fecerint, quibus obedientiam ueram, animorum concordiam & preces aßiduas tribuit. Sunt hæc uerè salutaria exercitia, quibus & nos ad spiritum sanctum ritè excipiendum præparari oportet, qui animam malignam ingredi non solet, nec à mundo percipi potest, qui eiusmodi studia contemnit & ridet. Porrò in præsenti primum apostolorum opus commemorare incipit, quo illi cõmissa sibi ecclesiæ ministerium publicè inchoauerunt. Est hoc diui Matthiæ in locum Iudæ proditoris & reprobi surrogatio. Quia enim duodenarium esse uoluerat Christus apostolorum numerũ, quos duodecim tribuum Israelis iudices constituerat, illum suppleri oportuit, ne Iudæ perfidia Christi instituto aliquid derogauisse uideretur. Interim admonemur apostolorum exemplo, hanc in ecclesia primam curam esse debere, ut ministri sint idonei. Quomodo enim credent in eum (inquit Paulus) de quo non audierunt? Quomodo autem audient absq; prædicante? Quomodo uerò prædicabunt nisi missi fuerint? Rom. 10. Et alibi idem apostolus seipsum & Apollon & Cepham ministros dei fuisse dicit,

In ecclesia prima de ministris idoneis cura haberi debet.

dicit, per quos Corinthij crediderint. 1. Cor. 3. Nam licet solius dei sit, fidem largiri, & is illam spiritus sui uirtute in animis hominum operetur (qua ratione Christi cultores θεοδίδακτοι apud prophetam dicuntur, Isa. 54.) propter nos tamen externo uerbi ministerio uti dignatur, cuius usum & dignitatem in ecclesia asseri & retineri oportet. Quæ causa est, quòd & apud prophetas inter dei beneficia idonei doctores primo loco numerantur, & Christus apostolos deum orare iubet, ut is in messem suam operarios dignos & fideles extrudat. Matth. 9. Et Paulus alibi Christi maiestatem & fidelem pro sua ecclesia curam hoc uno argumento maximè demonstrat, quòd ex alto dona sui spiritus largiatur, et alios quidem det apostolos, alios uerò prophetas, alios autem euangelistas, alios uerò pastores ac doctores ad instaurationem sanctorum in opus administrationis, in ædificationem corporis sui. Ephes. 4. Debent horum meminisse quicunq; hodie in ecclesias Christi ius aliquod sibi uendicant, siue illi doctrinæ antistites sint, siue politicum magistratum gerant, ne in hac parte omnium maximè necessaria ecclesijs desint, quin ita res omnes instituant, ut posteris quoq; ueræ doctrinæ præcepta integra & illæsa relinquāt. Quò cumprimis pertinet scholarum & iuuentutis institutio, cuius præcipuam curam & prophetas olim in ueteri Testamento, & postea Christianos Imperatores habuisse legimus. Quas quicunq; uel negligentia uel ecclesiasticarū opum direptione dissipant, pro maximis ecclesiæ hostibus censeri debent, & tam atrocis flagitij graues pœnas Christo olim exoluent. Sed ut præsentis loci expositionem aggrediamur, mira diligentia historia huius narrationem Lucas contexit: cuius hic præcipuus usus est, ut apostolorum exemplo discamus, quid in ministris ecclesiæ eligendis ac ordinandis præcipuè obseruari conueniat.

Orditur autem ab ecclesiæ, quæ tunc temporis erat, descriptione. In diebus illis (inquit) quando unanimiter collecti, spiritum sanctum expectabant, Petrus in medio discipulorum exurgens orationem habere cœpit, qua rem ad omnes ex æquo pertinentem tractandam proposuit. Erat autem credentium numerus, cum nominatim censerentur, circiter centū & uiginti. Hic uerò & paucitas credentium in primitiua ecclesia, & Petrus apostolus nobis obseruandi ueniunt. Etenim quoad eorum numerum, qui iam tum Christo & ecclesiæ suæ nomina dederant, neminem esse puto, cui non mirum uideatur, tam paucos in urbe tam celebri & populosa Christi cultores esse inuentos. Quid enim in illa intentatum reliquerat Christus? Nam ut ea omittamus, quæ prophetæ docendo, monendo & hortando egerunt, si quæ ab eo tempore in illa urbe facta sunt, consideres, quo Christus manifestari cœpit, incredibilem illius gentis duritiem & pertinaciam deprehendemus. Christum præcesserat Iohannes Baptista, qui & doctrinæ perspicuitate & uitæ austeritate quosuis permouere poterat. Sed quàm parū profecerit, res ipsa testatur. Mox ergo Christus insecutus est, qui doctrinæ (quam nullo non dicendi genere ipsis gratiorem reddere studebat) miracula coniunxit, & tanta quidem, quæ uel ipsis hostibus ueritatis confessionem extorquere poterant. Certè Nicodemus fatetur, neminem, nisi à deo missum, ea facere posse, quæ Christum quotidie facere uidebant. Iohan. 3. Et uulgò audita fuit multorum uox, dicentiū: Christus cum uenerit, num signa edet plura his, quàm hic edidit? Iohan. 7. Taceo prodigia & signa, quæ mortem Christi partim comitata, partim secuta fuerant, quæ & militum immanissimorum animos emollire potuerunt. At post omnia hæc in credentium censu non plures quàm centum uiginti reperiūtur, Luca teste ueracissimo. Apparet in his diuina Christi Iesu potentia, qui ex pauculis hisce reliquijs (sicuti olim prophetæ prædixerant) ecclesiam suam instaurauit, quæ intra paucos annos per totum orbem terrarum propagata est. Simul uerò discamus humani ingenij duritiem & tantumnon incurabilem malitiā agnoscere, nec offendamur, si hodie quoq; euangelij doctrinæ paucissimos credere uideamus. Hoc ipsum enim Isaias olim præuidit, & proinde de redemptione per Christum peragenda concionaturus, exclamat: Quis credidit prædicationi nostræ? & brachium domini cui reuelatum est? Isa. 53. Et Christus gregem suum alloquens, ait: Ne timeas pusille grex, quia complacitum est patri uestro, dare uobis regnum. Luc. 12. Idemq; de nouissimis temporibus disserens, eam tunc mundi formam fore testatur, ut Christus in aduentu suo fidem omnino nullam reperturus esse uideri possit. Luc. 18.

Grauis ergo illorum error est, qui de fide & fidei doctrina ex sectatorum multitudine siue paucitate pronuntiant, quod hodie nimiū frequens est. Atqui olim quoq; ea fuit mundi conditio, ut paucissimi semper ueritatis doctrinam secuti sint. Vnus Noe cum suis prisco illo seculo diuersam ab

Primitiuæ ecclesiæ paucitas

Paucitas credentium neminem offendat.

De fide non iudicandum ex multitudine sectatorum.

alijs fidem & religionem sectatur, toto reliquo mundo ad superstitiones & impietatem dilapso. Sed illum nec suorum paucitas salute spoliat, nec aduersariorum multitudo dãnat, imò omnibus pereuntibus saluatur, & deum fidei suæ tum probatorem tum assertorem habet. Idem de Loto Sodomis agente dicimus. Quid quòd Elias unus tam Baalitis quàm regi Achab & aulicis uniuersis sese in fidei & religionis causa opponit? 3. Reg. 18. Et Micheas solus cum trecentis pseudoprophetis, quos etiam regis fauor protegebat, congreditur. 3. Reg. 22. Quare ipsam potius ueritatis doctrinam respicere, quæ ex dei ore progressa sacris literis continetur, non hominum authoritatem sequi conuenit, quando omnis homo mendax est, unus autem deus uerax. Rom. 3.

Contra primatus affectatores in ecclesia.

Operæpretium uerò est, ut Petrum quoq; consideremus, qui inter discipulos assurgens, causam hanc publicè tractandam proponit. Hinc enim primatus sui, imò tyrannidis potius, patrocinium quærunt Romani pontifices, ut ex alijs etiam locis, qui Petro alicuius prærogatiuæ uel primatus speciem inter apostolos tribuere uidentur. Perinde autem mihi faciunt, ut qui in fluuijs uorticosis & profundis periclitantur. Vt enim illi quiduis obuium arripiunt: ita isti undiq; captant, quo primatus sui dignitatem, iam conquassatam & uniuersalem ruinam minantem, instaurare possint. Hac ratione uni Petro claues regni cœlorum uendicant, quos tamen omnibus apostolis simul datos esse ex Ioban. 20. cap. euidentissimè constat. Ita uni Petro ouium Christi curam, ceu principi, commissam esse contendunt, nec animaduertunt, quanta iniuria reliquis apostolis fiat, quasi illos non ouium suarum, sed porcorum aut asinorum pastores Christus fecerit. Ad eundem modum, cum Petrum audiunt primum in ecclesia sermonem fecisse, mox illum & Christi uicarium, & ecclesiæ caput, omniumq; apostolorum principem fuisse fingunt. Ac longius progressi, omnem istum honorem sibijpsis, ceu legitimis & ordinarijs Petri successoribus, transcribunt. Sed quàm uana hæc sint & friuola, res ipsa declarat. Nec enim, ut ecclesiæ princeps & reliquorum apostolorum dominus, quicquam ex suo arbitrio præscribit Petrus, sed in medio discipulorum, quibus se æqualem esse agnoscebant, rem maximi momenti omnibus tractandam proponit, in qua tractatione unicuiuis liberam secundum spiritus suggestionem dicendi & agendi facultatem permittit. Et quod primus ipse loquitur, singulari spiritus sancti suggestione factum est, qui exemplum gratiæ, quod in Petro à turpi lapsu restituto Christus edidit, hac etiam ratione illustrius fecit. Quòd uerò ipsum dicentem reliqui patienter audiunt, unanimitatis signum est, quam supra illis Lucas tribuit, & non tam propter primatus dignitatem fit, quàm propter ordinis conseruationem, sine quo nihil uel in ecclesia uel in repub. integrum subsistere potest. Quare & Paulus in ecclesia omnia decenter & diligenti ordinis legitimi obseruatione fieri iubet. 1. Cor. 14. Quòd uerò apostolorum omnium conditionem attinet, eosdem omnes æquales siue pares facit, & qui alibi se minimum apostolorum nominat, ad uitæ suæ prioris indignitatem respiciens, idem de ministerio loquens, seipsum Petro coniungere non ueretur, dicens: Qui efficax fuit in Petro ad apostolatum circumcisionis, idem efficax fuit in me erga gentes. Gal. 2. Et apud Corinthios factiosa Paulinorum, Petrinorum & Apollinianorũ nomina extirpare uolens, ait: Quis igitur Paulus? quis Apollo? nisi ministri, per quos credidistis, & quantum unicuiq; dominus dedit. 1. Cor. 3. Agnoscit hoc ipse Petrus, qui paulò post de Iuda loquens, ipsum partem ministerij huius ecclesiastici sustinuisse testatur. Quòd si uerò partem illius sustinuit Iudas, quæ erit inscitia totum Petro uendicare? Nisi fortè Petrum dicamus in gratiam improbi proditoris adulari, & quod ad se solum pertinebat, in filium perditionis transferre uoluisse? Sed quid uerbis opus est? quando constat, Christum Iesum ambitiosam inter apostolos primatus affectationem non semel magna cum seueritate redarguisse. Nota sunt, quæ in hanc sententiam extant, Matth. 18. & 20. Luc. 22. Iohã. 13. Et Petrus ecclesiarum pastores grauiter monet, ne sibijpsis aliquod dominium uendicent in ecclesiam, quæ Christi patrimonium & quasi sors hæreditaria ab ipso nominatur. 1. Pet. 5. Quem enim tantæ authoritatis esse putabimus, ut illi imperium in gregem illum pretiosum decernamus, qui Christi sanguine redemptus est? Quòd si ipsi gregi dominico nemo principum huius seculi more dominari debet, quantò absurdius erit, si dominium quoddam inter sese constituant, quorum una & eadem debet esse in illo grege pascendo authoritas? Quid ergo aliud tam pertinaci primatus affectatione euincunt Romani pontifices, quàm quòd se Christi præceptorũ parũ memores, et nihil minus quàm legitimos Petri successores esse produnt? Sed omissis illis ad Petri orationem transeamus.

Constat

Constat ea duabus partibus. Prima offendiculo medetur, quod ex horribili Iudæ lapsu in simplicium & rudiorum animis oboriri poterat. Quando enim Christum Iesum ab Iuda proditum, & illum ipsum postea corpore & anima miserrimè perisse uidebant, procliue erat, uel de Christi omniscientia dubitare, uel omnem apostolorum ordinem unà cum ipsorum doctrina suspectum habere. Non temere igitur tanto malo Petrus initio suæ orationis occurrit. Altera uerò parte discipulos hortatur, ut alium quendam in Iudæ locum surrogent, ne Christi instituto illius perfidia aliquid decessisse uideretur. Orationis Petri argumentũ.

Priorem partem à scripturæ sacræ testimonio orditur, quo non obscurè æternũ diuinæ prouidentiæ decretum producit: quæ ualidißima ratio est declinandi offendicula, si nimirum, nihil temere, sed ex dei decreto omnia facta esse, homines intelligãt. Quare ait: Viri fratres, oportuit impleri scripturam hanc, quam prædixit spiritus sanctus per os Dauidis de Iuda, qui fuit dux iis, qui comprehenderunt Iesum. Quorum hic mihi sensus esse uidetur: Nolo fratres atroci Iudæ flagitio & eiusdem horribili exitu quenquam ex uobis offendi, quasi hæc uel temere facta sint, uel dei filius, ab improbo homine circumuentus, illius dolos & insidias effugere non potuerit. Nolo item hæc aliquem ita accipere, quasi nostro ordini & sanctißimæ functioni, quam ex Christi mandato sustinemus, scelerati hominis perfidia quicquam derogare debeat. Hæc enim ut ita fierent, deo uisum est, cuius hoc erat consilium & decretum, ut dilectus filius suus à discipulo, eoq; non uulgari, proderetur. Nec id nos latere uoluit. Nota sunt enim, quæ Psalmo 41. legũtur, quorum ipse Christus in ultima cœna nos commonefecit, dicens: Qui mecum edit panem, sustulit aduersum me calcaneum suum. Nunc dico uobis priusquam fiat, ut cum factum fuerit, credatis quòd ego sim. Iohan. 13. Quare in dei prouidentiam oculis coniectis, ipsius bonitatem & ueritatem admiremini, nec uos offendant, quæ ipsius & decreto & iusta permißione facta sunt. Petrus medetur offendiculo per dei prouidentiam.

Nemo tamen hæc ita intelligat, quasi Petrus Iudæ immane facinus excusare, omnemq; illius culpam in ipsum deum reijcere uelit. Nec enim ea diuinæ prouidentiæ, quæ omnia gubernat, ratio est, ut nostrorum scelerum culpa in deum authorem recidat, quando quæcunq; malè faciunt homines, non ideo ab illis fiunt, ut dei decretum exequantur, sed ut propriæ malitiæ desiderijs & cupiditatibus satisfaciant. Dei quidem hoc decretum fuisse constat, ut filius ipsius, Iesus Christus, discipuli fraude & perfidia proditus, in hostiũ manus deueniret, inde ab illis capitis damnatus in crucem ageretur, ubi corporis sui uictima mundi peccatum expiaret. At si Iudam spectes, proditionis illius ministrum, is in tanto facinore nihil minus quàm dei decretum & humani generis redemptionem ob oculos habuit, sed auaritiæ fascino excæcatus & extimulatus, primò quidẽ furti (ut Iohan. 12. cap. legitur) deinde etiam proditionis crimine sese polluit. Eadem Annæ & Caiaphæ, Pilati deniq; & aliorum omnium ratio est, quos mortis Christi executores fuisse euangelica historia testatur. Pleni sunt huius generis exemplorum sacræ scripturæ libri, quibus ut grauiter peccent homines, admonemur, dum ea faciunt, quæ fieri deus decreuit, quia cæcis & illicitis corruptæ naturæ affectibus impulsi faciunt. Quis obsecro tam uecors est, ut Iosephum sine singulari diuinæ prouidentiæ consilio in Aegyptum peruenisse putet, quando de posteritatis Abrahamicæ in Ægyptum descensu, deus ipsum Abrahamum iam olim admonuisse legitur? Quis item non agnoscat in toto illo negotio admirabilem dei sapientiam, quæ singula & prudentißimè & utilißimè gubernauit? Num uerò idcirco Iosephi fratres culpa liberamus, qui inuidia moti, fratrem melius de se meritum uendidêre? Imò omne hoc negotium Iosephi uerbis interpretamur: Vos cogitastis aduersum me malum, at deus cogitauit idipsum in bonum, ut faceret quemadmodum hodie apparet, ut scilicet seruaret in uita populum multum. Gen. 50. Sed & similium casuum exempla quotidiana experientia suppeditat. Quis enim à latrone uiatorem sine diuinæ prouidentiæ consilio occidi dicat, quando & dies uitæ nostræ & pilos capitis nostri apud deũ numeratos esse scimus? Psal. 90. Matth. 10. Attamen quia improbo affectu impulsore tantum facinus latro committit, in illo peccati culpa meritò hærere dicitur, & eiusdem pœnas iure exoluit. Nemo igitur in dei prouidentia scelerum suorum excusationem quærat, nec deum peccatorum authorem facere audeat, sed ex illius meditatione consolationem petamus, quibus contra horribiles, qui in uita hac occurrunt, casus præmuniamur. Et huc Petrum quoq; respexisse certè constat, in cuius uerbis alia quoq; nobis obseruanda restant. Prouidẽtia dei peccatores nõ liberat culpa.

CAPVT I.

Precum piarũ efficacia.

Et primò quidem memorabili exemplo docemur, quanta sit piarum precum efficacia. Supra enim monuit Lucas, apostolos unanimiter in precibus perseuerauisse. Quibus quid effectum sit, modò cernitur. Petrus enim, qui paulò ante ueram regni Christi rationem ignorabat, & de articulo restitutionis ipsius ineptam cum alijs quæstionem mouerat, repentè ex scripturis concionari incipit, quas & proprijssimè allegat, & dexterrimè interpretatur. Adeò uerum est, quod Apostolus monet: Si cui uestrum deest sapientia, postulet ab eo qui dat, nempe deo, & dabitur ei. Iac. 1.

In ecclesia nihil sine scripturis instituendũ.

Deinde Petri exemplo admonemur, nihil in ecclesia sine scripturarum authoritate institui debere. Vt enim in bene constitutis rebuspub. certæ leges sunt, adeoq́ codex legum habetur authenticus, in quem nemini aliquid iuris permittitur, ut pro suo arbitrio quicquam in illo uel auferat uel addat, aut etiam contra illius præscriptum in repub. aliquid statuat: ita ecclesiæ suæ ueteris & noui Testamenti libros Christus tradidit, quibus regni cœlorum mysteria & beatè æternumq́ uiuendi leges continentur. Ex his ergo consilia omnia deduci, & ex ijsdem sermonum omnium in ecclesia argumenta sumi debent. Nec quisquam eo loco est aut ordine, ut sibi quicquam ab his diuersum statuendi ius esse putet. Olim equidem regibus liber iste tradebatur, non ut hunc suo imperio subiectum putarent, sed ut inde bene regnandi leges peterent. Deut. 17. Et prophetæ hoc mandato astringebantur, ut conciones suas ex ore domini sumerent (Ezech. 3. & 33.) quod nos non aliud quàm scripturas interpretari poßumus, quia per has, tanquam os quoddam, suæ uoluntatis mysteria nobis reuelat. Sed & ipse Christus frequenter ex scripturis concionatur, & libros sacros contrectare, & locos ex illis petitos populo exponere non dedignatur, cuius rei exemplum in schola Nazarethana præbuit. Luc. 4. Præceptoris ergo exemplum Petrus imitatus, ex scripturis dicendi initiũ facit. Quem utinam illi quoq́ imitarentur, qui cum Petri successione glorientur, multa tamen cum scripturis ex diametro pugnantia, non alia quàm humana authoritate, ecclesijs obtrudere audent.

Scripturæ author spiritus sanctus.

Præterea insigni elogio scripturas Petrus ornat, cum illarum authorem spiritum sanctum dicit, qui per os Dauidis ista promulgare uoluerit. Idem alibi fatetur, quando Christi spiritu prophetas afflatos fuisse & illius instinctu oracula edidisse scribit. 1. Pet. 1. Et 2. Pet. 1. Nec aliud Paulus sentit, qui scripturam θεόπνευσον, id est diuinitus inspiratam, appellare non ueretur. 2. Tim. 3. Vsus uerò horum est, ut scripturæ dignitate & authoritate cognita, dei uerba esse agnoscamus, quæ in illa traduntur, nec nobis permissum putemus illius præceptis quocunq́ modo contradicere.

Prior Iudæ dignitas.

Pergit autem in prima orationis parte apostolus, & Iudæ dignitatem, quæ illi antequam excideret cum reliquis apostolis cõmunis erat, diligenter cõmemorat. Nam ait: Qui cooptatus erat in numerum nostrum, & sortitus erat partem ministerij huius. Cogitaret enim aliquis, Iudam inter apostolos quidem fuisse numeratum, sed non alia causa quàm ut numerum impleret, homo alioqui otiosus & nullius momenti. Sed occurrit Petrus, qui illum non tantum ex apostolorũ numero fuisse, sed eidem ministerij quoq́ partem obtigisse dicit. Idem Euangelistæ testantur, dum illis Iudam connumerant, qui à Christo adhuc in terris agente ad prædicandum emißi, & miraculorum uirtute instructi fuerunt, quiq́ ad Christum reuersi felicem legationis suæ successum cum gaudio narrauerunt. Matth. 10. Mar. 3. Luc. 6. & 9. &c. Et tam abest, ut ab illorum numero usquam secernatur Iudas, ut tunc quoq́ ex illo fuisse ab Euangelistis dicatur, quãdo immane ipsius facinus, quo Christum prodidit, commemorant. Mar. 14.

Nemo ministrorũ uerbi uitijs offendatur.

Quam uerò causam esse dicemus, quòd toties tamq́ diligens huius rei mentio & antea facta est, & nunc quoq́ à Petro repetitur? Num uerò uel Iudæ improbo spiritus sanctus adulari, uel apostolorum ordinem hac labe inficere & contaminare uoluit? Nequaquam. Imò aliud docet obseruatu & dignißimum & maximè necessarium: ne uidelicet excellentißimorum hominum uitijs offendamur, nec propter illa omnem illorum conditionem temnere damnemus. Quod in uerbi ministrorũ delictis multi nimium ineptè faciunt. Vbi enim illos fœdè prolapsos uident, in quibus paulò ante doctrinæ synceritatem cum prudentia & forti Christi ueritatem asserendi constantia coniunctam admirati sunt, non contenti illorum uitijs succensuisse, in tot um ministrorum ordinem ora laxant, omnes in uniuersum hypocritas & nebulones esse clamant, & ulterius progreßi, doctrinam quoq́ in dubium uocare non uerentur. Quia ergo Christus Iesus uerbi sui ministros homines fore, & pro humanæ infirmitatis ratione interdum grauißimè lapsuros præuidebant, ne quis illorum uitijs offensus,

euan-

euangelij doctrinam in uniuersum damnaret, apostolorum uitijs & imprimis horrendo Iudæ lapsu cauere uoluit. Etenim si ab omni labe apostoli alieni fuissent, non immerito de illorum doctrina hodie dubitaremus, quos non rarò turpiter peccare cernimus. At quia nec ambitionis crimen, quod non semel in illis Christus reprehendit, nec turpem Petri Christum abnegantis lapsum, nec immane Iudæ proditoris scelus, quicquam euangelij doctrinæ derogauisse constat, nimium profectò ineptus est, qui nostri seculi ministrorum uitijs ita offenditur, ut propter illa ueritatis doctrinã mendacij accuset. Atqui nullus hominum ordo est, qui non bonos pariter & malos habeat. Et si apostolorum ordini propter Iudæ lapsum nihil decedit (instauratur enim Matthiæ successione) quantò minus per hunc apostolorum doctrinæ aliquid derogari potuit? Neq; hæc ideò dicimus, ut uerbi ministris licenter peccandi fenestram aperiamus. Scimus enim eò grauiores scelerum pœnas ipsos daturos esse, quò grauius & nocentius est offendiculum, cuius ipsi authores sunt. Sed infirmis consulimus, ne cum ministrorum uita improba ueritatis salutarem doctrinã magno suo malo abijciant. Quod ipsum Christus, de Iudæorũ scribis loquens, admonuit his uerbis: In cathedra Mosis sedent scribæ & pharisæi. Omnia ergo quæcunq; iusserint uos seruare, seruate & facite: secundum opera uerò eorum nolite facere: dicunt enim, & non faciunt. Matth. 23.

Deinde alij offendiculo horum obseruatio medetur. Communis enim hæc fidelium Christi adeoq; totius ecclesiæ sors est, ut domesticorum insidijs maximè petantur. A fratre germano & uterino pius Abel cæditur, Esauum hostem acerrimum Iacob experitur. Ioseph à fratribus uenditur. Et Moses Israelitas fratres, quorum causa Aegypti opes & delicias reliquerat, ipsis Aegyptijs ferè inhumaniores sentit. Dauides item de illorum insidijs maximè conqueritur, qui aliquando intima familiaritate ipsi coniuncti fuerant. Psal. 55. 41. &c. Et quotidie experimur illud Christi: Inimici hominis domestici ipsius. Matth. 10. Atqui multos ista offendunt, qui suorum animos ab ipsis abalienari molestè ferunt, & sinistrè multa de ea doctrina cogitare incipiunt, quam dissensionũ & dissidiorum causam præcipuam esse suspicantur. Vt interim de illis nihil dicam, qui piorum mores tam duros & asperos esse putant, ut nemo ipsis diu amicus esse possit. Cæterũ omnibus istis unicum hoc exemplum occurrit, quo filium dei, summum mansuetudinis & humilitatis exemplar, à discipulo intimo & domestico proditum fuisse docemur. Quid ergo de hominis ingenio nobis ultra pollicebimur? Vel num rem indignã putabimus, ut eam experiamur sortẽ, quam filius dei nostri causa subire dignatus est?

Domesticorum insidijs petuntur fideles.

Sed ad Petrum redeamus, qui ut Iudæ priorem dignitatem & scelus exposuit, ita eiusdem horrendum exitum graphicè depingit, & quasi spectandum oculis subijcit: non quidem, ut infelicis hominis recordatione animum odio flagrantem exatiet, sed ut atrocis exempli memoria dei timorem & pietatis ueræ studium in omnium animis accendat. Nec alienum ab instituto erat huius meminisse, quando de nouo apostolo eligendo consultabatur: ut inde in diligentem sui muneris considerationem & ardens illud obeundi studium abriperentur. Dicit ergo: Et is quidem possedit agrum ex mercede iniquitatis, suspensusq; crepuit medius, & effusa sunt omnia uiscera eius. Et innotuit omnibus habitantibus Hierosolymis: ita ut uocatus sit ager ille propria illorum lingua Aceldama, id est, ager sanguinis. Prodest autem singula hæc ordine, quo contigerunt, inspicere. Nam ut Euangelistæ tradunt, ubi Iudas Christum Pilato traditum uidit, sceleris pœnitentia ductus, ad sacerdotes reuertitur, scelus suum fatetur & pecuniam proditionis nefandæ pretium, reddit. Ab illis uerò delusus, & cum indignatione reiectus, pecuniam in templum abijcit, ac inde se proripiens laqueo gulam sibi frangit. Sacerdotes, quia pecuniam nec in templo sparsam relinquere honestè poterant, nec intra templi thesauros reponere audebant, quam pretium sanguinis esse nouerant, ex ea agrum figuli emunt in peregrinorum sepulturam, nimirum hoc opere immane scelus expiaturi, cuius fuerant paulò ante authores. At hoc pacto sempiternam sceleris infamiam sibijpsis consciscunt, dum diuina prouidentia fit, ut ager ex pecunia sanguinis denominatus, de illorũ nefando flagitio testetur. Hunc uero agrum ipsum Iudam possedisse Petrus dicit, tum quia ipsius pecunia emptus erat, tum quia ad Iudam non minima infamis illius & ignominiosæ memoriæ pars redibat. Porrò in his primò æstuantis in Iuda conscientiæ dolores animo concipe, quos atrocissimos fuisse constat, adeoq; inferni cruciatibus intolerabiliores, quando & pecuniæ non contemptum modò, sed odium quoq; auarissimo homini extorquere potuerunt, & ad peccati confessionem adigere, quem Christus in Cœna frustra

Iudæ horribilis exitus.

admonuerat, & uitæ præsentis tædium in ipso parere. Adde his horrendum mortis genus. Ipse sibi laqueum nectit. Ipse collo proprio laqueũ induit. Ipse sibi proprij suspendij author est, quo infelicem animam exhalat. Accedit quod mortis atrocitatẽ amplificet. Nam medius crepuit, & effusa sunt omnia uiscera ipsius. Merebatur enim ut uitalia uiscera profunderet, qui Christum uitæ ueræ authorem unicum turpi lucro uendere non erat ueritus. At neque hîc quidem diuini iudicij rigor finitur, sed sempiterna accedit tam immanis flagitij memoria. Ita fit ut nec uita, nec pecunia (quam ipsa uita chariorem habuerat) diu fruatur infelix ille perditionis filius. In hoc speculum oculos mentis suæ defigant, quicunq; turpis lucri & priuati cõmodi gratia Christum prodere, ueritatem negare, & ecclesiæ Christi turpiter illudere consueuerunt. Obseruent eadem hæc, quicunque ex sanguine uiuunt, hancq; sibi præcipuam laudem ducunt, si mercenarijs bellis ditati, opes suas ædificiorum structura, prædiorum magnifico cultu, supellectilis superbo apparatu, uestium luxu, & totius uitæ immani fastu & insanis sumptibus testentur. Quid enim isti aliud faciunt, quàm quòd se sanguinarios esse produnt, & uitæ immaniter transactæ monumenta sibijpsis relinquunt? At quia in sequentibus quædam dicenda restant, quæ ad hunc locum pertinent, hæc modò sufficiant. Moueat uerò nos infelix Iudæ exitus, ut syncero dei timore mortificati, Christum Iesum firma fide amplectamur: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA VIII.

Scriptum est enim in libro Psalmorum: Fiat habitatio eius deserta, & non sit qui habitet in ea. Et episcopatum eius accipiat alius. Oportet igitur ut ex ijs, qui nobiscum fuerunt congregati toto tempore, quo intrauit & exiuit inter nos dominus Iesus, exorsus à baptismo Iohannis, usq; in eum diem quo assumptus à nobis, unus aliquis constituatur, qui sit unà nobiscum testis resurrectionis eius.

QVoniã dominus & saluator noster, Iesus Christus, apostolos suos nostræ redemptionis, quam ipse suo merito nobis acquisiuit, testes esse uoluit, minimè superuacaneum est, ut quæ de illorum uocatione & ordinatione dicuntur, aliquantò diligentius expendamus. Nisi enim hæc nobis probè comperta fuerint, non ea apud nos esse poterit testimonij ipsorum authoritas, quam esse oportet. Quæ causa est, quòd illorum uocatio, quos Christus Iesus adhuc in terris agens elegit, ab Euangelistis ea diligentia describitur, ut ipsos diuinitus ordinatos esse, nemo dubitare possit. At quia Matthiæ authoritas minor uideri poterat, qui post Christi ascensionem demum in Iudæ locum succedens, apostolorum collegio adnumeratus est, illius quoq; electionem ita describit Lucas, ut illum non minus quàm reliquos ab ipso in Christo in huius muneris administrationem constitutũ fuisse pateat. Nam nec sponte cucurrit, nec Petrus, qui causam hanc ecclesiæ cõsultandam proposuit, quicquam priuato siue consilio siue authoritate egit, sed cum toto fidelium cœtu ad preces conuersus, omne hoc negotium diuinæ uoluntati permisit, ut sequenti Homilia dicetur. Quo exemplo admonemur, legitimam uocationem ministris expectandam esse, nec alicui permittendum, ut uel seipsum uel alios temere & priuata authoritate ecclesiæ obtrudat. Nam apud prophetam grauissimè reprehenduntur, qui sponte currebãt, non legitima domini uocatione expectata. Iere. 23. Et Paulus ait: Quomodo prædicabunt, nisi missi fuerint? Rom. 10. Atqui non ignorabat Paulus, multos non missos à domino prædicare (quos alibi ψευδαδέλφους, id est, falsos fratres uocat, qui absque legitima ordinatione irrepant, Galat. 2.) sed tales officio suo uerè defungi posse negat. Quid? quòd nec ipse Christus docendi munus aggressus est, priusquam solenni inauguratione à deo patre orbis totius doctor esse declararetur: cuius rei etiam author epistolæ ad Hebræos cap. 5. meminit. Quæ ratio nisi obseruetur, nec populus pro dei ministris agnoscere potest, de quorum uocatione incertus est, nec ipsi ministri qua decet fide & constantia in suo officio uersabuntur. Quibus enim rationibus cõtra mundi minas, tyrannorum conatus & undiq; imminentia pericula sese armabunt, qui temerariæ usurpationis sibi conscij, de dei auxilio spem nullam possunt concipere?

Ministri legitimam uocationẽ expectent.

Sed ad Petrum reuertamur, qui prima suæ orationis parte (ut heri monuimus) offendiculo medetur, quod ex Iudæ lapsu oriri poterat, dum ad diuinæ prouidentiæ decretum ipsos relegat, quod ante secula aliquot spiritus sanctus per Dauidem reuelarat. Et quia scripturæ sacræ mentionem fecerat, in præsenti quædam illius testimonia profert. Omißis tamen illis, quibus Iudæ scelus (quod satis, superq; satis notum erat) prædicitur, ea tantummodo recenset, quæ de eiusdem horribili pœna extant. Et duo quidem coniungit, quorum prius ex Psal.69 alterum ex 109. desumptum est. Scriptum est (inquit) in libro Psalmorum: Fiat habitatio eius deserta, & non sit qui habitet in ea. Et episcopatum eius accipiat alter. Nec obstat, quòd totis illis Psalmis de suis hostibus Dauid loquitur. Quia enim in persecutione, quam sub Saule tyranno sustinuit, Christi Iesu typum gessit, quæcunq; de ipsius hostibus dicuntur, ad Christi hostes, & Iudam imprimis, qui omnium quasi antesignanus est, referri debent.

Oracula de pœnis Iudæ.

At priusquam de pœnis illorum dicamus, illud minimè præteriri debet, quòd non de proditionis scelere tantum, quod Iudas commissurus erat, uerumetiam de eiusdem horrendis pœnis spiritus sanctus prophetare uoluit. Quia enim Iudas auaritiæ affectu extimulatus Christum prodidit, non autem ut iuxta dei decretum humani generis redemptionem promoueret, illius facinus nulla ratione excusari potest, sed atroces pœnas meretur. Et eadem omnium impiorum est ratio: quam si obseruemus, facilè constabit, prouidentiam dei impijs non patrocinari, nec peccatorum culpam deo transscribi debere, quando spontanea & libera uoluntate peccant homines, qui nisi efficaci spiritus & gratiæ dei uirtute regenerentur, ex semetipsis nihil quàm peccare possunt. Quia tamen dei prouidentia res cunctas gubernari constat, ab huius gubernatione peccata eximi non debent, nisi dei omnipotentiam negare & homini uires contra dei uoluntatem aliquid agendi tribuere uelimus. Non autem in hominum peccatis subsistit dei prouidentia: sed longius progressa peccatis dignas pœnas decernit, & illarum executores uarios pro sua uoluntate constituit. Peccatorum ergo nostrorum non authorem, sed uindicem potius deum agnoscamus ex prouidentiæ ipsius contemplatione, & mox omnia illius iudicia iustitiam & ueritatem esse deprehendemus.

Dei prouidentia sceleribus non patrocinatur.

Cæterum pœnas uideamus, quibus & Iudæ perfidiam olim deus ultus est, & omniũ suorum hostium impietatem ulcisci consueuit. Sunt hæ multæ & uariæ, quarum mentionem copiosè Dauides facit in locis modò citatis. At duabus in præsenti Petrus contentus esse uoluit, quæ & in Iuda euidentißimè cernuntur, & reliquas penè omnes comprehendunt. Primam his uerbis exprimit: Fiat habitatio eius deserta, & non sit qui habitet in ea. Minatur hîc illis excidium, & quòd patrijs siue auitis sedibus eijciendi sint. Videtur enim hæc cum Mosaica illa maledictione conuenire: Domum extrues, & alius in ea habitabit. Deut.28. Nam quod hîc dicitur: Et nemo habitet in ea: de posteris impiorum intelligendum esse uidetur, qui unà cum patribus eijci & dißipari mereantur. Atqui grauißima hæc pœna est, si rem penitius excutias. Comprehendit enim quæcunq; in hominis fortunas & corpus aduersa incidere possunt. Excidium etenim præcedit bellum, & quicquid malorum belli fortuna secum trahit. Comitantur illud paupertas, fames, labor, cura, solicitudo, ignominia & omnis generis calamitatum uicißitudo indesinens, quæ non nisi lenta tabe finitur, & plerunq; infamem scelerum memoriam post se relinquit. Quæ omnia Iudæ accidisse, nemini dubium uideri potest. Nam licet ipse longas huius uitæ calamitates præcipiti suspendio effugisse uideatur, dei tamen iudicium posteritas ipsius effugere non potuit. Et quid illa perpessa sit, ex uniuersali gentis Iudaicæ excidio facilè colligi potest. Nec enim solus Iudas Christi proditi & crucifixi culpam sustinet, sed eadem totius gentis culpa est, cuius proceres Iudam ad tantum facinus conduxerunt, & quæ procerum consilia coram Pilato iudice unanimi consensu approbauit, clamans: Crucifige, crucifige. Sanguis eius super nos, & super filios nostros. Nec diu cessauit dei iustitia, quin innocentem filij sui sanguinem de illorum capitibus requireret. Et quod Christus non semel ipsis interminatus erat, non multò post tempore euenit. Christi enim minæ fuerunt: Hierusalem Hierusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt: Quoties uolui congregare filios tuos, ut gallina congregat pullos suos, & tu noluisti? Ecce relinquitur uobis domus uestra deserta. Matthæi 23.cap. Et rursum: Non relinquetur hîc lapis super lapidem, qui non destruetur. Matth.24. Alibi item non sine lachrymis infelici urbi excidium denunciat, dicens: Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui uallo, &

Pœnæ hostium Christi.

Excidium.

cingent te, & coangustabunt te undiq;, & solo æquabunt te, & filios tuos qui in te sunt. Et non relinquent in te lapidem super lapidem, eò quòd non cognoueris tempus uisitationis tuæ. Lucæ 19. Cum his si historiam conferas, & Iudæorum conditionem, qua hodie, in totum orbem dispersi, utuntur, uerissimè impleta uidebis quæcunq; dominus prædixerat. Idem dei iudicium Romana urbs olim experta est. Cùm enim post excisam Iudæorum gentem ipsa in Christi ecclesiam gladium stringeret, & sanctorum sanguine tota maderet, cœpit illi tandem deus rependere. Nam intra annos centum triginta & nouem septies capta in manus deuenit barbarorum. Primùm Visigotthi duce Alarycho ceperunt urbē & diripuerunt, anno à nato Christo saluatore CCCCXII. Mox post annos XLIIII. duce Genserycho Vandali illā irruperunt, in eius direptione omnia ea patrantes, quæ auarißimus hostis in capta urbe patrare consueuit. Insecuti sunt hos anno salutis humanæ CCCCLXXI Heruli, qui eandem Odacre duce occuparunt. Quorum æmulatione excitatus Theodoricus Ostrogotthorum rex, illa quoq; potitus est. Et cùm annis cirriter quinquaginta euolutis, urbem recuperauisset Bellisarius, intra annos duodecim proditione à Totila Ostrogottho capitur, qui direptam ferro & igne uastat, munitionibus nudat, mœnia plus tertia parte solo æquat, Capitolium cum multis ædificijs publicis & priuatis incendit. Inde Roma egressus, ne unum quidem uiuentium, uel marem uel fœminam, in ea remanere passus est, ut omni humano cultu urbs, quondam rerum domina, deserta iaceret. Quam licet mox sequenti anno restauret Bellisarius, idem tamen Byzantium reuocatus, Totilæ denuò occupandam relinquit. Possent infinita huius generis exempla produci, quæ certißimum excidium Christi & ecclesiæ hostibus imminere testantur.

Omnis dignitatis & auxilij inopia.

Alterum pœnæ genus est: Et episcopatum ipsius accipiat alter. Quibus uerbis testatur, tales homines nullis uel dignitatibus uel donis eximijs, quibus instructi sunt, ab imminenti dei iudicio eripi posse. Quæcunq; enim dei beneficio excellentia & præclara habent, in alios transferuntur. Exemplum huius Iudas est luculentißimū. Erat is ad apostolatum uocatus, & cum hoc œconomiæ Christi administrationem sustinebat. Summa ergo fuit illius hominis dignitas, cui nec regia nec imperatoria conferri meretur. Accedebat huic diutina cum filio dei conuersatio, & quòd cum reliquis apostolis multa uiderat & audiuerat, quæ multis prophetis & iustis, quantumuis magno desiderio flagrantibus, non contigerat uidere & audire. At non iuuant hæc infelicem hominem, qui perfidia sua omnibus istis spoliari meruerat. Nam & ipse horribili exitu è mundo hoc migrat, & in Mathiam transfertur apostolatus dignitas. Idem dei iudiciū in Saule cernitur, qui Dauidem, Christi typum, persequi ausus est. Vt primùm enim hoc in animum induxit, bono dei spiritu priuatur, in cuius locum malignus satanæ spiritus succedit, quo eò usq; exagitatur, donec & uiolentæ mortis sibijpsi author est, & regnum Dauidi poßidendum relinquit. Huc referri debet Christi sententia: Omni habenti dabitur. Ab eo autem, qui nihil habet, etiam quod habet aufereitur. Matth. 25. Habere enim Christo dicuntur, qui dei donis instructi, illa in sese agnoscunt, & ijsdem ad dei gloriam multorumq; salutem prouehendam studiosè utuntur. Auget in illis dona sua beneficus & liberalis deus, ut in dies in melius proficiant & illustriores fiant. At qui perinde ac si nihil donorum à deo accepissent, illa negligunt, ac suis rebus intenti, quæcunq; ad dei gloriam spectant, securè contemnunt, eas tandem suæ negligentiæ & improbitatis pœnas exoluunt, ut omnibus facultatibus spoliati, infelices, contempti & infames reddantur. Aeternum enim stabit, nec ullis mundi conatibus infringetur dei sententia, qua sacerdoti Heli iram suam & iustam pœnā denuncians, inter alia dicit: Honore prosequar eos, qui me honore prosequuntur: & qui me contemnunt ignominia afficientur. 1. Sam. 2. Et alibi extremam ignominiam sacerdotibus improbis & diuinæ gloriæ contemptoribus minatur: Mittam (inquit) in uos execrationem, maledicamq; benedictionibus uestris. Ecce ego increpabo uobis semen, & spargam stercus in facies uestras, stercus, inquam, dierum uestrorum solenniū. Malach. 2. In horum meditatione utinam hodie frequentes essemus, & non miraremur omnium ferè eorum authoritatem collapsam esse, quicunq; in ecclesia & repub. obseruari debebant. Queruntur de hoc malo episcopi, & quò nam ecclesiastica authoritas translata sit, ignorant. Sed conqueri & mirari desinent, si doctrinæ ueræ adulterationem, sacrorum nundinationem, morum corruptionem, auaritiam, fastum & alia huius generis ipsis authoribus in ecclesiam inuecta esse cogitent: quibus se Iudæ potius quàm Petri successores fuisse abunde declararunt. Queruntur & euangelici doctores de ministerij

sterij & functionis suæ contemptu, & ecclesiasticæ disciplinæ authoritatem omnem extinctam esse clamant. Atqui id mirum non est, quando in illorum numero plures parũ industrios in Christi gloria asserenda uidere licet, alij uerò sub plausibili euangelicæ doctrinæ prætextu auaritiæ, gulæ, uentri & libidini student. Iure ergo ab illis aufertur dignitas & authoritas, quam ministerij nomine merebantur. Quare quisquis gradum suum, in quem à deo collocatus est, tueri, & authoritatẽ suam retinere uoluerit, diuinæ gloriæ studium sibi unicè commendatum habeat, illud urgeat, & uel inuito mũdo omnibus uiribus prouehere contendat, nec à sua uocatione latũ unguẽ sese dimoueri patiatur.

Transeamus nnnc ad alteram orationis Petri partem, qua ecclesiam, ut de alio in Iudæ locum surrogando cogitet, hortatur. Cõmodè uerò ex præmissis scripturæ oraculis argumenta desumit, quibus hoc illis persuadeat. Sic enim dicere uidetur: Quoniam de Iuda spiritus sanctus olim prædixit, quòd & Christum proditurus esset, & post horribilem uitæ finem episcopatum suum & apostolicam functionem alij relicturus, ex eorum numero illi successor à nobis quærendus erit, qui hucusque nobiscum uersati, omnium quæ Christus in terris hisce gessit, spectatores fuerunt. Est autem obseruatione digna Petri argumentatio, quæ (si paucis comprehendatur) talis est: Iudæ episcopatum iuxta spiritus sancti oraculum alius debet suscipere. Ergo nostrum est, ut illi de successore idoneo & digno prospiciamus. Atqui absurda uidebitur prima fronte huius consequentiæ ratio. Esto enim, ut Iudæ episcopatus in alium transferri debeat: num uerò inde sequetur, apostolorum & eorum, qui cum ipsis congregati erant, hoc munus esse, ut ipsi eum deligant, in quem episcopatus ille transferri posset? Sed omnis absurditatis species remouetur, si apostolorum functionem, quam ex Christi functione sustinebant, consideremus. Illis enim ecclesiæ suæ curam Christus, è terra abiturus, commendarat, & ex eorum numero erant, qui familiæ dominicæ (ut Matth. 24. cap. legitur) cibum depromere debebant. Quia ergo ad ecclesiæ curam & conseruationem hoc cum primis facit, ut digni & idonei ministri habeantur: non temerè Petrus noui apostoli ordinationem ad ipsos pertinere colligit, cùm euidens extaret de nouo aliquo in Iudæ locum substituendo spiritus sancti oraculum.

Hortatur ut alium Iudæ substituant.

Admonemur autem Petri exemplo, ut nos in scripturæ sacræ lectione uersari conueniat. Hîc enim ante omnia nostræ uocationis ratio semper ob oculos haberi debet, ut quicquid ad illam pertinet, nobis dici putemus. Nam ad nostram institutionem scripturas diuinitus traditas esse, Paulus testatur. Rom. 15. 2. Tim. 3. Quare grauis illorum error est, qui sacros libros non maiori attentione quàm prophanos scriptores legunt, mente inter legendum in uarias cogitationes distracta, quasi lectio hæc non nisi delectationis aut ocij fallendi causa institui debeat. Obseruemus ergo diligenter, quæ nostræ uocationis siue functionis præcepta atq; exempla sint, ut illis insistere, & studiũ nostrum deo approbare possimus. Hac ratione uerbi minister sibi dicta putabit, quæcunq; uel prophetis uel apostolis de suo officio eiusq; administratione dicuntur. Et qui in magistratu uersantur, ad se pertinere putent, quæcunq; de magistratuum officijs præcepta in scripturis extant, unà cum priscorum magistratuum exemplis, siue illi boni siue mali fuerint. Idem priuati quoque homines obseruabunt cuiuscunq; loci sint aut ordinis. Sic fiet, ut unà cum sancta animi uoluptate ex scripturarum lectione incredibilem utilitatem capiant.

Quo animo scripturæ legi debeant.

Excutiamus autem diui Petri uerba, quibus duo, ad præsens institutum quàm maximè pertinentia, tractantur. Primò enim qualis ad apostolicam functionem destinari debeat, docet. Deinde apostoli officium definit: & de his quidem sic disputat, ut omnium ministrorum uerbi & ecclesiæ institutioni seruire possint.

Ad prius membrum pertinet, quòd dicit: Oportet igitur, ut ex ijs, qui nobiscum fuerunt congregati toto tempore, quo intrauit & exiuit inter nos dominus Iesus, exorsus à baptismo Iohannis usque in eum diem, quo assumptus est à nobis, unus aliquis constituatur, &c. Requirit hîc duas res maximi momenti Petrus. Prima est certa & solida Iesu Christi, omniumq; eorum quæ inter suos conuersans fecit, cognitio. Nam Hebræo idiomate usus, per duo extrema, intrandi uidelicet & exeundi uerba, uniuersam Christi conuersationem comprehendit. Ne quis tamen curiosius quædam inquirendi occasionem hinc sumeret, cognitioni huic terminos statuit, baptismum scilicet Iohannis & gloriosam Christi in cœlos ascensionem. Priusquam enim ab Iohanne Christus baptizaretur, in Nazareth Galilææ priuatam uitam agebat, parentibus obsequentem sese præbens, & cum nutritio Io-

Quales ad ministerium ecclesiæ eligi debeant.

seph artem fabrilem plerunq; exercens, ut ex ijs conijci potest, quæ Luc.2. & Marci 6.cap. habentur. Ea uerò, quæ ad publicam nostræ redemptionis causam, & Meßiæ officiū spectabant, tunc demum obire cœpit, postquam ab Iohanne baptizatus, & uisibili spiritus sancti unctione ac patris testimonio, cœlitus delato, inauguratus est. Matth.3. Quæ causa est, quòd Euāgelistæ contenti ipsius incarnationem descripsisse, de illius pueritia & iuuenili ætate paucißima tradidere. Voluit enim spiritus sanctus ineptam humani ingenij curiositatem cohercere, quæ nouißimis seculis per egregios, si dijs placet, scriptores sese exeruit, qui uitam Christi & illius pueritiam, non sine publico Christiani nominis ludibrio, nobis tradiderunt. Atqui diuo Petro, eorum cognitio sufficiens esse uidetur, quæ Christus post solennem illam inaugurationem fecit. Necessaria autem erat hæc, quia apostolos rerum abs se gestarum testes fidißimos Christus esse uoluerat. Secundo loco certum ac euidens perseuerantiæ specimen requirit. Non enim ex illorum numero quenquam uult deligi, qui in Christiani nominis profeßione nouitij adhuc erant, & ante paucos dies fidelium cœtui sese coniunxerant. Sed de illis loquitur, qui circa initium conuersationis Christi Iesu inter homines ipsum sequi cœperant, & cum eo perseuerarant, ut nec persecutionum periculis, nec crucis & infamis mortis offendiculo absterreri potuerint. Atqui eadem hæc in ministrorum uerbi electionibus siue ordinationibus hodie quoq; obseruari oportebat, si ecclesiam Christi saluam & incolumem uellent, qui in hanc sibi ius uendicant. Constat enim præcipuam ministri functionem circa doctrinam uersari, quod & dominus per prophetam admonuit, dicens: Labia sacerdotis custodient scientiam, legemq; ex ore eius requirent: Legatus est enim domini exercituum. Malach.2. At quomodo docebit, qui ipse indoctus & rudis est? Paulus certè in episcopo hoc cumprimis requirit, ut διδακτικὸς sit, id est, docendi facultate præditus, utq; non modò tractabilioris ingenij hominibus simplicē ueritatis doctrinam tradere, uerumetiam contradicentes (quorum ingens semper multitudo erit) refellere & confutare queat. 1. Tim. 3. Tit.1. Necessaria igitur in uerbi ministro est Christi & mysteriorum ipsius cognitio, unà cum omnibus ijs quæ ad fidei Christianæ articulos & fidelium officia spectant. Requiritur ab eodem diligens scripturæ studium, in quo ipsum probè uersatum esse oportet. Opus eidem est linguarum cognitione, ne in scripturis legendis ab aliorum sensu pendere, adeoq; alienis oculis uidere & alienis pedibus incedere cogatur. Adhæc dicendi artibus instructum esse conuenit, ut quid, quo loco & ordine, & quo modo proponi debeat, poßit perspicere. Quæ omnia tanti momenti sunt, ut Paulus non temere Timotheum ad aßiduum legendi studium hortetur, quem tamen à puero sacras literas didicisse fatetur. Deinde quia ministrorum functioni infinita undiq; pericula imminent, animi fortitudo requiritur, ne periculorum metu superatus in medio cursu subsistat. Atqui hæc in sola perseuerantia perspicietur, cuius non obscura specimina ipsum dedisse oportuit. Idem Paulus obseruauit, dum monet episcopum non debere neophytum uel nouitiū esse, ne dignitate subita inflatus aliquid perperam agat, & calumniandi occasionē præbeat aduersarijs. 1. Tim.3. Sed & ipse Christus apostolos, quos multis uitijs & infirmitatibus laborauisse constat, hoc elogio præcipuè commendat in ultima Cœna, quòd ipsos secum perseuerauisse dicit in omnibus tentationibus suis. Luc.22.

Apostolorum & ministrorū uerbi officium.

Sed ultima Petri uerba uideamus, quibus apostoli officium definit. Constituatur (inquit) unus quispiā, qui unà nobiscū sit testis resurrectionis eius. Primò collegam aliquē undecim apostolis uult coniungi, non seruum, cui ipsi pro suo arbitrio imperitent. Aequalitatem enim inter Christi ministros esse debere nouerat. Deinde testem uocat, quo nomine Christus illos, iam discessurus, appellarat. Et prodest non parū crebra huius nominis repetitio & consideratio diligens. Ex eo enim Christianæ fidei dignitas & euangelicæ doctrinæ certitudo æstimari potest, quòd Christus non præcones modò rerum abs se gestarum, sed iuratos testes habuit, qui fidem in ipsum tradiderunt. Postremò, quæ de re testari debeat, ostendit: Vt sit testis resurrectionis eius. Quod non ita accipi debet, quasi de sola Christi resurrectione apostoli uerba facere debuerint, sed præcipuum articulum nominare uoluit Petrus, quo reliqui omnes continentur, imò qui perspicuè monet, quò reliqui omnes referri debeant. Resurrectioni certè mortis prædicatio necessariò inclusa & coniuncta est. Quomodo enim Christum à mortuis resurrexisse docebit, qui illum mortuū fuisse, non ante docuit? At si mortuū Christum quis prædicare uelit, de natura Christi, secundum quam mori potuit, prius loquatur, oportet. Docebit ergo, dei filium, qui patri coæternus & consubstantialis est, definito tempore humanam naturam ex uir-

ginis

ginis utero induisse, in qua post multas uariasq; uitæ huius molestias acerbam mortem in ara crucis tandem perpessus sit. Quare qui resurrectionis Christi Iesu testis & præco esse uoluerit, minimè omittet quæcunq; illam præcesserunt. Sed & alia causa est, propter quam resurrectionis potissimũ mentionem uoluit facere Petrus. Hæc enim nostræ redemptionis quasi colophon est & complementum, ut Paulus in priori ad Corinthios epistola cap. 15. multis demonstrat. Mortis etenim, cuius omnes homines rei erant, aculeus et potentia peccatum est. Atqui mortem deuictam esse, Christi resurrectio luculentissimè testatur. Quare & peccatum, per quod nobis mors dominabatur, eiusdẽ Christi merito sublatum esse oportuit. Quod si uerò peccati noxa sublata est, & mors exarmata, quis non uidet, serpentis caput contritum & diaboli tyrannidem funditus euersam esse? Insanit quidem adhuc, et horrendum tumultuatur: sed illius terrores Christianæ mentes non expauescunt. Quibus enim uiribus noceret, qui si peccati tela & mortis cuspidem illi auferas, totus inermis erit? Atqui hæc Christus abstulit, dum in ara crucis expiauit peccata mundi, & mortis uires gloriosa resurrectione eneruauit. Quapropter dum resurrectionis Christi testem fieri uult eum Petrus, qui in apostolorum ordinem cooptari debebat, hoc ipsum munus illi iniungit, quod reliqui sustinebant, quibus dictum erat: Ite in orbem uniuersum, & prædicate euangelium omni creaturæ. Quisquis crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Mar. 16. Interim officij admonentur, qui hodie apostolorum successores dici & haberi uolunt. Quanuis enim ab illis nemo exigere possit, ut resurrectionis Christi testes sint oculati, hoc tamen illorum munus sit, ut de Christo & omnibus ijs, quæ ille propter nos tam fecit quàm passus est, ingenuè ac intrepidè testentur, ut omnes, in uno Christo humani generis redemptionem & salutem contineri, intelligant. Quicunq; enim nudo titulo inflati, pro apostolicis haberi uolunt, cum nec concionari uelint, nec possint, non legitimi apostolorum successores, sed stulti pastores sunt, quorum descriptionem habes Zachar. 11. cap. Et in illos Paulinum illud meritò torquetur: Væ mihi si non euangelizem. 1. Cor. 9. Nostrum uerò est, dei bonitatem agnoscere, qui filium suum propter peccata nostra mori, & nostræ iustificationis causa exuscitari uoluit, simul uerò mortis & resurrectionis Christi salutiferæ testes dedit locupletissimos. Credamus itaq; illorum testimonio, ut per semẽ immortalis uerbi regenerati, hæredes dei efficiamur, cohæredes autẽ Iesu Christi: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA IX.

Tunc statuerunt duos, Iosephum, qui uocabatur Barsabas, cognomine Iustum, & Matthiam: & precantes dixerunt: Tu domine, qui nouisti corda omnium, ostende utrum elegeris ex duobus his, qui accipiat sortem ministerij huius & apostolatus, ex quo Iudas excidit, ut abiret in locum suum. Et dederunt sortes eorum, & cecidit sors super Matthiã, & cooptatus fuit inter undecim apostolos.

Electio ministrorum legitima sit oportet.

VT ecclesia uerbi ministris cumprimis opus habet, quorum opera in dei cognitione & ueræ fidei mysterijs erudiatur ac confirmetur: ita eosdem legitimè ac ritè eligi & ordinari oportet, ut ipsos diuinitus electos esse, omnibus constare possit. Quæ causa est, quòd in noui apostoli electione, qui in Iudæ locum surrogari debebat, tam religiosè egit uetus ecclesia. Et uoluit spiritus sanctus historiam hanc omnem diligenter describi, ut certa ad posteritatẽ formula transmitteretur, ad cuius imitationem electiones ministrorum institui possent. Primum uerò in hac locum obtinet, quòd diuus Petrus rem omnem ad ecclesiam refert, communi & unanimi omnium consilio discutiendam. Docemur eo exemplo, nihil in ecclesia cuiusquam priuata authoritate institui siue decerni debere. Quia enim ecclesia, ut Paulus 1. Cor. 3. admonet, dei ædificatio & dei agricolatio est, imò domus & familia dei (1. Tim. 3. Matth. 24.) nemo sibi tantum authoritatis uendicare debet, ut sibi in illam ius esse putet, quippiam priuato consilio instituẽdi. Et licet eòusq; progrediatur alicuius temeritas, nihil tamen inter ueras Christi oues proficiet, quæ unius Christi uocem audire & sequi consueuerunt. Iohan. 10. Sed ad institutam à Luca historiæ narrationem reuertamur, qui ubi diui Petri orationem recitauit, modò ipsam electionem noui apostoli cõmemorat, quæ nobis per singulas partes diligentius

erit excutienda. Primò enim duos publicè nominatos esse, & in totius ecclesiæ conspectum productos esse dicit. Deinde pijs & deuotis precibus electionem ipsam dei iudicio commiserunt: de cuius uoluntate religiosis sortibus sciscitati sunt.

Tunc statuerunt (inquit) duos, Iosephum, qui uocabatur Barsabas, cognomine Iustum, & Matthiam. Quanuis uerò modus, quo hoc factum est, non exprimatur, publico tamen & unanimi ecclesiæ totius consensu illud factum esse, uerisimile uidetur. Quia enim ad totam ecclesiam rem hanc omnem Petrus referre uoluit, ecclesiæ iudiciũ non potuit prætermittere. Videntur ergo uiritim rogatæ fuisse sententiæ, & singulos, quos apostolicæ functioni idoneos censebant, nominatim ecclesiæ indicauisse: Hic ergo ecclesiæ consensus tandem fuit, ut uel Iosephus uel Matthias apostolorum numero accenseretur, qui nimirum omni uirtutum genere reliquis præstantiores habebatur. Et uterq; haud dubiè talis fuit, ut sors errare non posse uideretur, utrum designaret. Nominatos autem, in medium progredi iusserunt, ut ab omnibus possent conspici & agnosci.

Electio publicè fiat coram ecclesia.

Est itaq; cumprimis memorabile hoc primitiuæ ecclesiæ exemplum. Quo admonemur, ministrorum uerbi & ecclesiæ electiones atq; ordinationes, non in angulis & occultè intra priuatos parietes, à paucis hominibus, sed publicè ab ecclesia, & in totius ecclesiæ conspectu fieri debere. Si enim ab exterorum quoq; testimonio commendari debet episcopus (quod Paulus monuit 1. Tim. 3.) quãtò magis illis ipsum notum esse oportet, quibus præficitur? Cuius rei obseruatio si negligatur, uel ignoti & obscuri homines, uel etiam flagitiosi & corruptissimis moribus præditi ecclesijs obtruduntur, & ecclesiarum antistites fiunt, qui ne extremum quidem in ecclesia locum merentur. Monent idem ueteris Testamenti ritus, quo ex dei mandato Aaron & filij ipsius publicè & tota spectante ecclesia ministerio sacro destinati & initiati sunt. Leuit. 8. Num. 30. Neq; nos mouet, quòd Paulus alibi uni Tito uel Timotheo ius & potestatem episcopos eligendi tribuere uidetur. Non enim illos priuata authoritate quicquã agere uoluit, sed pro antistitum officio iubet curare, ut ministri digni & idonei legitimè ordinentur. Nec uerisimile est, illis plus cõcessum fuisse, quàm apostolis ipsis, qui inconsulta ecclesia nihil in hac causa unquam statuerunt. Nam & paulò post diaconos coram ecclesia publicè eligunt, & Paulus cum Barnaba collectis uiritim suffragijs presbyteros per ecclesias singulas ordinauisse leguntur. Acto. 6. & 14. cap.

Arguitur exemplo hoc corruptissimus idemq; perniciosissimus ministros eligendi mos, quẽ iam seculis aliquot hac in causa imperium obtinuisse constat. Quo fit, ut non raro unus aliquis in pluribus ecclesijs priuata authoritate ministros & eligat & ordinet: qua re potissimum ab Abbatibus, episcopis & præpositis peccatur. Nec melius rem administrant nonnulli inter eos qui euangelij nomine gloriantur, & ecclesiarum reformatores haberi uolunt. Dum enim isti malè usurpata possessione monachos & episcopos (ut par est) eijciunt, ecclesijs tamen libertatem, illorum tyrannide ereptã, non restituunt, sed pro suo arbitrio administrant, quæ olim ab episcopis & monachis administrari solebant. Et hinc præposterus ille ordo multis in locis obtinuit, ut ministros ecclesiarum eligant & ordinent, qui nec ipsos ministros nec ecclesias, quibus illi præfici debent, satis nouerunt. Et quia ignorantiæ malo plerunq; affectus improbissimi coniuncti sunt, ita interdum ijs abripi solent, ut absque omni religione in tanto negotio uersantes, hoc unum agere uideri possint, ut suam in ecclesias potestatem non minori cum fastu, quàm episcopi olim & monachi, ostentent. Quod malum, nisi breui reprimatur, & Simoniam & exitialem omnis ecclesiasticæ disciplinæ confusionem nobis pariet. Atqui omne hoc Romanis pontificibus debetur, qui non sine cruentissimis bellis ab Imperatoribus hoc extorserunt, ut ipsis solis episcopatus & quæcunq; alia sunt beneficia ecclesiastica conferendi ius concederetur. Extant adhuc in Germania non pauci loci, qui præliorum & effusi sanguinis Christiani memoriam referunt. Certè Heinrychum quartum Imperat. constat tum hac ipsa tum alijs de causis cum pontificibus commissum, sexagies bis collatis signis pugnauisse. Tandem uerò filium hostem sensit, quem episcoporum artes & consilia aduersus patrem armauerant. Qui cum tandem illorum dolos animaduerteret, sese illis opponere cœpit: sed pertinaci ipsorum improbitate & audacia superatus, Calisto II. omnem hanc authoritatẽ concessit, ex quo tẽpore ecclesiæ libertas ceu lethali morbo cõtabescens, tandẽ in uniuersum euanuit. Quam quicunq; restitutã uolent, siue illi uerbi ministri sint, siue magistratus, huc incumbendũ sibi esse sciãt, ut uetus ministrorũ eligendorũ cõsuetudo reducatur.

Anno 1122. Vide Vrspurgen.

Porrò

Porrò ut ad historiæ præsentis expositionem redeamus, cum duos in cõspectu ecclesiæ statuissent, Iosephum & Matthiam, omni uirtutum genere instructißimos uiros, nemo tamen apostolorum tantum sibi authoritatis uendicare ausus est, ut alterutrum ex illis apostolum pronunciare uellet. Imò nec suffragiorum numero rem tanti momenti satis tutò committi posse putauerunt, sed ad preces deuotißimas conuersi, omnem huius rei euentum infallibili dei iudicio commisere. Dicunt enim: Tu domine, qui nouisti corda omnium, ostende utrum elegeris ex duobus his, &c. Præclarum hoc est pijßimorum animorum, nihilq; audacius in dei causa sibijpsis uendicare uolentium, specimen. Quod exemplum si pari religione imitarentur, qui hodie ecclesiæ munera tractant, felicius haud dubiè pleraq; succederent.

Hinc uerò colligimus, ministrorum electionem ab uno deo pendere, & ad illum debere referri. Ecclesiæ partes hic esse putamus, ut legitimè congregata, priuatis affectibus positis, aliquos inquirat, quibus ecclesiastica functio commodè & tutò credi poßit. Et hic imprimis ardens religionis studium exigimus, cui ieiunia quoq; aliquando coniuncta fuisse constat, quò ardentiores essent preces. Acto. 13. & 14. At ubi aliquot reperti sunt, quos tanto munere dignos censeri æquum est, ne tunc quidem hominum iudicio nimis indulgeri oportet. Sed commodißima tutißimaq; ratio uidetur, si ad dei iudicium omnis nostrorum consiliorum euentus referatur. Quanuis non ignorem, aliquos scripturæ locos reperiri, in quibus ex hominum iudicio ministri creati esse uideantur, nec res (ut in præsenti) sortibus transacta, appareat. Quò cumprimis referri possunt, quæ in Pauli epistolis habentur. 1. Tim. 3. & 5. Tit. 1. Sed illic eorum duntaxat mentionem fieri puto, quæ in hac causa ab hominibus, tanquam rei agendæ ducibus siue ministris, agi debent, salua interim hac primitiuæ ecclesiæ forma, quam in ecclesia integram obseruari propter grauißimas rationes necesse est. Primò enim ecclesiam dei domum & familiam esse constat, ut initio monuimus, in qua œconomorũ siue dispensatorum uices ministri obeunt. Matth. 24. Item 1. Cor. 4. Atqui nemo sapiens tantum sibi permittit, ut in aliena domo pro suo arbitrio uilißimum famulum, nedum dispensatorem, constituat. Quæ ergo absurditas fuerit, hoc in dei domo audere, & tanti momenti rem cæcæ rationis nostræ iudicio committere? Præterea in electionibus ministrorum animi potißimam rationem haberi debere, nemo negauerit: quia in animo earum uirtutũ sedes est, quas in ministro spiritus sanctus requirit. At quis obsecro hominum, de alterius animo iudicans, iudicij sui certus esse potest? Nonne hic homines quotidie falli fatendum erit, quando manifestis signis illorum improbitatẽ tandem deprehendimus, quos omnibus numeris absolutos esse putabamus? Exemplo hic nobis sunt ipsi apostoli, quos Iudas, quãuis fur esset, & sacrilegus, tam diu latere potuit. Dei autem ea natura est & conditio, ut nullo fuco aut simulatione falli poßit. Nec enim externa modò uidet, sed corda & renes scrutatur, imò hominum cogitationes & consilia, priusquam animis nostris oboriantur, longè præuidet. Nulli ergo tutius, quàm ipsius iudicio, causa hæc omnis committitur. Id quod apostolos quoq; in præsenti maximè mouit, cum dicunt: Tu domine, qui omnium corda nouisti, ostende nobis, utrum ex duobus hisce elegeris, &c. Quibus uerbis non obscurè causam fatentur, qua impulsi, ad dei iudicium recurrant: eam nimirum, quòd aliorum corda ipsi inspicere non poßint. Cum autem idem nos quoq;, quoties de ministris eligendis consultatio habetur, fateri cogamur, temerarij nimis uideri possumus, quòd in ea causa nihilominus iudices nos constituimus, in qua animorum examen maximè requiritur. Accedit his postremo loco, quod electionis formula siue ritus, quo apostoli uti uoluerunt, & ministris authoritatem non paruam in auditorum mentibus conciliat, & iisdem contra impiorum minas & conatus, atq; aliunde impendentia pericula animos addit. Sic enim fit, ut minister ne maleuolis quidem & hostibus (siquidem uerũ fateri uelint) uel temeritatis uel doli mali suspectus esse poßit. Nam quis malis artibus in ecclesiæ ministerium irrepsisse, uel hominum fauore & potentia eò euectus esse censeri poterit, qui dei iudicio minister declaratus est? Vel quis saluo conscientiæ propriæ testimonio illum contemnere & odisse audeat, cuius electionem & ordinationem ecclesiæ totius, adeoq; suis ipsius precibus, impetratam esse nouit? Simili ratione hæc ipsis ministris animum addere solent, quo illis propter minas & conatus mundi huius cumprimis opus est. Quia enim se non hominum fauore & consilio, sed diuinitus electos & ordinatos esse certò norunt, dei auxilium & protectionem sibijpsis, si in commisso munere fideles fuerint, certò polliceri possunt. Sibijpsis dictum esse intelligunt: Caue

Electio ministrorum propriè ad deum referri debet.

metuas uultus eorum, ego enim tecum sum, ut te liberem, ait dominus. Iere.1. Rursum se deum uindicem & ultorem habituros esse dubitare non possunt, si in officio suo ignaui, uel etiam improbi & perfidi fuerint. Sciunt enim omnibus ministris dici, quod prophetæ dicitur: Cum ego dixero impio, Certissimè morieris: atq; tu non monueris eum disertè, neq; locutus fueris disertè, dehortando impium à uia sua impia, ut uiuat: ille quidem impius morietur in iniquitate sua, sanguinem uerò eius de manu tua requiram. Ezech.3. & 33. Quorum consideratio eos animos mihi in prophetis & apostolis peperisse uidetur, quos nec blanditiæ falsorum fratrum, nec impiorum hostium minæ frangere potuerunt. Etenim hac ratione Amoz propheta astutissimi Amasiæ subdolum consilium eludit. Cum enim hic fugam prophetæ suaderet, ne ab Ieroboam rege comprehensis ob conciones suas, minarum & increpationum plenas, aduersi aliquid pateretur, illum respondisse legimus: Ego neq; propheta eram, neq; filius prophetæ, sed bubulcus, sycomora stringens. Tulit autem me dominus cum greges sequerer, dixitq; mihi: Vade, & uaticinare contra populum meum Israel, &c. Amoz 7. Quibus uerbis non aliud uult propheta, quàm se nihil temere aut priuato consilio egisse, sed munus obire diuinitus iniunctum, & proinde stationem eam se deserere non posse, in quam ab ipso domino collocatus sit. Idem cap.3. ait: Leo si rugiat, quis est qui non timeat? Dominus deus cum loquitur, quis non prophetaret? Quò illa quoq; referri debent, quæ apostoli in senatu Hierosolymitano pari animorum fiducia egerunt. Cum enim illis interdiceretur, ne in nomine Iesu loquerentur amplius, responderunt: Obedire oportet deo magis quàm hominibus. Item: Ipsi iudicate, an iustum sit in conspectu dei, uos potius audire quàm deum? Acto.5. & 4.cap. Qua uerò ratione ista dicere licuisset apostolis, nisi se diuinitus ad hanc functionem electos & uocatos fuisse certò intellexissent? Et sanè eandem παῤῥησίαν & dicendi agendiq; fiduciam frustra in ijs requires, qui non expectata uocatione legitima, malis artibus & hominum fauore irrepunt. Nam & propter ingressum suum subdolum malè sibi conscij, & illis deuincti quorum beneficio ad hanc dignitatem subleuati sunt, pro ueritate & dei gloria asserenda nihil egregij audent, sed mirifici tergiuersatores tam deo quàm hominibus placere student, imò tandem excusso dei timore omni, in populari aura captanda toti occupantur, sicq; suo sese indicio ut sorices produnt, quod iuxta Pauli sententiam, dei serui non sint cum hominibus placere studeant. Gal.1. Quare quisquis in ecclesia & ueterem disciplinæ authoritatem, & propheticam apostolicamq; in ministris agendi fiduciam, adeoq; totius ecclesiæ antiquam integritatem, restitutam cupit, ueterem hanc, & apostolorum exemplo monstratam, ministros eligendi rationem reuocare studeat.

Sors ministerij et apostolatus.

Priusquam uerò hinc discedamus, quibus uerbis apostolicam functionem describant, uidendum erit. Vocant enim sortem ministerij & apostolatus. Sortis uocabulo ad sortiendi actionem alludũt, qua paulò post dei mentem inquirere statuebant. Atqui in rerum diuisionibus sors frequenter pro parte sumitur, quæ per sortem obtingit. Quo sensu & hic sortem ministerij & apostolatus pro parte dicunt. Subinde ergo æqualem inter apostolos & euangelij ministros conditionem agnoscunt & fatentur. Si enim Matthias eius ministerij partem accepit, quod tam Petro quàm alijs æquè commissum erat: nemo certè illorum totum obtinuit, ut aliorum caput aut dominus haberi debeat. Nec maior esse debuit Petri in euangelizando authoritas, quàm uel Iohannis uel Mathiæ, uel alterius cuiusdam apostoli, quando unum & idem mandatum omnes illos à domino Iesu accepisse constat. Deinde ministerij & apostolatus nomina coniungunt, ut & ambitioni occurrant, & functionis huius dignitatem asserant. Quia enim ministerium est, de quo hic agitur, stultum & absurdum fuerit, sub huius prætextu dignitatem popularem quærere, uel dominium tyrannicum exercere. Quin potius Christi regulam obseruare decet: Quicunq; uoluerit inter uos magnus fieri, sit uester minister, & qui uoluerit inter uos primus esse, sit uester seruus. Matth.20. Et hac ratione Paulus multis apostolis præferri mereretur, quia plus quàm omnes alij in Christi ecclesia laborauit. 1.Cor.15. 2.Cor.11. et 12. cap. Præposterus autem in ecclesia nostri seculi ordo est, quando primi & præstantissimi habentur, qui quàm minimum laborant in ecclesiæ ministerio, ex ecclesiæ uerò bonis splendidius quàm reliqui uiuunt, & ex ijsdem thesauros sibi ac posteris suis congregant. Rursum, ne ministerij nomen sordidius quiddam significare uideretur, & ex eo impietatis ansam caperent euangelij contemptores, uel ipsi quoq; ministri de suo officio contemptius iudicarent, apostolatus simul mentionem faciunt.

Qua

Qua uoce admonemur, Christi & ecclesiæ ipsius ministros esse, qui in illo ministerio uersantur. Apostolus enim legatum sonat. At legatus nō est, qui sponte currit & propria negotia tractat: sed qui ab alio excellentiori missus, publicis negotijs apud alios transigendis destinatur. Vnde apud cordatos legati non ex propria ipsorum persona æstimantur, sed ex illorum dignitate, à quibus missi sunt. Apostolos autem à Christo Iesu missos esse, suprà audiuimus: qui ipsos humanæ redemptionis & salutis, quam ille nobis suæ incarnationis & mortis merito acquisiuit, testes in toto terrarum orbe esse uoluit. Tales ergo æstimari debent, nec propter externam speciem, uilem & abiectam mundi iudicio, contemni. Christi enim uox est: Si quis recipit quemcunq; ego misero, me recipit. Qui autem me recipit, recipit eum qui misit me. Iohan. 13. Et Paulus eòdem respiciens ait: Nomine Christi legatione fungimur, tanquam deo uos obsecrante per nos, &c. 2. Corinth. 5. Vt ergo in apostolatu ministerium considerari debet, ne ambitione elati ministri dominium affectent: ita in ministerio apostolatus meminerint tam ministri quàm illorum auditores, ne uel hi ministros contemnant, uel illi de suo ministerio contemptius iudicantes, officij sui & dignitatis obliuiscantur.

Transeamus uerò ad postremam huius loci partem, qua narratur, ut dei mentem sortibus iactis explorauerint. Dederunt sortes eorum (inquit) & cecidit sors super Matthiam, & cooptatus fuit inter undecim apostolos. Vbi de sortibus primo loco dicendum erit. Extant enim scripturæ loci non pauci, quibus fatidicæ artes & humani ingenij curiositas in futuris & arcanis inuestigandis seriò damnantur. Vide Leuit. 19. Deut. 18. cap. Et Isaias propheta cap. 8. ad legem & testimonium omnes reuocat, & reliquos inquirendi diuini consilij modos magna cum authoritate prohibet. Sed & Micheas cap. 5. fatidicos, ariolos & alios eius farinæ homines à regno Christi excludit. Sed obseruare conuenit, duo esse sortilegij genera, quorum alterum illicitum, alterum uerò licitum habetur. Illicitum est, quando res futuras & occultas, quarum cognitio ad nos minimè spectat, humana curiositate per artes diuinitus damnatas inuestigare conamur. Hoc utuntur Meonenim, id est, qui ex nubibus uel astris & cœli influentijs de sequentium annorum cursu & successu prognostica edunt: quod hominum genus hodie inter Christianos non sine graui Christiani nominis infamia regnat. Connumerandi sunt his, qui data natiuitatis hora horoscopum inspiciunt, & ex cœli themate siue figura de totius uitæ cursu, imò etiam de nati hominis natura, moribus ac ingenio uaticinantur, eò impietatis progreßi, ut hominem, præstantißimam dei creaturam, omniumq; rerum creatarum dominum, astris subijciant. Ad eundem ordinem pertinent, qui geomantiæ studio inflati, consiliorum & rerum omnium euentus se prædicere posse confidunt. Quotquot item aliqua arte, quæ diuinis legibus prohibita est, res uel futuras uel occultas inquirunt. Quia enim illi homines in dei arcana audaci curiositate penetrare conantur, illorum audacia palàm impia esse deprehenditur. Licitum uerò sortilegij genus est, quo rei per se licitæ, imò necessariæ & ad nos pertinentis euentus, dei iudicio per sortes committitur. Solet hoc ferè fieri, ut maior sit rerum agendarum authoritas, uel ut contentiosis occurratur, qui priuati commodi studio, & aliorum odio, lites & rixas captant. Et hunc sortiendi usum Solomon nobis monstrat, quando ait: Sors contentiones sedat, & praeduros componit. Prouerb. 18. Fuit autem eiusmodi sortium antiquißimus usus, nec à religione alienus esse, etiam ab ethnicis creditus est. Hoc olim Græcos usos Homerus scribit, quando aliquem è fortißimorū ducum numero deligebant, quem Hectori, singulare certamen petenti, obijcerent. Eodem Romani Coss. prouincias sortiebantur, ne illarum administrationē sine numine adire uiderentur. Per sortes quoq; terram Chanaan Israelitæ diuidere iußi sunt. Numer. 33. Et sortium usus in hæreditatibus diuidundis ad nos quoq; manauit, ac salua Christiana religione retineri potest, siquidem non alia quapiam superstitione corrumpatur. Nihil ergo ab apostolis à pietate alienum fit hoc loco, cum de sola dei uoluntate cognoscenda soliciti fuerint, & precationem fidei ac religionis plenam præmiserint. Nec peccaturos esse, qui sortibus in simili casu pari religione hodie uterentur, ex Solomone constat, qui eas à fortuitis casibus longißimè separans, diuinæ prouidentiæ gubernationi subijcit, dicēs: In sinum deijciuntur sortes, at omne iudicium earum pendet à domino. Prouerb. 19.

Cæterum præterito siue reiecto Iosepho, Matthias designatur, qui in apostolorum ordinem Iudæ succedat. At quantum ex præsenti loco uidere datur, hominum iudicio præstantior habitus fuisse Ioseph uidetur, qui præter Barsabæ cognomen (quod iurisiurandi filium, id est, fidelißimum ac ue-

Sortibus deligitur Matthias.

Sortes illicitæ.

Sortes licitæ.

Iliad. 2.

Matthias designatur apostolus.

racißimum sonat) Iustus quoq; dictus est. De Matthia uerò nihil præter nudum illud nomen in sacris literis extat. Idem tamen hic dei iudicio priori illi præfertur. Seruit hoc nostræ tam institutioni quàm consolationi. Docemur enim, ne hominum iudicijs, & magnifica, quam de nobis conceperunt, æstimatione efferamur. Nam ut iudicijs suis falli possunt homines, ita sententiam frequenter mutant, prout fortunas hominum immutari uident. Et exempla extant in omnibus gentibus, quibus docemur, in extremam ignominiam frequenter præcipitatos esse, quos paulò ante multiceps bestia, uulgus, fauore suo ad sydera usq; euexerat. Dei igitur iudicio approbari studeamus, qui ut falli nequit, ita quos semel complexus est, nunquam abijcit, siquidem in officio perstiterint. Rursum uerò consolari nos debet exemplum hoc, quando ab hominibus nos iniquis præiudicijs grauari, imò in uniuersum reijci, uidemus. Nec enim ideo statuendum est, nos à deo quoq; contemni, cum is ab hominũ authoritate minimè pendeat, & plerunq; contemptißimos ex mortalium genere ad res maximas deligat, ut ipsi cedat omnis gloria, & non superbiat coram illo ulla caro. Vide 1. Corinth. 1.

Adhæc non prætermittendum est in præsentis loci cõsideratione, quòd nec Iosephus, nec qui eius partes tutati fuerant, murmurauisse leguntur, quando Matthiam à domino receptum uident. Nec propterea animum despondisse Iosephum uerisimile est, quando non poterat ignorare, multas alias uocationes siue conditiones restare, in quibus suum obsequium deo præstare poterat. Imitemur nos tantæ modestiæ exemplum, & nostra sorte contenti, altiora ne affectemus, ne & dei iudicium temerè accusemus, & dum maiori honore nos dignos putamus, eo etiam loco indigni esse deprehendamur, in quem nos deus collocare dignatus est. Multa uasa sunt in domo diuite, & magna etiam in uasis honestis diuersitas. Primus in his locus apostolis meritò debetur, qui ipsis mera gratia dei contigit, tenuerunt uerò eundem constanti fide, suijpsius contemptu, innocentiæ & charitatis studio. Quorum uestigia quicunq; secuti fuerint, unà cum ipsis uitam immortalem et beatam uiuent in Christo Iesu: cui debetur benedictio, honor, gloria et potestas in æternum. Amen.

CAPVT II.

HOMILIA X.

Et dum compleretur dies Pentecostes, erant omnes unanimiter congregati in eodem loco. Et factus est repentè è cœlo sonitus, quasi irruente flatu uiolento, & impleuit totam domum, ubi sedebant. Et uisæ sunt illis dissectæ linguæ, tanquam igneæ, seditq; super unumquenq; illorum, & impleti sunt omnes spiritu sancto.

INter promißiones, quibus saluator noster Iesus Christus apostolos suos frequenter consolari solet, omnium creberrimè repetitur, quæ de spiritu sancto est. Nam quando illos coram principibus causam dicturos esse prædicit, hoc argumento metum omnem illorum animis eximit, quòd spiritum sanctum consultorem habituri sint, qui & argumenta & eloquendi facultatem suggerat. Et cum mortem iam aditurus esset, eandem spiritus sui promißionem terq; quaterq; iterat, quem ipsis consolatorem, consultorem & rerum agendarum ducem fore pollicetur. Deniq; à mortuis resuscitatus & promißionis illius denuo illos admonet, & spiritum ipsos Hierosolymis expectare iubet. Atqui minimè superuacanea censeri debet tam diligens promißionis huius iteratio. Nam & apostolorum institutioni seruire potuit, ne uel imparati ad muneris tam ardui functionem excurrerent, uel periculorum metu consternarentur: & nobis hodie utilißima est, cum inde colligere detur, apostolorum doctrinam diuinitus inspiratam esse, nec sine manifesta impietate contemni posse. Cæterum, ne qua tantæ rei obscuritas uel ambiguitas restaret, toties promissum spiritum non occulto aliquo inspirationis modo apostolorum animis inseri, sed uisibiliter, & non sine publico miraculo, mitti oportuit: quod & reuera factum esse, & quomodo id factum sit, in præsenti diligenter & summa cum perspicuitate diuus Lucas commemorat. Est autem cumprimis digna historia, cuius singulæ circumstantiæ penitius inspectæ excutiantur.

Priusquam

Priusquam uerò Euangelistæ uerba aggrediamur, de spiritu sancto quædam dicenda erunt, ut quid apostoli acceperint, probè intelligamus. Primò enim minimè putabimus, spiritum sanctum uel ante hoc tempus non fuisse, uel illo in uniuersum caruisse apostolos. Nam illum ab æterno esse, deo consubstantialem, multis ueteris scripturæ testimonijs liquet. Dauid certè à spiritu domini exercitus cœlorum conditos esse fatetur. Psal. 33. Et Petrus Christi spiritu prophetas olim præditos fuisse docet, quo reuelante illi & afflictiones in Christum uenturas & eiusdem gloriam prædixerint. 1. Petri 1. Sed & archangelus Gabriel spiritus sancti operatione uirginem Mariam concepturam & pariturã esse pollicetur. Luc. 1. Quoad apostolos uerò, illos spiritu dei in uniuersum caruisse ante hunc Pentecostes diem, nemo sanus affirmare poterit. Magna enim licet illorum fuerit infirmitas & imperfectio, Christum Iesum tamen & cognouerunt & promissum humani generis saluatorem esse ingenuè confessi sunt, quod ipso Christo teste absq; spiritus reuelatione fieri non poterat. Matth. 16. Iohan. 6. Deinde nec de substantia spiritus sancti historiam hanc exponere licebit, quasi ea (quam tertiam trinitatis personam ueteres dixerunt) in apostolorum animos demissa, & illis inclusa fuerit. Ea enim loco certo contineri non potest, sed (quæ diuinitatis proprijssima nota est) omnia penetrat & replet tam in cœlo quàm in terra. Quò Dauid respiciens, ait: Quò discedam à spiritu tuo? & quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu ibi es: & si sternam lectum meum in infernum, tu ades, &c. Psal. 139. Constat ergo de operatione & donis spiritus sancti historiam hanc omnem exponi debere, & spiritum sanctum apostoli accepisse dicuntur, eò quòd ille (qui alioqui incomprehensibilis est) in illis efficaciter operatus est, & illos omnibus donis instruxit, quibus ad tanti muneris executionem instructos esse oportebat. Quo sensu passim in scripturis deum & spiritum dei præsentem, adeoq; in seipsis habere dicuntur, in quibus ille operatur, & qui sese ab illo dirigi patiuntur. Deo autem & dei spiritu carent, qui illius operationi resistere, & improba carnis ac mundi desideria potius quàm spiritus sancti regimen sequi constituerunt. Euidentiora tamen hæc erunt ex ipsius historiæ contextu, in quo primum temporis notationem, deinde apostolorum personas, postremò autem missionis huius modum, ordine inspiciemus.

Vt spiritũ sanctum accepisse dicantur apostoli.

I. In Pentecoste missus est spiritus sanctus.

A temporis notatione non tam historico more, ut maior rei gestæ fides sit, Lucas orditur, quàm ut mysteriorum maximorum nos admoneat, quorum rationem cumprimis habuit diuina prouidentia. Fuit autem dies Pentecostes, quem alibi festum hebdomadum siue nouarum frugum scriptura nominat: eò quòd illo die panes propositionis ex nouis frugibus offerrentur. Pentecostes nomen ex numero sumpsit apud Græcos, quòd quinquagesimo post pascha die celebraretur. Ceremonias, quæ illo die obseruabantur, qui uolet requirat, Leuit. 23. & Deut. 16. cap. Præcipuum uerò in hoc erat promulgatæ legis memoria, quam illo die diuinæ maiestatis uoce editam fuisse, scriptura sacra monet. Non temere autem præsenti negotio hunc diem diuinitus destinatum fuisse patebit, si & populi frequentiam, quæ tunc maxima esse solebat, consideremus, & Christum uerissimum ac optimum ueteris legis interpretem esse animaduertamus. Ea enim dei consuetudo passim cernitur, quòd quæ saluti nostræ seruiunt, omnibus notissima & maximè publica esse cupit. Vult enim, Paulo teste, omnes homines saluos fieri, & in ueritatis cognitionem peruenire. 1. Tim. 2. Cõmodissimum ergo erat, in celeberrimo festo & maxima hominum frequentia euangelicæ prædicationis initium fieri, ut & plures simul erudiri possent, & missi spiritus miraculum, in uarias gentes breui uulgatum, apostolis quodammodo ad prædicandum uiam sterneret. Et in apostolis obseruat dominus, quod ipsum, quando in terris agebat, obseruauisse legimus. Nam ut publicos locos delegit, in quibus prædicaret: ita festis diebus Hierosolymas proficisci solitus fuit, ut tam miracula quàm doctrina ipsius pluribus innotescerent. Imò paschalis festi tempore crucifigi uoluit, ut salutaris mortis ipsius notitia & citius & latius uulgaretur. Prodest autem diuinæ bonitatis argumenta diligenter obseruauisse, quæ redemptionẽ per Christum factam toti humano generi diuinitus offerri, & ad omnes pertinere docent. Nec enim aliunde firmior consolatio in tentationibus peti poterit. Non equidẽ Christum Iesum saluatorem & redemptorem esse, Satan facilè negauerit. Eo autem in fide nostra oppugnanda stratagemate utitur, quòd redemptionem, quæ in Christo habetur, ad nos pertinere negat, & Christi meritum eiusq; terminos ex nostra dignitate uel indignitate metiri docet. Et hîc non potest non succumbere fides nostra, quando nemo est, qui non se salute indignissimum esse depreben-

dat, ubi suam naturam penitius inspexerit. Atqui fidem iam nutantem fortissimè suffulcit eorum consideratio, quæ Christum uniuersalem saluatorem omnium credentium esse docent, & liberalem salutis authorem, qui quàm pluribus benefacere gaudeat.

Sed diligentius inuestiganda est altera causa, qua propter legem olim hoc ipso die promulgatam Christi spiritum in Pentecoste datum fuisse diximus. Constat enim, omnia quæ in ueteri populo contigerunt, typos & figuras fuisse rerũ futurarum, quibus perficiendis Christus Iesus ab æterno prędestinatus est. Quare non superuacanea nec curiosa mihi uidetur D. Augustini obseruatio, qui in præsentis historiæ consideratione, illam cum ueteris testamenti typo, legis promulgatione, confert, cum magna omnium circumstantiarũ similitudo & mysteriorum plena analogia utrinq; deprehendatur, quam ipsius Augustini uerbis exponendam esse duximus: Occiditur ouis (inquit) celebratur pascha, & interpositis quinquaginta diebus datur lex ad timorem scripta digito dei. Occiditur Christus, qui tanquam ouis ad immolandum ductus est, sicut Isaias testatur, celebratur uerum pascha, & interpositis quinquaginta diebus datur ad charitatẽ spiritus sanctus, qui est digitus dei, &c. Sed & Paulus apostolus euangelij prædicationem, cuius initium die Pentecostes factum est, cum legis promulgatione diligenter confert, & illa collatione illius authoritatem asserere conatur. 2. Corinth. 3. Et Christum Iesum legis finem esse, scriptura docet, cuius interpretem uerum ipse sese profitetur. Matth. 5. Nullum itaq; missioni spiritus sancti tempus commodius designari poterat, quàm quinquagesimus à paschate dies, legis memoria celebris. Hinc enim admonemur, eundem esse ueteris & noui Testamenti spiritum, non duos & diuersos, ut olim Manichæi somniabant. Nec enim legis interpretem sese præbuisset Christus, si illa ab alio quàm dei spiritu fuisset promulgata, nec tam salutari miraculo illius memoriam commendari & celebrari uoluisset. Deinde, ueram legis sententiam non aliunde quàm ex Christi spiritu hauriri posse, admonemur. Quia enim illi unus Christus satisfecit, cui illa nos pædagogi instar adducebat (Galat. 4.) frustra in illius consideratione uersabuntur, quicunq; Christi spiritu & fide in Christum, quam is in nobis gignit, destituuntur. Quæ causa est, quòd Iudæos adhuc uelamen habere Paulus testatur, quo impediti in Mosis faciem inspicere, id est, uerum & genuinũ legis sensum intelligere non possint. 2. Corinth. 3. Frustra igitur nobis legem & huius opera Iudæi & pseudochristiani, humanæ iustitiæ assertores obijciunt, quando & Christus legis finis siue scopus est, & sine hoc nulla legis cognitio uera esse potest. Interim etiã ueteris Testamenti contemptores arguuntur, qui illius nullam inter Christianos rationem haberi debere existimant. Quasi uerò non eadẽ hodie, quæ olim, dei uoluntas sit, & quasi non nobis quoq; legis manuductione ad Christum sit opus, ut de nostra iustitia desperantes, dei iustitiam in Christo Iesu per fidem apprehendere discamus. Ceremonias equidem legis abolitas esse fatemur, quia in Christo figuræ omnes impletæ sunt: saluus tamen & integer manet usus legis, quæ nostram iniustitiam & ingenitam naturæ corruptionem arguere, & satisfactionem omnem in Christo monstrare debet.

Epistola 119. ad Ianuarium.

II. Apostolorum conditio.

Porrò apostolorum personas quoque inspicere conuenit, ut quid illi hoc tempore fecerint, intelligamus. Vbi quædam ex primo capite repetenda erunt. Primò enim Christi iam cœlos ascensuri mandato ipsos paruisse audiuimus, qui Hierosolymas reuerti, & illic promissum spiritum expectare iussi fuere. Eò igitur reuersi, ibidem in hunc usq; diem constitêrunt, quo spiritus missus est; ut paulò post uidebimus, quando Lucas hæc Hierosolymis contigisse, disertè docet. Deinde unanimitatem & concordiæ studium illis tribuit. Nec enim per urbem dispersi & palantes oberrauerũt, nec rixis & contentionibus (ut sæpe aliàs) conflictati sunt, sed unanimiter uno in loco congregati mansere. Coniungendum his tertium, cuius suprà quoq; mentio facta est, quòd nimirum in precibus perseuerauerunt assiduè. Nec enim putandum est, illos in precibus remissiores factos esse, quando & periculis undiq; circumstantibus premebantur, & ad functionem sibi cõmissam (ut ex Matthiæ electione conijci potest) sese non oscitanter præparabant. Seruiunt hæc publicæ omnium nostrum institutioni. Nam docent, ut eos præparari oporteat, qui spiritum sanctum sibi quoq; donari, & illius dona augeri cupiunt. Opus hoc nobis est propter ingenitam naturæ nostræ corruptionẽ. Quo nisi regeneremur, regnum dei uidere non dabitur. Iohan. 3. Opus eodem propter mundi exemplum & carnis desideria, quibus à salutis uia frequenter reuocamur. Opus illo etiam propter tentationes, quibus salutis & redemptionis nostræ certitudinem in dubium uocare satan sæpe conatur, & facilè uincit, nisi spiritu Christi, qui

Vt homines ad accipiendum spiritum sanctum præparari oporteat.

(ut Paulus monet 2. Cor. 1. & 5. Eph. 1.) salutis nostræ certissimus arrhabo est, cōfirmemur. Atqui idem ille in animam malignam non ingreditur. Præparatione igitur opus erit, qua illius capaces reddamur. Primus in hac locus obedientiæ debetur, qua nos diuinæ uoluntati & ipsius præceptis subijci conuenit, in ijs quoq; rebus, quæ nostræ rationi & periculosæ & noxiæ uel saltem superuacaneæ uideri poterant. Qua enim ratione fieri posse putabimus, ut spiritu dei donentur, qui deo rebelles esse non erubescunt? Non fert deus, ut lege & uerbo suo glorientur, qui inobedientes esse pergunt. Psal. 50. Quantò minus ergo spiritu suo tales donare dignabitur? Deinde unanimes & charitatis studiosos esse conuenit, qui spiritum accipere desiderant. Nam quia deus ipsa charitas est, illius studium à suis unicè requirit, imò hanc tesseram Christus constituit, ex qua sui cognoscantur. Iohan. 13. Nec fieri potest, ut Christianæ fraternitatis spiritu dignos Christus iudicet, quicunq; odio, æmulatione, simultatibus & apertis inimicitijs scinduntur, & ita se à Christi corpore, quæ ecclesia est, alienos esse probant. Porrò obedientiæ & concordiæ studio preces ardentes & assiduas coniungi oportet. Nam licet deus spiritum suum gratis polliceatur, & eundem ex mera gratia donet, à nobis tamen orari uult, & ut illum oremus tam dei ipsius maiestas, quàm officium quo illi obstricti sumus, requirit. Nec aliud euidentius fidei nostræ argumentum edere possumus, quàm si precibus à deo impetrare studeamus quæ nostræ saluti seruiunt. Ideò Dauidem dicere audimus: Spiritum rectum intra me innoua: ne abijcias me à facie tua, nec spiritum tuum sanctum à me auferas. Psal. 51. Et Christo iubente ipsi quotidie clamamus: Adueniat regnum tuum. Imò idem Christus promissione animos nostros confirmat, ne quis frustra se spiritum à deo petiturum esse existimet, cùm ait: Si uos cum sitis mali, nostis bona dona dare filijs uestris: quanto magis pater uester cœlestis dabit spiritum sanctum poscentibus se? Luc. 11. Tria ergo hæc, obedientiam, unanimitatem & preces, apostolorum exemplo coniungamus hodie, & mirificos in uera pietate progressus ac saluberrima spiritus sancti incrementa in nobis sentiemus.

Docet præterea apostolorum consideratio, spiritum Christi, qui per Euangelij prædicationem operatur, concordiæ & sanctimoniæ spiritum esse, non dissidiorum & carnalis licentiæ authorem, ut quidam hodie clamitant, qui hoc nomine euangelij doctrinam suspectam & inuisam reddere conantur, quòd per hanc dissidia seminari & quiduis audendi licentiam plantari dicunt. Sed facile est illorum calumnijs respondere. Vt enim unanimes & concordes apostoli illum receperunt: ita illorum concordiam post acceptum spiritum minimè interturbatam, sed indies magis magisq; confirmatam fuisse constat. Et idem in omnibus credentibus eiusdem spiritus effectus est. Nec enim fieri potest, ut dissidiorum author in illis sit, quos sub uno capite, Christo Iesu, unitos, unius & eiusdem corporis membra ac eiusdem regni cohæredes facit. Et ut eiusdem corporis membra, quæ uno spiritu animantur, dissidere impossibile est: ita inter se dissidere non possunt, quotquot per euangelij doctrinā Christo adducti, ipsius spiritu donantur. Quod autem nostri illi de carnis licentia obijciunt, minimè agnoscimus. Hanc enim per Euangelij prædicationem quàm maximè oppugnari fatebūtur, quotquot uel minimum ipsius gustum percepêre. Nec externo tantum uerbo illam oppugnat Christi spiritus, sed simul animos deo consecrat, ut qui paulò ante peccati mancipia fuerant, dei uiuentis templa efficiantur. Interim non inficiamur, complures esse, qui euangelij prætextu ad dissidia seminanda & carnis licentiam plantandam abutantur. Sed num id euangelio fraudi esse debet? Vel quis cordatus magistratum damnat, quòd huius prætextu multi tyrannidem affectando patriæ libertatis oppressores extiterunt? Quin potius usum magistratus respicimus, quem in eum finem institutum esse constat, ut priuatorum hominum libidini, uiolentiæ & tyrannidi occurratur. Ita euangelij hunc usum, & hunc spiritus sancti effectum esse agnoscamus, quòd ueram concordiam sanctamq; uitæ honestatem unicè promouere solet. Imò, si uerū fateri libeat, non alia concordia deo accepta esse potest, quàm quæ in Christo Iesu inter fideles Christi uerbo & spiritu regeneratos extat: nec alia esse poterit uera sanctitas & innocentia, quàm cuius spiritus Christi author est. Quam enim sine hoc homines simulant, hypocritica est, & dei iudicium sustinere nequit, utpote à Christi iustitia aliena, quæ fidelium defectus sarcire solet.

Spiritus Christi author concordiæ & sanctimoniæ.

Subiungit his Lucas missionis huius modum, qui uisibilis fuit, tum propter apostolos, ut maiorem ex spiritus præsentia in cōmisso sibi munere fiduciam conciperent, tum propter nos, ut certò con-

III. Modus missionis spiritus s.

staret, Christum Iesum ecclesiam suam nunquam deserturum, sed inuisibili sua gratia defensurum, quam uisibili spiritus sui missione dignatus erat. Huc enim præclara illa promissio pertinet: Non relinquam uos orphanos, &c. Iohan.14. Item: Ecce ego uobiscum sum usq; ad consummationem seculi. Matth.28. Cæterum de modo rei gestæ hîc obseruato tria dicuntur, quæ nobis excutienda restant.

Repente sonitus fit è cœlo.

Primò repentè fit sonitus è cœlo. Nec mysterio caret, quòd subitò uel de improuiso ista eueniunt. Nam perpetuus hic dei mos est, quòd promissiones suas tunc uerissimè præstat, quando minimè sperare licet, imò quando nulla in humanis spes superest. Sic promissam ante annos circiter quadringentos ex Aegyptiaca seruitute liberationem tunc demum exequitur, quando omni libertate exuti Israelitæ, horrenda tyrannidis exempla in recens natis cernere coguntur, nec quicquam habēt quod tutò sperare possint. Ita hoc loco spiritum sanctum, cuius aduentum ab ascensione Christi per dies undecim distulerat, nunc subitò & quasi nil tale opinantibus mittit. Docemur autem exemplis eiusmodi, patientia uti in expectandis dei promissionibus. Quia enim ueritas ipsa est deus, fallere non poterit. Et quia ipse dominus est, nos uerò serui sumus, illum nos expectare, non autem illi præscribere, conuenit. Expecta dominum (clamat Dauid) forte sit, & roboretur cor tuum, & expecta dominum. Psal.27. Et propheta ait: Si distulerit, expecta eum. Certissimè enim ueniet, neque moram nectet. Habac.2. Cæterum è cœlo fragor ille siue sonitus descendit, ut sciremus, cœlesti & diuino spiritu donatos apostolos, cœlestis & diuinæ doctrinæ nobis præcones factos esse, non humanæ, cuius authoritas atq; fides in dubium uocari debeat. Seruit hoc illorum stultitiæ confutandæ, qui ex altero mundo, è cœlis nimirum uel inferis, cum impio epulone doctores requirunt, & quæcunq; de salutis ratione & hominis officio dicuntur, hoc uno scommate eludunt, quòd neminem unquam uel è cœlis uel ex inferis rediisse clamant, qui de illorum locorum conditione nos certiores fecerit. Ita uerò animos impios omnisq; religionis uacuos produnt. Nisi enim frontem omnem perfricuissent impiissimi homines, scirent dei filium è cœlis delapsum in carnem uenisse, & eundem à mortuis resuscitatum, regni cœlorum mysteria exposuisse fidelissimè. Scirent è cœlo descendisse spiritum sanctum, qui per apostolos ea locutus est, quæ illi de salutis nostræ ratione & officio nostro nobis tradidère. Atqui nouum quoddam doctrinæ genus expetunt, quod si uel angelus è cœlo afferret, non fidem mereri, sed anathema haberi debebat. Vide Galat.1.cap.

Violentus flatus totam domum replet.

Secundò flatus quidam siue uentus uiolentus irruens totam domum, in qua apostoli habitabant, replet. At flatu siue uento spiritum significari, dubium non est, quando ipsum spiritus nomen translatitium esse, & diuinam potentiam sic denominari constat, eò quòd omnia penetret & sua operatione res uniuersas cōseruet. Et Hebræi uoce Ruach utuntur, quæ tam de uento quàm spiritu usurpari consueuit. Voluit autem in præsenti Christus uenti symbolo uti, ut spiritus sancti uim & efficaciam, quæ humano captui incomprehensibilis est, nullisq; hominum uiribus superari potest, nobis quodammodo ob oculos statueret. Præstat uerò ipsum huius rei interpretem audire. Nam apud Nicodemum de spiritus sui operatione, qua credentes regenerari solent, disputans ait: Spiritus ubi uult spirat, & uocem eius audis; sed nescis unde ueniat, & quò uadat. Iohan.3. Vt enim uentorum causas & origines, multùm licet inuestigatas, nondum adhuc certò designare potuit humani ingenii solertia, multò minus uerò uentis limites & terminos constituere potest: ita spiritus sancti operatio humanum captum longè superat, licet eam in animis nostris efficaciter sentire detur. Et ut nullis hominum siue consiliis siue uiribus uentorum flatus impediri possunt: ita spiritus Christi, qui per euangelium operari solet, hominum uires non metuit, nec illis impeditur, quò minus quando & ubi uult, uim suam exerat. Imò ridiculi illorum conatus esse deprehenduntur, quicunq; hoc cum deo certamen suscipiunt, quo spiritum & uerbum dei quasi in ordinem redigere, & intra limites abs se præscriptos continere uolunt. Exempla huius rei multa extant, inter quæ primus locus apostolis meritò debetur. Illis enim hoc mandatum erat à domino, ut euangelii prædicatione totum orbem terrarum implerent. Videbatur hoc ab hominibus idiotis & contemptissimis nullo modo fieri posse. Opponebat se etiam illorum conatui quotquot coram mundo uel potentiæ uel sapientiæ titulo præclari habentur. Perrupit tamen totum orbē apostolorū ministerio Christi spiritus, quem flatus iste uehemens adumbrauit, & inuito mundo mundiq; principe euangelii doctrina per omnes gentes uulgata est. Consolentur hæc nos contra uanos mundi & tyrannorum conatus, qui euangelii cursum impedire student.

dent. Viuit enim adhuc Christus, qui ex alto illorum consilia ridet, & cuius spiritus spirat ubi ipse uult, nec hominum arbitrio regitur. Psal. 2.

Tertiò, apparent linguæ dissectæ, tanquam igneæ, quæ ubi singulorum capitibus insederunt, omnes repleti sunt spiritu sancto. Ventum quidem spiritus sancti symbolum fuisse diximus. Sed uisibile etiam præsentiæ spiritus signum accedit, ne quid dubij relinquatur. Is enim dei mos est, ut interna & spiritualia dona, quæ fide sola percipi possunt & in animis resident, externis symbolis obsignet. Quæ propter analogiam & infallibilem dei ueritatem, cuius signacula siue sigilla sunt, rerum signatarum nomina accipere consueuerunt. Eadem ratione fit, quòd de linguis, quæ apostolorum capitibus insederunt, Lucas disserens, perinde loquitur, quasi ipse spiritus capitibus insederit. Atqui nec linguas hasce spiritum sanctum essentialiter fuisse, nec illis hunc fuisse conclusum, euidentissimè constat. Quis enim spiritus sancti substantiam igneam esse dixerit, nisi si quis cum Persis delirare uelit, qui ignem numinis loco adorabant? Quis item spiritum sanctum, quem omnia penetrare & ubiq; præsentem esse scriptura docet, parua linguarum specie concludi potuisse existimet? Adhæc non ipsum spiritum capitibus insedisse, sed apostolorum animos spiritu sancto repletos fuisse, Lucas testatur. Et frustra capitis uerticem teneret spiritus, nisi in animos sese insinuans uim & efficaciã suam exerat. Symbola ergo præsentiæ spiritus sancti linguæ fuerunt, nec aliter quàm propter analogiam (ut modò diximus) spiritus sancti nomen ipsis communicari poterit.

Linguæ dissectæ tanquam igneæ.

Porrò ut in omnibus signis, quibus deus uti consueuit, mira cum rebus signatis similitudo cernitur: ita hîc quoq; non alio signo spiritus præsentia uel euidentius uel magis propriè adumbrari poterat. Linguarum species apostolorum functioni quàm maximè conueniebat, quos prædicationi destinarat dominus. Earundem uerò dissectio linguarũ donum repræsentabat, quo illis cumprimis opus erat, siquidem ubiq; terrarum Christo testimonium ferre, & ab omnibus intelligi debebant. At ignis elementum, apostolorum uocem ex spiritus operatione efficacẽ fore significabat. Per hanc enim spiritus quæcunq; in nobis terrena & caduca sunt, ceu ignis aliquis flagrantissimus consumit. Per eandem spiritus animos hominum ardenti cœlestium amore incendit, ut terrenis omnibus à tergo relictis, ad sola æterna regni cœlorum bona aspirent. Hac ipsa spiritus sanctus homines, nimio peccati torpore segnes, calefacit, ut ad omne opus bonũ agiles ac idonei efficiantur, & omnia possint in Christo. Atqui ardor ille & igneus zelus propria illorum nota est, qui Christi spiritu aguntur: quem qui cunq; in se extinctum sentiunt, spiritu gloriari desinant. Possem hîc multos alios spiritus Christi effectus recensere, nisi de illis cõmodius in sequenti sermone dici posset, quo quid in apostolis effecerit, exponetur. Nos Christi ueritatem & bonitatem agnoscamus, qua ecclesiæ suæ prospectum uoluit. Et apostolorum exemplo præparemur, ut ipsi quoq; Christi spiritu donati uero & sancto dei amore accendamur, & in obeundis uitæ Christianæ officijs strenui, pro germanis dei filijs agnosci possimus, hæredes olim futuri uiuentis dei, cohæredes autem Christi Iesu: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA XI.

Et cœperunt loqui alienis linguis, prout spiritus dabat illis eloqui. Erant autem Hierosolymis habitantes Iudæi, uiri religiosi, ex omni gente earum, quæ sub cœlo sunt. Vulgato igitur rumore hoc, conuenit multitudo, & cõfusa est, quòd audiret unusquisq; sua lingua illos loquentes. Stupebant autẽ omnes, ac mirabantur dicentes inter sese: Nónne, ecce, omnes isti qui loquuntur, Galilæi sunt? Et quomodo nos audimus eos sua quisq; lingua, in qua nati sumus? Parthi & Medi, & Elamitæ, & habitatores Mesopotamiæ, Iudææ & Cappadociæ, Põti & Asiæ, Phrygiæ & Pamphyliæ, Aegypti & partium Libyæ uersus Cyrenen, & aduenæ Romani, Iudæi & proselyti, Cretes & Arabes, audimus eos loquentes nostris linguis magnifica dei. Stupebant ergo omnes, ac mirabantur, dicentes inter sese: Quid sibi uult hoc? Alij autem irridentes dicebant: Musto pleni sunt.

QVamuis promißiones domini & saluatoris nostri Iesu Christi, apostolis primùm datæ sunt, & ad illos solos pertinere uideri possunt, constat tamen easdem generales esse, & ad omnes credentes extendi debere. Nam ut apostoli propter imperfectionem suam & omnis generis uitia spiritu sancto opus habuerunt, nec sine huius ope & auspicijs commissum sibi munus obire potuissent: ita nobis quoq; eodem spiritu opus est, cùm illo destituti, nec uitam Christianè instituere, nec fidei certitudinem contra satanæ tentationes retinere possemus. Nemini ergo uel inutilis uel superuacanea censeri debet præsentis historiæ consideratio, quæ & apostolicæ doctrinæ authoritatem fortißimè asserit, & nos instituit multiuariàm. Docet enim, ut ad excipiendum spiritum præparari, & ut spiritus dijudicare debeamus. De primo in hesternis dictum est. Alterius ratio ex præsenti loco disci poterit. Pergit enim in historiæ descriptione Lucas, & effectus spiritus sancti, quos tam in apostolis, quàm in illorum auditoribus exeruit, commemorat.

Donum linguarum.

Ab apostolis uerò dicendi initium sumens, duo illis tribuit, quæ ex spiritus sancti operatione acceperunt. Primum est, quòd mox accepto spiritu alienis, ijsq; diuersißimis linguis loqui cœperunt. Est hoc ingens miraculum & stupendum, quo nescio an aliquod maius inter homines unquam contigerit. Quis enim ignorat, quanti laboris & industriæ opus sit, si quis à pueris diuersas linguas discere conetur? Homines uerò adultos uix unam aliquam discere, & perfectum illius usum assequi posse uidemus. At apostoli, adultæ & prouectæ ætatis homines, adhæc rudes & idiotæ, qui pueritiam & iuuenilem ætatem non in literarum studijs, sed manuarijs artificijs contriuerant, uno quasi momento non unius tantum uel alterius, sed omnium simul linguarum cognitione & usu insignes ac præclari fiunt. Quis hîc euidens dei opus non agnoscat? Quis non spiritus sancti operationem admiretur? Quid enim tam breui tempore humani ingenij industria siue dexteritas efficere potuisset?

Nec uerò superuacaneum est hoc miraculũ, quòd nudæ duntaxat & inani ostentationi (ut quæ à circulatoribus & præstigiatoribus fiunt) seruire debuerit: sed apostolis in cõmisso sibi munere obeundo utilißimum & summopere necessariũ. Quia enim hos totius orbis doctores Christus Iesus constituerat, ut illorum ministerio euangelij doctrina in uniuersis gentibus uulgaretur, illos ab omnibus intelligi necesse erat. At quomodo ab omnibus intelligi poterant, si sua tantũ lingua ubiuis terrarum uti potuissent? Imò non aliam ipsis hucusq; maiorẽ in sua functione remoram obiectam fuisse puto, quàm quòd necessaria diuersarum linguarum cognitione se destitutos uiderent. Et tantũ fuit diuersitatis linguarum incommodum, quod audax humanæ superbiæ facinus (ut Moses docet) inuexerat, ut per hoc saluberrima euangelij doctrina impediri, illiq; ad diuersas gentes aditus præcludi uideretur. Sed omnem difficultatem siue remoram uno momento deus remouet, & primo statim spiritus aduentu se eo impedimento leuatos sentiunt apostoli, quod plurimum illis obfuturum putabatur. Potest hinc cõmunis & generalis consolatio peti, ne quis in dei uocatione ambulans, de illius ope & gratia diffidat. Solent equidem multa talibus ab ipso deo obijci, quæ quò minus cõmissam sibi prouinciam exequi poßint, obstare uidentur. Sed non tam illos impedire uult deus, quàm illorum fidem & patientiam exercere. Constanti ergo fide & intrepido animo ea etiam, quæ humanas uires excedunt, aggredi oportet, & dei fidas manus in ijs experiemur, quæ nobis effectu impoßibilia erant. Sic Mosi nec exilium nec linguæ balbuties obstare potuit, quin Israelem Aegypto educeret. Imò cum dei uocationi insistentibus mare rubrum obijceretur, & cœptum cursum inhiberet, illud è medio tolli & exiccari oportuit. Transeo infinita huius generis exempla, quæ tum in sacris tum in prophanis historijs paßim occurrunt. Horum itaque memores inuictam animorum spem concipiant, quicunq; uel doctrinæ antistites sunt, uel in magistratu constituti publicam populi curam sustinent. Meminerint horum & priuati homines, & pari constantia uocationi suæ insistant. Consummabit enim opus suum dominus, quod in nobis cœpit, siquidem nos laboris, qui illius nomine sustinendus est, non piguerit.

Apostolis non nisi instructißimis fit prædicandi copia.

Obseruemus autem hoc loco, Christum Iesum, qui idiotas & rudes elegerat apostolos, ijsdem non prius per orbem prædicandi copiam fecisse, quàm ubi instructißimos reddidit, omniumq; peritißimos, quæ ad docendi functionem necessaria sunt. Qui enim paulò ante solam Syrorum linguam nouerant, & ne hanc quidem tam perfectè, quin ex pronunciatione (ut in Petro patet) pro Galilæis agnosci possent, nunc omnium linguarum cognitione instructi prodeunt. Accedit scripturæ ueteris

peritia,

peritia, quam eodem spiritu authore exactissimam consecuti sunt, ut illorum conciones testantur. Arguit hoc Anabaptistarum insolentem barbariem, qui à stiua & bobus imparati ad docendi munus prorumpunt, & tunc demum se uerè apostolicos esse arbitrantur, si & bonis literis & bonis moribus destituti, omne sapientiæ studium contemnant, & ecclesiæ ordinem uniuersum euertant. At tam abest, ut apostolorum exemplum ipsis patrocinetur, ut potius illius authoritas ipsos ad ea studia releget, quæ ministro uerbi necessaria sunt. Paulus certè ecclesiæ antistitem διδακτικὸν, id est, docendi facultate instructum, esse uult, nec simplicem articulorum fidei et salutis cognitionem in illo requirit, sed talem postulat, qui etiam contradicentes refellere possit. 1. Tim. 3. Tit. 1. Ideo Timotheum, quem à pueris intra sacræ scripturæ studia enutritum fuisse testatur, assiduæ lectioni incumbere iubet. Fatemur equidem, non ea omnium linguarum cognitione opus esse, quæ apostolis miraculosè contigit: nec nostrum est, tale quid à deo petere, qui si nouis apostolis opus fuerit, eos & facilè inueniet, & donis instruet idoneis. Earum autem cognitionem meritò exigimus, sine quibus scripturæ sacræ libri commodè & sufficienter explicari non possunt: de Hebræa & Græca dico, quarum illa uetus Testamentum conscriptum extat, hac uerò nouum ab apostolis uulgatum est. Et Paulus alibi præcipuum linguarum usum in scripturarum interpretatione uersari docet. 1. Cor. 14. Quibus quicunq; carent, solidam & certam scripturæ sacræ cognitionem assequi nunquam poterunt. Dum enim ab aliorum interpretationibus pendent, ijs similes uideri possunt, qui alienis oculis uidere, alienis auribus audire, & alienis pedibus ambulare instituunt. Linguarum cognitioni rerum notitia, & imprimis dicendi facultas accedant oportet, quibus si quis careat, næ is mihi perexiguo cum fructu in ecclesiæ ministerio uersari dicetur.

At quia hæc non omnibus miraculosè conferri solent, & paucis alijs contigit quod hic de apostolis legimus, nostra in ijs assequendis industria, noster labor & nostrorum studiorum assiduitas requiruntur. Vbi & scholarum usus sese exerit, & eorum ministerio opus esse patet, qui uerbi ministerio destinatos à pueris instituant. Nec quenquam ignorare arbitror, in populo dei scholarum rationem præcipuam semper habitam fuisse. Huc enim referri debent quæ de filijs prophetarum & illorum collegijs habentur, quibus sanctissimos prophetas, Samuelem, Elisæum & plures alios, magna cum solicitudine & cura præfuisse constat. Et apud prophetam grauissimè reprehendi legimus eos, qui dissolutiori morum disciplina dei & ecclesiæ ministerio destinatos iuuenes corrumpebant. Amos 2. Enimuero quantum in religione propaganda & seruanda momenti habeat uera & legitima scholarum institutio, sanctissimi principes olim perspexerunt, qui ut hæ saluæ & incolumes manerent, illis non modò consilijs & authoritate sua, uerumetiam opibus suis succurrendum esse putarunt, quod ex uetustissimorum collegiorum fundationibus facilè deprehenditur, quæ postquam ita degenerauerunt, ut ociosorum hominum, gulæ & uentri deditorum, uel ineptè superstitiosorum, lustra facta sint, horribilis inde ecclesiarum ruina & uastitas enata est. Quod non obscurè Iulianus apostata, homo uersipellis & subdolus præuidit, qui ideo à literarum studijs Christianos repelli uolebat, ut ignorantia & inscitia impediti, philosophorum argutijs & ludibrijs paterent. Nisi ergo Iuliani socij & æmuli haberi uelint Christianorum principes, scholarum curam sibi cumprimis commendatam esse debere intelligant. Scholæ.

Sed ad apostolos reuertamur, quos linguarum dono per spiritum sanctum instructos fuisse diximus. Quàmuis enim in solis apostolis hoc effectum fuisse uideri possit, latius tamen hoc ipsum extendi debet, & perpetuus hic spiritus sancti effectus est, quòd linguas credentium mutat & instruit. Quia enim homo animalis non intelligit ea quæ sunt spiritus dei, de ijsdem, ut par erat, disserere non potest, & quoties de diuinis rebus disputare instituit, toties suam prodit stultitiam & infantiam, quod ethnicorum philosophis accidisse, Paulus docet. Rom. 1. Adhæc uanitate delectatur homo, & turpiloquio gaudet, imò frequenter ad blasphemias linguæ habenas laxat, quod in filiorum huius seculi quotidianis sermonibus facilè animaduertitur. Accedit hisce malis, quòd ne tunc quidem loqui potest homo, quando religiosissimus haberi uult. Cum enim precibus dei opem implorare instituit, uel cogitationibus uanissimis mens distrahitur, uel peccatorum cōscientia turbatur, quò minus certa animi fiducia orare possit. At quæ sine fide manat oratio, efficax esse non potest. Cæterum omnibus hisce uitijs spiritus Christi medetur. Quia enim mentes hominum regenerat, & ijsdem ueram dei

Spiritus sanctus mutat & instruit linguas

& mysteriorum salutis cognitionem instillat, idoneos reddit, ut de dei natura, uoluntate & iudicijs disserere possimus. Et linguas, quæ blasphemijs, obtrectationibus, conuitijs, periurijs, obscœnis dicterijs & omnis generis impuritati assueuerant, in dei laudem & gratiarum actionem soluit, ut ea loquantur, quæ dei gloriam prouehunt, & quæ aliorum ædificationi seruiunt, abstineant uerò ab ijs, quibus boni mores corrumpuntur. Rursum quia adoptionis spiritus est, & nos dei filios esse certò testatur, eius nobis fiduciæ author est, qua deum patrem inuocare audemus, nec amplius illius uoluntati & gratiæ diffidimus. Et hunc spiritus effectum Paulus exprimit, dicens: Non accepistis spiritum seruitutis iterum ad timorem, sed accepistis spiritum adoptionis, per quem clamamus, Abba pater. Idem spiritus testatur unà cum spiritu nostro, quòd simus filij dei, &c. Roman. 8. Et rursum: Quoniam estis filij, emisit deus spiritum filij sui in corda nostra, clamantem, Abba pater. Galat. 4. Quò etiam referri debent Christi promissiones amplissimæ, quibus patrem in suo nomine orantes exauditurum pollicetur. Iohan. 14. & 16. Obstat præterea spiritus hic carnis cogitationibus, & mentes salutis ac gloriæ dei studio inter precandum accendit. Præterea hic nouum quoddam spiritus Christi miraculum edit. Vt enim apostolorum linguas diuisit, ut diuersa omnium gẽtium idiomata sonare possent: ita omnium gentium fidelibus unam & eandem linguam largitur, qua ex uniuersis mundi partibus unum & eundem patrem uno & eodẽ sono, et una eademq; fide inuocant. Sicq; unitæ sunt linguæ, quas insolens & audax superbia dissipauerat. Et hæc mihi illa lingua Chanaan uidetur, qua propheta urbes Ægypti, adeoq; omnium gentium, locuturas esse uaticinatur. Isa. 19.

Contra blasphemos, turpiloquos.

Quòd si uerò spiritus sanctus hominum linguas mutat, ut quæ sancta & diuina sunt ac ædificationi multorum seruiunt loquantur, ut deniq; certa animorum fiducia dei opem implorent: facilè patet, quo spiritu agantur, qui blasphemias & execrationes plenis buccis tonant, qui conuitiorum & maledicentiæ uirus spirant, qui obscœnis & turpibus uerbis multorum animos offendunt, nulla uel sexus uel ætatis ratione habita: qui deniq; in precibus uel omnino frigent, uel creaturas inuocare, & gloriam unius dei illis ascribere nõ uerentur, uel saltem certa illa deum inuocandi fiducia destituuntur. Non enim sancti illius spiritus, sed maligni & immundi effectus hi sunt. Atqui Christus ex cordis abundantia os loqui testatur. Matthæi 15. Talium ergo corda ab immundo Satanæ spiritu certò possideri constat. Non temerè ergo Christus Iesus, nos ex dictis nostris uel iustificari uel condemnari fatetur. Matth. 12. Et Dauid inter uitæ præcepta grauiter omnino hoc primum numerat: Custodi linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. Psal. 34. Adde quòd & Paulus apostolus, scurrilem linguæ petulantiam omnemq; sermonem spurcum à Christianorum ore alienissimum esse iubet, & turpiloquium in eorum peccatorum catalogo numerat, propter quæ ira dei contra inobedientes filios enascitur. Ephes. 4. & 5. Coloss. 3. Familiarissima ergo sit Christianis hominibus Dauidis oratio, dicentis: Pone domine custodiam ori meo, & conserua ostium labiorum meorum. Psal. 141.

Spiritus sanctus magnanimos reddit in Christi confessione.

Videamus autem alterum quoq; in apostolis spiritus sancti effectum, quem ex toto præsentis historiæ contextu colligere datur. Est is magnanima & omnis trepidationis expers Christi Iesu confessio. Publicè enim hunc passim quibusuis obuijs prædicare incipiunt, & diuersis linguis magnifica dei opera enunciant, ut auditorum uerba testantur. Christi uerò prædicationem uel euangelium, μεγαλεῖα τοῦ θεοῦ, id est, magnalia dei uocant: quia in Christo uniuersa dei maiestas omnium euidentissimè cerni solet. Et licet multa extent dei opera, quibus suam naturam & uirtutes suas nobis cognoscendas præbet, in illis tamen Christi negotio primus locus facilè debetur. In hoc enim diuinæ iustitiæ rigor conspicitur, qui nec filio proprio parci uoluit, ut dignis pœnis peccata expiarentur. Hoc etiam de ineffabili dei gratia & misericordia testatur, qua tam tenerè dilexit nos, ut filium proprium in cruce potius morientem, quàm nos æternum damnatos uidere maluerit. Ex eodem infallibilis dei ueritas elucet. Qui enim tunc fallere noluit, quando de filij uita agebatur, cur in alijs falleret? Hoc ipsum insuperabilem dei omnipotentiam nobis commendat, qui uili & mortali carne tectus, Satanam deuincere, & omnem illius potestatem unà cum peccato, morte & inferorum portis conterere potuit. Sapientiæ uerò inscrutabilis hoc specimen est, quo ea uia in redimendo humano genere inueniri potuit, quæ & misericordiæ dei inseruiret, & iustitiæ diuinæ rigori satis faceret. Deniq; quisquis, quæ in Christo contigerunt, perspexerit, is dei maiestatem, quatenus nobis in hoc car-

nis

nis carcere agentibus patere potest, plenissimè perspexit. Rectè ergo dei magnifica prædicauisse dicuntur apostoli, quando Christum prædicauerunt.

Debet uerò etiam alter hic spiritus sancti effectus ad omnes uerè credentes extendi. Vt enim apostoli, qui non multis antequam hæc gererentur diebus periculorum metu superati Christum deseruerant, & clausis præ timore foribus latitabant, statim ut spiritu sancto donati sunt, omni metu posito, Christum publicè prædicare incipiunt, & in ea quidem urbe, quæ Christi sanguinem fuderat, & in qua acerrimi Christi hostes rerum potiebantur, nec etiam multitudinem uerentur, quæ maxima conuenerat: ita quoscunque idem spiritus afflauit, eos omni metu liberatos in Christi confessione sic animat, ut in una Christi gloria asserenda se occupari debere existiment, nec quenquam admittunt, qui uel mundi illecebris retrahere, uel minis ab instituto absterrere conatur. Nobis autem pro hoc spiritus dono quàm maximè laborandum est, quandò à uera fide confessionem nullo modo separari posse constat. Christi enim uox est: Quisquis me confitebitur coram hominibus, illum & ego confitebor coram patre meo cœlesti, &c. Matth. 10. Et rursum: Quemcunque mei ac meorum sermonum puduerit coram generatione hac adultera & peccatrice, illius pudebit & filium hominis, ubi uenerit in gloria patris sui cum angelis sanctis. Mar. 8. Ex quibus suum illud apophthegma Paulus desumpsit: Corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem. Rom. 10. Hæc obseruare conueniebat nostri seculi tergiuersatores, qui fidei confessionem inter indifferentia numerant, quasi sufficiat animum fide imbutum esse, nec aliqua fidei significatio requiratur. Gloriantur quidem fide isti homines, sed illius uim & ingenium prorsus ignorant. Fidei enim spiritus sanctus necessariò coniungitur, qui nec ipse torpet, nec eos torpere sinit, quos suo afflauit numine. Et quia idem amore Christi animos accendit, quo abrepti, unum Christum quærunt, unum illum in ore habent, unum illum per tela, per ignes (ut poetæ uerbis utar) sequuntur, absurdum foret, eos Christi nomen & fidem negare, qui spiritum eius hauserunt. Quòd si istorum hominum sententia ualere debet, & stultitiæ & dementiæ martyres omnes meritò accusabimus, qui diris cruciatibus sese temere obiecerint, cum simulando illos (si dijs placet) effugere potuissent. Quantò sanctius Iuliani milites egerunt, qui ubi Imperatoris dolo se circumuentos per ignorantiam dijs thus adoleuisse senserũt, per errorem commissum dissimulatæ fidei facinus publicè testati sunt, & Christi gloriam, quam errore uiolauisse uidebantur, mortis supplicio sibi asserendam esse putauerunt. At nostri illi scioli uenia & laude dignum facinus, imò summam hanc sapientiam esse existimant, si perfida dissimulatione Christi fidem conculcent. Præstaret sanè illos omnino frigidos esse, quando calidi esse nolunt. Sed quia tepidi sunt, euomet illos dominus. Apoc. 3.

Porrò quia de apostolis & ijs, quæ in ipsis spiritus sanctus operatus est, hucusque diximus, ad ea tandem transire conuenit, quæ inter apostolorum auditores contigerunt, quorum ingentem multitudinem illico conuenisse, Lucas dicit. Numerantur autem plurimæ gentes, & hæ quidem inter se diuersissimæ ac longissimus locorum spatijs distantes, quod ad miraculi amplificationem facit, quando inter tam longè dissitos nulla potuit esse linguarum affinitas. De gentium uerò harum nominibus, situ, origine, moribus, disserere non huius loci est, quando illa ex Geographorum libris commodissimè peti possunt. Et de omnibus quidem in genere dicitur, quòd attoniti, uel etiam territi, miraculo hoc & παῤῥησίᾳ apostolorum obstuperint. Fit hoc quando euangelium prædicatur. Terrentur huius prædicatione boni & pij: sed salutaris ille terror & stupor est, quia aures præbent, & salutis doctrinam auidè amplexantur. Terrentur impij quoque: sed in belluinum stuporem terror ille desinit, quem postea impijs sannis & petulantibus dicterijs excutere conantur. Vtriusque stuporis exempla hoc loco proponuntur quando utrumque auditorum genus hic adfuisse, Lucas scribit. De singulis ergo quædam erunt dicenda.

Auditores apostolorũ ex omnibus gentibus.

Primò religiosi quidam & pij uiri adfuisse dicuntur, ex Iudæorum gente quidem oriundi, sed qui per gentes omnes dispersi diuersas sedes tenebant. Patet enim ex historijs, uarias dispersionis Iudæorum causas in Babylonica captiuitate & ab eo tempore fuisse enatas. Nam & maxima illorum pars inter Assyrios mansit, nec redeundi libertate, per Cyrum ipsis concessa, uti uoluit. Dispersit eos, qui redierant, Antiochi rabies, & aliorum tyrannis, de quibus plura dicere omittimus. Interim si qui religiosiores erant, diebus festis frequenter Hierosolymam adire solebant, ut cœtibus sa-

Pij et religiosi.

cris & sacrificijs à deo per Mosem institutis interessent. Ex quorum numero non paucos conuenisse dicitur, quibus pietatis & religionis laudem Lucas tribuit, eò quòd in dei promissionibus & præceptis pijs meditationibus uterentur, & promissum mundi saluatorem constanti spe expectarent. Magnum uerò hoc est diuinæ bonitatis argumentum, quæ inter Iudæos, propter peccata hinc inde dissipatos, electorum reliquias ad salutē seruare uoluit, sicut per prophetas olim prædixerat. Vide Isa.1. & 10. Rom.10. &c. Et ex ijs quidem non paucos hoc ipso die Hierosolymam pertrahit, quo spiritus sanctus apostolis datus est: ut inter primos per apostolorum prædicationem Christo lucrifierent, quemadmodum circa finem huius cap. audiemus. Nunc uerò illi ingens dei miraculum, quod in apostolis editum uidebant, admirantur, imò obstupescunt, & illud ipsum multis uerbis celebrant, nihil eorum omittentes, quæ ad huius amplificationem facere poterant. Nam & apostolos Galilæos esse fatentur, & de propria diuersorum idiomatum elocutione ingenuè testantur, simulq; gentium, quarum linguis illos uti audiebant, catalogum contexunt. Non tamen in hoc stupore subsistunt, sed ulterius progressi, rei huius finem & usum inquirunt, quando aiunt: Quid sibi uult hoc? Docemur horū exemplo, quinam idonei euangelicæ doctrinæ auditores sint, & in quibus hæc fructus dignos possit edere. Tales sunt, qui religione non omnino uacui, ad dei miracula humiliter obstupescunt, nec in externa duntaxat illorum contemplatione hærent, sed de fine & usu eorundem diligenter cogitant. Horum studia frustrari non sinit dominus, cuius hæc uoluntas est, ut homines in ueritatis cognitionem ueniant. Et Solomonem dixisse legimus: Si sapientiam ut aurum quæsieris, inuenies illam. Prouerb.2. Ac Christus: Quærite (inquit) & inuenietis. Matth.7.

Illusores, canes & porci.

His uerò aliud hominum genus opponitur, quos canum & porcorum nomine Christus appellat, scriptura uerò alibi illusores uocat. Nam fuisse dicit Lucas, qui tam apostolos quàm illorum admiratores irriderent, dicentes: Musto pleni sunt. Proponitur autem & horum exemplum, ut uideamus, quòusq; tandem illorum progrediatur impietas, qui ueritatem deuota mente persequi cœperunt. Incurabiles enim fiunt, nec ullis uel uerbis uel operibus emendari possunt. Quo enim miraculo mouebuntur, quos præsens hoc mouere non potuit, quo nullum unquam maius inter homines editum est? Sed adeò non mouentur, ut inde potius calumniandi & blasphemandi occasionem arripiant, et teterrimo ebrietatis uitio tribuunt, quam uel inuiti operationem spiritus sancti esse intelligebant. Extant multa eius generis exempla, quorum omnium hic finis est, ne offendamur iniquis mundi huius de ueritate iudicijs. Perpetuum enim hoc est, ut euangelij doctrina alijs quidem sit odor uitæ ad uitam, alijs uerò odor mortis ad mortem. 2. Cor. 2. Et Christum crucifixum Iudæis offendiculum, Græcis uerò stultitiā censeri, Paulus admonet. 1. Cor. 1. Relinquamus ergò tales dei iudicio. Nos uerò euangelij doctrinæ ita nos accommodemus, ut ea per spiritus sancti operationem in animis nostris uiuificata, dignos fructus edat, ex quibus pro uerè credentibus agnoscamur, æternisq; frui possimus euangelij promissionibus in Christo Iesu: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA XII.

Stans autem Petrus cum undecim, extulit uocē suam, & locutus est: Viri Iudæi, & omnes qui habitatis Hierosolymis: notum sit hoc uobis, & auribus percipite uerba mea. Non enim, sicut uos existimatis, isti ebrij sunt: est enim hora diei tertia. Sed hoc est, quod dictum est per prophetam Iohel: Et erit in nouissimis diebus, dicit deus, effundam de spiritu meo super omnem carnem. Et prophetabunt filij uestri, & filiæ uestræ: iuuenes uestri uisiones uidebūt, & seniores uestri somnia somniabunt. Equidem super seruos meos, & super ancillas meas in diebus illis effundam de spiritu meo, & prophetabunt.

QVando dei filius, Iesus Christus, recens in mundum natus, à Maria matre iuxta legis Mosaicæ mandatum deo sistebatur, sanctus & uenerandus senex Simeon, ex spiritus sancti suggestione de illo prophetans, inter cætera ait: Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum

torum in Israel, & in signum cui contradicitur. Luc.2. Cæterum quod de Christo Iesu dicitur, hoc idem de euangelio Christi, per apostolos prædicato, debet intelligi. Quàmuis enim eius doctrina simplex sit & perspicua, simulq́; & salutem & ueram salutis consequendæ rationem prædicet, semper tamen diuersa erunt de hac hominum iudicia, nec paruus eorum numerus erit, qui illi palàm contradicant. Vidit hoc olim Isaias propheta, qui cum prophetiam de Christo & eius doctrina instituisset, ad hunc modum exordiri uoluit: Quis credidit prædicationi nostræ? & brachium domini cui reuelatum est? Isa.53. Omnium uerò horum causam dominus exponit, quando mundum hunc lucis impatientem esse testatur, eò quòd opera ipsius praua sint. Iohan.3. Simul autem multa eius rei exempla scripturæ proponunt, quorum omnium hic finis & scopus est, ne similibus, quæ hodie contingunt, offendamur. Inter hæc cumprimis memorabile est, quod apostoli primo statim die, quo spiritum sanctum acceperunt, & commisso sibi munere fungi cœpere, experti sunt. Cum enim insigni & inaudito hucusq; miraculo omnium linguarum cognitionem usumq́; tenerent, & Christum Iesum propter diuersarum nationum auditores diuersis linguis prædicarent, illico scinditur incertum studia in contraria uulgus. Qui enim religiosiores sunt, dei opus admirantur, & illius finem diligenter inquirũt. Impij uerò illusores ebrietatis illos insimulant. Adeò uerum est, quod Paulus dicit, Christum sapientibus mundi huius stultitiam uideri. Sed quia de his proximo sermone dictum est, ad præsentis loci explicationem properemus, quo apostolorum fides & magnanimitas clarius & euidentius conspicienda proponitur. Tam enim abest, ut iniquis impiorum hominum conuitijs sese moueri uel absterreri patiantur, ut hinc potius dicendi occasionem diuus Petrus arripiat, & concione saluberrima complures Christo lucrifaciat.

Priusquam uerò concionem Petri exponere tentemus, inspicienda sunt, quæ de illo simul & reliquis apostolis dicuntur. Stans (inquit) Petrus cum undecim, extulit uocem suam, &c. Constiterunt ergo imperterriti, nec ideo sibi fugiendum uel officium suum deserendum putauerũt, quòd tam iniquè de se iudicari audirent. At non exigua uideri poterat timoris & desperationis causa. Quid enim uerbis se effecturos sperarent apud eos, quorum impias mentes & proteruiam tantum miraculum, quo nullum unquam maius accidit, mollire & mouere non potuerat? Sed intrepidi manent: nec modò manent, sed Christi Iesu causam magno animo agere incipiunt. Horum itaq; exemplo quàm efficax spiritus sancti operatio sit, uidere licet. Qui enim paulò ante manuaria opificia exercuerant, rudes & imperiti homines, nunc tantæ multitudinis conspectum & uarias perstrepentium uoces constanti animo sustinere possunt. Et quos antea leuissima quæq; occasio terrebat, ut ne coram paucis quidem, ijsq́; uilissimis homuncionibus, Christi nomen profiteri auderent: nunc illius causam coram ecclesia, ex omni hominum natione & ordine congregata, constantissimè defendunt: nec tortorum manus expectant, quibus ueritatem fateri cogantur, sed sponte se illi patronos præbent. Hinc disce, quibus argumentis nos testari & probare oporteat, num in nobis regnet Christi spiritus. Nisi enim zelus iste & inuictus Christi ac ueritatis defendendæ animus in nobis conspiciatur, spiritu hoc frustra gloriabimur. At hodie inter illos, qui hunc maximè iactant, laudi ducitur, si quis atrocissima conuitia, in Christum & ueritatem euangelicam ab impijssimis hominibus prolata, tanquam Syrenum cantus surdis auribus prætereat. Longè alios se hic apostoli præbent, inter quos Petrus leuissimo (ut uideri poterat) dicterio lacessitus, Christi & euangelij causam libera uoce agere incipit.

Efficax spiritus sancti operatio.

Deinde non obiter prætereundum est, quòd cum undecim Petrus stetisse dicitur. Est hoc euidens æqualitatis argumentum, quam inter se apostoli summo studio conseruarunt. Quia enim unum & idem munus omnibus à Christo iniunctum erat, cuius rationem nunc accepto spiritu clarius quàm antea intelligebant, euanuit prorsus inter illos uanissimum, quo antea flagrabant, primatus studium. Non igitur solus Petrus in solio residet, reliquis ministrorum & satellitum instar astantibus. Non ab illis separatur. Sed cum illis coniunctus, non obscuris signis se unum ex illorum numero esse docet. Et licet ipse solus uerba faciat, non suam tamen, sed communem omnium causam suscipit & defendit: adeò ut hic potius aliorum minister, quàm princeps, Petrus uideri possit. Valeant ergo, qui Petri exemplo primatum sibi in ecclesia uendicant, & Persico fastu turgent. Humilitatis exemplo apostolis Christus præluxit, cuius imitatores esse conuenit, omnes Christianos, nedum illos, quos ecclesiæ suæ pastores idem ille constituit. Debet huc Pauli locus referri, qui grauissimis obte-

Apostoli se omnes æquales & pares esse cognoscunt.

ſtationibus utens, hoc unum urget, ut qui Chriſti miniſtri eſſe & haberi uolunt, unanimitati et (quę huius parens eſt) humilitati ſtudeant. Ne quid fiat (ait) per cõtentionem aut inanem gloriam: ſed per humilitatem animi alium quiſq; ſeipſo præſtantiorem exiſtimet. Ne quiſquam, quæ ſua ſunt, ſpectet: ſed quæ ſunt aliorum. Is enim affectus ſit in uobis, qui fuit & in Chriſto Ieſu, qui cum eſſet in forma dei, &c. Vide locum ad Philip. 2. cap.

Argumentum. cõcionis Petri.

Sed Petri concionē uideamus, in qua ſpiritus ſancti effectus & uis clarius elucebit. Exordium huius minimè affectatum & ambitioſum eſt. Simplex enim eſt ueritatis doctrina, nec uerborũ lenocinio cõmendari opus habet, quando ſeipſam commendat, dum ſalutis rationem luculentiſſimè tradit. Quare eos duntaxat compellans Petrus, quibus uerba facere inſtituerat, ait: Viri Iudæi, & omnes qui habitatis Hieroſolymis, notum ſit hoc uobis, & auribus percipite uerba mea. Iudæorum nomine uti uoluit, ut ueteris ſimul gloriæ & officij illos admoneat. Ipſos enim olim ſibi elegerat deus, & Iehudim, id eſt, confeſſores fecerat, per quos celebrari & coli uolebat. Vnde alibi notus in Iudæa deus dicitur. Pſal. 76. Eadem ratione & Hieroſolymorum meminit, quæ frequenter urbs ſancta nominatur, ut oſtendat, uel loci religione ipſos moueri debere, ut attenti audiant, quæ ad dei gloriam & propriam ipſorum ſalutem pertinent. Vult enim non obiter modò tanquam ab aliud agentibus audiri, ſed auribus percipi, & proinde animis recondi quæ dicuntur. Sunt autē orationis partes duæ. Prior conuitio reſpondet, quo illos ebrietatis inſimulauerant impij illuſores. Quod primò omnium dilui oportebat, eò quòd nulla potuiſſet dictorum authoritas & fides eſſe, ſi pro ebrijs & temulentis fuiſſent habiti. Altera pars Chriſtum Ieſum prædicat, & omnem ſalutis rationem comprehendit.

Chriſtiani conuitia depellere & famam ſuã tueri debent.

Prioris exemplo docemur, licere ut conuitijs reſpondeamus, & contra illa aſſeramus nominis et famæ noſtræ integritatem. Nam iuxta Solomonis ſententiam, bonum nomen & fama honeſta multis opibus præferri debet. Prouerb. 22. Imprimis autem eius rationem illos habere conuenit, qui in uerbi miniſterio uerſantur, eò quòd conuitia, quibus illorum nomen & æſtimatio læditur, non tam ipſorum perſonas petunt, quàm ipſum deum, in cuius contemptum maximè tendunt. Quæ cauſa eſt, quòd Apoſtolus, epiſcopum exterorum quoq; teſtimonijs commendari uult. 1. Tim. 3. Quantò magis ergo, ne ab illis contemnatur, quibus ipſum præeſſe oportet, uidēdum eſt. At quia eòuſq; multorum improbitas progreditur, ut falſa crimina ſanctis dei miniſtris intentare non erubeſcant, quò facilius ueritatis doctrinam inuiſam & ſuſpectam reddant, excuſationes & purgationes & licitæ & neceſſariæ ſunt. Illis enim Chriſtum quoq; frequenter uſum fuiſſe legimus, ut ſuam doctrinam à contemptu uindicaret. Et Paulus non ſemel contra æmulos ſuos de apoſtolatu ſuo, de uocatione item ad apoſtolatum & ſua fide, qua in hoc uerſatus ſit, copioſè diſputat: quia ſe non poſſe contemni uidebat, niſi ſimul & euangelij prædicatio in multorum animis uileſceret. Rectè ergo Petrus concionem ſuam à criminis purgatione orditur, ut apoſtolos omni ſuſpicione liberet. Nec audiendi ſunt in ſimili caſu, qui patientiam requirunt. Nec enim obſtat Chriſtiana patientia, quò minus ueritatem & ipſum Chriſtum pro uirili defendamus. Qui autē eo animo præditi ſunt, ut quæuis cõuitia, quæ cum Chriſti & euangelij contemptu coniuncta eſſe uident, ſurda aure præterire ſinunt, ij nec patientiæ nec modeſtiæ nomen merentur, ſed tepidi & ignaui ſuæ ſtationis deſertores potius dici debent.

Cæterum in crimine diluendo non ſimplici negatione utitur, nec etiam moroſè in illos conuitium regerit, ſed argumentis euincit, falſum eſſe quod illi intentabant. Primum à temporis circumſtantia ſumit. Non (inquit) ut uos exiſtimatis, iſti ebrij ſunt: eſt enim hora diei tertia. At ſolebant ueteres duodecim diei horas numerare, ut ex euangelij hiſtoria & prophanis ſcriptoribus colligi poteſt. Et quia à diluculo uel Solis ortu initium faciebāt, tertia ad matutinum tempus referri debet, & nobis æſtiuo tempore uel ſeptima uel octaua antemeridiana dici poſſet. Petri ergo argumentum tale eſt: Qui inebriantur, circa ueſperam & noctis principium commeſſari ſolent. Atqui cum modò matutinum tempus ſit, ebrietatis nullo iure accuſari poſſumus. Sed ô felicem illius ſeculi ſtatum, quando ad hunc modum argumentari licebat. Quàmuis enim credibile ſit, ebrietati quoq; (ut etiam alijs flagitijs) multos deditos fuiſſe, ea tamen fuit honeſtas, ut ebrietas dedecori eſſet, & qui inebriabantur (quod & Paulus alicubi monuit) noctu ebrij eſſent, ne publicè infames fierent. Hodie non magna eſſet huius argumenti uis & authoritas, quando ij paſſim regnant, qui manè ſurgunt ad bibendum uinum, ut Iſaias de ſui ſeculi moribus conqueritur. Iſa. 5. Imò inter principes inuenire eſt, qui

qui Solomonici dicti obliti, manè ebrij sunt. Eccles.10. Sed quid de principibus loquor, quando ne theologi quidem à tam fœdo crimine immunes sunt? Memini me quondam in Comitijs Imperialibus, quibus de summa religionis & publicæ pacis per Germaniam constituendæ agebatur, magni nominis theologum, adeoq; aduersæ partis antesignanum, uidisse, qui se sobrium de tanta causa disputaturum negabat. Dicti uerò tam fuit constans, ut non semel prima diei hora non malè potum uiderim. Sed utinam non inter nostros quoq; inuenirentur, qui cõmunis huius & publici per Germaniam mali contagio infecti, poculis plus satis student. Et sanè, si nullum aliud argumentum extaret, unum hoc ad arguendum nostri seculi corruptionem sufficeret. Quis enim negabit dies Noæ & Loti esse, quando una omnium uox de poculis sonat, & ebrietas apud omnis ordinis lociq; homines laudi & honori ducitur? Huic malo non morum tantummodo corruptionem, uerumetiam iustitiæ legumq; euersionem, & religionis occasum, patriæq; libertatis oppreßionem debemus.

Locus ex Ioelis.2.cap.

Sed ad Petri concionem reuertamur, qui alterum argumentum à pronuntiatis producit, quo apostolos ebrietatis suspicione liberat. Cùm enim non immeritò boni quoq; admirarentur, homines idiotas tam repentè πολυγλώττους, adeoq; omnium linguarum peritos euasisse, impij uerò & illusores temulentiam hoc esse dicerent, opus erat rei ueritatem apertius declarare. Ostendit ergo Petrus, hoc spiritus sancti opus esse, cuius missionem in Meßiæ regno olim promissam fuisse ex Ioelis 2. capite probat. Prophetauit is ijsdem temporibus, quibus & Isaias & Micheas insignes fuerunt, & bellum, quod Sennacherib illaturus erat, prædixit. Ne uerò pij animum desponderent, & deum populi sui nullam amplius rationem habiturũ putarent, illos consolatur, & Israelem non penitus excindendum esse docet: eò quòd Meßias ex illa gente prodire debeat, quem deus humano generi saluatorem & redemptorem destinauerit: & ut maior sit consolationis uis, Meßiæ regnum paucis describit. Quem locum diligentius paulò & copiosius Petrus citat, ut eos nimirum turpis socordiæ & ignauiæ accuset, qui manifestißimos spiritus sancti effectus ebrietati uel temulentiæ tribuebant. Etenim fœdißimus hic error erat, tantum dei beneficium, & id quidem olim promissum & descriptum quàm diligentißimè, non obseruare, imò conuitijs proscindere. Sunt autem loci huius partes tres. Prima de uberi & liberali spiritus sancti effusione, quæ Christi tempore futura sit, uaticinatur. Altera turbulentum mundi huius statum in Christi regno describit, adeoq; pœnas recenset, quibus deus mundi ingratitudinem & incredulitatem ulturus sit. Tertia salutis modum exponit, & uiam ostendit, qua homines ex periculis omnibus salui & incolumes euadere queant. Cæterum in præsenti primam duntaxat partem explicabimus.

Promißio spiritus sancti.

Eam his uerbis dominus apud prophetam enuntiat: Et erit in nouißimis diebus, dicit deus, effundam de spiritu meo super omnem carnem: & prophetabunt filij uestri & filiæ uestræ. Iuuenes uestri uisiones uidebunt, & seniores uestri somnia somniabunt. Equidem super seruos meos & super ancillas meas in diebus illis effundam de spiritu meo, & prophetabunt. Sunt uerba hæc per se clara & perspicua, penitius tamen inspici merentur, propter ea, quæ in his comprehensa, nostræ institutioni seruiunt.

Donũ spiritus sancti omnium præstantißimum.

Primò in his obseruandum uenit, quòd de Christi regno uaticinium contexturus propheta, inter eximia & infinita beneficia, quæ per Christum Iesum nobis collata sunt, spiritus sancti donũ cumprimis celebrat. Causa mihi uidetur, non quòd alia diuinus uates uel ignorarit, uel contempserit: sed quòd post Christum Iesum nihil præstantius à deo nobis dari potest, quàm spiritus ille Christi, de quo hic agitur. Conclusit equidem in Christo filio suo cœlestis pater uniuersos suæ gratiæ & nostræ salutis thesauros. Sed per spiritum sanctum regenerantur homines, ut filij dei & bonorum, quæ Christus nobis acquisiuit, capaces fieri possint. Quæ regeneratio tam nobis necessaria est, ut nisi illa innouemur, regnum dei (sicut ipse Christus testatur) uidere non poßimus. Iohan.3. Idem ille spiritus mentes nostras illuminat, ut mysteria regni cœlorum intelligamus, & eorundem desiderium in nobis accendit. Sine qua illuminatione animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus dei. 1.Cor.2. Spiritus hic consolator est, quo animati quæcunq; in hoc mundo propter Christum nobis aduersa accidunt, sustinere & uincere possumus. Nec consolatoris modò officium obit, uerumetiam consultor est fidißimus. Suggerit enim quid agendum sit, & perplexis nobis ueritatis lumen accendit, cuius ductu fidei & salutis nostræ pericula euitemus. Iohan.14. & 16. Accedit omnibus istis, quòd idem

nostræ redemptionis & salutis arrhabo & pignus est infallibile. Vt enim Christus Iesus carnem, quam ex nobis assumpsit, in cœlos subuectam illic nostræ salutis pignus esse uoluit: ita suum spiritum arrhabonis loco animis nostris inserit, ut salutis fiduciā in nobis obsignet, & in tentationibus armet fortissimè. Quare adoptionis spiritus à Paulo dicitur, eò quòd per illum regenerati, eiusdem testimonio certiores reddimur, nos dei filios & hæredes esse. Vide Rom. 8. Galat. 4. Non temere ergo fit, quòd huius donum ex aliorum numero maximè sibi celebrandum sumpsit propheta. Admonemur hîc, quid à nobis quoq; in Christi regno potissimum quæri debeat. Quo loco uarios & cumprimis noxios hominum errores uidere licet, qui dum carnalia tantummodo sectantur, & sub Christi prætextu mundi bonis inhiant, Christum quem ore profitentur, uita plerunq; abnegare consueuerunt, & illis adnumerandi ueniunt, quibus olim dicetur: Non omnis qui dicit mihi, domine domine, ingredietur regnum meum, sed qui fecerit uoluntatem patris mei, qui in cœlis est. Matth. 7. Spirituale est Christi regnum, & non de mundo hoc. Spiritus ergo dona affectemus, quibus si instructi fuerimus, reliqua sponte accedent, quibus nobis opus est. Matth. 6.

Quomodo & quibus detur spiritus sanctus.

Deinde modum promissionis huius, & ad quos illa pertineat, uidere conuenit. Modū uerò unica effundendi uoce exponit, qua amplam & liberalem spiritus gratiam pollicetur. De personis, quibus illum dare uelit, diligentius tractat. Effundam (inquit) de spiritu meo super omnem carnem. Vniuersalis ergo est promissio hæc. Sed addit expositionis loco, filios & filias, iuuenes & senes, ut ostendat, nullum in Christi regno uel sexus uel ætatis discrimen esse. In Christo enim, ut Paulus ait, non est Iudæus neq; Græcus, non seruus neq; liber, nō masculus neq; fœmina. Gal. 3. Interim, ne quis promiscuè, tam impijs quàm pijs, spiritum sanctum dari putaret, promissionē ad seruos & ancillas suas deus restringit, ut de solis illis uniuersaliter exponendam esse intelligamus. Quia enim adoptionis spiritus est, non nisi ab illis percipi poterit, quos pro filijs suis deus agnoscere dignatur. At filij dei sunt, qui illum patrem agnoscunt & inuocant, qui illi seruiunt, qui illum colunt, obseruant & adorant. Et quamuis quæ filiorum dei sunt non antè exequi possint, quàm gratuito dei beneficio per spiritum hunc regenerentur, & nos propterea plerunq; latent, priusquam spiritus sancti effectus in illis uideamus: constat tamen spiritus huius non alios capaces fore, quàm quos pro suis dominus agnouerit. At nouit ille qui nam sui sint, & ita nouit, ut eosdē è manu ipsius nemo possit eripere. 2. Tim. 2. Iohannis 10.

Discrimen ueteris & noui Testamenti.

Cæterum hoc loco nobis obiter inspiciendū uenit ueteris & noui Testamenti discrimen. Quàmuis enim unus & idem Christus, una & eadem fides & salutis ratio, unus & idem spiritus utrobiq; proponatur, non exiguum tamen discrimen deprehendi potest, in quo facilè elucet, quantò maior sit nostra quàm ueterum dignitas & felicitas. Patet hoc primum in fidelium numero, deinde in tradendi modo. In ueteri enim Testamēto exiguū cultorum dei numerū fuisse constat, & inter Iudaici populi fines salutis cognitio conclusa uideri poterat. Nota enim sunt dei uerba, quibus Israelitas alloquitur: Vos eritis mihi peculium præ omnibus populis. Mea quidem est omnis terra: uos autem eritis mihi regnum sacerdotale, & gens sancta. Exod. 19. Item: Duntaxat uos agnoui ex omnibus cognationibus terræ. Amoz 3. cap. Qua ratione illa quoq; in Psalmis mihi dicta uidentur: Notus in Iudea deus, præclarū nomen eius in Israele. In Salem est tabernaculum eius, & mansio eius in Zione. Nuntiat uerbum suum Iacobo, & decreta sua ac iudicia sua Israeli. Non egit ad hunc modū cum ullis gentibus, nec manifestauit eis iudicia sua. Psal. 76. & 147. At in nouo Testamento super omnem carnem spiritus domini effunditur, & salutis ratio extenditur ad omnes cardines orbis terrarum. Illic dicitur, ab oriente & occidente uenturos, qui accumbant in regno dei cum Abrahamo, Isaaco & Iacobo. Matth. 8. Ibi mandatum euangelij per omnē orbem prædicandi accipiunt apostoli. Marc. 16. Ibidem Petrus discit, non esse personarū respectum apud deum, sed in quauis gente ipsi gratos & acceptos esse, qui ipsum timent & iustitiam operantur. Act. 10. Et hîc impletur, quod per prophetam prædictum erat, plures fore filios sterilis & desolatæ quàm maritatæ. Isa. 54. Rursum etsi præclara extent fidelium ueteris Testamenti exempla, quorū similia hodie difficulter reperias: constat tamen nunc longè perspicaciori modo salutis rationē tradi, quàm olim in ueteri Testamento factum sit. Ante legis promulgationē promissiones extabant, amplæ quidem & liberales, sed obscuræ satis, si hominum illius seculi conditionem æstimes, qui illas impleri nondum uidebant. In lege

typis

typis & figuris salutis negotium adumbrari cœpit, sed eiusmodi, ex quibus multi operum iustitiam stabiliendi occasionem sumpsere. Secuti sunt prophetæ, qui alibi obscurius, clarius alibi & euidentius Christi mysteria annuntiarunt. At quæ nobis in illorũ scriptis luculentissima uidentur, haud dubiè illis seculis satis obscura uisa sunt. In nouo autem Testamento uelum obscuritatis scissum, & illa lux illata est, quæ suo in mundum aduentu omnem hominem illuminat. Iohan.1. In Euangelio clarè & perspicuè traduntur, quæ olim obscuriora erant. Et illic piscatores & publicani uident & audiunt, quæ multi prophetæ & iusti olim uidere & audire desiderauerunt. Matth.13. De hac tam uberi & effusa spiritus sancti & ueræ illius lucis donatione Ioel quoq; uaticinatur. Omniũ uerò hic finis & usus est, ut dignitatis nostræ & diuinæ erga nos liberalitatis consideratione excitati, dei beneficentiam celebremus, & gratos nos præbeamus pro donis, quæ in nos tanta benignitate confert mitis & clemens dominus.

Postremò effectus spiritus sancti, qui omnibus credentibus cõmunes futuri sint, Ioel commemorat. Quo loco prophetiæ meminit, cuius donum & iuuenes & senes, filios & filias, accepturos dicit. Per prophetiam uerò nos non tam uaticinandi facultatem, quàm ueram & certam rerum diuinarum mysteriorumq; salutis cognitionem, & imprimis ueteris scripturæ intelligentiam, accipi debere putamus, iuxta illa Pauli, quæ 1.Cor.14.cap. habentur. Per expositionem uerò uisiones & somnia adijcit, eò quòd illis ferè medijs olim deus prophetis suam uoluntatem reuelabat, ut uidere est Numerorum cap.12. Solent enim prophetæ Christi mysteria dicendi formulis, quæ illorum seculo usitatæ & omnibus notæ erant, explicare, cuius rei exempla in illorum scriptis uersantibus passim occurrent. Prophetandi itaq; uerbo ueram & omnibus in regno Christi cõmunem diuinæ uoluntatis & salutis nostræ cognitionem siue intelligentiam pollicetur, quam & alibi promitti legimus. Isaias certè terram plenam fore dicit scientiæ & cognitionis dei. Isa.11. Et Iere.31.cap. dicit dominus: Inseram legem meam in interiora eorum, & cordibus illorum inscribam illam, eroq; deus eorum, ipsiq; erunt mihi populus. Et non docebit aliquis ultra proximum suum, aut fratrẽ suum, dicens: Cognosce dominum. Sed omnes me cognoscent à minimo eorum usq; ad maximum eorum, &c. Et Christus ex propheta suos omnes θεοδιδάκτους, id est, diuinitus edoctos fore testatur. Iohan.6. Isa.54. Principalis ergo & cõmunis omnibus credentibus spiritus sancti effectus est, diuinæ uoluntatis certa cognitio, salutis & mysteriorũ regni dei peritia, & quatenus cuiuis opus est scripturæ tum ueteris tum nouæ intelligentia. Ex his ergo illos æstimare licet, qui diuinæ uoluntatis cognitionem nihilifaciunt, & cùm illam per se non intelligant, à nemine tamen uolunt institui: quos spiritu Christi carere, unus hic locus probare potest. Quibus coniungi debent fidei dominatores & ecclesiarum tyranni, qui plebem Christianam à scripturarum lectione arcent, & commune illud spiritus sancti beneficium, quod tantopere propheta prædicat, hæresum & errorum seminarium dicere audent. Nostrum est, fratres, diuinæ gratiæ donum agnoscere, & spiritum Christi amplecti, ut huius operatione renati, illuminati & ad omne opus bonum idonei facti, æterna regni cœlorum hæreditate fruamur, unà cum filio dei, Iesu Christo: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

Effectus communis spiritus sancti.

HOMILIA XIII.

Et dabo prodigia in cœlo supernè, & signa super terram infernè, sanguinem & ignem, & uaporem fumi. Sol conuertetur in tenebras, & Luna in sanguinem, priusquam ueniat dies ille domini magnus & illustris. Et erit, omnis quicunq; inuocauerit nomen domini, saluus erit.

Diuus Petrus primæ concionis suæ, quam accepto spiritu sancto Hierosolymis habuit, eum finem constituit, quem in omnibus alijs apostolos obseruauisse constat: nimirum, ut in Christi cognitionem adducat auditores, & eosdem Christo ad salutem lucrifaciat. Quod ut facilius obtinere possit, initiò statim cauet, ne doctrina ipsius, priusquam audita & cognita fuerit, explodatur. Occurrit enim diligenter omnibus ijs, quæ auditoribus aliquam sinistræ suspicionis causam uel occasionem præbere poterant. Erant inter hos religiosi quidam & pij, plures tamen impij & proterui. Et religiosis quidem ignorantia obstabat, qua impediti, tanto miraculo obstupescebant quidem, rerum autem incerti hæsitabant, nec quicquam poterant solidi statuere. Deteriori autem loco alteri

erant, qui cauillo & conuitio omnem miraculi sensum eludebant, apostolos nimirum temulentiæ, illorum uerò auditores stultitiæ insimulantes. Præsenti igitur remedio opus erat, quod ex Ioelis secundo cap. producit. Illo enim docet, nihil hîc humano uel errore uel affectu agi, sed negotium hoc omne diuinũ, & olim quidem per prophetas diuinitus esse promissum. Diligentissimus uerò est in prophetæ uerbis citandis, eò quòd locus iste non modò calumniæ diluendæ seruiebat, sed uniuersum Petri institutum uehementer iuuare poterat. Tres enim (ut priori sermone diximus) loci istius partes sunt. Prima magnificam & liberalissimam spiritus sancti promissionem comprehendit. Secunda turbulentissimum mundi statum describit, qui sub Christi regno in finem mundi usq; futurus sit, adeoq; pœnas cõmemorat, quibus filij sui & euangelij contemptum deus sit uindicaturus. Quæ pars Iudæorum animis perterrefaciendis mirificè seruiebat, ne Christi & euangelij contemptum se impunè laturos sperarent. Tertia, ex tantis malis euadendi uiam & rationẽ monstrat. Primam partem heri explicuimus. Restat, ut posteriores duas modò declaremus.

Dies domini magnus quis.

Quia uerò dubitari & disceptari uideo de magno illo & illustri die domini, cuius mentionem hoc loco propheta facit, principio mea de hoc sententia proferenda uidetur. Sunt qui resurrectionis dominicæ diem intelligant, & signa ac prodigia, quæ hic uentura prædicuntur, de ijs quæ in morte & resurrectione Christi contigerunt, exponant. Pius quidem illorum sensus est: sed propter Christi Iesu uaticinia, quæ ille ijsdem ferè uerbis de nouissimorũ temporum cõditione prodidit, diei huius terminus longius extendendus esse uidetur. Alij uniuersum tempus, ex quo Christus in mundum natus est, huius diei significatione cõprehendunt. At mihi non ineptè gloriosus & illustris domini aduentus, quo orbem uniuersum iudicabit, intelligi posse uidetur. Quia enim nouissimi temporis paulò ante meminerat, eam quam modò describit illius conditionem fore dicit, donec illius terminus appropinquet, quando Christus in gloria patris comparens, & sententiam finalem de omni carne pronuntians, plenam & omnis doloris ac periculi expertem fidelium suorum beatitudinem constituet, quam & animabus & corporibus suis percipient.

Vsus uaticiniorum de nouissimorũ temporum ærumnis.

Oportuit autem turbulentum mundi statum, qui Christo Iesu incarnato & peracto redemptionis nostræ negotio futurus est, tam diligenter describi, ne quis propter magnificam spiritus sancti & diuinæ gratiæ promissionẽ, omnia in hoc mundo tuta & tranquilla sibi polliceretur. Quo errore Chiliastas olim dementatos fuisse legimus. Et hodie nõ desunt, qui uniuersalem & stabilem in hoc mundo pacem rerumq; tranquillitatem sub Christo expectant, quam quia nondum florere uident, quæcunq; de fide & religione traduntur, suspecta habent. Erroris causam ex propheticis regni Christi descriptionibus hauriunt, quales tum alibi, tum apud Isaiam cap. 11. & 65. extant. Sed simul alij scripturæ loci cum illis conferendi erant, quibus abundè docemur, nihil tale in hoc mundo nobis expectandum esse. Dauid enim, Christum in medio inimicorum suorum regnaturum dicit. Psal. 110. Et Christus regnum suum de hoc mundo esse negat. Iohan. 18. Idem passim suos de cruce & acerbissimis afflictionibus admonet, quibus illos præparari uult. In mundo (inquit) afflictionem habebitis. Iohan. 16. Ridiculi ergo reuera sunt, qui cõtra Christi pronuntiatũ in mundo tam sibijpsis quàm alijs pacem, otium & tranquillitatem pollicentur. Nec interim quæ de pacifico regni Christi statu apud prophetas dicuntur, negamus. Sed illa partim de animorum tranquillitate & spirituali fidelium gaudio, partim de solis fidelibus & conuersatione, quam illi soli inter se habent, intelligimus. Ita enim uerè tranquilli & salutis certi sunt, & cum illis tutò cohabitant, qui cùm antea persecutores essent, & lupi leonesq; uideri poterant, ad Christũ conuersi, oues & agni placidissimi facti sunt. Manent interim illos afflictionum palæstræ, quæ (ut Christus non obscurè admonet) eò grauiores erunt, quò propius uniuersalis illa piorum redemptio, quæ in ipsius aduentu perficienda erit, accedet. Vide Matth. 24. Marc. 13. Luc. 21. cap. Sed ut ad prophetæ uerba tandem accedamus, duo in illis præcipuè cõsideranda uidentur: quorum alterum turbulentus & infelix mundi status est, quem post Christi in carnem aduentum fore prædicit: alterum uerò malorum & calamitatum causas habet, quarum consideratio nostræ tam institutioni quàm consolationi haud parum seruire potest.

Nouissimi seculi status turbulentissimus.

Nouissimi seculi statum his uerbis describit: Dabo prodigia in cælo supernè, & signa super terram infernè, sanguinem & ignem, & uaporem fumi. Sol conuertetur in tenebras, & Luna in sanguinem. Prodigiorum meminit, quæ quia rerum futurarum indicia sunt, in illorum consideratione cala-

lamitates, quas illa portendunt, simul animo comprehendere oportet. Nec enim is dei mos est, ut uanis & inanibus spectris hominum mentes deludat. Et Christus Iesus in euangelio hæc ipsa repetens, afflictiones quoq;, quarum hæc signa & prognostica sunt, simul commemorat. Audietis (inquit) bella & rumores bellorum. Consurget enim gens contra gentem, & regnum contra regnum, & erunt pestilentiæ & fames & terræmotus singulis locis, &c. Matth. 24. Varias autem ponit prodigiorum species, ut attentiores nos reddat, propheta. Prodigia in cælo fore dicit, in quorum albo Cometes, faces, lampades, dracones uolantes, xiphias, bolides & quæcunq; alia sunt eius generis recenseri possunt. Quæ licet Meteorologici inter naturalia numerant, prodigia tamen & futurarum calamitatum præsagia esse, locus hic satis docet. Deinde in terris quoq; signa fore dicit, in quibus primum locum non immeritò terræmotibus dabimus, quibus ingentes rerum mutationes plerunque denuntiatas fuisse constat. Huc quoq; insolitæ aquarum inundationes pertinent, monstrosi item partus, portentosæ animalium uoces, sanguinolentæ fontium scaturigines, monstrosi arborum & plantarum fructus, cum infinitis alijs, quorum exempla historiæ & experientia quotidiana suppeditant. Sed in cælos rediens propheta, peculiariter Solis & Lunæ meminit, quorũ splendorem atris tenebris & terrifica sanguinis aspersi specie obscurandum prædicit. Omnium uerò sensus est: eam fore nouissimo seculo mundi totius faciem, ut quocunq; uertamus oculos, horrenda appareant iræ dei & iudiciorum ipsius indicia, in ijs quoq; creaturis, quarum in dei bonitate declaranda & hominibus consolandis præcipuus usus sit, inter quas solem & lunam cumprimis intelligimus. Porrò si quæ hîc dicuntur cum historijs conferamus, multiuariàm omnia hæc iam aliquot seculis impleta esse uidebimus. Sed quid ad historias recurrere opus est, cùm nostro seculo horum exempla plurima uiderimus, & quotidie noua uidere detur. Quod unquam seculum fuit ab ipsa rerum origine, quo tot Cometæ uisi sint, quot intra annos uiginti tres comparuerunt? Taceo cuspides, enses, tela, equos, uirorum species, imò armatas acies, leones, & infinita alia, quæ in nubibus conspicua spectatorum animos terruerunt. Terræmotus & aquarum inundationes horrendas quis ignorat? Monstrosos partus tum hominum tum pecorum, nemo facilè numerauerit, quos annis iam triginta editos esse nouimus. E terra sanguinis scaturigines non uno in loco emicuerunt. Vidimus in spicis rerum nouarum præsagia. Barbatæ uuæ uel botri, è quorum acinis pili densi enati sunt, ebrietatem Germanis exprobrauerunt, utpote uiris fortibus ad bibendum uinum, ut propheta ait.

Prodigiorum usus.

Obseruandus autem est in his perpetuus dei mos, qui pœnas nunquam nisi per prodigia admonitis immittit, & ne inanis sit prodigiorum contemplatio, iisdem plerunq; uerbũ suum coniungit, quo disertè de imminentibus dei iudicijs homines admonentur. Quia enim saluos uult homines, non facit quicquam (ut propheta ait) nisi arcanum suum seruis suis prophetis antea reuelet. Amos 3. capite. Potest hoc omnium seculorum, à prima mundi origine, exemplis demonstrari. Diluuium præcessit Noah, iustitiæ præco, cuius uoce ad pœnitentiã mundus excitari posset. Sodomitis, priusquam perirent, Lotum misit, cuius uerbis & exemplo admonerentur. Aegyptij præter Mosem & Aaronem portenta uiderunt horrenda, quæ si sensus aliquis in ipsis fuisset reliquus, animos illorum mollire poterant. Chananæis non defuisse uenturi excidij præsagia, Rachab meretrix non obscurè testatur. Babylonicam captiuitatem quàm multæ & quàm fidæ admonitiones præcesserint, nemo ignorat in prophetarum scriptis mediocriter uersatus. De prodigijs & signis, quæ ultimum illud Hierosolymorum & Iudaicæ gentis excidium præcesserunt, horrenda & stupenda Iosephus & Egesippus tradiderunt. Taceo, quæ reliquis historijs continentur, quorum fidem euentus semper comprobauit. Ex illis uerò dei bonitatem agnoscamus, & de nostri seculi prodigijs & signis iudicare discamus, ne dum illa cæci surdiq; negligimus, numinis contemptores esse deprehendamur, & contemptus illius pœnas luamus atroces.

Causæ malorũ nouissimi seculi.

At miretur aliquis, quæ tam infelicis & turbulenti status causa esse posit, postquam filius dei in carne manifestatus est, qui pacem inter nos & deum constituit, & in cuius natiuitate angelorum canentium uoces auditæ sunt: Gloria deo in excelsis, in terris pax, in hominibus bona uoluntas, &c. Atqui modò deus magis iratus magisq; terris infensus uideri potest, quàm ante filij sui incarnationem fuerit. Hinc certè olim Christiani nominis hostes occasionem sumpsere contra Christi religionem inuehendi, utpote post cuius ortum mare malorum in terras & humanũ genus irrupisset: quo-

rum calumnijs Tertullianum, Cyprianum, Augustinum, Arnobium & alios ueterum grauiter respondisse legimus. Sed & inter Christianæ fidei sectatores quosdam inuenire licet, quos horum consideratio non parum labefactare solet. Non inutilis ergo & superuacanea est causæ malorum omnium consideratio, quæ bifariam haberi debet. Est enim tam in pijs quàm in impijs inuestiganda, & sic facilè patebit, in nobis causam calamitatum hærere, fidem uerò Christianam & Christum ipsum extra omnem culpam esse. In impijs non laboriosa est causæ huius inquisitio, cùm palàm multa patrent quotidie, quæ dei iram & pœnas merentur. In illis enim uel Epicureismus regnat & securus dei omniumq́ sacrorum contemptus, uel superstitio & idololatria. Vtrunque ueritatis odium gignit, & persecutiones cõtra Christi ministros excitat, qui ueritatis luce scelerum licentiam & superstitiones arguunt atque accusant. Regnant hæc nostro seculo, imò grassantur, ut nemo tam cæcus sit qui non uideat, nemo tam impudens qui negare possit. Audiuntur passim illusorum uoces, qui (ut Petrus præmonuit) nouissimi iudicij diem dicterijs uellicant, & resurrectionem mortuorum in dubium uocant, imò apertè negant. Et qui linguas frænare possunt, uitæ tamen licentia se eadem impietatis labe infectos esse, testantur. His opponunt sese religionis professores, sed superstitiosi homines & crassissimæ idololatriæ dediti, qui pro frigidissimis ceremonijs, pro humanis traditionibus, pro fucata suorum operum iustitia, non minori impietate & pertinacia pugnant, quàm olim pro legis iustitia Iudæi pugnauerunt. Vtrunq; uerò hoc hominum genus in ueritate oppugnanda consentit, ut olim pharisæos cum Herodianis contra Christum collusisse traditur. Nec uerbis & argumentis res transigitur, sed uinculis, carceribus, laqueo, igne & gladio. Et eò usq; multis in locis processit impietas, ut non aliud atrocius flagitium sit, quàm Christum ingenuè fateri, & euangelij ueritatem ac fidei Christianæ synceritatem fortiter asserere. Hæc quia palàm fiunt, calamitatum & malorum huius seculi causas laboriosius inquirere non est opus, quando ob hæc ipsa scelera Israelem olim in Babylonem abductum, & postea stirpitus excisum esse constat. Lege 2. Paral. 36. Matthæi 23. Lucæ 19. cap.

In pijs etiam malorum causæ sunt.

At scio (inquis) malorum authores esse impios, & illorum mores grauiora adhuc multò mereri quàm quæ modò sentiunt. Sed quid ista ad pios & ingenuos Christi cultores faciunt, quos ijsdem malis inuolui, adeoq; primos esse uidemus, qui ista sentiunt? Num uerò impiorum audacia & proteruia illis fraudi esse debet? Cæterum in pijs non modò doctrinæ ueritatem, fidei synceritatem & religionis integritatem, uerumetiam imperfectionem & quæ ex carne illis inhærent uitia, spectare oportet, & illos non extra culpam esse, nec aliorum scelerum pœnas exoluere patebit. In illis enim frequenter seculi huius studium sese exerit, & non rarò cum filijs Zebedæi priuatos honores & dignitates uel opes sub Christi prætextu quærunt. Necesse ergo est, ut calicem Christi bibant, & afflictionibus exerciti discant, regnum Christi non esse de hoc mundo. Præterea pijs non rarò cõfidentia malum obrepit, quo securiores facti in enormia scelera prolabuntur, quod Dauidi & multis alijs accidisse constat. Afflictione ergo & cruce securitatem illam excuti oportet, ne ipsi quoq; enormiter peccent: uel ubi peccauerunt, pœnitere discant, & cum eodem Dauide dicant: Bonum mihi quòd humiliauisti me, ut discam mandata tua. Humiliatus sum usquequaq; domine: quare uiuifica me secundum uerbũ tuum. Psal. 119. Et quia contritos corde deus respicit, & Christus laborantes & oneratos ad sese inuitat, afflictionibus nos conteri opus est, ut cùm nos laborare & oneratos esse sentimus, alacriores ad Christum contendamus. Accedit his, quòd seruus, qui nouit uoluntatem domini sui nec facit eam, grauius uapulat. Luc. 12. Quòd si nosipsos iudicaremus, non iudicaremur à domino. 1. Cor. 11. At quia plerunq; & proprijs blandimur, & ad aliena conniuemus, dei iudicio opus est, ne peccatorum ratio ab humana authoritate pendere uideatur. Postremò dei gloria illud postulat, ut impij mundi flagitia puniturus, iuxta apostoli sententiam iudiciũ à sua domo incipiat, ne in suis probare uideatur, quod in alijs seuerè uindicat. 1. Pet. 4. Hæc si consideremus, non habebimus quod de deo conqueramur. Consolatio autem magna ex eo oboritur, si discrimen, quod inter piorum & impiorum afflictiones est, obseruemus. Hi enim, quia pœnitere nesciunt nec uolunt, afflictionum suarum finem non habent, quas æternus inferorum cruciatus excipit. At pijs eædem paternæ uirgæ instar sunt, quibus ad uitæ emendationem, fidei zelum, pietatis ardorem & uerbi diuini studiũ excitantur, earumq; finis est & usus, ne cum infelici mundo pereant. 1. Cor. 11. Ita omnibus seculis seruiunt, quæ de nouissimi

nouissimi temporis turbulentissimo statu & ærumnis traduntur. Nam & impios minis terrent, ut quid ex Christi & euangelij contemptu sperandum sit, intelligant. Pij uerò ijsdem admonentur sui officij, & de dei uoluntate præmoniti, contra offendiculum, quod ex aduersis eiusmodi enascitur, animos obfirmant. Sed ad prophetæ locum redeamus.

Tertia enim & postrema loci huius parte tantis malis remedium adhibet, & uiam monstrat, qua ex illis euadere & elabi possint. Nec omittere eam partem Petrus uoluit, ut uiderent Iudæi, à prophetis olim hanc ipsam salutis uiam monstratam fuisse, quam ipse modò prædicabat. Et est hoc ingens diuinæ bonitatis argumentum, quæ in medijs afflictionibus uiam elabendi tam benignè monstrat. Quàm enim terrifica sunt quæ de nouissimorum temporum statu præcesserunt, tam læta & consolationis plena sunt, quæ [illegible]bis subijciuntur. Ait enim propheta: Et erit, omnis quicunq; inuocauerit nomen domini, saluus erit. Memorabilis omnino & uerè euangelica sententia, qua Paulus quoq; ad euertendum legis & operum iustitiam uti uoluit. Rom. 10. Et in præsenti Petrus ex eadem de Christo plenius disserendi occasionem sumit. Nos paucis, quæ in hac obseruanda uidentur, absoluemus. *Via & ratio euadendi ex afflictionibus.*

Primum salutem & liberationem in inuocatione monstrat, quam uni & soli deo deberi scripturæ omnes magno consensu docent. In nobis ipsis ergo salutis & liberationis spes nulla esse potest. Nã si aliquæ in nobis ad nos saluandum uires extarent, absurdum esset salutem alibi quærere. Sed nec salutem quæ extra nos posita in uno deo monstratur, proprijs uiribus per nos apprehendi posse, similiter constat. Inuocatione enim & precibus opus est, quæ non nisi apud eum locum habent, cuius meræ beneficentiæ & gratuitæ liberalitati confidimus. Nam qui se meruisse aliquid persuasum habet, non precibus, sed iure suo in ijs, quæ ipsi debentur, exigendis utitur. Constat ergo & in uno deo salutem inueniri, & eandem gratuitum diuinæ liberalitatis donum esse, & proinde precibus & inuocatione assidua per nos impetrari oportere. *Salus in inuocatione consistit.*

Deinde modum inuocationis exponit, in quo multi anxiè hærent. Sunt enim, qui in deo solo salutem omnem repositam esse intelligunt, sed à dei maiestate propter peccata se arceri existimant, & proinde ab inuocatione uel in uniuersum abstinent, tanquam inutili & superuacanea, uel illam nimis frigidè & sine fide exercent. Sed his non simpliciter dominum, sed nomen domini inuocandum propheta proponit. At quod nam illud nomen domini esse dicemus? Num peculiare aliquod, literis & syllabis constans, quo (ut in aliarum rerum nominibus fieri solet) dei natura, ingenium & proprietates omnes comprehendantur? Neminem equidem tam simplicem esse putauero, qui æternam, immensam & infinitam ineffabilemq; dei essentiam ac naturam paucis literis comprehendi posse existimet. Dei ergo nomen humano more dicitur, quod nobis deum quoad fieri potest cognoscendũ proponit, & ad hoc referri debent quæcunq; de illius maiestate, ueritate, iustitia, bonitate, sapientia, gratia, potentia, misericordia, natura deniq; eius uniuersa dicuntur. At quia hæc in uno Christo omniũ luculentissimè conspiciuntur, qui & expressa dei patris imago & gloriæ ipsius splendor est, illi coæternus & consubstantialis, merito dei nomen dici debet, in quo inuocationem omnem fieri conuenit. Hic enim in carne manifestatus est, & de deo reuelauit quæcunq; nos scire fas est. Iohan. 1. Eundem nobis & altare & propitiatorium deus constituit, in quo preces & omnem cultum ipsi offeramus. Illi testimonium cœlitus tulit, dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacuit. Matth. 3. & 17. Et per hunc nobis ad thronum gratiæ aditum patere, apostolus docet. Ad Hebræos quarto. Ad hunc ergo relegantur quicunq; deum inuocare uolunt, ut & talem esse credant deum, qualis in scriptura nobis proponitur, & se ab illo propter Christũ Iesum exaudiri & saluari petant. Arguit hoc nostram iniustitiam, & nos omni merito apud deum destitutos esse docet. Si enim in precibus alieno præsidio nobis opus est, quæ nisi per Christum offerantur, Deo gratæ esse non poterant, quid obsecro nobis spei in reliqua uita superest, si Christum hunc auferas? At quia hic fide apprehenditur, ex fide preces promanare conuenit, & ea quidem fide, qua nos propter Christum deo patri placere certò credimus. Hinc uetus ille ecclesiæ mos manauit, quo preces ferè omnes Iesu Christi nomine concluduntur. Nouerant enim Christi dictum sanctissimi patres: Nemo uenit ad patrem nisi per me, &c. Iohan. 14. Simul uerò mirifica consolatione hoc ipsum animos peccati conscientia exterritos recreat. Licet enim nos indignos uideamus, quibus benefaciat deus, & quos clementer exaudiat: noua tamen & certa ac infallibilis fiducia animis nostris oboritur, quòd Christum Iesum no- *Inuocationis modus.*

strum esse, & nos propter fidem in ipsum exaudiri cogitamus. Et hæc uera illa inuocatio est, quam ipse dominus in spiritu & ueritate consistere docet. Iohan. 4. Ex spiritu sancto enim enata in nobis fides nostras mentes & spiritus in dei contemplationem abripit. Et quia certam in nobis gignit diuinæ gratiæ fiduciam, preces nostræ simulatæ esse non possunt, sed ueracissimum sunt fidei & spei nostræ testimonium.

Inuocationis fructus.

Quapropter fructum illis excellentissimum propheta pollicetur, quando eum, qui nomen domini inuocauerit, saluum fore dicit. Vbi duplicem consolationem obseruare conuenit. Primò enim uniuersalis est promissio, quæ omnibus nomen domini inuocantibus salutem pollicetur. Communis ergo omnibus hic patefit salutis ianua, à cuius ingressu non paupertate nec mundi infamia, non morbis nec acerbis cruciatibus, non sexu nec ætate, non nationis nec generis discrimine arcebimur. Imò nec peccatis nec morte prohiberi poterimus, cum in Christo peccatorum omnium expiationem habeamus, & idem ille mortem & inferorum portas deuicerit. Deinde salus absolutè promittitur, ut nomen domini inuocantibus omnia sciremus obuentura, quæcunq; ad salutem consequendam necessaria sunt. Vnde colligimus, eos qui nullum ex precibus salutis gustum uel consolationem capiunt, non inuocare nomen domini, id est, fide in Christum destitui, quæ preces nostras irritas esse non patitur. Atqui hæc est unica salutis ratio, quam passim tradunt sacræ literæ. Et uoluit huius mentionem in præsenti Petrus facere, ut intelligerent Iudæi, se ex imminentibus malis & horribili dei iudicio non alia uia elabi posse, quàm si omni suorum operum & propriæ iustitiæ fiducia abiecta, ad gratiæ thronum per fidem in Iesum Christum conuertantur. Eadem nobis quoq; consideranda sunt hodie. Vrgent passim quæcunq; nouissimi seculi mala fore, dominus & apostoli prædixerunt. Consultatur passim à summis uiris de remedijs & salutis ratione. Infelices uerò rerum euentus docent, quanta sit consiliorum omnium uanitas, quæcunq; humana ratio inuenit. Hanc ergo teneamus, quæ ut simplicissima est, & multis nos curis & laboribus liberat: ita infallibilis & certa est, eò quod dei promissione nititur, quam nulla mundi uis euertet. Quare peccata agnoscamus, & in illis quæramus malorum causas, quæ patimur. Peccatorum agnitione ad coercendam propriæ iustitiæ fiduciam utamur. Inde ad deum conuersi illius nomen inuocemus: qui certò nos exaudiet & liberabit propter nomen suum in Iesu Christo filio suo: cui debetur benedictio, honor, gloria et potestas in æternum. Amen.

HOMILIA XIIII.

Viri Israelitæ, audite uerba hæc: Iesum Nazarenum, uirum à deo approbatū erga uos, uirtutibus & prodigijs & signis, quæ fecit per ipsum deus in medio uestri, quemadmodum & ipsi scitis: hūc, inquam, definito consilio & præscientia dei traditum, accepistis per manus iniquorū, & cruci affixum interemistis. Quem deus suscitauit, solutis doloribus mortis, quatenus imposibile erat, ipsum ab illa teneri.

Audiuimus primam concionis Petri partem, qua apostolos ebrietatis crimine liberat, & spiritu sancto donatos esse, docet. Vtitur autem demonstrationis loco Iohelis prophetæ testimonio, quod ita recenset, ut simul pœnas horribiles, quæ euangelij contemptores manent, exponat, & unicam effugij siue salutis uiam commonstret, quæ in una fide Iesu Christi uersatur. Quæ quia sufficere poterant ijs terrefaciendis, qui non prorsus incurabiles erant, ad alteram partem transit apostolus, qua Christum prædicat, quem præcipuum apostolicæ doctrinæ scopum esse, nuper diximus. Ne uerò inanis sit illa prædicatio, ita rem omnem proponit, ut peccatorum conscientia illorum mentes exagitet, ut illa territi, Christum Iesum, in quo salutem prædicari audiebant, auidius & feruentiori fide amplectantur. Imprimis autem breuitati & perspicuitati studet, ne quis Christi cognitionem, & salutis rationem, quæ hac continetur, philosophorum somnijs similem putaret, quæ nec infinitis uoluminibus explicari, nec disputationibus ullis excuti, nec à quoquam plenè comprehendi possunt. Paucis enim uerbis præcipuos nostræ fidei articulos comprehendit, quos quicunq; intelligit, is & Christi Iesu cognitionem & salutis rationem omnem assecutus est. Primus etenim Christi perso-

personam describit, & qualem agnoscere debeamus, docet. Secundus de paßione & morte Christi disserit. Tertius eiusdem resurrectionem explicat. De his quantum ipsius spiritus dederit, in praesenti dicemus.

De Christi persona locuturus, prudenter & circumspectè agit omnia, ne qui adhuc infirmiores erant, offendiculi occasionem habeant. Nam ubi attentos reddidit breui exhortatiuncula, sensim illos in Christi cognitionem subuehere instituit, dicens: Iesum Nazarenum, uirum à deo approbatum erga uos, uirtutibus & prodigijs & signis, quæ per ipsum deus fecit in medio uestri, quemadmodum & ipsi scitis, &c. Quibus uerbis duo de Christo prædicat. Primò hominem fuisse docet. Nam Nazarenum uocat, quod nomen illi à ciuitate Galilææ Nazareth, ubi educatus fuerat, obtigit, sicuti euangelica historia docet. At quia hoc non satis firmum uideri poterat, uirum quoq; dicit, quod nomen non nisi in uerum hominem competere potest. Et uerè uir Christus dicitur, quia (ut Paulus monet) non angelos aut cœlestem aliquam essentiam, sed semen Abrahæ assumpsit. Heb. 2. Porrò ne quis uulgarem aliquem hominem fuisse putaret, à reliquis illum distinguit, addens: Approbatum à deo erga uos, uirtutibus, &c. Et licet diuinitatem Christi docere instituerit, prudenter tamen diuinitatis nomen adhuc celat, quod Iudæorum auribus nimium insolens uidebatur. Vult autem, ut ipsis rebus discant, uerum deum esse, quem hactenus uulgarem tantummodo hominem fuisse putauerant. Perinde enim est ac si dicat: Iesum Nazarenum prædico, quem pleriq; uestrum nudum hominem fuisse existimant. At cogitandum erat, deum palàm in illo multa edidisse diuinæ naturæ indicia, quorum omnium finis hic fuit, ut illum uobis commendaret, & doceret expectatum illum humani generis saluatorem esse, quem olim promiserat. Et opera quidem Christi, quibus illum deus pater commendauit, tribus titulis insignit & ornat. Primò uirtutes uocat, ne quid cum præstigiatoribus commune habuisse putetur. Verè enim facta sunt, quæ de illo ab Euangelistis commemorantur: nec aliena, sed propria ipsius uirtute facta sunt, quod Lucas disertè testatur, dum ex illo uirtutem, qua infirmi sanabantur, exiuisse scribit. Luc. 6. Sed & ipse alibi uirtutem ex se egressam esse dicit, quæ sanguinis profluuio laborantem sanauerat. Luc. 8. Deinde prodigia dicuntur Christi opera, eò quòd communem naturæ cursum prætergressa, in admirationem & stuporem spectatorum animos abripuerunt. At quia prodigiorum loco sæpe habentur quorum causas ignoramus, cum reuera nihil portendant, postremò signa uocat quæ Christus edidit. Certus enim operum Christi finis fuit, quòd de illius diuinitate & officio testari debuerunt. Ex illis enim & dei filius et promissus mundi redemptor esse agnoscitur. Quæ causa est, quòd & Iohannis discipulos ad operum suorum considerationem relegat (Matth. 11.) & Iudæis crebrò eadem opera inculcat & exprobrat, ut maior sit incredulitatis ipsorum culpa. Opera (inquit) quæ dedit mihi pater ut perficiam ea, ipsa inquam opera quæ ego facio, testificantur de me, quòd pater me miserit. Iohan. 5. Si non facio opera patris mei, nolite credere mihi. Sin uerò facio, etsi mihi non credatis, operibus credite, ut cognoscatis & credatis quòd pater in me est, & ego in eo. Iohan. 10. Et rursum: Si opera non fecissem inter eos, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberēt. Iohan. 15. Rectè ergò Petrus Christi opera signa nominauit. Hæc autem inter ipsos edita fuisse dicit, nec alios quàm illos ipsos, quibus loquebatur, testes sistit, qui omnium spectatores fuerant. Ita uerò insignem illorum pertinaciam & ingratitudinē perstringit, quæ tot tantisq; Christi beneficijs, miraculorum & prodigiorum plenis, emolliri & uinci non potuerat. Simul autem eorundem consideratione in diuinitatis Christi cognitionem illos deducere conatur, de qua paulò post apertius disserit. Licet enim hic deum hæc in Christo edidisse dicat, illud tamen Christi potestati & diuinitati nihil derogat, cum ipse fateatur, opera sibi à patre data, se uerò ad patrem unum esse. Iohan. 14.

I. Christi persona.

Docetur his uera Christi Iesu cognitio. Est is uerus deus & homo in una inseparabili persona. Deus quidem uerus ab æterno ex patre genitus, homo autem factus ex muliere, quando præfinito tempore in mundum uenire debuit, ut humani generis redemptor fieret. Et probè obseruanda est naturarum, diuinæ scilicet & humanæ, distinctio, quæ nec personæ unitatem scindunt, nec propter hāc inter se confunduntur. Manent enim utriusq; naturæ proprietates inuiolatæ & illæsæ, quemadmodum Euangelistæ passim docent. Sed & ipse Christus, qui iuxta diuinitatem cum patre unum est, de humana natura loquens, patrem se maiorem esse fatetur. Iohā. 14. Et in humanitate Christus mo

Christus uerus deus & homo.

ritur, cuius diuinitas nec morti nec ulli alij corruptioni subiacet. Talem uerò Christum passim scriptura sacra prædicat. Quem enim prophetæ germen & filium Dauidis nominant, eundem æternitatis patrem, dominum & deum appellare consueuerunt. Isa. 11. & 9. Ierem. 23. Et quem in Bethlehem nasciturum prædicunt, eius exitum siue progressum ab æterno esse fatentur. Mich. 5. Quid? quod ipse dominus de Christo loquens ait: Excitare ô gladie super pastorem meum, & super uirum socium meum, uel (ut alij interpretantur) coæqualem mihi, &c. Zachar. 13. Quibus uerbis utraq; in Christo natura luce clarius conspicitur. Nam & uirum, id est, hominem uerum deus uocat, & eundem sibi coæqualem esse testatur. Possent multa alia in hanc sententiam adduci testimonia, si necesse foret, quæ scripturas legentibus passim occurrent. His autem nituntur primi, quos de Christo profitemur, fidei nostræ articuli. Testamur enim nos credere in filium dei unigenitum, dominum nostrum Iesum Christum: qui conceptus est ex spiritu sancto, natus ex Maria uirgine, &c. Quorum explicationi inseruiunt, quæcunq; apud euangelistas de illius incarnationis mysterio habentur. Vide Luc. 1. & 2. Iohan. 1. Matth. 1. cap.

Vsus diuinitatis & humanitatis Christi.

Prodest autem utriusq; in Christo naturæ cognitionem probè tenere, eò quòd ex his & Christi officium & nostræ salutis certitudo dependet. Quia enim illum & deum & hominem esse constat, eundem inter deum & homines mediatorem esse certò credimus: quoniam ea mediatoris siue sequestri conditio sit oportet, ut ab utraq; dissidentium parte admitti & ferri queat. At hominis infirmitas diuinæ iustitiæ rigorem & maiestatem sustinere non poterat, ut nec illa hominis iustitiam, quæ planè nulla est, approbat. Quare Christus Iesus inuentus fuit, qui cum dei filius, patri coæternus & consubstantialis esset, homo factus est, & utranq; naturam in sua persona ita coniunxit, ut per illum nobis coràm deo pax redintegrata, & liber accessus ad thronum gratiæ paratus sit. Eius meritum pater aspernari non potest, eò quòd & filius ille dilectus est, & omnis peccati siue sceleris expers. Eidem & nos tutò confidere possumus, quando nostras infirmitates ipse expertus ijsdem condolere poterit. Quò Paulus respexit, dicens: Non habemus pontificem, qui non possit affici sensu infirmitatum nostrarum, sed tentatum per omnia iuxta similitudinem, absq; peccato. Heb. 4. Item: Posteaquam pueri commercium habent cum carne & sanguine, ipse quoq; similiter eorundem particeps factus est, ut per mortem aboleret eum, qui mortis habebat imperium, hoc est, diabolum, & liberos redderet eos, quicunq; metu mortis per omnem uitam obnoxij erat seruituti. Non enim angelos assumit, sed semen Abrahæ assumit. Vnde debuit per omnia fratribus similis reddi, ut misericors esset & fidelis pontifex in his quæ apud deum forent agenda ad expiandum peccata populi. Nam ex hoc quod ipsi contigit tentatum esse, potest & ijs, qui tentantur, succurrere. Heb. 2. Horum consideratio docere potest quàm delirent, quotquot unico hoc mediatore, Iesu Christo, relicto ad creaturas conuertuntur, & diuorum intercessionibus causam suam sustineri oportere existimãt. Quo facto non obscurè testantur, se à Christi cognitione alienos esse, quando illius officium & causas ignorant, propter quas, qui ab æterno deus est, hominem uerum in unitatem personæ assumere uoluit. Ipse certè in euangelio ait: Nemo uenit ad patrem, nisi per me. Iohan. 14. Et Paulus ut unum deum agnoscit, ita unum inter deum & homines mediatorem, Iesum Christum, esse testatur. 1. Tim. 2. At quia de his alibi copiosius dicendi occasio dabitur, paucula hæc in præsenti sufficiant. Et consolationis summæ loco habeamus, quòd eius diuinitatem tot argumentis demonstratam esse uidemus, quo saluatore & redemptore gloriamur, & cuius nomine Christiani dicimur. Sed ad Petri concionem & illius explicationem reuertamur.

II. Christi passio & mors.

Secundo loco passionem & mortem Christi prædicat, & ita quidem, ut ipsorum animis terrorem conscientiæ ob tantum facinus incutere studeat. Ait enim: Hunc Iesum præfinito consilio & præscientia dei traditum, accepistis per manus iniquorum, & cruci affixum interemistis. Tria dicuntur ad Christi mortem pertinentia. Primò totum populum tam nefandæ cædis reum facit. Vos (inquit) cruci affixum interemistis. Atqui non ignorabat Petrus, militum manibus in crucem suspensum fuisse. Verè tamen hoc facinus uniuerso populo tribuit, qui in Christi mortem non modò consenserat, sed eundem ad crucis supplicium improbis & seditiosis clamoribus postularat, adeoq; sua improbitate Pilatum diu renitentem uicerat, ut euangelistæ docent. Docemur hoc Petri exemplo, unde euangelicæ prædicationis initium fieri debeat: nimirum à peccatorũ redargutione, quæ et in publi

Prædicatio euãgelij inchoanda à peccatorũ redargutione.

cum

cum protrahi & accusari oportet. Nisi enim illa agnoscant homines, Christum magni facere nō possunt, quo se nequaquam indigere arbitrabuntur. Eadem siquidem hic, quæ & morborum corporis, est ratio. Qui morbos suos uel ipsi non sentiunt, uel dissimulare student, medicinam non curant, nec sponte se offerentem medicum admittunt. Ita quicunq. nulla tanguntur peccatorum conscientia, uel peccata dissimulari aut suis ipsorum satisfactionibus expiari posse existimant, Christum nec ipsi studiosè quærunt, nec illum sese in euangelio manifestantem dignè amplectuntur, imò priuatæ iustitiæ fiducia elati, huic se opponere non uerentur. Cuius rei exempla in pharisæis multa extāt. Quæ causa est, quòd Christus se ægrotantium medicum esse profitetur, nec uenisse ut iustos saluet, sed ut peccatores uocet ad pœnitentiam. Matth. 9. Luc. 5. Et de spiritu sancto loquens, inter illius officia primo loco recenset, quòd mundum peccati arguat & accuset. Iohan. 16. Deniq. cum euangelij prædicationem apostolis commendat, pœnitentiam primò doceri uult, cui deinde peccatorum remissio subiungi debeat. Luc. 24. Non temere ergo Petrus hoc ordine progreditur, ut de Christi morte dicturus, auditores huius reos & authores esse, ante omnia demonstret. Et hodie ita mortem Christi prædicari necesse est, ut singuli propter sua ipsorum peccata dei filium mortuum esse, adeoq. se mortis illius authores esse intelligant. Ita enim fiet, ut & de peccatis ex animo dolere discant homines, & salutem, quæ in Christo offertur, maiore fidei feruore amplectantur.

Cæterum ne Petrus ignobile uulgus duntaxat accusare uideretur, aliud addit, quo primi tanti facinoris duces arguuntur. Nam per manus iniquorum acceptum interemistis, ait. At qui nam iniqui illi & iniusti? Primus inter hos Iudas est, olim Christi discipulus & apostolus, sed postea dux factus eorum, qui Christum comprehenderunt. Proximi ab hoc sunt summi pontifices cum toto scribarum & sacerdotum collegio, quos pecunia Iudam corrupisse & ad tam immane flagitium conduxisse constat. In eodem numero & Pilatus censetur, qui Romani Imperatoris nomine pro tribunali considens in illum mortis sententiam tulit. Nec omnino extra culpam Herodes est, qui cum ad se transmissum absoluere potuisset, illusum potius ad Pilatum remittere maluit. Hos (inquam) omnes iniquorum nomine Petrus comprehendit, quorum summa erat in Hierosolymorum urbe authoritas & potestas. Quàm uerò hoc dicere periculosum fuerit, facilè uidebit, qui hominum mores paulò diligentius inspexerit. Capitale scelus habetur iudicis sententiam, qua sontes damnantur, iniquā & iniustam dicere. Atqui hoc Petrus intrepidè facit in urbe populosissima, & in qua recens adhuc erat mortis Christi memoria, quæ tam honorificè ab illo prædicatur. Hic igitur ceu in speculo uidere est, quàm fortes & intrepidos Christi assertores faciat, quos suo numine spiritus sanctus afflare dignatur. Simul etiam admonemur quæ in uerbi ministris publica flagitia accusandi libertas & παῤῥησία esse debeat, & quàm minimè audiendi sint, qui nescio quam modestiam in ministris requirunt. Nec enim peccata extenuari opus est, quæ ipsa alioqui (ut Dauid monet) nobis blandiri consueuerunt. Psal. 36. Nec personarum ratio haberi debet, quando peccatum authoris persona non excusat, imò eò grauiori offendiculo nocet, quò maior est delinquentis authoritas. Adde, quòd publica persona minister est, cuius muneri omnes hominum ordines subiectos esse constat. Familiæ enim suæ illum Christus dispensatorem constituit, in qua diuites & egeni, nobiles & ignobiles, magistratus & subditi continentur. Matth. 24. Et omnibus dicitur quod Ieremiæ dicit dominus: Ecce ego facio te hodie ciuitatem munitam, columnam ferream & murum æneum, contra omnem terram, contra reges Iuda, contra principes eius, contra sacerdotes & contra uniuersum populum terræ. Iere. 1. Nullas ergo mundi & carnis rationes admittant, quibus absterreantur, quicunq. docendi munus in ecclesia susceperunt, sed Christi Iesu, prophetarum & apostolorum exempla imitentur, quos omnes simili libertate in peccatis corripiendis usos esse constat, qua in præsenti Petrus utitur.

Quoniam uerò quæ de Christi morte dixerat, magni offendiculi causam præbere poterant, quasi hominum astutia & uiribus Christus oppressus fuisset, & proinde pro deo agnosci non deberet: offendiculo medetur Petrus quando Christum definito siue certo dei consilio in mortem & iniquorū manus traditum fuisse dicit. Hoc enim perinde est, ac si diceret: Nemo putauerit, uel Iudæ proditori, uel sacerdotibus, uel Pilato tantum consilij aut uirium fuisse, ut quicquam hic uel ignorante uel inuito deo fecerint. Huius enim & præscientia & decreto factum est, quicquid Christo accidit. Quò etiam in sua epistola respexisse uidetur, quando Christum priusquam mundus hic conderetur, in hūc

Petri in peccatis arguendis libertas.

Christus ex dei consilio mortuus est.

finem præordinatum fuisse dicit. 1. Pet. 1. Demonstrationis loco adduci possunt promissiones dei in mundi exordio datæ, & prophetarum oracula, quæ non aliam redemptionis & salutis nostræ rationem tradunt, quàm quæ filij dei sanguine parta est. Isaias certè dominum effecisse scribit, ut in Christum incurreret omnium nostrûm iniquitas. Isa. 53. Eiusdem ergo domini decretum & opus fuit, ut illius sanguine nostra iniquitas expiaretur. Est autem hic insignis locus, quo de dei prouidentia rectè iudicare discimus.

Dei prouidentia decretũ habet & præscientiam.

Obseruemus igitur, quòd non obiter præscientiæ, sed etiam consilij siue decreti dei meminit, imò præscientiæ illud præponit, quod & certum & definitum fuisse testatur: quod perinde est, ac si humano more loquens, omne hoc negotiũ præmeditatè & maturo dei consilio transactum esse diceret. Confutatur hic illorum commentum, qui in deo nihil ferè quàm præscientiam fingunt, & deum quæ præsciuit fore per prophetas prædixisse aiunt, interim omnem rerum agendarum administrationem illi adimentes. Qui mihi ex deo otiosum mundi spectatorem facere uidentur, adeoq; ignauum etiam & inertem, qui multa contra uoluntatem suam, & secus quàm constituerat, permittat fieri. At longè aliter Dauid, qui deum ita quæ in cœlis & in terra fiunt, inspicere docet, ut simul regnorum uices administret, & omnia suo nutu dirigat. Psal. 113. Et Petrus in præsenti deum non modò Iudæ perfidiam, sacerdotum sanguinarios conatus & Pilati iniquitatem præuidisse, & hæc otiosa quadam permissione dei accidisse fingit: sed omnem huius negotij euentum ex certo & definito dei consilio siue decreto deducit. At quod in dei filio accidit, de uniuersa humani generis gubernatione, quam deus sustinet, intelligi debet, nisi deum, qui sibijpsi semper constat, à communi ordine & more suo declinauisse putemus.

Vsus prouidentiæ.

Imprimis uerò finem respicere conuenit, cuius gratia diuinæ prouidentiæ decretum Petrus allegat. Quem quia multi non obseruant, illicò uociferantur, nos deum mali authorem facere, quando ex illius consilio & nutu omnia dependere dicimus. Atqui Petrus nec Iudam nec huius complices hic excusat, nec in deum transfert, quæ illi impiè & iniustè designarunt. Quia enim uoluntaria malitia peccauere, nec dei consilium & humani generis redemptionem sibijpsis ob oculos posuerunt, sed improbos auaritiæ, ambitionis & odij affectus secuti sunt, in ipsis peccati culpa hæret, cuius pœnas meritò exoluerunt. Prouidentiæ uerò & diuini decreti ideo Petrus meminit, ut offendiculo crucis medeatur, & de uniuersa Christi ac redemptionis nostræ causa iudicare doceat. Idem ergo prouidentiæ usus etiam nobis propositus esse debet, ut tam fidei uitæq; institutioni, quàm consolationi in aduersis seruiat. Ita ex prouidentiæ decreto docent scripturæ, salutem ex mera dei gratia dependere, qui priusquam mundus hic conderetur, Christum Iesum nobis redemptorem prædestinarit, nosq; in illo elegerit. Vide Ephes. 1. Rom. 9. 10. 11. &c. Et eòdem Christus nos relegat, dicens: Non uos me elegistis, sed ego uos elegi. Item: Sine me nihil potestis facere. Iohan. 15. Humanæ igitur iustitiæ cristas & exitialem huius fiduciam sola prædestinationis & gratuitæ electionis consideratio reprimit. Eadem in aduersis & impiorum successibus firmißimam consolationem affert. Cur enim illis offendatur, qui nos sub diuinæ prouidentiæ tutela, siue præsidio agere, nec quicquam nobis aduersi absq; huius decreto accidere nouit? Ideo Christus ad flores agri & uolatilia cœli, in quibus dei prouidentia euidentißimè cernitur, nos relegat, & apostolos contra persecutionum scandala argumentis ex hac petitis consolatur, dicens: Nonne duo passerculi minuto asse ueneunt? At unus ex illis non cadet in terram sine patre uestro. Vestri uerò etiam pili capitis omnes numerati sunt, &c. Matth. 6. & 10. Agnosco hic hyperbolem, si ad nostræ rationis captum Christi uerba examines. Sed si dei sapientiam & omnipotentiam, quæ omnem captum hominis longè superat, consideremus, nihil tam hyperbolicum dici potest, ad quod non illius uis & potentia penetret. Vide quæ habentur Psal. 139. & 147. Hæc si ob oculos nobis ponamus, plurimum doctrinæ & consolationis prouidentiæ consideratio dabit. Quòd si qui longius uagari & septa transilire cupiunt, ijs Solomonicum illud obijcimus: Qui scrutatur maiestatem, opprimetur à gloria, Prouerb. 25. Et Paulinũ hoc: Tu quis es, ô homo, qui ex aduerso respondes deo, &c? Vide locum Rom. 9. Nec enim absq; numine factum est, quòd apostolus, qui in tertium cœlum abreptus, uerba audiuit quæ homini eloqui fas nõ est, in prouidentiæ & prædestinationis causa curiosis quæstionibus respondere dedignans, omnemq; illam disputationem exclamatione admirationis & stuporis plena concludit: O profunditatem diuitiarum, & sapientiæ

& cognitionis dei. Quàm inscrutabilia sunt iudicia eius, & imperuestigabiles uiæ eius? Quis enim cognouit mentē domini? Aut quis illi fuit à consilijs? Aut quis prior dedit illi, & reddetur ei? Quoniam ex illo, & per illum, & in illum omnia. Ipsi gloria in secula, Amen. Rom.11.

Postremò Petrus Christi Iesu resurrectionem ex mortuis subijcit, his uerbis: Quem deus suscitauit, solutis doloribus mortis, quatenus impossibile erat ipsum ab illa teneri. Medentur etiam hæc crucis offendiculo, potius tamen ad redemptionis & salutis nostræ rationē, quam tradere instituit, referri debent. Quia uerò de resurrectione Christi plura ipse Petrus dicet in sequentibus, modò breuiores erimus. Inter alia tamen potissimum considerandum uenit, quòd post personam Christi descriptam, omissis multis alijs, solius mortis et resurrectionis ipsius mentionem facit. Causa hæc est, quòd duobus hisce uniuersa nostræ salutis ratio continetur. Morte enim peccati culpam expiauit, quæ aliter expiari non poterat. Resurrectione uerò mortem, quæ peccati pœna erat, superauit & illius uires attriuit, iuxta illud prophetæ, quòd à Paulo citatur: Absorpta est mors in uictoriam. Vbi tuus mors aculeus? Vbi tua inferne uictoria? Hos.13. 1.Cor.15. Idem in præsenti Petrus sentire uidetur, quando mortis dolores per Christi resurrectionem solutos esse dicit, eò quòd impossibile esset, ipsum ab ea detineri. Nec enim de corporis doloribus, qui mortem comitantur, exponi potest, cùm illos adhuc acerbissimos esse experiamur. Vires autem mortis solutæ sunt, & sublati terrores, quibus olim hominum mentes excruciabat. Peccato enim ceu aculeo utebatur, cuius pœnam deus hanc constituerat, & proinde non poterat non terrifica esse, cùm peccati pœna esset. At quia peccatum Christus sustulit, mansit quidem mors, qua è uita & mundo hoc migramus, sed Christi merito uitæ ianua facta est, & proinde credentes amplius terrere nequit, Christo dicente: Qui sermonem meum audit, & credit ei qui misit me, habet uitam æternam, & in iudicium non ueniet, sed transiuit à morte in uitam. Iohan.5. Ideò alibi Apostolus dicit, Christū per mortem suam eum superauisse & aboleuisse, qui mortis habebat imperiū. Hebr.2. Quod dici non poterat, nisi mortem resurrectio fuisset subsecuta. Semper igitur duo hæc coniungi debent, quod Paulū diligentissimè obseruare uidemus, quando Christū propter peccata nostra traditum esse, & propter iustificationem nostri resuscitatum dicit. Rom.4. Item: Hoc est uerbum fidei, quod prædicamus. Si confessus fueris ore tuo dominum Iesum, & credideris in corde tuo, quòd deus illum excitauit à mortuis, saluus eris. Rom.10. Vbi solius quidem resurrectionis meminit, sed illa mortem simul includit, eò quòd illa sine hac considerari non potest. Discamus itaq; Iesum Christū agnoscere, qui cùm uerus ab æterno deus sit, propter nos homo factus, peccata nostra morte sua expiauit, mortis uerò dolores & uires resurrectione gloriosa uicit, & in cœlos sublatus pro nobis intercedit. Rom.8. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

III. Resurrectio Christi.

HOMILIA XV.

Dauid enim dicit de ipso: Prouidebam dominū coram me semper: quoniam à dextris est mihi, ne commouear. Propter hoc lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea, quin & caro mea requiescet in spe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec permittes ut sanctus tuus uideat corruptionem. Notas mihi fecisti uias uitæ: replebis me lætitia cum facie tua.

EXposuit diuus Petrus in hesternis præcipuos fidei Christianæ articulos, quibus Iesum Christum uerum hominem & deum esse, pro nobis autem mortem subijsse & à mortuis resurrexisse docuit. Omnium uerò hîc scopus & finis est, ut ipsum promissum humani generis redemptorem esse agnoscamus. Atqui resurrectionis articulus inter Iudæos multas ob causas incredibilis uideri poterat. Nam præter id, quòd humanæ rationi dubius uidetur, non exiguus erat Sadducæorum numerus, qui resurrectionem apertè negabant. Et milites, à sacerdotibus pecunia corrupti, rumorem falsum sparserant, quo discipulos Christi corpus è sepulchro furtim sustulisse ferebatur. Sed & ipse Christus post resurrectionem non ut prius toti populo sese uidendum exhibuerat, sed cum solis discipulis fuerat conuersatus. Quamobrem necesse fuit, articulum hunc & illustrari copiosius & argu-

mentis confirmari solidioribus, maximè cùm apostolorum fides omnibus suspecta esset. Itaq; Petrus ad Dauidis, celeberrimi inter Iudæos regis & prophetæ, authoritatem confugit, cuius testimonio ex Psalmo decimo sexto producto, euincit, resurrectionem Christi nec nouam nec incredibilem uideri debere, quando ex dei consilio & decreto hæc quoq; euenerit, & iam olim prophetarum oraculis fuerit prædicta. Quia uerò testimonij huius authoritatem ipse Petrus postea asseret & illud soli Christo conuenire demonstrabit, superuacaneum foret in illius assertione diutius commorari. Sufficere enim nobis debet tanti apostoli authoritas, quam nec Iudæi, quibus illa dicebantur, refellere potuerunt. Illud potius obseruemus, Dauidem hæc ita sub Christi persona dicere, ut simul ipse sibi ex illis consolationē petat, quæ similiter ad omnes Christi cultores referri debet, quando à membris prorsus aliena esse non possunt, quæ de capite dicuntur. Diligenti ergo consideratione in hoc loco uti nos conuenit, qui omnem ueræ pietatis rationem unà cum fructibus tam sancti studij saluberrimis absolutißimè comprehendit, inter quos & corporum resurrectio numeratur, quam multis & diligenter diuinus uates illustrat.

I. Summa pietatis & religionis.

Pietatis & omnem uitæ religiosæ rationem uno uersu explicat, cùm ait: Prouidebam dominum coram me semper, quoniam à dextris mihi est, ne commouear. Duo autem dicuntur. Primò quid faciat, dicit. Deinde sui instituti aut facti rationem reddit. Quoad primum: Prouidebam dominum coram me semper, inquit. Vel ut Hebræa habent: Posui dominum in conspectu meo, siue ob oculos meos. Hanc ergo uitæ suæ rationem Christus secutus est, ut dominum semper sibi ob oculos poneret, & coram illo se uiuere putaret. Hoc ut ritè fiat, duo requiruntur obseruatu dignißima. Alterum est obedientiæ studium. Quia deum ob oculos sibi ponere dicuntur, qui ad ipsius præcepta respiciunt, & sancto dei timore excitati, illi placere student, quem nihil latere posse nouerunt. De hoc studio ipse deus loquitur, quando Abrahamum coram se, uel in suo conspectu ambulare iubet. Gene. 17. Alterum fides est, qua in aduersis constituti ad unum deum respicimus, & ab illo uno opem & auxilium siue liberationem expectamus. De hoc alibi Dauid differit, cùm ait: Ecce ut oculi seruorum intenti sunt ad manum dominorum suorum, & ut ancillæ oculi ad manum suæ dominæ respiciunt: sic nostri oculi conuersi sunt ad dominum deum nostrum, donec nobis benefaciat. Psal. 123. Vtrunque uerò hoc in Iesu Christo facilè conspicitur. Tanto enim reuerentiæ studio patrem deum obseruauit, ut Paulo teste, obediens factus sit usque ad mortem, & quidem crucis mortem. Phil. 2. Eorumq; quos pater illi commendauerat, curam tanta diligentia gesit, ut iam mortē aditurus commissi sibi muneris rationem reddere posset, dicens: Quos dedisti mihi, ego custodiui, & nemo ex eis perijt, nisi filius ille perditus. Item: Ego te glorificaui super terram, opus cōsummaui quod dedisti mihi ut facerem. Iohan. 17. Adhæc tanquam uerus homo firma & constanti fide mentis oculos in unum deum direxit, quem & unum inuocauit in aduersis omnibus, & uni pro acceptis beneficijs gratias egit, ut euangelica historia docet. Verè igitur per Dauidem dicere potuit, Posui dominum coram me semper. Ad hoc exemplar uitam suam & actiones omnes instituere debent, quicunq; pro ueris dei cultoribus & filijs haberi uolunt. Et hæc omnium uirtutum unica causa est, quibus sanctos olim floruisse legimus. Seneca olim ad uitanda uitia clancularia suadebat, ut quando soli nobiscum uersamur, seuerißimum aliquem uirū, qualis fuit Scipio, Lælius, Cato, nobis & testem & inspectorem nostrarum rerum adesse censeamus. At quantò plus momenti habebit, si nos Deum cogitemus habere omnium, quæ à nobis dicuntur & fiunt, inspectorem? Quia hunc sibi semper ob oculos posuit Ioseph, nec heræ illecebris à recti & honesti tramite abduci, nec in carcere & aduersis animo suo frangi potuit. Gen. 39. Eadem omnium aliorum ratio habenda est. Et hic ingens illud discrimen prodit, quo à dei cultoribus impij differunt. Hi enim quando illis bene est, non deum ob oculos sibi statuunt, sed (ut Dauid testatur) impia stoliditate excæcati, deum esse negant. Psal. 14. & 36. Quò fit, ut tanquam effrenes equi, omni repagulo sublato, laxis habenis in omne scelus erumpant. Nam ut alibi dicitur, deum & oculis & auribus carere persuasum habent, quibus illorum flagitia uidere & audire posit. Psal. 94. At ubi deus, quem ipsi sibi ob oculos ponere nolunt, ipsorū oculis sese iratum proponit, & ut Psal. 50. habetur, ipsis in faciem resistit, ac scelerū pœnas exigit: rursum illum confugiunt, nec ab eo qui ipsos percutit (qui filiorum dei mos est, Isa. 9.) liberationem & opem petunt: sed aliquandiu proprijs uiribus dei iudicio obluctantur, quibus ubi nihil profici uident, ad creaturas conuersi illas inuocant, uel

tota

tota mente consternati in desperationis barathrum præcipites ruunt. Extant infinita eiusmodi hominum exempla, quorum hîc apud nos usus esse debet, ut deum nobis ob oculos ponere discamus, cui nos & uitam nostram approbare, & in eodem omnem fiduciam sitam habere debemus.

Sed causam sui instituti tam sancti & religiosi Christus indicat, addens: Quoniã à dextris mihi est, ne commouear. Ideò (inquit) Deum mihi ob oculos pono, quia mihi semper adest, siue illud ego faciam, siue non faciam. Si obseruem illum, astat mihi auxiliator, ne ullis terroribus commouear. Sin negligam, astat inspector actorum omnium & olim iudex erit seuerißimus. Eadem causa cultores quoque Christi, ut deum ob oculos habeant, mouentur, quam etiam ipsi non rarò profitentur. Huc enim pertinet, quòd Dauidem & sui similes dixisse legimus: Dominus lux mea & salus mea, à quo nam timerem? Dominus robur uitæ meæ, à quo expauescerem? Psal. 27. Deus nobis suffugiũ & robur est, premente neceßitate auxilium præsentißimum. Idcirco nihil timebimus, etiamsi loco moueatur terra, & nutent montes siti in medio mari, &c. Psal 46. Item: Deus est petra mea, & salus mea, ipse arx mea sublimis, ideò non labascam, &c. Psal. 62. Nemo autem hanc inanem uerborum iactantiam esse existimet. Dei enim promißionibus & experientia siue exemplis quotidianis hæc sanctorum fiducia nititur. Dei siquidem uerbum est: In die tribulationis tuæ inuoca me, & liberabo te. Psal. 50. Item: Quoniam mihi adhæret, eruam eum, & superiorẽ illum faciam: nam agnouit nomen meum. Me inuocabit, ideò ei respondebo, adero ei in afflictione, eripiam eum, & glorificabo eum. Psal. 91. Confirmantur promißiones istæ exemplis plurimis, qualia in sacris literis Iosephi, Dauidis, Danielis & sociorum eius, Susannæ, Ezechiæ & multorum aliorum leguntur. At ueteribus opus non est, quando ipsi quotidie promißionum dei ueritatem experimur. Licet enim multæ huius seculi tribulationes sint, ex omnibus tamen deus suos eripit, & quasi labascentes nos suffulturus dexter nobis astat, nec tentari sinit ultra quàm ferre poßumus. 1. Corinth. 10. Et quod Dauid fatetur, pro æstu cogitationum & tentationum nostrarum, suis consolationibus animas nostras recreat. Psal. 94. Et hæc illa piorum securitas est, longè alia quàm quæ impios insolescere facit, dum propter opes & mundi gloriam se extra omnem teli iactum consistere arbitrantur. Quos falli necesse est, eò quòd omnis caro fœnum est, & gloria carnis flos agri, &c. Isaiæ 40.

Cæterum pergit Christus, spiritu suo per Dauidem loquens, & studij huius eximios fructus recenset. Propter hoc (inquit) lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea, quin & caro mea requiescet in spe. Tria dicuntur, quæ singula uniuersas mundi opes longè superant, quæ (ut cœpimus) & in Christo & in membris ipsius considerari oportet. Primò gaudij meminit, & quidem de gaudio cordis loquitur, ut illud uerum, solidum & stabile esse doceat. Hoc ipsum enim intelligit, quod postea discipulis pollicetur, cùm ait: Nunc quidem mærorẽ habetis, sed iterum uidebo uos, & gaudebit cor uestrum & gaudiũ uestrum nemo tollit à uobis. Ioh. 16. De eodem Paulus loquens, Christianos semper gaudere iubet. 1 Theß. 5. Phil. 4. Imprimis uerò gaudij causam obseruare decet. Propter hoc (ait) lætatum est cor meum, quia uidelicet dominus mihi à dextris est. In domino igitur gaudent fideles. Lætantur & gaudent impij etiam, adeoq; præ gaudio frequenter insaniunt. Id uerò uel propter opes faciunt, & honores & noxias carnis uoluptates, uel etiam propter scelera, ut de nonnullis Solomon admonet, Prouerb. 1. At illorum gaudia nec syncera sunt nec certa, sed luctu grauißimo terminantur. Iam olim enim in illos Christi sententia lata est, quæ in euangelio habetur: Væ uobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis. Luc. 6. At piorum lætitia siue gaudium, quia domino nititur, euerti & mutari non potest. Nam in afflictionibus quoq; gloriantur & gaudent, eò quòd se in omnibus superiores fore sciunt, per eum qui ipsos in Iesu Christo dilexit. Vide Rom. 5. & 8. cap.

II. Pietatis fructus. Gaudium.

Secundus fructus pietatis est linguæ exultatio. Exprimitur per hanc gaudij magnitudo, quæ ne mente quidem contineri potest, sed per linguam erumpit. Exultat enim hæc in pijs, non quidem leui & scurrili affectu & procacibus dictis, sicuti in impijs est uidere: sed pia gratulatione, qua dei nomen, & illius beneficia celebrat. Et sanè magna hæc piorum gloria est, quòd nouis quotidie beneficijs deo sese obstringi sentiunt, propter quæ nomen ipsius prædicent. Gloriantur principum fauore multi, & hoc sibi potißimum laudi ducunt, si principum beneficentiam iusto aliquo titulo prædicare poßint. At maior multò Christiani hominis gloria est, qui dei bonitatem prædicandi causas quotidie nouas & grauißimas inuenit. Atqui in hoc non postrema nostrorum officiorum pars uersatur.

Linguæ exultatio.

Vult enim à nobis prædicari deus, nec aliud pro beneficentia sua à nobis exigit, cùm nostri minimè indigeat. Premente aduersitate (inquit) inuoca me: & cùm te eripio, gloriam meam celebra. Psal. 50. Hinc illa sanctorum uota sunt, quibus carmina & hymnos deo pollicentur. Christus certè alibi quoq; per Dauidem hoc unum deo patri suo uouet, dicens: Narrabo nomen tuum fratribus meis, in media congregatione laudabo te. De te est laus mea in concione magna, uota mea coram timentibus ipsum persoluam. Psal. 22. Et Dauid, cùm dei opem petijsset, in eandem sententiam dicit: Laudabo nomen dei cum cantico, & extollam illud celebri laude. Gratius id erit domino, quàm si bouem offeram cornubus & ungulis præstantem. Psal. 69. Quò & illa piorum uox apud prophetam referri debet: Aufer omnem iniquitatem & accipe bonum, & persoluemus iuuencos labiorũ nostrorum, Hos. 14. Potest hîc obiter cognosci nostrorum temporum infelicitas. Quia enim paucissimi sunt, quorum lingua exultet ad gratiarum actionem & nominis diuini præconium, rarum quoq; esse constat gaudium illud uerum, quod ex fide & obedientiæ sancto studio concipitur. Quo argumento firmissimè concluditur, fidei quoq; & pietatis studium esse rarissimum.

Mors læta.

Tertius pietatis fructus est: Caro mea requiescet in spe. De morte autem loquitur, quam sibi lætam & omnis molestiæ expertem pollicetur. Interim absolutissima felicitas hîc adumbratur, quæ nec morte (quæ ultima linea rerum à poeta dicitur) interturbari possit. Morte, quæ plerunq; inopinatò obrepit, turbantur omnia, quibus infelix mundus felicitatem metitur. Ad huius mentionem diuites cõsternantur, ambitiosi trepidant, uoluptuarij tremunt, & fortissimi quiq; metuunt. At Christus hac gloriatur, ut quiete spei maximæ plena. Eadem omnium membrorum Christi est ratio, quibus hoc præ cæteris hominibus datum est, ut mortem contemnere, imò morte gaudere possint: cuius conditionem omnem propheta hoc loco proprijssimè explicat. Primò enim solius carnis uel corporis mentionẽ facit, ostendens, morti in animã, quæ potior hominis pars est, nihil licere. Illa enim è corpore migrans, in uitam æternam abit, ut aliàs diximus. Quæ causa est, quòd Paulus cupit dissolui, & esse cum Christo. Phil. 1. Deinde de carne aut corpore loquens, illi nequaquam interitum minatur, sed ait: Caro mea requiescet in spe. Quietem ergo carni promittit, quam in morte tutissimam pij inueniunt. Scatet malorum & periculorum examinibus totus uitæ nostræ cursus. Vndique labores imminent. Curæ & solicitudines nunquam non nouæ exoriuntur. Deniq; breuis hæc uita infinitis & continuis ærumnarum procellis absq; ulla intermissione exagitari solet: ut uerè propheta dicat: Dies annorum nostrorum anni sunt septuaginta, aut ad summum octoginta: iam præstantissimum horum labor est & molestia. Psal. 90. Et alibi scriptura hominem ad laborem, ut auem ad uolandum nasci testatur. Iob. 5. At in morte quies est, & qui hanc subijt, uniuersam & laborum & curarum palæstram, morbos item & instabiles fortunæ uicissitudines euasit. Ne quis uerò non aliã nobis in morte quietem parari putaret, quàm quæ etiam iumentis & reliquis animantibus paratur, quibus uita nulla post hanc reliqua est, docet, nostrã carnem in spe quiescere. Resurrectionis uerò spem intelligit, quæ & certa est, & consolationis ueræ causa unica. Spem enim hanc nobis deus facit, qui se eorum quoq; deum nominat, qui è uita hac migrauerunt, quod de Abrahamo, Isaaco & Iacobo Christus admonuit. Matth. 22. Et in prophetis resurrectionem fore constanter pollicetur. Vide Ezech. 37. Dan. 12. Isa. 26. & 66. &c. De eadem Christus non semel disserit in euangelio. Veniet hora (inquit) in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient uocem meam, & prodibunt, &c. Iohan. 5. Plura uide Matth. 25. Iohan. 11. &c. De hac spe Iob loquens, ait: Scio quòd uindex meus uiuit, & nouissimo tempore adhibebit suam uim pulueri. Vbi uerò circumdederint hoc mea cute, spectabo deum è carne mea. Quem ego mihi contemplabor, & oculi mei uidebunt, & non alius: quod unicum est meum desiderium. Iob 19. Nec dubium est, quin hac spe animati sancti martyres, dolores omnes tanta cum animi constantia superauerint. Quare non temere Paulus ex eadem consolationis argumenta in funeribus desumere iubet. 1. Thess. 4.

III. Resurrectionis articulus illustratur.

Porrò quia in resurrectionis mentionem propheta incidit, hanc sub Christi persona loqui pergens, plenius illustrat. Ait enim: Quoniam non derelinques animã meam in inferno, nec permittes ut sanctus tuus uideat corruptionem. Notas mihi fecisti uias uitæ, replebis me lætitia cum facie tua. Insunt his nonnulla, quæ de solo Christo intelligi possunt, quemadmodum in sequentibus Petrus admonet. Quia tamen nostræ resurrectionis certitudo à Christi resurrectione dependet, quem idcirco

Paulus

Paulus eorum qui obdormierunt primitias uocat (1. Cor. 15.) omnium eorum, quæ in Christi resurrectione contigerunt, fructus & effectus ad nos pertinent. Prodest ergo diligenter in illorum, quæ hîc dicuntur, consideratione uersari. Nam ut Christi resurrectionem explicant, ita quid nobis sperandum sit docent, & nostræ quoq; resurrectionis modũ & ordinem, unà cum beatitudine uera, quæ hanc sequetur, depingunt.

Descẽsus Christi ad inferos.

Primò ait: Non derelinques animam meam in inferno. Inferi Hebræis nunc pro sepulchro dicuntur, nunc pro mortuis & defunctis. Quo sensu Iosephi fratres dicũt: Deducent serui tui canitiem patris nostri cum tristitia ad infernum siue inferos. Sensus ergo uerborum est, animam Christi non mansuram diutius à corpore separatam in loco ubi beatorum animæ collectæ sunt, sed breui ad corpus redituram. Intellexerunt nonnulli hæc de Christi ad inferos descensu, quem inter fidei articulos profitemur. Quorum sententia mihi non omnino reijcienda uidetur. Disputatum est de hoc multis apud ueteres, & nostro quoq; seculo prodierunt fanatici homines, qui animam Christi apud inferos damnatorum cruciatus subijsse dicerent. Sed confutat hos ipse Christus, qui latroni iam moriturus dicit: Hodie mecum eris in paradiso. Luc. 23. Adhæc animam exhalaturus, illam non ad inferos ablegat, sed in manus patris sui cõmendat. Præterea constat, in ara crucis in ipsum pro peccatis totius mundi perlitauisse, & plenè absoluisse nostræ redemptionis negotium, ut uerè dixerit: Consummatum est. Iohan. 19. Minimè ergo admittendũ, ut animam Christi post exitum è corpore aliquid passam esse dicamus. Contristata fuit & mortis terrores sensit ad oliueti montem, quemadmodũ ipse fatetur, Eadem irati patris uultum & iram, qua is peccata persequitur, sensisse uidetur, quando in cruce clamauit: Deus meus, deus meus, cur me dereliquisti? At quia hæc passio peccatis nostris expiandis sufficiens fuit, absurdũ est & parum Christianũ, quicquam aliud illi addere. Simplicißimè ergo Christi ad inferos descensus intelligi posse uidetur, si uel uerè mortuum dicamus, & ad mortuos collectum, uel meritum mortis ipsius ad eos quoq; penetrasse, qui ante illum à prima mundi origine mortui fuerant. Quod D. Petrus alibi innuere uidetur, quando Christum defunctis, qui in carcere erant, prædicauisse dicit. 1. Pet. 3. & 4. Seruiuit hoc ad ampliorem consolationem ijs, qui promißionibus de ipso datis crediderant: auxit uerò impiorum pœnas & cruciatus, qui ipsius promißiones improbè contempserant. Interim ad nos quoq; eorum, quæ hîc dicuntur, fructus extenditur. Vt enim Christi anima non derelicta est: ita nostræ animæ in dei tutela & manu sunt (Sap. 3. cap.) & ad corpora nouißimo die reuertentur.

Corporis resuscitatio.

Secundò igitur subiungit: Nec dabis, ut sanctus tuus uideat corruptionem. Pertinet hoc aliquo modo ad prioris expositionem. Interim ut de anima dixerat, ita quid de corpore futurum sit, indicat. Negat hoc corruptionem uisurum esse. Quod de solius Christi corpore intelligendum esse, postea multis docebit. Et sanè omnium nostrum corpora corruptioni subiacere cõstat, quia dei sententiam impleri oportet: Puluis es, & in puluerem reuerteris. Gen. 3. Nec iuuant hominum artes, qui aromatum condimentis magnatũ corpora conseruare student. At Christi corpus, quia illucescente tertio à morte die resuscitatum est, corruptionem ne uidere quidem, nedum subire potuit, sed gloriosum & omni corruptibilitate liberatum resurrexit. Asseritur autem hîc etiam nostrorum corporum resurrectio. Licet enim illa corrumpantur & in puluerem abeant, Christi tamen uirtute, ubi nouißimus dies aduenerit, restituentur, ut suprà docuimus. Oportet enim nostra hæc mortalia corpora (ut Paulus monet) corpori Christi glorioso conformia fieri. Phil. 3. Nec impoßibile erit ei, è pulueribus corpora nostra excitare, qui initiò hominem è luto finxit, imò omnem huius mundi machinam è nihilo produxit. Possunt hîc etiam obiter refutari, qui corpus Christi in resurrectione exinanitũ fuisse & ueri corporis conditiones deposuisse dicunt, quales sunt, palpabile esse, certo loco contineri, de loco in locum moueri, &c. Si enim corruptionem nullam uidit, quomodo ea amittere potuit, sine quibus corporis ueritas constare non potest?

Vita æterna.

Tertiò ait: Notas mihi fecisti uias uitæ. Id est, in uitam eduxisti me. Et de cœlesti æternaq; uita loquitur, quæ sola hoc nomine digna est. Resurrectionem ergo uita æterna sequitur, quam ut Christus assecutus est, ita & nos in illo assequemur. Est autem obseruatu dignum, quòd uia uitæ Christo manifestata fuisse dicitur. Adam peccando mortem meruit, & paradisi ostium, postquam ille eiectus fuit, igneo gladio muniuit deus, ne eò reuersus de arbore uitæ manducaret. Gen. 3. Significauit

ea re deus, homines suis uiribus ad uitam penetrare non posse. In Christo autem uia uitæ manifestata & reclusa est, ut quemadmodum per unum hominem peccatũ in mundum transijt, & per peccatum mors: ita per unum Christum iustitia & uita nobis restaurata haberetur. Vide Rom. 5. Ideò Apostolus de Christo loquens, uitam nobis manifestatam fuisse dicit. 1. Iohan. 1. Et Christus passim, panis uitæ, lux & uia uitæ, adeoq; ipsa resurrectio & uita dicitur. Iohan. 6. 14. 1. & 11. &c. Est ergo hic amplissimus fructus, quem Christi resurrectio peperit, quòd ad cœlestem & æternam uitam resuscitabimur, non ad terrenam & mortalem, qualem nunc uiuimus, quæ mors potius quàm uita dici meretur. Huius autem ratio in uno Christo habetur, quem qui aspernati fuerint, uitam cõsequi non poterunt, ipso dicente: Nemo uenit ad patrem, nisi per me. Iohan. 14.

Vitæ æternæ conditio beatißima.

Vltimo loco addit: Replebis me lætitia cum uultu tuo. Explicatur his uitæ æternæ & cœlestis conditio, quæ longè alia est quàm præsentis huius, quam in terris agimus. Hæc enim, ut suprà diximus, laborum, dolorum & curarum turbis scatet. Aeterna autem lætitiæ & exultationis plena est. Ibi enim absterget deus omnem lachrymam ab oculis suorum fidelium. Et mors ultra non erit, neque luctus, neq; clamor, neq; dolor. Apoc. 21. At his sublatis, nihil nisi gaudium superesse poterit. Ideò Christus seruo fideli se dicturum ait: Intra in gaudium domini tui. Matth. 25. Hoc gaudium alibi Christus gloriam uocat, quam apud patrem, priusquam mundus hic conderetur, se habuisse testatur. Iohan. 17. In eam gloriam & lætitiam Christi humanitas subuecta est, ut & ipsa eiusdẽ regni consors sit, quod iuxta diuinam naturam ab æterno Christus possederat. Ita enim olim promissum illi fuisse legimus, domino dicente: Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellũ pedum tuorum. Psal. 110. Continetur itaq; his fidei articulus, quo Christum in cœlos conscendisse, & ad dexteram patris sui omnipotentis considere fatemur. Interim hæc ad nos quoq; pertinere putabimus, qui per fidem Christo insiti & illius membra facti sumus. Nec enim fieri potest, ut à capite membra auellantur. Et Christi promißio est: Vbi ego sum, illic & minister meus erit. Iohan. 12. Hanc pluribus exponens alibi, ait: In domo patris mei mansiones multæ sunt. Quòd si secus esset, dixissem uobis. Vado paraturus uobis locum. Et si abiero ad parandum uobis locum, iterum ueniam, & assumam uos ad meipsum, ut ubi sum ego et uos sitis. Iohã. 14. Imò iam mortẽ aditurus, cùm de sua uolũtate quasi testamento disponit, dicit: Pater, quos dedisti mihi, uolo ut ubi sum ego, illi sint mecũ. Iohan. 17. Quæ ne de solis apostolis intelligerentur, ingenuè testatur, se non pro illis tantum, sed pro omnibus orare, qui apostolorum sermone edocti in illum credant. Nemini ergo dubium esse potest, quin & nos gaudio & lætitia replendi simus in æterna illa & cœlesti uita, quæ corporum resurrectionem sequetur.

Facies dei.

Non prætermittendum uerò est, quòd gaudij huius causam efficientem indicat faciem dei. Intelligitur hîc benignus & propitius dei uultus, quo nos propter Christum clementer aspicit, ut nulla ueteris iræ, quam peccatis merueramus, uestigia appareant. Nam ut, Solomone teste, serenus regis uultus uita est, & gratioso ipsius intuitu malum omne dissipatur (Prouerb. 16. & 20.) ita in dei conspectu omnis ueri gaudij satietas habetur credentibus. Quò mihi Christus respicere uidetur, cùm dicit: Beati mundo corde, quoniam illi deum uidebunt. Matth. 5. Ideò & pij orant: Ostende nobis faciem tuam, & salui erimus. Psal. 80. Vnde colligi potest, quanta illorum miseria futura sit, qui à dei facie repulsi in exteriores tenebras eijcientur. Et hactenus quidem uniuersam pietatis & beatitudinis ueræ rationem paucis uerbis propheta descripsit. Discamus nos deum ob oculos nobis ponere, illum reuereri obedienter, & ipsi uni fidere. Orietur ex hoc studio uerum animi gaudiũ, & nouæ indies causæ offerentur celebrandi dei beneficentiam, & è uita migrantes læta spe requiescemus. Sequetur autem beata resurrectio, qua & animæ corporibus restituentur, & in uitam ueram asserti corã dei facie omni lætitia replebimur, unà cum Iesu Christo fratre & cohærede nostro: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA XVI.

Viri fratres, licet libere dicere apud uos de patriarcha Dauid, quod & mortuus est, & sepultus, & sepulchrum eius apud nos est usq; in hunc diem. Propheta igitur cùm esset, & sciret, quòd iureiurando iurasset sibi deus, futurum ut de fructu lumbi ipsius, quoad carnem, Christus exoriretur,

riretur, ac sederet super thronum eius: præscius locutus est de resurrectione Christi, quòd non derelicta sit in inferno anima eius, neque caro eius uiderit corruptionem. Hunc Iesum suscitauit deus, cuius omnes nos sumus testes. Dextera igitur dei exaltatus, & promissione spiritus sancti accepta à patre, effudit hoc, quod nunc uos uidetis & auditis. Neque enim Dauid ascendit in cœlos, sed ipse ait: Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Certò sciat ergo tota domus Israel, quòd dominum & eundem Christum fecerit deus hunc Iesum, quem uos crucifixistis.

QVoniam uniuersa nostræ salutis ratio resurrectione corporum quasi absoluitur, in ea asserenda scripturæ omnes crebrò uersantur. Quæ causa est, quòd & Petrus de Christi resurrectione, è qua nostram dependere constat, tam diligenter disserit. Nec enim contentus est simplici illius prædicatione, sed omnem illius rationem & ordinem ex Psalmo decimo sexto describit, cuius etiam authoritate ad illam asserendam utitur. Cui tractationi & præsens hic locus seruit. Primò enim præoccupatione aduersariorum obiectionem præueniens, probat Psalmum hunc de Christo exponi debere. Deinde ad Christum redit, et in illo impletum esse docet quicquid à Dauide prædictum sit. Tandem graui obtestatione sermoni suo finem imponit.

Quoad Psalmi testimonium, duo agit Petrus. Primò illud de Dauide nullo pacto intelligi posse docet. Deinde Dauidem de Christo uaticinari probat. Quia uerò magna erat apud Iudæos Dauidis authoritas, præfatiuncula auditorum animos præmollit, ne quid contemptius de illo dicere uideatur, adeoq; illos ipsos eorum, quæ dicere instituit, testes citat. Licet mihi (inquit) de patriarcha Dauide apud uos uerba facere, quos rerum Dauidis non ignaros, & oraculorum ipsius studiosos esse scio. Quia autem quibusdam uideri poterat, de seipso dixisse quæ modò citauimus, penitius res omnis inspicienda erit, & illos sua opinione falli, euidentissimè patebit. Nam de quodam Dauides loquitur, cuius anima non mansura sit inter defunctorum animas, & qui corpore suo nullam sit subiturus corruptionem. Atqui Dauidem mortuum esse constat, & illius sepulchrum hodie apud uos extat, in quo corpus ipsius iuxta uiam uniuersæ terræ (sicuti ipse de seipso testatus est 1. Reg. 2.) consumptum, in puluerem abijt. Quare de illo Psalmi uerba nequaquam intelligi debent. Licet uerò firma & indubitata sit huius argumenti ueritas, non tamen sufficere poterat, nisi simul de Christo exponendum esse probaret. Quare addit: Propheta cum esset Dauid, & sciret, quòd iureiurando iurasset sibi deus, futurum ut de fructu lumbi ipsius, quoad carnem, Christus exoriretur, ac sederet super thronum eius, præscius locutus est, &c. Quibus uerbis docere uult, nemini mirum uideri debere, quòd de Christo, promisso saluatore, ista Dauides prædixerit. Vtitur autem duplici argumento. Primum à persona Dauidis eiusq; officio sumptum est. Prophetam enim fuisse, omnibus constabat. Atqui prophetarum hoc commune officium fuit, ut per Christi spiritum ipsius mysteria, maximè uerò mortem & resurrectionem eius inuestigarent, quemadmodum Petrus alibi diligentius admonet 1. Pet. 1. Item 2. Pet. 1. Et si prophetarum libros euoluas, in singulis clara & perspicua de Christo & regno ipsius uaticinia inuenire licebit, quod ipsum Christum agnouisse legimus, quando post resurrectionem suam ait: Necesse fuit impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Mosis, in Prophetis & Psalmis de me, &c. Luc. 24. Quid ergo mirum uidetur, si Dauid, qui propheta erat, de Christo uaticinatus est? Alterum argumentum dei promissiones complectitur. Deus iureiurando fidem suam Dauidi obstrinxerat, quòd ex ipsius lumbis enasciturus esset promissus ille saluator, qui regni sui thronum confirmaret & æternum teneret. Debuit ergo Dauid & facillimè potuit promissi Messiæ mysteria exponere, de quo peculiares promissiones acceperat. Et de eodem, quæ modò adducta sunt, intelligi debere palàm est, quando nec de Dauide, nec de quoqam alio exponi possunt. Pertinent autem ad huius loci explicationem promissiones olim Dauidi exhibitæ. Inter quas primus locus ei debetur, quam Nathan propheta, quando de templo extruendo consultabat, domino suggerente nuntiauit his uerbis: Quum exacti fuerint dies tui, dormierisq; cum patribus tuis, excitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, regnumq; eius firmabo. Is extruet domum nomini meo, & ego

1. Asseritur Psal. 16. testimoniũ.

confirmabo solium regni eius in sempiternum, &c. 2. Sam. 7. Quem locum de Solomone intelligi non posse, facilè cernitur, cum is uiuente adhuc Dauide natus & regno inauguratus sit, nec perpetuum fuerit regni illius solium. In Christo Iesu autem impleta est hæc promißio, qui ex Dauidis familia longo post tempore carnem assumpsit, domum dei, id est ecclesiam, ex omnibus nationibus & populis constituit, & cuius regnum (sicuti angelus testatur) finem nullum habet, Luc. 1. Accessit autem promißioni huic iuramentum, ne quid dubij superesset, cuius hic quoq; Petrus meminit, & quod in scripturis expressum habetur. Huc enim pertinet quod Psal. 89. legitur: Semel per sanctitatē meam iuraui, haudquaquam Dauidem fefellero. Semen eius in æternum erit, solium eius coram me ut Sol perstabit. Firmum ut Luna manebit, quæ est certus in æthere testis, &c. Et rursum: Iurauit dominus Dauidi ueritatem, neq; discedet ab ea: De fructu uentris tui solio tuo imponam. Psal. 132. Nec ineptè huc referetur, quòd sacerdotium quoq; Christi iureiurando dei confirmatum fuisse legimus. Nam de hoc Dauid uaticinans ait: Iurauit dominus, nec pœnitebit eum: Tu es sacerdos in æternum, iuxta ordinem Melchisedech. Psal. 110. Tot ergo tantisq; promißionibus dei cum Dauides instructus fuerit, facilè constat, de Meßia uero Dauidis filio, exponi debere, quæcunq; sublimiora & magis augusta sunt, quàm ut in ipsum Dauidem aut reliquos ipsius filios competere poßint. Priusquam uerò hinc discedamus, duo obseruanda erunt.

Veteres non omnino caruerunt Christi cognitione.

Primò docemur, ueteribus Christi mysteria non omnino ignota fuisse, & quidem ea cum primis quæ eius mortem & resurrectionem attinent. Fatemur equidem plenam huius cognitionem præfinito tempori fuisse reseruatam. Interim uniuersam Christi notitiam priscis illis negare, nimis temerarium est, quando dominum de Abrahamo testari scimus, quòd exultarit uidere diem eius, quòdq; uiderit & gauisus sit. Iohan. 8. Et ut modò diximus, idem Mosem & prophetas de suis mysterijs prophetauisse dicit. Posset hoc & promißionum ueterum authoritate & libris prophetarum abundè probari, si opus esset. Cæterum illud didicisse sufficiat, quòd ad nos quoq; ueteris Testamenti libri pertineant, quod multi hodie nimis audacter negare consueuerunt. Atqui constat, illis Christi cognitionem tradi. Eosdem ergo ad nos pertinere fatendum erit, nisi Christi cognitionem, quasi nihil ad nos pertinentem, reijcere libeat. Quantò rectius Paulus, qui ait? Quæcunq; scripta sunt, in nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus. Rom. 15. Adde his, quæ idem in posteriori ad Timoth. cap. 3. admonet.

Iusiurandum dei.

Deinde obseruatu dignißimum est, quòd deus nostræ redemptionis & salutis causam, quæ uno Christo continetur, iurisiurandi religione interposita confirmare & stabilire dignatus est. Atqui ea est dictorum dei fides & authoritas, ut omnem iuramentorū authoritatem longè superent. Demittit tamen se ad nostrum captum supremus ille deus, ne quid in salutis causa dubij nobis relinquatur. Nec Dauidi soli se ad hunc modum obstrinxit, uerumetiam Abrahamo, ut Paulus Hebr. 6. obseruauit. Illi enim dicitur: Per memetipsum iuraui, dicit dominus: quoniam rem hanc fecisti, nec pepercisti filio tuo, &c. Vide locum Gene. 22. Instauratur postea huius iurisiurandi ueritas, quando Isaaco dicit dominus: Confirmabo iuramentum, quod iuraui Abrahamo patri tuo, &c. Gen. 26. Et huc cumprimis referri debent seriæ illæ & solennes dei patris cōtestationes, quibus Iesum Christum filium suum dilectum esse cœlitus testatur, cuius nomine nobis reconciliatus sit. Matth. 3. & 17. Et ipse filius toties suam fidem iureiurando nobis obstringit, quoties illud euangelicum repetit, Amen amen dico uobis, &c. Seruiunt hæc uehementer nostræ institutioni & consolationi. Docemur enim Christum magni facere, nec aspernari salutem, quæ ipsius merito acquisita est, & ex eiusdem iussu per euangelij prædicationem nobis offertur. Olim quidem (ut Paulus admonet) qui Mosis legem transgreßi fuerant, absq; misericordia sub duobus aut tribus testibus moriebantur. Quantò igitur peioribus afficietur supplicijs, qui filium dei conculcarit, & sanguinem noui testamenti prophanum duxerit, &c? Heb. 10. Et Iohannes apostolus de eadem re nos seriò admonens, ait: Si testimonium hominum accipimus, testimonium dei maius est, quo testificatus est de filio suo. Qui credit in filium dei, habet testimonium in seipso. Qui non credit deo, mendacem facit eum, quia non credidit in testimonium, quod deus testificatus est de filio suo, &c. 1. Ioh. 5. Atqui quid atrocius dici poterat, quàm deum mendacij insimulare, qui & ueritas æterna est, & cui tam facile est sui contemptum ulcisci? Porrò non minus consolationis hæc ipsa nobis afferunt, qua in tentationum palæstra nos sustentemus.

mus. Conatur sæpe in dubium uocare Satan salutis nostræ certitudinem. At si cogitemus, hanc dei iuramento confirmatam & obsignatam esse, fides nostra nutare non poterit. Verax enim est deus, & uerbum eius manet in æternum. Isa. 40.

II. In Christo impletum quicquid prædictũ de Meßia.

Sed redit ad Christi causam Petrus, & in hoc impleta esse docet, quæcunq; de Meßia olim à Dauide prædicta sint. Scopus omnium est, ut Iesum Nazarenum, promissum illum mundi saluatorem esse intelligant. Ex multis uerò, quæ adduci poterant, solius resurrectionis & ascensionis meminit, eò quod duo hæc instituto sufficiebant, & præsenti causæ & concertationi (quæ ob spiritus sancti missionem exorta erat) cumprimis seruiebant. Nos de singulis ordine dicemus.

Resurrectione probatur, Iesum esse Meßiã.

Resurrectionis articulum repetit, ut Christum Iesum promissum saluatorem esse probet, quo argumento Paulus quoq; Rom. 1. cap. usus est. Potest autem ex Petri uerbis eiusmodi argumentum constitui: De Meßia olim à Dauide prædictum est, quòd nec anima eius cum alijs defunctorum animabus diutius mansura esset, nec corpus corruptionem subiturum, eò quòd deus illum excitaturus esset à mortuis. Illud uerò in Iesu Nazareno præstitum & impletum est. Iesum ergo hunc Meßiam & saluatorem esse constat. De maiori nullum restabat dubium. In minori itaq; probanda Petrus uersatur, cuius ueritatem communi omnium apostolorum testimonio asserit. Huius rei (inquit) nos omnes sumus testes. Nec facilè ab ijs, qui sanioris mentis erant, testes hi contemni & reijci poterant, in quibus tam luculenta erant spiritus sancti & diuinæ operationis indicia. Ex resurrectione uerò, Christum saluatorem esse frequenter probant apostoli, quia per mortem nobis dominabatur Satan, quam peccatum inuexerat. Nec Christum pro saluatore tutò agnoscere potuissemus, nisi illum mortis uires superauisse nobis certò constitisset.

Interim non oscitanter nobis consideranda est Petri & reliquorum apostolorum fides atque integritas. Hos sibi testes delegerat dominus, ut primo cap. dictum est. Testium igitur officio bona fide & intrepidè funguntur, non ulla alicuius periculi ratione habita. Nam in Hierosolymorum urbe & in concione frequentißima, Iesum diuina uirtute à mortuis resuscitatum esse testantur. Atqui in eadem urbe longè alius rumor iam ante sparsus erat. Milites enim, ut Matthæi ultimo habetur, à sacerdotibus pecunia corrupti, discipulos noctu corpus Iesu furto sustulisse testati fuerant. His in publico contradicere quàm periculosum fuerit, quiuis æstimare potest, quando & sacerdotum & Pilati Romani præsidis authoritate defendebantur. Sed uincunt periculi timorem fide in Christum apostoli, & suum exemplum omnibus imitandum relinquunt, quibuscunq; testimonium Iesu Christi creditum est.

Ascensione probatur, Iesum esse Meßiam.

Alterum argumentum, quo Iesum promissum Meßiam esse probat, ab ascensione desumit. Et hoc propter illos maximè uti uidetur, quibus ridiculum uideri poterat, saluatorem prædicare eum qui nusquam inter homines compareret. Quo uitio hodie quoq; laborant, quibus non aliter saluator esse creditur, nisi se nobis corporaliter præsentem exhibeat. Sic uerò loquitur Petrus: Dextera dei exaltatus, & promißione spiritus sancti, id est, promisso spiritu, accepto à patre, effudit hoc, quod nunc uos uidetis & auditis. Obscuriora sunt quæ dicuntur, quia propter breuitatem non illicò uideri potest, quorsum referri debeant. Facilè autem tollitur obscuritas, si Dauidis oraculum, quod ille de Christi ascensione protulit, interseras. Ex hoc enim & ijs quæ Petrus dicit, argumentum integrum constitues hoc pacto: Dauid, Christum non modò à mortuis resurrecturum esse prædixit, uerumetiam in cœlos ascensurum esse docuit. Ita enim ait Psal. 68. Ascendisti in altum, captiuam duxisti captiuitatem, & dedisti dona hominibus. Hoc ipsum uerò, ut & prius illud, in Iesu impletum est. Is enim postquam resurrexit, dextera potenti dei exaltatus, nobis uidentibus in cœlum ascendit, & impetratum à deo patre spiritum super nos effudit, qui dona hæc linguarum, sicuti uidetis & auditis, in nobis operatus est. Eundem ergo hunc Meßiam esse constat. Porrò neminem offendere debet, quòd Christus à patre spiritum accepisse dicitur, quasi ipse non pari cum hoc potestate sit præditus. Petrus enim pro ratione humanitatis Christi loquitur, secundùm quam ipse loquens, patrem se maiorem esse fatetur (Iohan. 14.) cum alibi se & patrem unum esse pronuntiet, nimirum diuinitatis respectu. Et ipse Christus nodum hunc pulchrè dissecat, de spiritus sancti mißione ad hunc modum disserens: Ille me glorificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit uobis. Omnia quæcunq; habet pater, mea sunt. Propterea dixi quòd de meo accipiet, &c. Iohan. 16. Item: Cum uenerit para-

cletus, quem ego mittam uobis à patre, spiritus ueritatis, qui à patre procedit, ille testimonium perhibebit, &c. Iohan. 15. Cæterum ne quis, quæ de ascensione Christi dicuntur, de Dauide exponenda esse putaret, uel in dubium uocaret, alio testimonio occurrit, dicens: Neq; enim Dauid ascendit in cælos, sed ipse ait: Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Bipertitum est argumentum hoc. Primò, Dauid non ascendit in cælos. Ergo hæc de Dauide non debent intelligi. Dauidem uerò in cælum ascendisse negat, non quòd damnatorum numero illum ascribendum putet, sed de corpore illius loquitur, quod (ut suprà diximus) in puluerem & terram abijt. Quoad animam, ratum manet illud Christi: Qui credit in me, habet uitam æternam, & in iudicium non ueniet, sed transiuit de morte in uitam. Iohan. 5. Alterum argumentum Dauidis testimonio nititur, qui ipse hæc non de seipso, sed Christo, ex se nascendo, intelligi debere docet. Nam Psal. 110. ait: Dixit dominus domino meo, &c. Qui locus tam clarus & irrefragabilis est, ut Christus ipse illo contra scribas uti uoluerit, Matth. 22. Interim Petri exemplo docemur scripturas aliorum locorũ collatione exponi debere, ne uni alicui temerè insistentes multis alijs contradicamus, quæ multorum errorum in ecclesia causa est.

Corporalis Christi absentia nihil obest credentibus.

Obseruabis autem, quòd ascensioni Christi in cælos spiritus sancti missionem coniungit. Prudenter hoc & admodum opportunè facit. Sic enim docet, Christum Iesum, licet corpus è mundo subduxerit, minimè tamen contemni debere: quia non ideo ecclesiæ curam abiecit, sed eidem spiritu suo adest, per quem efficacius multò in suorum animis operatur, quàm olim cùm corpore suo nobis conuersaretur. Quare discipulis dicit, expedire nobis, ut mundo relicto ad patrem abeat. Sic enim spiritui sancto locum dari, quem habere non possumus, quoad corporali præsentiæ inhæremus. Iohan. 16. Et sanè postquam Christus in ara crucis corpus pro mundi uita tradidit, & eiusdem resuscitatione mortem deuicit, nihil in terris agendum corpori restabat. Restabat autem, ut gloriosa ascensione cæli portas, quas peccati culpa nobis clauserat, reseraret, & pignus fieret in cælis, quo de cælorum hæreditate & possessione certiores redderemur. Ideo illud in cælum subuexit dominus, & ad patris dextram collocauit, nobis uerò in terra agentibus uicariam (ut Tertulliani uerbo utar) uim spiritus sancti misit. Huius operatione nos per semen immortale uerbi dei regenerat, ut filij dei efficiamur. Iohan. 3. 1. Pet. 1. Per eundem nos docet & consolatur. Iohan. 14. & 15. Idem ille salutis nostræ pignus est. 2. Cor. 1. & 5. Ephes. 1. Illo animati, clamamus: Abba pater. Rom. 8. Galat. 4. Per illum fit, ut & Christus in nobis maneat, & nos in illo. Quæ omnia cum in nobis spiritu suo efficacißimè operetur Christus, non est quòd de corporis absentia quicquam queramur, quod nostræ salutis causa in cælis residet. Et qui illius præsentiam expetunt, illudq; sibi in terris mõstrari cupiunt, admonitionum Christi parum mihi memores uidentur, quæ Matth. 24. cap. leguntur, &c.

Regnum Christi quale.

Simul uerò Christi regnum Dauidis uerbis Petrus describit, in cuius consideratione nos frequenter uersari, multùm prodest. Primum hic locum tenet, quòd Christum dextra dei exaltatum, & in cælum ascendisse dicit. Cæleste ergo illius regnum est, non de hoc mundo, quemadmodum ipse coram Pilato fatetur. Iohan. 18. Data quidem est illi omnis potestas in cælo & in terra: non autem more principum huius seculi regnat, in quorum regnis incertas & instabiles rerum uices oboriri necesse est, cum incerta & inani carnis potentia imperium obtinere studeant. Simul uerò admonemur, in regno Christi minimè quærenda esse mundi bona, qualia sunt opes, honores, uoluptates, amicitiæ mundi, & quæcunq; alia sunt eius generis. Æterna & cælestia sunt, quæ in Christo deus pater exhibuit. In illorum igitur studio nos totos occupari oportet. Deinde, Christum ad dextram dei considere docet, qua locutione & certus beatitudinis locus designatur, & æqualis cum patre regni siue imperij potestas. Pater enim diligit filium, & omnia illi in manum tradidit. Iohan. 3. Idem quoq; ut omnes filium honorent præcipit, quemadmodum honorant patrem. Iohan. 5. Quò & sedendi uerbum referri debet, quo & Christi regnantis maiestas, & regni ipsius inconcussa stabilisq; potentia exprimitur. Postremò, omnes hostes subijciendos dicit, ut scabellum pedibus Christi præbeant. Victoriosus ergo rex Christus est, & inuictus suorum inimicorum domitor. Princeps & caput horum Satan est, cui prima salutis promißio per Christum mortem iam olim minata est, deo dicente: Semen mulieris caput serpentis conteret. Gene. 3. Et Christus illum iam iudicatum & eiectum esse docet. Iohan. 16. & 12. Simili ratione peccatum deuictum esse cõstat. Deus enim (ut Paulus ait) misso

Dextera dei.

filio

filio suo peccatum condemnauit, per peccatum, id est, per hostiam filij sui, in ara crucis pro peccato oblatam, peccati reatum aboleuit, illudq́ ne noceret posthac armis & uiribus exuit. Rom. 8. At peccato abolito mortem quoque deuictam esse constat, quæ non alio quàm peccati aculeo contra nos pugnabat. 1. Cor. 15. Verè ergo per Christum uniuersa inferorum potestas deuicta est. Idem uerò & mundum uincit, & tyrannos cum tota impiorum cohorte. Quia iam olim à patre decretum legimus, ut qui salutari filij uerbo gubernari nolunt, ferreo eiusdem sceptro comminuantur penitus. Psal. 2. Nec desunt prisci & nostri seculi exempla, quibus docemur quàm splendidos de hostibus ecclesiæ suæ triumphos Christus agere soleat. Discamus ergo regem hunc agnoscere, nec timere mundum hunc, qui cum maximè furit, excidio proximus est, nec quicquam contra eos poterit, quorum curam Christus suscepit, cui nec portæ inferorum præualent. Matth. 16. Et quamuis in mundo afflictiones nos maneant, illius dicto animemur, quo se mundum uicisse, nosq́ in se pacem habituros esse pollicetur. Iohan. 16.

III. Conclusio concionis Petri.

Sed concionis huius finem uideamus, quem his uerbis Petrus infert: Certò sciat ergo tota domus Israel, quòd dominum & eundem Christum fecerit deus hunc Iesum, quem uos crucifixistis. Breuis & grauis sententia, uereq́ apostolica, cuius singula uerba prolixæ orationis materiam suppeditare possent. Sed quia de singulis copiosius dicendi locus subinde offeretur, paucis quid his effectum uelit Petrus indicabimus. Primò totam domum Israelis alloquitur. Domus uerò nomine omnes cuiuscunq́ loci siue ordinis homines comprehendit, ut Christum omnibus nobis uniuersalem saluatorem esse doceat, penes quem personarum respectus nullus sit. Et est hoc non contemnendum diuinæ bonitatis argumentum, quòd in corruptissimo & madente adhuc Christi sanguine Iudæorum populo, salutem in filio suo omnibus polliceri dignatur. Deinde, certò sciat, inquit. Certa ergo est salutis nostræ ratio in Christo, cui tutò quis inniti possit: quia fallere non potest, qui ipsissima est ueritas. Tertio quid omnes nouisse debeant, edicit: Quòd nimirum deus Iesum Nazarenum fecerit dominum & Christum. Dominum uocat, quia redemptor noster est. Quis enim ignorat, redemptoribus in eos, quos suis pecunijs aut periculo uitæ suæ redemerunt, dominij ius esse? Hac ratione apud prophetam ait: Ego dominus, hoc est nomen meum, & gloriam meam alteri non dabo. Isa. 42. Christum, id est, unctum uocat, quia rex & sacerdos est. Antiquitus enim reges & sacerdotes ungi solitos fuisse, ex scripturis constat. Et de regis quidem officio paulò ante quædam diximus, ad quod etiam redemptoris uel domini nomen pertinet. Certè regis instar leges fert Christus, secundùm has regni sui ciues gubernat, eosdem defendit & cœlestibus thesauris ditat liberalissimè. Idem etiam sacerdos est. Nam & olim docuit, & hodie docet per uerbi ministerium, cuius ipse in ecclesia author est. Et sacrificio corporis sui, semel in cruce oblato, pro peccatis totius mundi satisfecit. Et ut olim in terris agens pro nobis orauit, ita hodie pro nobis in dei conspectu fidelis pontifex & aduocatus comparet. Hebr. 2. 1. Iohan. 2. Verè ergo Christus siue unctus dei est, & horribiliter peccare constat omnes, qui hoc reiecto, alios sibi dominos, reges, sacerdotes & redemptores constituunt. Cæterum ut in principio tractationis de Christo, ipsos sceleris contra hunc commissi admonuit: ita eiusdem mentione sermonem suum concludit, de eo se loqui significãs, quem ipsi crucifixerint. Facilè uerò æstimare licet sceleris atrocitatẽ ex ijs, quæ de Christo tam honorificè prædicauit. Non alia autem ratione hoc exprobrat, quàm ut peccati conscientia extimulatos, Christi & salutis amore inflammaret, quemadmodum ex rei euentu sequenti sermone patebit.

Exhibuit nobis Lucas apostolicæ prædicationis specimen. Comprehendit his paucis Petrus omnes fidei Christianæ articulos. Disseruit de deo patre, omnium creatore. Disseruit de dei filio, qui homo factus sit ex Dauidis progenie, & proinde in personæ unitate uerus deus & homo agnosci debeat. Docuit hunc pro nobis mortuum esse, sepultum, & ad inferos descendisse, resuscitatum uerò ascendisse in cœlos, ubi ad dextram dei patris considead, ad iudicium uenturus, in quo hostes suos omnes pedibus subijciet, imò in stagnum ardens sulphure præcipitabit. Ostendit ab hoc missum uenisse sanctum spiritum, qui ecclesiam & singulos fideles regat. Deniq́ hunc Iesum nobis dominum & saluatorem factum esse probauit, in quo peccatorum remissio, resurrectio carnis, & uita æterna credentibus parta sit. Nihil hic de nostris satisfactionibus, nihil de absolutione priuata, auriculari confes-

ſione, indulgentijs, purgatorio & alijs huius farinæ rebus dicitur. Retineamus ergo apoſtolicæ doctrinæ ſimplicitatem, & Chriſtum Ieſum firma fide amplectamur, ut in illo ſaluemur: cui omnis debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA XVII.

His uerò auditis, compuncti ſunt corde, & dixerunt Petro, & reliquis apoſtolis: Quid faciemus uiri fratres? Dixit illis Petrus: Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque ueſtrum in nomine Ieſu Chriſti, in remiſsionem peccatorum, & accipietis donum ſpiritus ſancti. Veſtra enim eſt promiſsio, & filiorum ueſtrorum, & omnium qui procul ſunt, quoſcunque aduocauerit dominus deus noſter.

EXpoſuit hucuſque Lucas primam euangelij concionem, quam D. Petrus poſt acceptum ſpiritum ſanctum Hieroſolymis habuit. Status illius fuit, Ieſum Nazarenum, quem Iudæi crucifixerunt, eſſe Chriſtum & promiſſum humani generis redemptorem. At quia Petri inſtitutũ fuit, illud non docere modò, ſed homines (ut olim monitus erat) uiuos capere, & Chriſto lucrifacere, immane ſcelus, quo in Chriſtum peccauerant, illis luculenter ob oculos ſtatuit. Nam circa principium tractationis de Chriſto ipſos eum crucifixiſſe docet, quem deus multis miraculis filium ſuum & promiſſum ſaluatorem eſſe deſignaſſet. Deinde ſummam omnium, quæ de Chriſto dicta erant, colligens, rurſum hunc ab illis cruci affixum eſſe, admonet, & hoc quaſi aculeo in animis illorum relicto, orationem concludit. Atqui hæc à Petro, non conuitiandi libidine, ſed ſalutis ipſorum prouehendæ ſtudio dicta eſſe, rei euentus teſtatur, quem modò Lucas deſcribit, memorabile ſimul exemplum proponens, quo uera ſalutis per Chriſtum conſequendæ ratio, abſolutiſsimè traditur. Dignus ergo eſt locus hic, in cuius conſideratione diligenter uerſemur, quæ ut maiorem fructum afferat, de ſingulis ordine dicendum erit. Primò enim de auditoribus agit Euangeliſta. Deinde quid Petrus cum illis porrò egerit, recenſet.

I. Effectus concionis Petri.

De auditoribus agens effectum concionis Petri indicat. His auditis (inquit) compuncti ſunt corde, & dixerunt Petro & reliquis apoſtolis: Quid faciemus uiri fratres? Duo illis tribuuntur. Primùm corde compuncti ſunt. Intelliguntur autem conſcientiæ terrores, qui ex peccati agnitione & iræ dei ſenſu ſiue timore in illis oborti ſunt. Ab his initium fieri oportet, ſiquidem ex uerbi prædicatione fructum aliquem referre uolumus. Quoad enim ſecuri uiuentes, nullo peccatorum noſtrorum & iudiciorum dei metu conſtringimur, de ſalutis ratione ſeriò cogitare non poſſumus, utpote cuius curam inutilem & ſuperuacaneam eſſe ducimus. Quia uerò ex naturæ corruptione hoc nobis uitij adhæret, ut peccati blanditijs capti, nos peccatores eſſe non agnoſcamus, peccata per dei uerbum argui & accuſari neceſſe eſt, quod inter ſpiritus ſancti opera primum à Chriſto recenſetur. Qua ratione euangelij uerbum gladius & lux dici conſueuit, quia quouis gladio ancipiti penetrantior in cordis arcana & compagum medullarumque intima penetrat, adeoque cogitationes occultas eruit, & quæ noſipſos latebant, non nobis modò uerumetiam alijs inſpicienda proponit. Heb. 4. Iohan. 3. Atqui hoc factu neceſſarium eſſe, non tantum expreſſo dei uerbo, uerumetiam exemplis electorum dei docemur, ut interim nullus nobis de impuris & pænitere neſcijs huius ſeculi filijs ſermo ſit. Dauid certè, quanquam uir eſſet iuxta cor dei, non tamen immania adulterij & homicidij ſcelera cum multis alijs, quæ hæc comitabantur, agnoſcit, donec dei uerbo illa per Prophetam arguuntur. Tunc demum exclamare incipit: Peccaui domino. Item: Transgreſsiones meas agnoſco, & peccatum meum aſsiduè mihi obuerſatur. Contremiſcunt oſſa mea, & anima mea territa eſt uehementer. Nihil integrum eſt in carne mea propter indignationem tuam, non eſt pax oſsibus meis propter peccatum meum. Et reliqua quæ Pſal. 51. 6. 38. & alibi habentur. Eandem in noſtris hiſce rationẽ cernimus. Iam enim à Chriſti morte dies quinquaginta & amplius elapſi erant. Et quotus quiſque Hieroſolymis pænitentiæ ſpecimen ediderat, ex eorum numero, qui Chriſti ſanguinem impia temeritate ſibi & filijs ſuis imputari debere clamauerant? Quin potius ſecuri uitam degunt, & haud dubiè perituri erant, niſi deus ſecuritatem hanc animis illorum excuſsiſſet. Petri enim prædicatione exciti, iam

demum

demum animis compungi & contremiſcere ac de ſalute cogitare incipiunt. Idem de nobis ipſis dicemus, modò uerum fateri libeat. Vehementer ergo falluntur, qui peccata uerbo dei argui nolunt, & præter officium hoc miniſtros facere clamitant, quòd aliorum ſceleribus traducendis occupentur. Inueniunt tales aliquando mutos canes, qui doctrinam ipſorum libidini attemperant, ſed tunc illud prophetæ impletur, quòd & gladius domini ſecuris ſuperuenit, & pereuntium ſanguis de manu blandiloquentium prophetarum exigitur. Vide Ezech. 3. & 33.

Accedit autem animorum compunctioni & conſcientiæ terroribus alterum, quòd nimirum conſilium à Petro & apoſtolis requirunt, quod ſecuti, peccati noxa liberari, & cum deo in gratiam redire queant. Eſt hoc non minus neceſſarium quàm prius illud, de quo modò diximus. Conſtat enim uerbo dei & peccatorum accuſatione impios quoq; compungi. Sed ut electis omnia cooperantur in bonum, ita illi undiquaq; grauius peccandi occaſionem arripiunt, quod & hîc fieri conſueuit. Nam ubi peccata ipſorum palàm accuſantur, uel impatienti ferocia aduerſus dei uerbum inſurgunt, nec peccauiſſe uideri uolunt, cuius rei exempla in Achabo, & poſtea in Iudæorum ſacerdotibus habentur: uel ad ſua opera conuerſi, in illis quærunt quo dei iuſtitiæ ſatisfacere & iram illius declinare poſſint. At ubi nihil præter peccati atrocitatem & horribilem dei iram uidere poſſunt, cum Caino clamare incipiunt: Maior eſt iniquitas m[...], quàm ut remitti poſſit, & ita tandem cum Iuda infelicem exitum ſortiuntur. Horum igitur exemplo longius nos progredi, nec inter acerbos conſcientiæ terrores conſiſtere decet. Conſilium uerò inde petendum, unde terrorem nobis obortum eſſe ſentimus, è dei uerbo nimirum, quod (ut Pelias haſta olim in Telepho fecit) conſcientijs & uulnera infligit, & medicinam ſimul affert ſaluberrimam. Neq; hîc peccatorum atrocitate nos ita terreri conuenit, ut ab omni ſalutis ſpe nos excidiſſe putemus. Rata enim manet dei ſententia, dicentis: Nolo mortem peccatoris, ſed ut conuertatur, & uiuat. Ezech. 18. Et Chriſtus dominus non modò quærentibus pollicetur quòd inuenturi ſint, uerumetiam illorum ſeſe medicũ profitetur, qui cõſcientijs ſuis ſaucij ſunt, & paßim eos qui laborant & onerati ſunt, ad ſeſe inuitat. Iſa. 61. Matth. 11. Nec ſine numine factum putabimus, quòd primæ concionis apoſtolicæ auditores fuerunt, quorum manus filij dei ſanguine adhuc madere poterant. Eo enim exemplo nobis ſpem facere uoluit deus, ut Chriſti Ieſu meritum & ſuæ bonitatis liberalitatem nullis peccatis ſuperari poſſe credamus, modò his per fidem uti libeat. Sed Petri conſilium audiamus, breue & ſaluberrimum.

Cõpuncti corde cõſilia è uerbo dei petant.

Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſq; ueſtrum in nomine Chriſti, in remißionem peccatorum. Et accipietis donum ſpiritus ſancti. Veſtra enim eſt promißio, &c. Tria ab illis exigit, ſed in præſenti priora duo excutiemus, de tertio in ſequenti Sermone dicturi.

II. Conſilium Petri.

Primum uno uerbo abſoluit. Μετανοεῖτε, inquit, quod Latinus interpres uertit: Pœnitentiam agite. Ab eo autem orditur, quod paßim ſcriptura exigit. Moſes certè ijs, qui peccatorum & tranſgreſſæ legis pœnas exoluunt, in una pœnitentia ſalutis uiam cõmonſtrat. Leuit. 26. Deut. 32. In Prophetis hanc præcipuè urgeri, notius eſt quàm ut multis probari opus ſit. Baptiſta, primus noui Teſtamenti miniſter, ab eadem prædicandi initium facit. Et Chriſtus docere incipiens, clamat: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum. Matth. 3. Huius prædicationem apoſtolis quoq; non ſemel cõmendauit, ut uidere eſt Matth. 10. & Luc. 24. cap. Magiſtri ergo ſui & præcepti ab illo traditi memor Petrus, pœnitentiam his quoq; præcipit, & eorum quæ hucuſq; de ipſorum ſcelere dixerat, hunc ſcopum eſſe teſtatur, non ut deſperabundi pereant, ſed ut pœnitentiam agant & ſaluentur. Quia uerò conſilium hoc propter nos literis conſignari uoluit ſpiritus ſanctus, de pœnitentia quædam dicenda erunt, ut quid à nobis quoq; exigatur, intelligamus.

Pœnitentia.

Pœnitere Latinis dicuntur, quos rei cõmiſſæ piget tædetq;, unde pœnitentiæ uocabulum ductum. Græci μετάνοιαν dicunt ἀπὸ τοῦ μετανοεῖν, quod animi correctionem & emendationem ſonat. νοῦς enim præſtantiorem illam animæ partem ſignificat, quam noſtri mentem dixerunt. Vnde νοεῖν Græci dicunt, quod nos intelligere dicimus aut mente percipere. Μετανοεῖν ergo dicitur, qui errore intellecto de illius emendatione ſeriò cogitare incipit. Hebræi Theſchubah dixerunt, quod propriè conuerſionem ſonat. At quia conuerſio hæc, ut Græci nominis etymon docet, ad animum refertur, pœnitentiam breuiter definire licebit, eſſe conuerſionem mentis ad deum ab eo quod prauum & malum eſt. Definitionem hanc dei uerba probant, qui per Ieremiam dicit: Si reuerti uoles Iſrael, ad me re-

Pœnitentia quid ſit?

uertere. Ierem. 4. Sed & alibi scripturæ eos, qui peccauerunt, à deo recesßisse dicunt. Vnde necessariò sequitur, pœnitentiam, qua peccatis renuntiatur, reditum & conuersionem ad deum dici debere. Atqui diligens huius definitionis consideratio grauißimis erroribus medetur. Sunt enim, qui ubi se peccauisse cognouerunt, ad creaturas uel manuum suarum opera conuerti solent, & ita duplici adhuc peccato (ut dominus monet) sese polluunt, dum & fontem aquæ uiuentis deserunt, & cisternas fodiunt aquis carentes. Ierem. 2. Sunt rursum, qui ex pœnitentia theatricum ludum fingunt, & sufficere putant, si Iudaicorum hypocritarum more cerea incendant, suffitus faciant, nudis pedibus incedant, cilicijs uestiantur, & alia eius generis faciant, quorum superstitio iam olim prophetarum sermonibus damnata est. Vide Isa. 1. 58. Hos. 6. Mich. 6. Zach. 7. &c. At omnibus hisce nihil profici intelligemus, si statuamus, pœnitentiam mentis conuersionem esse ad deum. Quò cumprimis facit, quod apud Iobelem cap. 2. dominus ait: Conuertimini usq; ad me in toto corde uestro, ieiunio, fletu & lamento. Scindite cor uestrum, & non uestimenta uestra: & cõuertimini ad dominũ deũ uestrũ, &c.

Pœnitentiæ partes.

Simul autem quæ pœnitentiæ partes sint, & in quibus illa uersetur, hinc disci potest. Primas hic peccatorũ agnitioni tribuimus, quia nisi hæc adsit, de peccato nec dolere, nec ab illo ad deum conuerti poterimus. Sumitur hæc ex legis speculo, quod non aperta modò flagitia, uerumetiam latentem in nobis peccati naturam arguit, ut Paulus monet. Rom. 7. Peccati agnitionem conscientiæ terror, animi dolor & contritio sequitur, de quibus modò dictum est. Fieri enim nequit, quin totus terreatur, doleat & conteratur animo suo, quicunq; cum peccati atrocitate dei irati uultum in lege contemplatus fuerit. Ea autem huius contritionis & doloris uis est, ut confeßionem quoq; peccati extorqueat: non quidem auricularem illam (cuius nullum in sacris literis siue præceptum siue exemplum extat) sed qua deo, nos miseros & peccatores esse confitemur, cuius Iohannes apostolus in priori epistola capite primo meminit. Confeßioni inuocatio dei coniuncta est, quæ ab illa nullo modo separari potest. Oritur uerò ex omnibus istis ardens uitæ emendandæ studium, nec uitæ modò, uerumetiam totius (si fieri posset) naturæ. Iam enim carnem mortificare homo incipit. Iam mundo mori & cum Christo crucifigi exoptat. Flagrat totus sanctimoniæ & innocentiæ studio. Recti & ueri amore ardet. Operibus bonis, quorum studium à deo commendari audit, totus occupatur, nulla interim illorum ratione habita, quæ superstitiosis hominum traditionibus præscribuntur. Denique quia inde omnis mali fontem exortum esse nouit, quòd à deo & uerbo dei secesßionem fecit, dei uerbo se totum accommodare & dei exemplum uitæ totius regulam sibi constituere studet. Nec momentaneum aut paucorum dierum hoc studium est, sed aßiduum & iuge, utpote quod propter quotidianos lapsus quotidie instaurari opus est. Nam ut septies in die iustus labitur, ita septies à lapsu resurgere solet. Prouerb. 24.

Patet ex his, quid ab his fieri uoluerit Petrus: nimirum ut peccata sua agnoscant, dei iudicium timeant, de peccatis doleant, animis totis conterantur, coram deo culpam confiteantur, & illius gratiam implorent, deniq; totius uitæ emendationi, carnis mortificationi, innocentiæ, sanctimoniæ, iustitiæ & charitati studeant. In hanc sententiam propheta clamat: Derelinquat impius uiam suam, & omnis iniquus cogitationes suas, & conuertatur ad dominum, &c. Isa. 55. Ista singuli ad se transferant, cumq; his uitam suam componant, ac facilè patebit, quas uias deserere, quas uerò capessere & ingredi debeant.

Baptizari in nomine Christi.

Secundum quod præcipit Petrus, his uerbis explicat: Baptizetur unusquisq; uestrum in nomine Iesu Christi, in remißionem peccatorum. Duplex uidetur esse præceptum hoc. Primò enim quia illos in nomine Christi baptizari uult, ad Christum illos relegat, & salutem ac peccatorum remißionem in solo hoc inueniri docet. Sic autem Christus prædicare iusserat, quando peccatorum remißionem in suo nomine monstrari debere admonet. Luc. 24. Et erat id factu necessarium propter pharisaicam doctrinam, quæ proprijs operibus homines iustificari tradebat: quæ & hodie apud multos obtinuit. Et sanè, si nihil præter pœnitentiam requisiuisset Petrus, illorum doctrinæ consentire uisus fuisset. At quia pœnitentes ad Christum relegat, non obscurè docet, pœnitentiam ex officio præstari debere, iustificationis uerò meritum in uno Christo inueniri posse. Peccant igitur contra Petri exemplum, quicunq; in pœnitentiæ doctrina nullam Christi mentionem faciunt. Sic enim rerum imperitis authores sunt, ut propriam iustitiam stabilire conentur, in qua nihil certi aut solidi inuenire poßunt.

Deinde

Deinde de baptismo externo admonet, quem ipsos in remissionē peccatorum accipere iubet. Quæ uerba non eo sensu accipi debent, quasi baptismus à peccatis abluat. Constat enim, nos sanguine filij dei emundari ab omnibus peccatis. 1. Ioh. 1. Baptismo autem tale quiddam tribuitur, quia beneficiū emundationis, per Christi sanguinem factæ, obsignat. Quod in Circūcisione cernere licet. Cùm enim fide iustificatus esset Abraham, circumcisionem accepit, signaculum iustitiæ fidei. Rom. 4. Ita ijs, qui Christi testamento continentur, & propterea iustificati sunt, baptismus in remissionem peccatorum datur: id est, baptismo obsignatur iustitia dei, quam ille per Christum nobis contulit. Quare locutione hac illos salutis suæ certos facit Petrus, & argumento à baptismi fine ducto consolationem adhibet. Interim quia baptismo in Christi ecclesiam assumimur, & Christo initiamur, utpote illius auspicijs contra mundum & principem huius militaturi: simul liberam & minimè fucatam fidei in Christum confessionem ab illis Petrus exigit. Nec enim cultores habere uult Christus, quos sui pudeat. Mar. 8. Atqui coram Pilato Christum palàm abnegauerant Iudæi, dum se nullum regem siue Messiam habere clamant, præter Cæsarem. Quapropter necesse erat, ut eadem libertate Christū confiterentur, ne amplius ex perfidorum abnegatorū numero censeri possent. Id nulla ratione commodius, quàm per baptismum fieri poterat, quem Christus in hunc finem administrari uoluit, ut discipulis sibi colligendis & adducendis seruiret, ut Matth. 28. legitur.

Baptizari in remissionē peccatorum.

Confessio fidei in Christum.

Iam uerò si quæ hucusque dicta sunt, in unum conferas, patebit quo ordine iustificationis & salutis uiam Petrus docuerit. Exorsus est à peccatorum redargutione, ut supra uidimus. Deinde ubi animis compunctos & contritos uidit, pœnitentiam præcepit, hoc ipso gratiæ spem illis facere incipiens. Rursum uerò, ne pœnitentiæ operibus confisi, in propria iustitia acquiescerent, ad Christi nomē & meritum illos relegat. Tandem ut Christo publicè nomen dent præcipit, & in illius ecclesiā transeant. Hunc salutis tradendæ ordinem passim ab apostolis obseruatum esse uidemus, quem Christo præceptore ipsos didicisse nemo negare potest. Ita enim ille iam discessurus loquitur: Prædicari oportet in nomine meo pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes. Profecti ergo in orbem uniuersum, prædicate euangelium omni creaturæ, & discipulos mihi adducite ex omnibus gentibus, baptizantes eos in nomen patris & filij & spiritus sancti, &c. Luc. 24. Mar. 16. Matth. 28. Quæ si cum his conferas, quæ hodie pœnitentiam acturis de Confessione auriculari, de satisfactionibus, operum meritis, indulgentijs, anniuersarijs, purgatorio & sexcentis alijs traduntur, toto cœlo distare uidebis.

Doctrinæ iustificationis ordo.

Porrò quia Petro cum ijs res erat, qui se atrocissimi & exemplo carentis flagitij reos esse sentiebant, duplici promissione illis animum addit, ne desperatione absorbeantur, quod proprium euangelij munus est. Primò, accipietis (inquit) donum spiritus sancti. Videtur autem de peculiari spiritus dono loqui, quod primitiuæ ecclesiæ tempore credentibus obtingebat, ut uel linguis diuersis loquerentur, uel alijs signis illustres fierent, sicuti infra Cap. 8. clarius patebit. Oportuit enim apostolorū ministerium singulari aliquo dono ornari, quò facilius homines Christo lucrifacerent. Et licet illa maxima ex parte cessarint hodie, manent tamen magis necessarij effectus spiritus, cuius operatione credentes regenerantur, mortificantur, innouantur, salutis certi fiunt, animantur & confirmantur, ut in periculis intrepidi stare & nomen Christi fortiter confiteri possint. Est enim adoptionis spiritus, qui omnia ea operari consueuit, quæ filios dei in hoc mundo habere necesse est. Singularem uerò consolationem promissio hæc trepidantibus ob peccati conscientiam afferre potuit. Qua ratione enim de peccatorum remissione dubitarent, qui se eiusdem spiritus cum apostolis consortes fore audiebāt? Interim nostræ institutioni eadem promissio seruit. Docet enim à credentibus & uerè Christianis spiritus sancti dona in uniuersum abesse non posse. Variæ quidem operationes sunt, & dona spiritus uaria, ut Paulus inquit, & alios alijs præstare cernimus. At ne infimus quidem spiritu in uniuersum caret, quando qui spiritum Christi non habent, Christi membra esse non possunt. Rom. 8. Vana ergo est Christiani nominis professio, nisi nos Christi spiritu animari & regi testemur. Quæ causa est, quòd apostolus fidem ex operibus agnosci docet, & Christus factis nos deum patrem imitari iubet. Iac. 2. Matth. 5.

III. Cōsolatur promissionibus. Donū spiritus.

Secundò ueterem promissionem allegat: Vestra est (inquiens) promissio, & filiorum uestrorum, & omnium qui procul sunt, quoscunq; uocauerit dominus deus noster. Intelligenda sunt hæc de fœ-

Promissio ueteris Test.

dere & promißionibus in ueteri Testamento datis, quarũ summa Geneseos 17. cap. habetur. Extendit uerò has ad eos, qui procul sunt, id est, ad gentes, quas à repub. populi dei adhuc alienas & longè remotas esse constabat, quò ipsis facilius fidem faciat. Nec enim de dei bonitate amplius dubitare poterant qui ab Abrahamo erant prognati, quando eam in gentes quoq; extendi debere audiebant. Docent hæc, quis promißionum diuinarũ usus esse debeat, ut nimirum fidem nutantem in tentationibus & aduersis quibuscunq; confirment. Sed priusquam sermoni finis imponatur, duo in his obseruanda erunt.

Promißio salutis ad infantes quoq; pertinet.

Primum, promißionem non ad patres modò, uerumetiam ad filios pertinere dicit. Monent idem ipsius fœderis uerba, quibus sic ait dominus: Confirmabo fœdus meum inter me & te, interq; semen tuum post te in generationibus suis fœdere perpetuo, ut sim scilicet deus tuus & seminis tui, &c. Gen. 17. Vnde colligimus, fœdere salutis non modò adultos & patres, uerumetiam credentium infantes contineri, quos à seminis uocabulo excludere non possumus. Nec enim illorum obiectio alicuius authoritatis esse debet, qui dei uerba de ijs tantum Abrahami posteris intelligi debere dicũt, qui iam adulti fidem profiteri possunt: quando Isaacum & Iacobum priusquam nascerentur, fœderi salutis inclusos fuisse constat, ut uidere est Gen. 17. & 25. Rom. 9. Et Paulus eos liberos, qui alterutrum modò parentem fidelem habebant, sanctos dicere non dubitauit. 1. Corinth. 7. Christus deniq; regnum dei puerorum esse non obscurè fatetur. Mar. 10. Confutantur hîc Papistarum & Anabaptistarum errores: quorum illi infantibus sine baptismo natis salutem & dei conspectum negant: hi uerò infantes à baptismo arcent, quos Christus sibi adducere præcipit.

Vocatio salutis gratuita.

Deinde promißionem salutis explicans, simul uocationis diuinæ meminit, ne quis dei filios uel ex carne nasci, uel humani arbitrij & uirium merito fieri putaret. Non enim qui filij carnis, hi sunt filij dei, sed filij promißionis. Et non est uolentis aut currentis, sed miserentis dei. Rom. 9. Proposita quidem est in Christo Iesu salus, & ut euangelica parabola monet, nuptiarum tempus appropinquauit, & parata sunt omnia. Sed uocatione opus est, qua inuitati ad epulas euocentur. Emittit ergo euangelij præcones deus, quorum uox iam olim totum orbem personuit. At quia ijdem in animis hominum nihil possunt, tractu diuino & spiritus operatione mentes moueri necesse est, iuxta illud Christi: Nemo uenit ad me, nisi pater meus traxerit illum. Iohan. 6. Atqui pro sua libera & sancta uoluntate operatur deus, & spiritus ubi uult spirat. Iohan. 3. Quibus palàm fit, salutem nostram ex mera dei gratia dependere, qui quos uult uocat, quos uult trahit, & imagini filij sui conformes reddit. Interim nostri officij est, ut uocati respondeamus, tracti non reluctemur, & euangelio per fidẽ obedientiam subiecti, uocationem & electionem nostram (ut alibi apostolus monet) firmam faciamus. 2. Pet. 1. Hæc de Petri consilio, quo peccatorum conscientia perterritis salutis uiam monstrat, modò dicta sufficiant. Quæ in hoc restant, proximè tractabimus. Sequamur autem consultorem spiritum, qui per os Petri locutus est. Pœnitentiam uerè agamus. In Christo quæramus quæcunq; saluti seruiunt. Huic nos consecremus totos & illum fateamur liberè. Fidẽ in baptismo datam non fallamus, & uitam Christo dignam uiuamus, cum illo olim in cœlis uicturi: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA XVIII.

Plurimis etiam alijs sermonibus testificatus est & exhortatus, dicens: Seruemini à generatione hac praua: Qui ergo libenter amplexi sunt sermonem eius, baptizati sunt, & additæ sunt die illa animæ circiter ter mille. Erant autem perseuerantes in doctrina apostolorum, & communicatione, & fractione panis, & precibus. Obortus est autem omni animæ timor, multaq; prodigia & signa per apostolos edebantur.

Diuus Petrus primam euangelij concionem ita instituit, ut auditoribus atrox & immane facinus, quod ab illis in dei filium fuit cõmissum, seriò & grauiter exprobrarit. Postquàm uerò illi peccatorum conscientia superati, salutis consilium quærere cœperunt, ijsdem amicè & fideliter consuluit,

consuluit, eam salutis uiam monstrans, quam & hodie omnes ingredi oportet, quicunq; saluari cupiunt. Nam pœnitentiæ studium illis præscripsit, & ad Christum relegauit, cui externo & publico baptismo consecrari debeant, ut in illius nomine peccatorum remissionem & spiritus sancti donum consequi possint. Cæterum, quia non pauci erant, quorum authoritate à salutis uia reuocari, uel saltem uehementer impediri poterant, de illis etiam eos admonet, quæ prima præsentis loci pars est, cui postea consilij apostolici effectum & fructum Lucas subijcit, unà cum eleganti ueteris & primitiuæ ecclesiæ typo, quæ singula diligenti consyderatione cum primis digna sunt.

De Petro sic tradit Euangelista: Plurimis alijs sermonibus testificatus est & exhortatus, dicens: Seruemini à generatione hac praua. Sufficiens uideri poterat admonitio, quam suprà uidimus, & quidem illa ueræ salutis rationem omnem comprehendit. Sed quia durum & graue uideri poterat, ueteri & auita religione abiecta, nouam amplecti, & multorum exempla obstabant, alijs etiam admonitionibus opus fuit, in quibus magno serio & uehementia singulari Petrum uersatum fuisse docet. Nec enim simpliciter monuit, sed obtestationibus & exhortationibus usus est. Omnium uerò summa & scopus fuit: Seruemini à generatione hac praua. Seruandi uerbo admonet, de salutis ipsorum periculo agi, quam nisi ab his separentur, retinere non possint.

Principiò autem, de quibus loquatur, uidendum est. Nam quanquam de uniuersa Iudæorũ gente hoc dictum uideri possit, quæ sanguinis Christi ream sese fecerat, & omnium grauissimo scelere erat polluta: maximè tamen ad scribas & sacerdotes titulus iste referri debet, quos omnium malorum in illa gente præcipuos authores fuisse constat. Superbiebant illi splendidissimis sanctissimisq; titulis. Præterquam enim quòd communem filiorum Abrahami titulum sibi uendicabant, legis quoque cognitionem penes se solos haberi arbitrabantur, & publicè pro cæcorum ducibus, pro lucernis in tenebris ambulantium, pro insipientium eruditoribus, & imperitorum doctoribus habebantur, ut ex Pauli uerbis elucet. Rom. 2. cap. At Petrus magna cum ingenuitate illos prauam, peruersam siue distortam generationem uocat, Baptistæ nimirum & Christi exemplum secutus, qui iam antè eodem titulo illos insignierant. Ab illo enim progenies uiperarum dicuntur. Matth. 3. Hîc uerò illos generationem prauam & adulteram, imò diaboli prolem disertè nominat. Matth. 12. & 16. Iohan. 8. Nemo autem hoc maledicentiæ tribuat, quæ à spiritus sancti ingenio alienissima est, sed grauissimæ causæ Petrum, ut hoc nomine illos notaret, impulerunt. Primò enim cùm fidem Abrahami aspernarentur, quæ sola dei filios efficere potest, interim filiorum dei titulum sibi uendicarent, pro talibus minimè censeri potuerunt. Deinde quia magna erat apud omnes illorum authoritas, eò quòd munere olim diuinitus instituto fungerentur, & sanctissimorum hominum successione sese uenditarent, necesse fuit illos argui, ut ab omnibus degeneres esse agnoscerentur, ne cui titulorum splendore & successionis gloriatione imponerent. Prudenter ergo, piè & fortiter agit Petrus, quando illos prauam & peruersam generationem nominat. Sic enim & illos fugiendos esse monet, & inani metu simplicium mentes liberat, quibus religio erat à talibus apertam secessionem facere.

Generatio praua, sacerdotes & scribæ.

Admonemur Petri exemplo, quid hodie etiam factu opus sit. Arbitrantur multi, simplicem nudamq; ueritatis cognitionem sufficere, qua etiam inter ueritatis studiosos mirificè gloriari solent. Interim uerò impijs conuersantur, & cum professis Christi hostibus, imò falsæ doctrinæ authoribus commercia exercent, quos ab euangelij ministris publicè argui, indignissimè ferunt. At longè aliam mentem Petro apostolo fuisse constat, qui fideles ab impijs separari uult, & impostores contra communem totius populi opinionem prauæ generationis titulo notare non ueretur. Exemplum huius rei ex Christo sumpsit, qui passim falsos doctores uitare iubet, & illorum commercia pijs exitialia esse docet. Vide Matth. 7. 15. 23. 24. Iohan. 10. &c. Idem reliquos apostolos fecisse constat, qui parum se officio functos esse putarunt, si sui seculi impostores digito notarent, nisi de illis etiam nos admonerent, quos nouissimo seculo uenturos esse, ex spiritus suggestione nouerant: cuius rei testimonia extant 1. Tim. 4. 2. Tim. 3. & 4. 2. Thess. 2. 1. Iohan. 2. & 4. &c. Horum ergo fidem & diligentiam imitentur, quibus hodie Euangelij ministerium commissum est, quando eam esse constat ouium stoliditatem, ut lupos etiam admonitæ uix fugiant, imò tenuis lucelli spe illorum faucibus se temerè ingerant. Suis itaque coloribus depingant, & ueris proprijsq; nominibus notent, quoscunq; seductores esse intelligunt, nullo illorum respectu habito, qui ut priuato commodo consu-

lant, talibus patrocinantur. Discant etiam reliqui fidis admonitionibus parere, & professos Christi hostes fugere, quos nisi deuitent, pro Christi membris agnosci non poterunt. Moueantur saltem periculi metu, quod tam illis quàm horum sectatoribus imminere scimus. Qui enim Babylonem scortationum matrem exire detrectant, plagas, quas illi destinauit dominus, ipsi quoque sentient. Vide Apocal. 18. cap.

Effectus consilij apostolici.

Habemus itaq. Petri de salutis ratione consilium, cui Lucas insignem illius effectum siue fructum subijcit. Ait enim: Qui libenter amplexi sunt sermonem eius, baptizati sunt, & additæ sunt die illa animæ circiter ter mille. Mira breuitate rem maximam diuinus scriptor comprehendit. Nam hîc impletur, quod Petro, cùm ad apostolatum uocaretur, à Christo dictum fuerat: Posthac homines uiuos capies. Luc. 5. Qui enim paulò ante rudis piscator fuerat, euangelij sagena proiecta, tria millia hominum Christo domino sub fidei obedientiam adducit: qui & libenter sermonem eius amplexi sunt, & in eodem perseuerauisse dicuntur. Admonet nos locus hic de duobus cognitu ualde necessarijs.

Verbi dei prædicatio non est irrita.

Primò docemur, Dei uerbum à pijs & fidis ministris nunquam frustra prædicari, quamuis multa sint, quæ illius profectum impedire posse uideantur. Testatur hoc apud prophetã dominus: Vt imber aut nix de cœlo descendit, & illò non redit, sed irrigat terram, & parere atq. germinare eam facit, ut det serenti semen, & panem ad edendum: ita erit uerbum meum, quod exit de ore meo: non redibit ad me uacuũ, sed faciet quæcunq. uolo, & prosperabitur in his ad quæ misi illud. Isa. 55. Exemplum huius in præsenti luculentißimum proponitur, cum omnia hîc inuenire liceat, quibus uerbi dei profectus impediri potest. Populus natura rebellis & contumax, qualem Moses & prophetæ describunt. Hostes doctrinæ sunt quotquot in populo authoritate & potestate ualent. Periculum ex recepta Euangelij doctrina præsens, quando iam ante excommunicationis sententia in omnes lata erat, qui Christi partes sectarentur. Iohan. 9. Apostoli rudes hucusq., uiles, ignobiles & contempti. At omnia obstacula perrupit dei uerbũ, impetuosi imbris instar ab eo uento supremi numinis impulsum, qui Christo teste spirat ubicunque ipse uoluerit. Iohan. 3. Debet hoc nos consolari nostro seculo, ne de ecclesia Christi aut uerbi profectu desperemus, quando multa paßim contra hoc magno cum molimine insurgere cernimus, &c.

Ingenium fidei & electorum.

Deinde quæ fidei natura, quodq. electorum dei ingenium sit, docemur. Duo enim his tribuuntur. Alterum quòd libenter sermonem Petri amplexi sint. Quia enim spiritu dei trahuntur credentium animi, mox ueri illius & summi pastoris uocem agnoscunt, & sequuntur agnitam. Iohan. 10. Nec alia ex re maiorem uoluptatem capiunt, quàm ex uerbi dei studio, quo clementißimum illum patrem, unicumq. salutis suæ authorem secum colloqui intelligunt. Alterum est, quòd illos perseuerauisse Lucas tradit, quo non minus quàm priori opus est. Nam Christo teste, qui perseuerauerit in finem, saluus erit. Qui autem manu aratro admota, à tergo respexerit, non est idoneus nec dignus regno dei. Matth. 24. Luc. 9. Hæc si cum nostri seculi moribus conferamus, facilè patebit quanta illorum sit infelicitas. Vix enim multis & aßiduis concionibus pauculos aliquos lucrifacere datur. Et in illis, qui iam Christo nomen dederunt, uel negligentem uerbi dei contemptum, uel leuitatem detestandam est uidere, qua ob leuißimam quanq. occasionem ab agnita ueritate turpißimè deficiunt.

Primitiuæ ecclesiæ forma & ritus, &c.

Sed ad Lucam reuertamur, qui paucis uerbis primitiuæ ecclesiæ formam, mores, ritus & exercitia comprehendit, cuius loci præcipuus usus est, ut ueteris & apostolicæ ecclesiæ formã hodie etiam agnoscere, & ubi illa collapsa est, restituere discamus. Erant (inquit) perseuerantes in doctrina apostolorum, in communicatione, in fractione panis & precibus. Quatuor enumerantur, de quibus singulis quædam dicenda erunt.

1. Doctrina apostolorum.

Primus locus doctrinæ apostolorum tribuitur. Quæ uerò illa fuerit, aliunde patebit. Christi præceptũ erat, ut ea docerent omnes gentes, quæ ab ipso ante didicerant. Matth. 28. Idem in suo nomine pœnitentiã & remißionem peccatorũ prædicare iusserat. Luc. 24. Quibus articulis totius legis & diuinæ uoluntatis cognitionẽ, ac uniuersam salutis rationẽ contineri constat. Eius doctrinæ specimen in præcedenti Petri sermone uidimus. Et hanc doctrinæ formam ab illis paßim obseruatam esse illorum scripta abunde testantur. In ea ergo doctrina primitiuæ ecclesiæ fideles perstiterunt, quam hodie apostolorum libris comprehensam & traditam habemus, nec ulla hîc humanarum traditionum

siue

siue figmentorum mentio fit. Primum uerò locum doctrinæ tribuit Lucas, eò quòd per hanc ecclesia colligitur, per eandem (ut Paulus monuit) fides traditur, adeoq; credentes omnes ex uerbo immortali & æterno regenerantur: de quo uide Rom.10.1.Pet.1.&c. Discimus hic, primam in ecclesia doctrinæ curam haberi debere. Quia enim per hanc (ut modò dictum est) in fidei unitatem colligi nos oportet, fieri non potest, quin turpiter & miserè dispergantur, quicunq; doctrinas uarias & incertas admittunt. Incertæ autem & uariæ sunt, quæcunq; ab hominum arbitrio dependent. Quapropter apostolicam retinere conuenit, quam Christo dictante olim didicerūt apostoli, & quam spiritu sancto illuminati, ecclesijs per totum orbem terrarum tradidere. Hæc & certa est & simplex, perfecta deniq; & authentica, ut illam nec humanis figmentis sarciri, nec alicuius hominis authoritate commendari siue confirmari necesse sit. De hac ipsa Iohannes loquens, ait: Quod ab initio audiuistis, in uobis permaneat, &c. 1. Iohā.2. Et Paulus nec sibijpsi credi uult, imò ne angelo quidem cœlitus delapso, si aliud euangelium aliamq; salutis rationem prædicare ausit, quàm quæ ab apostolis primò tradita est. Arguit ergo locus hic inconstantes nostri seculi uertumnos, quibus uolupe est in religionis doctrina ludere, quam pro suo arbitrio et priuati commodi ratione in dies mutare audent, sicut olim Ieroboamum fecisse legimus. 1. Regum 12. cap. Quasi uerò non alius religionis & doctrinæ usus sit, quàm ut inanibus terriculamentis in officio homines continere debeat. Arguuntur etiam leues isti, qui puerorum instar, contra Pauli præceptum, seipsos quouis doctrinæ uento agitari patiuntur. Ephes.4. Fidelium enim & uerè Christianorum prima nota est, apostolicæ doctrinæ fidelis & constans obseruatio. Eam quicunq; temere deserunt, fateantur oportet, se quid Christi ecclesia sit prorsus ignorare.

Secundò in communicatione ipsos perseuerauisse dicit. Intelligitur autem mutuæ beneficentiæ studium, iuxta illud apostoli: Beneficentiæ & communicationis ne obliuiscamini. Heb.13. Hanc autem commodissimè doctrinæ subiungit, eò quòd per illam (ut modò dictum est) tanquam unius corporis membra sub Christo capite unimur. Quare tā læta quàm tristia inter se communia habere debent, quicunq; ita uniti sunt. Quò mihi Christus respexisse uidetur, quando dilectionem fidelium & discipulorum suorum tesseram constituit. Iohan.13. Et magna quidem ac præclara beneficētiæ laus est, quòd ei inter ecclesiæ exercitia secundus locus tribuitur. Vnde facilè cernitur, quid de illis sentiendum sit, quos nulla egentium fratrum cura solicitos reddit, sed stertenti animo quosuis egere patiuntur, dummodo ipsis inter opes & mundi delitias uersari liceat. Sed quia de his plura dicentur in sequentibus, hæc modò sufficiant. 2. Communicatio.

Tertio loco fractionem panis recenset. Quo nomine Cœnam illam mysticam domini & saluatoris nostri Iesu Christi intelligit. Voluit autem hoc nomine uti, quòd in hac panis publicè & solenniter frangitur, partim quidem ut dominicæ mortis memoria celebretur, partim uerò ut admoneamur nos Christo Iesu mortis authores fuisse, quando ipsum propter peccata nostra pati & mori oportuit. Solius autem Cœnæ meminit, non quòd baptismum ab ecclesia excludat, sed quòd huius iam antè mentionem fecerat, quando illos baptizatos fuisse scribit. Et de illis loquitur, qui iam ecclesiæ nomen dederant, non de illorum liberis uel nouitijs Christianis, qui postea accessisse leguntur. Vnde colligimus, baptismi iterationem fieri non debere, quia semel in Christi ecclesiam adoptatum esse sufficit. Alia autem Cœnæ ratio est, quam mortis suæ solennem memoriam Christus esse uoluit, quæ etiam eo nomine frequentius celebrari debet. Interim hic ueteris ecclesiæ simplicitatem obserua, quæ ritubus & sacramentis à domino traditis contenta, nec noua fingere ausa est, nec uetera nouis ceremonijs commendare uoluit, ne Christo præscribere uideretur. Quanquam enim ritum & ordinem Cœnæ mysticæ, quo illi usi sunt, Lucas non exprimat, nemini tamen dubium est, eos ad Christi institutionem respexisse, cum Paulus postea ingenuè fateatur, se formulam à Christo acceptam tradidisse fidelibus, eosq; qui ab illa deflexerant, ad illius obseruationem reuocet. Erant hæc ijs obseruanda, qui cum euangelij nomine glorientur, tantum sibi permittere audent, ut Cœnæ dominicæ ritum & ordinem, ab ipso Christo traditum, mutare non uereantur. Nam ut de luminaribus, uestium luxu, ineptis gesticulationibus, & infinitis alijs omittam dicere, quibus illi bono fortassis zelo Cœnæ authoritatem commendatiorem facere student, illud certè nulla uenia mihi dignum uidetur, quòd fractionem panis è Cœna sustulerunt, dum panis mystici partes priusquam ad Cœnam 3. Fractio panis.

perueniatur, rotundas fingunt, easq; integras in ora sumentium inserunt. Quid enim, hac sublata, nobis reliquum faciunt, quo uel mortis dominicæ memoria refricetur, uel ipsi peccatorum & pœnitentiæ admoneamur? Atqui fractionem panis tantæ in primitiua ecclesia authoritatis fuisse ex hoc loco constat, ut illius nomine uniuersam Cœnam comprehenderint. Retinenda igitur est uetus simplicitas, quæ si cui sordet, næ ille Christi authoritatem nimis audacter contemnit, cuius institutione illa commendata est.

4. Preces. Postremò de precibus loquitur, quod nos de publicis intelligendum esse putamus. Nec enim quid priuatim domi suæ singuli egerint, docere instituit Lucas, sed quæ publica ueteris ecclesiæ exercitia fuerint. Non potuit autem publicarum precum obliuisci, quas propria & insigni promissione Christus nobis commendauit, cum ait: *Si duo ex uobis consenserint super terram, de omni re, quamcunq; petierint, fiet illis à patre meo, qui in cœlis est.* Matth. 18. Et apud Ioelem prophetam afflictissimis temporibus publicas preces sedulò commendari legimus. Quia enim piorum siue credentium unanimitate deus gaudet, non potest non ratas habere preces, quibus multi simul uno ore & corde in illum quodammodo impressionem faciunt. Nec frustra illas nobis commẽdari patebit, si quàm multa nos undiq; pericula circumstent, paulò attentius expendamus. Quare multis nominibus eorum cæcitas & oscitantia deplorari debet, qui & domi suæ priuatim deum rarissimè compellant, & publicas ecclesiæ preces planè fastidiunt & negligunt, imò sacros cœtus scurriliter irrident, quos propter uerbi prædicationem & publicas preces ecclesia instituit.

Habemus ergo ueteris & primitiuæ ecclesiæ exercitia, quam apostolicam & Christianam fuisse nemo opinor negabit. Perseuerauit illa in apostolorum doctrina, per quam collecta & baptismo initiata fuerat. Beneficentiæ mutuæ & publicæ erga quosuis gentes studuit. Cœnæ mysticæ formulam, à Christo traditam, obseruauit. Et in precibus constans fuit & assidua. His quicunq; hodie studuerint, pro ecclesiæ membris & Christianis censeri debent, utut multis inuisi & exosi sint. Quoscunq; uerò ab his alienos esse uiderimus, illos Christianos & apostolicos esse impossibile est. Gloriantur hodie ecclesiæ titulo Romanæ sedis cultores, & nos eo nomine hæreseos damnant, quòd ab ipsis secessionem fecerimus. At probent prius necesse est, penes se ecclesiæ titulum esse debere. Hunc si merentur, cur apostolorum doctrinam negligunt? Cur illam ferro & igne persequuntur? Cur nouis traditionibus eos grauant, quos à legis iugo sanguinis suo precio Christus asseruit? Cur bona ecclesiæ, principum & priuatorum hominum liberalitate in pauperum subuentionem collata, impudenter dilapidant, eaq; scurris plerunq; & cynædis distribuunt? Cur Cœnam domini prophanant, & in sacrificium pro uiuis & mortuis conuertunt? Cur publicarum precum loco theatricum boatum & cãtum linguæ peregrinæ inuexerunt? Possent hæc latissimè diduci, ut omnibus palàm fieret, ipsos ecclesiæ nomine indignissimos esse. Sed sufficiat cogitandi ansam præbuisse non ignauis uerbi auditoribus. Interim nemo inter nos, qui euangelij titulo superbimus, omnia sarta tecta haberi existimet, cum etiam nobis multa corrigenda supersint. Sonat quidem in ecclesijs nostris apostolorum doctrina. Sed quàm uilis sit illius apud plerosq; authoritas, res ipsa docet. Charitatis & communicationis studium refriguit. Cœnæ usus apud alios à ueteri simplicitate multum degenerauit, apud alios nimium leuiculè contemnitur. Quanta uerò in publicis precibus negligentia regnet, ex sacris cœtibus iudicare licet, ad quos pauci rariq; conueniunt. Ad ueterem ergo formam & nos emendari oportet, si non frustra ecclesiæ titulo gloriari uolumus.

Quo præsidio ecclesia tuta fuerit. At miretur quis, quo præsidio primitiua ecclesia inter tam infestos hostes in urbe sanguinaria tuta esse potuerit. Id Lucas indicat, dicens: *Obortus est omni animæ timor, multaq; prodigia & signa per apostolos edebantur.* Occulto igitur timore impiorum animi detenti fuerunt. Videbant admirabilem apostolorum audaciam & confidentem loquendi libertatem. Videbant subitò mutatos, qui paulò ante Christi hostes fuerant. Videbant prodigia & signa per apostolos edi. Mirantur ergo & obstupescunt. Accedit his spiritus Christi, qui ut in electis filialem timorem, spem, fidem & obedientiæ studium operatur: ita impios peccati conscientia turbat & horribiliter terret. Timent itaq; & trepidant, ne quicquam contra herbescentem Christi segetem audeant instituere. Ita deus in medio luporum suos tueri potest. Nec enim ex hostium uel uoluntate uel potentia, sed ex diuinæ prouidentiæ consilio dependemus. Hoc olim quoq; patriarchas inter sanguinariam Chananeorum gentem de-

tem defensos fuisse legimus, domino in illorum animis tonante: Nolite tangere Christos meos, &c. Vide Psal. 105. Eodem præsidio hodie quoq; ecclesia tuta est, cui Christus se perpetuò affuturum esse promisit. His nos excitari & animari decet. In baptismo nomen Christo dedimus. Studeamus ergo ijs, quæ Christianos decent, nec mundi conatus formidemus. Fides enim, quæ uictoria nostra est, uincit mundum. 1. Iohan. 5. Hac Christum uerè amplectamur, quo duce & protectore superiores erimus. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA XIX.

Omnes autem credentes erant coniuncti, & habebant omnia communia: possessionesq; & substantias uendebant, ac diuidebant illa omnibus, prout cuiq; opus erat. Quotidie autem perseuerantes unanimiter in templo, & frangentes per domos panem, sumebant cibum in exultatione & simplicitate cordis, laudãtes deum, & habentes gratiam apud totum populum. Dominus autem quotidie addebat congregationi, qui salui fierent.

Quemadmodum deus omnem nostræ salutis rationem in unico filio suo, Iesu Christo, comprehensam esse uoluit: ita salutem illam ad eos solummodo pertinere constat, qui ecclesiæ membra sunt. Hæc enim ideo Christi corpus dici consueuit, quòd per fidem unita uni capiti Christo connectitur, qui in singula membra salutis & uitæ spiritum diffundit. Vt autem fieri nequit, ut auulsum à corpore membrum aliquam ex capite uitalis spiritus communicationem sentiat: ita impossibile est, Christi spiritu eos animari, qui ab ecclesia, quæ ipsius corpus est, separati sunt. Quia uerò ecclesiæ dei titulum omnes sectæ, quotquot unquam fuerunt & hodie adhuc supersunt, sibi uendicant: necesse est exactam ueræ ecclesiæ cognitionem tenere, ne uel alij, uel nos ipsi nobis falso ecclesiæ titulo imponamus. Quæ causa est, quòd D. Lucas spiritus sancti suggestione excitatus, ueterem illam & primitiuam ecclesiam tanta diligentia describit. Huius enim descriptionis hic finis & scopus est, ut inde ueram & absolutam ecclesiæ formam constituamus, secundum quam tum de alijs iudicare, tum nosipsos regere possimus. Præmisit autem in hesternis præcipua & magis generalia rerum ad ecclesiam pertinentium capita, exponens nimirum, ut primi credentes Petri prædicatione collecti, & baptismo in Christi & ecclesiæ ipsius consortium adoptati fuerint. Adhæc eorundem studia & exercitia recensuit, qualia fuere perseuerantia in doctrina apostolorum, communicatio uel mutuæ beneficentiæ studium, pius & legitimus mysticæ Cœnæ usus, & preces assiduæ. At quia in his nonnulla insunt, quæ ampliori declaratione opus habent, eam modò subijcit, & primò quidem communicationis rationem explicat. Deinde de publicis illorum cœtibus aliquid dicit. Tertiò reliquam uitæ ipsorum conuersationem, & quæ ad œconomiam pertinent, describit. Tandem uerò, quantum hoc studio profecerint commemorat.

Ad communicationem pertinet quòd dicit: Omnes credentes erant coniuncti, & habebant omnia communia: possessionesq; & substantias uendebãt, ac diuidebant illa omnibus, prout cuiq; opus erat. De communicatione.
Primò animorum coniunctionem illis tribuit, quæ beneficentiæ uerus fons est. Quanuis enim Græca locutio, πάντες ἐπὶ τὸ αὐτὸ, ad locum quoq; referri queat, commodius tamen de animorum coniunctione exponetur, cùm sequentia abunde doceant, eos non uno in loco sed in diuersis domibus habitauisse. Animorum coniunctio beneficentiam peperit & omnis generis officia, quæ eò usq; processerunt, ut multi sua diuenderent, adeoq; sua omnibus communia facerent, ne pauperioribus aliqua daretur uel impatientiæ, uel defectionis occasio.

Est autem diligenter inquirendum, quæ communicationis huius ratio fuerit. Hanc enim quia non uident Anabaptistæ & alij turbarum ac nouarum rerum studiosi homines, Platonicam quandam bonorum omnium communionem inuehere student, ac nefas esse clamant, si quis Christianus aliquid proprij possideat. Quibus paucis respondere poteramus, ex singulari exemplo communem & uniuersalem regulam non constitui debere. Sed propter simplices argumentis euincendum erit, illos turpissimè falli. Primò autem cum illorum opinione diserta dei præcepta pugnant. Is enim Oecono

miæ leges tradidit, & diuitum officia præscripsit, quibus minimè opus erat, si nihil proprij Christiano possidere liceret. Paulus certè diuites non opes omnes deserere uel abijcere, sed illis piè uti & sanctis operibus studere iubet. 1. Tim. 6. Idem eos, qui suis non prospiciunt, ethnicis deteriores esse dicit. 1. Tim. 5. Atqui quorsum cura & prouidentia in nostris alēdis opus est, si nihil proprij possidere sed aliorum bonis, tanquam communibus, uti debemus? Similiter à deo furtum prohiberi constat, una cum omni impostura, fraude & dolo. Quis uerò furto locus esse poterit, si communia sunt omnia? At quia aduersarij exemplo nituntur, exemplis nos quoq; contra illos pugnabimus, & facilè euincemus, nequaquam hanc fuisse apostolis mentem siue sententiam, ut rerum proprietate sublata, confusa bonorum omnium communio inueheretur. Diues simul & Christi discipulus fuit Ioseph Arimathensis, qui sepulturæ honorē dei filio exhibuit. Matth. 27. Idem de Nicodemo dicere licet, Lazaro item & sororibus, ac Simone leproso, qui & domos suas retinuerunt, & opes, quibus ad suorum & ipsius Christi discipulorumq; ipsius sustentationem usi sunt. Eòdem pertinent mulieres, quæ Christo de suis (non alienis uel communibus) facultatibus ministrauisse, dicuntur. Luc. 8. Constat præterea, dominum nostrum nullius opes unquam inuito illo usurpauisse. Nam & asinum, quo in urbem ueheretur, precariò accepit, & hospitium ad ultimi paschatis celebrationem sibi cum bona gratia patrisfamiliâs concedi uoluit. Quæ ergo iniquitas fuerit, homines in alienis opibus sibi plus iuris & imperij uendicare, quàm Christi exemplum patiatur, cui omnis potestas in cœlo & in terris data est? Et hoc ipso libro multorum exempla recensebuntur, quorum fides magnificè prædicatur, cum nec domos uendiderint, nec communia fecerint bona, quæ possidebant. Ex quorum numero Thabita, Lydia, Maria mater Marci, Simon coriarius, Cornelius Centurio, Philippus & plures alij habentur. Quid autem de Caio, totius ecclesiæ hospite, dicemus? Rom. 16. Quid de Philemone, qui & seruum habuit ære suo emptum, quod adeò non reprehendit apostolus, ut seruum fugitiuum ipsi remittat? Sed quid exemplis aliunde petitis opus est, quando præsens hic locus rerum proprietatem euidentissimè asserit? Primò enim possessiones suas uendiderunt Christiani. Quòd si rerum proprietate peccatur, ipsos alijs peccati authores fuisse dicemus, quibus sua uendidêre. Imò illos dolo malo usos fuisse constabit, ea alijs accepta pecunia addicentes, quæ diuino iure ut propria possideri non poterant. At alienissimi ab utroq; flagitio haud dubiè fuerunt, quorum fidem, pietatem & religionem spiritus sanctus tam splendidè prædicat. Deinde distributionis hic meminit Lucas, qua unicuiq; prout opus habebat, dabatur, nemini uerò liberum erat pro suo arbitrio quod uellet rapere. Accedit his, quòd nemo, ut sua uel uenderet uel in commune deponeret, cogebatur, sed ex uniuscuiusq; arbitrio pendebat uniuersa beneficētiæ huius & cōmunicationis ratio, ut infra Ananiæ & Sapphyræ exemplo discemus. Quamobrem communicationis nomine non aliud quàm spontanea & uoluntaria contributio intelligitur, ad quam singuli fidelium pro suarum facultatum ratione, quantum ipsis libebat, contulerunt, ut inde alerentur qui egeni & inopes erant, ne paupertate & impatientia superati, uel ad malas artes conuerterentur, uel ad Iudaismum & superstitionem denuò redirent. Impulit hos diligens communicationis, quæ nobis omnibus in Christo est, consyderatio, & ardens dilectionis dei studium, qua quisquis ardet, is ubi fratrem egentem uiderit, uiscera misericordiæ claudere non poterit. 1. Iohan. 3. Erant præterea per uoluntariam istam communicationem assuefaciendi primi credentes, ne opum iacturam, quam exoriente persecutione mox facturi erant, impatientius ferrent, cum illas iam pridem alijs erogare, & ipsi pauco contenti uiuere didicissent, &c.

Non igitur confusionis exemplum locus hic præbere debet, quo fanatici rerumpub. turbatores sibi patrocinentur, sed beneficentia in pauperes commendatur, quam in ecclesia sua semper florere uoluit deus. Notum enim est illud quod Deuteron. 15. cap. dicitur: Omnino non sit in te mendicus. Atqui non ignorabat deus, semper fore quos dura egestas premeret. Sed eosdem publica inopia & egestatis exempla circumuagari, à charitatis ingenio, qua populum dei constringi decet, alienissimum est. Et extant aliæ dei leges, quibus ratio indicatur, qua pauperibus commodissimè prospici possit, ne ostiatim mendicare cogantur: de quibus uide quæ habentur Deuteron. 14. 15. 16. 24. &c. Hinc est, quòd etiam prophetæ pauperes passim commendant. Et Christus illorum curam & subuentionem tanto præconio dignatur, ut testetur, se nouissimo die eos, qui pauperibus suo nomine benefecêre, perinde remuneraturū esse, ac si in ipsum beneficia illa contulissent. Vide Matt. 26. & 25.

Qua

Quæ institutio tantum apud apostolos momenti & authoritatis habuit, ut pauperum curam ipsos suscipere non puduerit: imò cum Paulus & Barnabas sui ministerij rationem Iohanni, Petro & Iacobo reddidissent, de hoc uno illos admonendos esse putauerunt, ne pauperes negligerent, quos à Christo tam studiosè commendatos esse sciebant. Gal. 2. Quid? quòd Paulus Corinthios hortatur, ut non suos modò alant, uerumetiam (quia opulentißimi erant) egenis Syriæ fratribus, quos maior premebat inopia, subueniant. Vide 1. Corinth. 16. Item 2. Corinth. 8. & 9. Et sanè magnam huius rei curam ueteribus fuisse constat, si donationes et fundationes cum principum tum priuatorum hominum consyderes, qui opes suas ecclesijs magna liberalitate contulerũt, ut illis & doctrinæ puritas conseruari & pauperibus subueniri possit. Hodie autem eò usq; ascendit religionis contemptus, ut pauci & rari sint, qui priuatim de suo aliquid conferant, multi uerò paßim exoriantur, qui ab alijs collata turpißimè diripiunt & dilapidant. Sentient illi aliquando Christum uindicem, qui pauperum suorum clamorem non contemnet, & ecclesiæ suæ direptionem seuerißimè ulciscetur. Et periculum est, ne impijs ecclesiæ & fidei hostibus diripienda relinquant, quæ in Christi fratres, membra distribuere dedignantur.

Sed ad Lucam reuertamur, qui publicos & sacros ueteris ecclesiæ cœtus describit, dum illos quotidie in templo unanimiter perseuerauisse dicit. In templo igitur cõuenerunt sæpißime, non quidem, ut Iudæorum sacris interessent, quæ per Christi sanguinem abolita esse nouerant: sed propter populi frequentiam, ut plures docere ac Christo lucrifacere possent. Docemur autem hoc exemplo, undiq; captandam esse occasionem prouehendi regni Christi, & eius gratia sacros cœtus & frequenter & in publico quidem colligi debere, ut uerbum dei plures audire poßint. Quia enim ueritatis luce fideles reguntur, eius illos pudere non potest, nec tenebras quærunt, ut ij solent, quorum opera praua sunt. Iohan. 3. Christum certè semper in publico docuisse legimus, quo nomine se, cum caperetur & postea apud Caiapham, excusat. Luc. 22. Iohan. 18. Et Paulus apostolus sacros & publicos cœtus in priori ad Corinthios cap. 11. & 14. diligentißimè describit: quod nunquam faceret, nisi illos in religionis causa prouehenda plurimum momenti habere intellexisset.

Cœtus sacri credentium.

Duo autem ueteri ecclesiæ tribuuntur, perseuerantia nimirum & unanimitas, quibus tum semper aliâs tum maximè in conuentibus sacris opus est. Quia enim hos (ut aliâs diximus) singulari promißione commendauit deus, frequens studium & diligens in his retinendis perseuerantia Christianos decet. Rursum, quia cœtus isti, cum docendi causa, tum propter preces publicas & sacramentorum usum instituti sunt, unanimitas cumprimis requiritur. Hac coniunctos esse decet uerbi ministros, ne partium & sectarum authores sint, quales olim in Corinthiaca ecclesia fuisse scimus: sed unanimi studio ueritatis doctrinam urgeant, & Christo discipulos adducere contendant, quemadmodum is Matthæi 28. capite præcepit. In precibus uerò unanimitatem plurimùm apud deum ponderis habere, uel hinc constat, quòd dilectionis mutuæ studium paßim præcipitur, & Christus tam enixè hoc à patre flagitat, ut omnes credentes unum sint, sicut ipse & pater unum sint. Iohannis decimo septimo capite. Eadẽ omnino est Sacramentorũ ratio. Cũ enim hæc & Christi beneficia nobis obsignent, & Christianæ communionis ac unitatis symbola sint, quorum usu in unum ecclesiæ corpus cooptamur, fieri nequit, ut his dignè utantur, qui hostilibus animis inter se dißident. Erant hæc nostro seculo diligenter consyderanda, quando utrinq; plurimum peccatur. Qui enim euangelij doctrina et diutino illius usu gloriantur, ferè remißi sunt & ab omni studio perseuerantiæ alienißimi, quasi ad metam peruenerint iam, nec aliquid ipsis agendum superſit. Iidem uarijs & diuersis sectis scinduntur, seq; inuicem mutuis anathematismis deuouent. Vnde illud Pauli impleri necesse est, dicentis: Quòd si alius alium uicißim mordetis & deuoratis, uidete ne uicißim alius ab alio consumamini. Galat. 5. Nec mirum est, parum feliciter progredi euangelij cursum, quando nec perseuerantiæ studio flagrant, nec unanimitate coniuncti sunt, quibus huius cura commendatißima esse debebat. Legat qui uolet Eusebij in octauum ecclesiasticæ historiæ librum proœmium, & nostrorum temporum descriptionem luculentißimam quidq; nobis sperandum sit, inueniet.

His uerò Lucas priuatam uitæ rationem, qua ueteres & primi Christiani inter se usi sunt, subiungit. Frangentes (inquit) per domos panem, sumebant cibum in exultatione & simplicitate cordis laudantes deum. Quanquam enim quod de panis fractione dicit, aliquo modo de mystica Cœna

Priuata uitæ Christianæ ratio.

(ut in præcedenti sermone) exponi poßit, quia tamen communis simul cibi meminit, commodißime de priuata uitæ ipsorum ratione & conuiuijs quibus se inuicem exceperunt, locus hic totus exponi posse uidetur. Docet autem Lucas, non modò in publicum deposuisse aliquam bonorum suorum partem qui opulentiores erant, uerumetiam ex ijs, quæ sibi reseruarant, beneficentiam in pauperes & in quosuis alios exercuisse. Et disertè quidem domorum meminit, ut constet, plurimos ex credentium numero domus suas unà cum facultatibus suis retinuisse, quo confusa illa & seditiosa rerum communio, quam Anabaptistæ fingunt, ualidißimè oppugnatur. Cæterum ea uitæ & conuersationis ratio exprimitur, quæ officij, amoris & beneficentiæ mutuæ plena fuerit. Et quia conuiuiorum immoderato luxu & fastu plurimum peccatur, de ijs potißimum Lucas dicere uoluit, in quibus tria ab illis obseruata fuisse dicit. Primò in hilaritate conuiuati sunt, iuxta illud Pauli: Qui miseretur, in hilaritate. Rom. 12. Nam hilarem datorem diligit deus. 2. Cor. 9. Abfuit ergo ab illorum conuiuijs malignitas, quæ facit, ut nos beneficiorum pigeat: sed hilari & alacri mente quosuis excepêre, maxime tamen eos, quibus uictum deesse nouerant. Ita enim Christus egenos inuitare iubet, qui collata in se beneficia rependere non possunt. Luc. 14. Hilaritati simplicitas cordis iungitur, per quam animi integritatem intelligit, ab omni fuco & dolo alienam, quæ illorum uitio opponi solet, qui cum alijs benefacere uideri uolunt, non de aliorum salute et utilitate cogitant, sed priuato duntaxat commodo & honori consulunt. Tertio loco gratiarum actionem commemorat, qua dei beneficentiam celebrauerunt, qui ut omnia condidit, ita omnium conseruator & nutritor est. Vide Psal. 147. Matth. 6. Quòd si uerò tria hæc simul coniungas, facilè patebit, illos cumprimis temperantiæ studuisse, quia hac sublata, nullus hilaritati & Christianæ simplicitati, multoq; minus gratiarum actioni locus superest. Ex his ergo œconomiæ & conuiuiorum regulam sibi constituere debent Christiani homines. Sciant in his beneficentiæ & charitati primum locum deberi. Hospitalitati igitur studeant, & se opum, quas habent, dispensatores, non dominos, constitutos esse intelligant. Sint autem in largiendo læti ac hilares, cum Christo teste, beatius sit dare quam accipere. Acto. 20. Accedat his animi simplicitas & Christianis hominibus digna integritas. Imprimis uerò dei memores sint, illum omnium, quæ uitæ seruiunt, authorem agnoscant, ab illo petant necessaria, & eidem pro acceptis gratias agant. Per fidem enim & gratiarumactionem (ut Paulus ait) sanctificantur cibi. 1. Tim. 4. Exemplum huius in Christo habemus, qui nunquam sine benedictione siue gratiarumactione panem fregisse legitur, ut uidere est, Matth. 14. & 15. Lucæ 24. Iohan. 6. &c. Docent hæc quid de illorum conuiuijs iudices, qui uel pauperes omninò negligunt, uel malignè illis largiuntur, gratiarumactionis obliuiscuntur, scurrilitate gaudent, & intemperantiam obstrepero cantu & intempestiua Musica magis accendunt. Extant contra hos prophetarū sermones, Isa. 5. & Amos 6. cap.

Fructus pietatis ueræ.

Porrò ne quis tam ardens pietatis studium fructu omni caruisse putaret, quid hoc effectum sit, Lucas docet, cum ait: Habebant gratiam apud omnem populum. Dominus autem quotidie addebat, &c. Duplicem fructum commemorat. Primò, gratia & authoritate ualuerunt apud omnes, qui nimirum mentis sanioris erant. Nam palàm impijs illos terrori fuisse, supra dictum est. Docemur hic, unde uera authoritas hominibus cōciliari poßit. Nimirum ex pietatis & gloriæ dei studio. Ratum enim erit, quod per prophetam dicit dominus: Honore prosequar eos, qui me honore prosequuntur: & qui me contemnunt, ignominiosi erunt. 1. Samuel. 2. Obseruent hoc tum ecclesiarum ac uerbi antistites, tum qui in magistratu uersantur. Sciunt hi, authoritate & gratia ipsis opus esse, sed non semper ea qua decet uia illam assequi student, dum alij auram popularem immodicis obsequijs uenantur, alij opibus accumulandis inuigilant, alij fastu & pompa seculari sese uenditant, nihil interim de dei gloria & honore soliciti. At huius ardens studiū compendiosißima gloriæ consequendæ uia est. Remunerator siquidem illius est deus, qui hominum corda facilè in quamcunq; partem uoluerit, inclinat, quiq; suorum memoriam (ut Psaltes ait) custodit in æternum. Psal. 34. Accedit & alter fructus, quòd dominus quotidie addit ecclesiæ alios quoq; qui salui fiant. Incrementum ergo accepit ecclesia, & qui prius ad illam accesserant, fidem in se quoq; augeri sentiebāt. Nemo igitur frustra laborauit in uinea domini, modò uocationi suæ sedulò inuigilet. Interim obseruabis domino tribui omne ecclesiæ incrementum. Dominus (inquit) addebat quotidie congregationi, qui salui fie-

Incrementum ecclesiæ à deo.

ui fierent. Prædicabant quidem apostoli, & uerbi prædicatione trahebant. At omnis studij ipsorum effectus uni deo transcribi debet, cui soli in animos hominum ius est. Nam Christo dicente didicimus, neminem ad illum uenire, nisi quem pater trahere dignatus fuerit. Iohan.6. Explicatur hoc à Paulo eleganti agriculturæ parabola in priore ad Corinth.3.cap. Et apud prophetam fatetur dominus, se uelle legem suam animis fideliũ inscribere, ut alia institutione non sit opus, Iere.31. Vnde alibi credentes proprijssimè θεοδίδακτοι, id est, diuinitus edocti, uel dei discipuli dicuntur. Isa.54. Sed & ipse Christus spiritum suum consultorem & magistrum nobis fore dicit, qui nos in omnẽ ueritatem inducat. Iohan.14. Arguitur his illorum impudentia, qui sibijpsis discipulos colligunt, quos suo etiam nomine uolunt appellari. Et cum ijsdem peccant, quicunq; alios magistros, præter Christũ, agnoscunt, & illorum potius quàm Christi nomine gloriantur, quos ab ipso Christo & Paulo grauiter impugnari constat. Matth.23. 1.Corinth.1. & 3.&c. Nemo tamen hinc ignauiæ occasionem sibi dari existimet. Singuli enim suam uocationem respicere & in illa ambulare debent, effectum uerò omnem non suæ industriæ, sed gratiæ dei, acceptum ferre, qui in nobis pro suo arbitrio, quæ ipsius gloriæ & nostræ aliorumq; saluti seruiunt operatur.

Hæc de ueteris ecclesiæ forma dixisse sufficiat. Nostrum uerò esse sciamus, ijsdem studijs occupari, quibus illos olim intentos fuisse uidemus. Scopus uerò omnium esto dei gloria & multorum salus, quos Christo adducere cura sit. Sic enim fiet, ut gratia & authoritate ualeamus inter homines, & nostrorũ studiorũ fructus saluberrimos recipiamus in Christo Iesu: cui debetur benedictio, honor, potestas & gloria in æternum. Amen.

CAPVT III.

HOMILIA XX.

SImul autem Petrus & Iohannes ascendebant in templum circiter horam precationis nonam. Et quidam uir, qui erat claudus ab utero matris suæ, baiulabatur: quem ponebant quotidie ad portam templi, quæ dicitur Speciosa, ut peteret eleemosynam ab introeuntibus in templum. Is cùm uidisset Petrum & Iohannem ingressuros in templum, rogabat ut eleemosynam acciperet. Defixis autem in eum oculis, Petrus cum Iohanne dixit: Respice in nos. At ille ipsis attẽdebat, sperans se aliquid accepturum ab eis. Petrus autem dixit: Argentum & aurum non est mihi: quod autem habeo, hoc tibi do. In nomine Iesu Christi Nazareni surge, & ambula. Et apprehensa manu eius dextera, erexit eum. Protinus autẽ cõfirmatæ sunt illius plantæ ac tali. Et exiliens stetit, & ambulauit, & ingressus est cum illis in templũ, inambulans, & saliens, ac laudans deum.

VIdimus in ijs, quæ proximè præcesserunt, quæ primitiuæ ecclesiæ forma, progressus & incrementa fuerint. Fuit in his memorabile omnino, quòd credentes apud plerosq; gratia & authoritate ualuerunt, impijs autem terrori fuêre. Inter alia uerò miraculorũ mentio facta est, quæ multa & uaria per apostolos edita fuisse dixit Lucas. Quapropter ex illorum numero unum deligit, per quod nouæ concioni occasio est exhibita, qua millia aliquot hominum in Christi agnitionem Petrus pertraxit, ut suo loco uidebimus. Quia autem tam insignis miraculi huius usus fuit, æquum est, ut singulas eius circumstantias ea diligentia excutiamus, qua illæ à Luca descriptæ sunt, qui primò occasionem miraculi commemorat. Deinde claudi personam in qua illud editum est, describit. Tandem miraculi progressum, & quid à claudo, postquàm saluti restitutus est, factum sit, indicat.

Occasio miraculi ea fuit, quòd Petrus & Iohannes circiter nonam precationis horam in templum ascenderunt, quo tempore & claudus hic ad petendum eleemosynam eòdem deportatus fuit. Nona autem diei hora illis erat, quæ nobis tertia pomeridiana est, ut ex ijs quæ secundo cap. de ho- I. Occasi miraculi.

rarum ratione diximus, colligitur. Eam precationis horam uocat, eò quòd statæ in populo dei horæ habebantur, quibus publicæ preces fiebant, quemadmodum tum alibi, tum apud Danielem cap. 6. uidere est. Et in lege matutinum & uespertinum sacrificiũ deus instituerat, quod sine precibus actum fuisse, nemo sanæ mentis dixerit. Vide Exod. 29. Num. 28. De meridiei hora, quæ & ipsa precibus destinata fuit, infra cap. 10. dicetur, ubi Petrus illa hora in domo Simonis coriarij precationis gratia in superius cœnaculum ascendisse legitur. Nec temere fit, quòd de precationum horis mentionem tam diligentem scripturæ faciunt. Primò enim docemur, cum numinis inuocatione omnia à nobis inchoari, perfici & finiri debere, quando absq; huius gratia & auxilio quicquam à nobis feliciter & bene transigi, impoßibile est. Nam cor hominis (ut Solomon inquit) deliberat quidem de uia sua, dominus autem dirigit gressum eius. Prouerb. 16. Vnde etiam Iacobus apostolus eos seueriſsimè corripit & accusat, qui nulla diuinæ uoluntatis ratione habita de suis rebus ita deliberant, quasi illorũ euentus & successus à proprijs ipsorum uiribus dependeat. Iac. 4. Deinde admonemur, disciplina in ecclesijs opus esse, secundum quam legitimè & decenter (ut Paulus docet) fiant, quæcunq; ad fidei rationem & cultum dei pertinent. Fatemur equidem, Christianorum esse, ut ubiuis locorum puras manus ad deum attollant, quando ubiq; & dei auxilio opus est, & à deo exaudiri poßumus. Interim quia publicas preces peculiari promißione nobis Christus commendauit, illas præcipuè nobis curæ esse conuenit, nec temere negligendi sunt sacri cœtus, quos tum doctrinæ tum precum causa olim institutos esse constat. Nec obstare debet, quòd pleraq; in superstitionem postea degenerauerunt. Hæc enim tolli oportet, ueterem uerò & legitimum usum restitui. Hodie præter pulsum nolarum uel campanarum nihil nobis superest, quo tum summo mane, tum meridiano & uespertino tempore ad preces excitamur. Cuius superstitiosum usum multi accusant, sed ut solennes precationis horæ nobis restituantur, pauci laborant.

Præcipuè uerò apostoli nobis obseruandi ueniunt, qui precationis hora in templum ascendisse dicuntur. Quod non sacrificij causa, quod tum immolabatur, factum esse, aliâs diximus. Sed impulit eos cum precandi studium, tum quòd docendi occasionem se inuenturos esse sperabant. Nec propter ineptam Iudaicæ gentis superstitionem, quæ facilè corrigi poterat, suo officio deesse, & occasionem rei bene & feliciter gerendæ negligere uoluerunt. Quo exemplo docemur, omnem à nobis occasionem captari debere, ut euangelij doctrina ac Christi cognitio prouehatur. Iubet hoc officij ratio, quo Christus nos sibi deuinxit. Vt enim is nihil eorum intermisit, quæ nostræ saluti seruiebant: ita nec nos nostro officio in regni ipsius terminis prouehendis deesse debemus. Ideò Paulus omniũ ecclesiarum curam suis humeris sustineri debere putabat. 2. Corinth. 11. Et alibi æmulorũ & aduersariorũ suorum conatibus gaudet, quòd eos euangelio propagando aliqua ratione seruire uideret. Phil. 1. Pudeat ergo nos nostræ socordiæ & oscitantiæ, qua occasiones, quas ipse dominus nobis offert quotidie, nimiũ oscitanter (ne quid grauius dicam) negligimus. Atqui hîc cumprimis locum habet illud prophetæ: Maledictus, quisquis opus domini malignè fecerit. Ierem. 48.

II. Claudi descriptio. Claudus ex utero matris.

Secundò claudi personam Lucas diligentiſsimè describit, in quo miraculum postea editum fuit. Ex qua descriptione miraculi excellentia & Christi uirtus, qui miraculi author fuit, maximè elucent. Primò claudus fuisse dicitur ab utero matris, & ea quidem membrorum luxatione debilitatus, ut omni membrorum usu destitutum ab alijs gestari oportuerit. Quibus ex ijs, quæ postea sequentur, ætatem iungito (nam quadragenarius fuit) & morbum humana arte incurabilem fuisse intelliges. Tales enim ferè sunt, quicunq; uel ex natiuitate homini inhærent, uel diutina mora & aliquot annorum spatio in habitum transierunt. Atqui omnium horum finis est felicißimus. Nam ad dei gloriam illustrandam faciũt, quæ hominis calamitosi miseriam aggrauare uidebantur. Parua etenim Christi gloria uideri potuisset, si illius uirtute morbum, humana arte curabilem, depulisset Petrus. At cum eum Christi nomine sanat, de cuius salute nemo quicquam sperare poterat, Christum diuina uirtute & omnipotentia præditum, & proinde uerum deum esse, euidentißimè patet. Et hic plerunq; atrociſsimorum malorum usus est apud deum, ut per ea, quibus nullo hominum consilio siue auxilio succurri potest, sui nominis gloriam illustret. Cuius rei exemplum cum hîc, tum in eo, qui cæcus ex natiuitate fuerat, Iohan. 9. habetur. Nam discipulis, an ipsius uel parentum uitio factum esset, ut cæcus nasceretur, interrogantibus Christus respondet: Neq; hic peccauit, neque parentes eius: sed

sed ut manifestetur opera dei in illo. Seruit hoc nostræ tum institutioni tum cõsolationi. Docet enim, ne de aliorum ærumnis temerè iudicemus, quasi suis peccatis & sceleribus illas meruerint, qui istis laborant. Frequenter enim fieri solet, ut non alia de causa nos affligi deus permittat, quàm ut nomen & gloria ipsius per nos illustretur. Quare iudicium nostrum minimè præcipitare cõuenit, ne ad illum scopulum impingamus, ad quem Iobis amicos olim impegisse legimus, qui ex ærumnis colligebant, Iobem immanibus uitijs & sceleribus dei iram meruisse. Simul uerò hinc consolationẽ sumant, quorum tantæ sunt calamitates, ut nihil spei & auxilij ipsis apud homines reliqui sit: ne uidelicet propterea se à deo quoq; derelictos arbitrentur. Quin deo sese patienter exercendos præbeant, & breui experientur ad dei gloriam & propriam ipsorum salutẽ pertinuisse, quæ ipsi irati dei indicia esse arbitrabantur. Quò Paulus quoq; respexit, dicens: Scimus, quòd ijs, qui deum diligunt, omnia cooperantur in bonum. Rom. 8.

Accedit deplorato hominis morbo, quod egenum fuisse, Lucas testatur. Et extremæ inopiæ argumentum est, quòd quotidie ad portam templi, quæ propter structuræ magnificentiam Speciosæ nomen acceperat, deponitur, ut à prætereuntibus eleemosynam, unde alatur, exigat. Atqui hoc contra legem domini factum esse, ex ijs, quæ proximis sermonibus dicta sunt, patet. Dei enim lex extat, quæ mendicum in Israele esse prohibet. Deut. 15. Et multa habentur de pauperum subuentione à deo tradita, quam ita institui uoluit, ne fratres publica egestatis & miseriæ exempla esse paterentur. Quorum illos immemores fuisse miseri huius exemplum abunde docet, quem Hierosolymitanum & opulentißimæ urbis incolam fuisse ex eo patet, quòd ad templi portam quotidie defertur. Et tamen inter fratres & innumerabilem sacerdotum turbam, uictum mendicare cogitur. Tales & alij describuntur, Iohan. 9. & Marci 10. cap. Arguit hoc summam Iudaicæ gentis corruptionẽ. Quia hinc constat, opes, quas pauperum alimoniæ destinarat deus, ab ipsis alienatas & per abusum aliò translatas fuisse. Adeò uerum est, nihil inter illos integri manere, qui in dei cultu contra uerbum ipsius temere dispensare audent. Atqui extremam hanc corruptionem extremum excidium paulò post secutum est. Vnde æstimare licet, quid nobis hodie sperandum sit, qui eodem cum Iudæis crimine tenemur. Nam & ipsi contra primitiuæ ecclesiæ exemplum mendicos esse patimur, quos fratrum loco habere & amare debebamus. Dißipatus est uerus ecclesiasticorum bonorum usus per Papistas, & otiosis hominibus cesserunt, ex quibus ecclesiæ pauperes ali oportuerat. Licet uerò superstitiones & idololatriam auferant, qui euangelij titulo gloriantur, hic tamen ferè omnes ecclesiæ reformationes pedem sistunt, ubi de bonorum ecclesiasticorum uero usu & Christiana pauperũ subuentione agitur. Quo argumento patet, plerosq; sub euangelij prætextu priuato duntaxat commodo studere. At non deerit suo officio Christus, qui pauperum uindex nouißimo die uenturus est. Vide Matth. 25. Mendicus.

Postremò in claudi persona considerandum uenit, quòd ab apostolis quoq; eleemosynam postulauisse dicitur. At cùm quotidie ad templi portam deponeretur, haud uerisimile est, ipsum miraculorum, quæ per apostolos quotidie edebantur, prorsus ignarũ fuisse. Cur igitur non corporis potius salutem postulat? Num ex nostri seculi mendicorum ingenio ipsum æstimabimus, qui morbos ipsi sibi consciscunt, & medicinam omnem respuunt, quò maius ex mendicitate lucrum faciant? Absit. Nec enim in tam prophanum dei & gratiæ diuinæ contemptorem tantum beneficium cadere potuisset. Ea potius mihi causa uidetur, quòd de morbi curatione totus iam desperauerat. Extabant quidem multorum exempla, quos pristinæ sanitati Christus Iesus restituerat, sed neminẽ ab ipso curatũ esse nouerat, qui ex utero matris claudus natus esset. Quare cum ualetudinem bonam ne sperare quidem ausit, illam à quoquam petere absurdum esse existimat, nec alia de re quàm uictu quotidiano solicitus, quæ ad hunc pertinebant, ab apostolis exigit. At plus accipit quàm uel sperare uel petere audeat. Nam & morbo liberatur, & insigne bonitatis & gloriæ dei uas efficitur, quo in multorum salutem deus uti uoluit. Est hæc eximia in nos dei bonitas, qua frequenter nostram spem & preces præuenire & superare solet, ut & plura & maiora largiatur, quàm nobis sperare liceat. Sic Abrahæ, de Ismaelis duntaxat uita solicito, Isaacum ex Sara filium pollicetur. Gen. 17. Sic Israelem, qui uix liberationem ex Aegypto sperare poterat, cum omni substantia, additis simul Aegyptiorum bonis, educit. Exod. 12. Eandem bonitatem Dauid experitur & præclarè prædicat, quando Meßiæ è sua stirpe nascituri promißionem, quam nunquam postulare ausus fuisset, accipit, 2. Sam. 7. Prætereo mul-

ta huius generis, eò quòd similia ipsi experimur quotidie: quando de ijs, quæ soli corpori seruire potêrant, cogitantibus nobis, in filio suo eam regni sui cœlestis beatitudinē sponte offert, quæ omnem hominis sensum & ingenij captum superat. Isa. 64. Discamus igitur bonitati & gratiæ ipsius confidere, nec de uoluntate ipsius, quæ liberalior est & beneficentior, quàm ut nostris uotis siue desiderijs exhauriri poßit, desperemus.

III. Miraculi narratio.

Transeamus autem ad tertiam historiæ partem, quæ miraculi per Petrum editi descriptionem diligentem continet, cuius circumstantiæ nobis quoq; non minus diligenter consyderandæ sunt. Ab attentione uerò orditur Petrus, claudo dicens: Respice in nos. Vult eo dicto attentum reddere, ut beneficij, quod mox accepturus erat, authorem agnosceret, ne quid uel fortuitò uel humana arte, aut etiam magicis præstigijs factū putaret. Constat enim eos tantum dei beneficia cum fructu percipere, qui in deum authorem respiciunt, & illi gloriam omnem & gratiarum actionē tribuunt. At qui neglecto Christo in solis ministris hærent, ijs ferè miracula superstitionum causa sunt: ut in nostri seculi hominibus est uidere, qui diuorum cultum miraculis per illos editis præcipuè defendunt. Modestia uerò est, quòd non de se solo Petrus loquitur, sed ait: Respice in nos. Simul ergo Ioannem collegam & Symmistam agnoscit, multùm alienus à Pontificū fastu, qui cùm Petri successores haberi uelint, episcopis omnibus imperiose dominantur, & sibi solis omnem in ecclesia potestatē uendicant.

Petri paupertas.

Deinde, cùm claudi animum & spem pecuniæ accipiendæ non ignoraret, eam eximere & maiorem illi spem facere studet, dicens: Argentum & aurum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do. Spiritualium enim bonorum & mysteriorum dei (ut Paulus ait) dispensatores sunt apostoli, non pecuniarum, quas plerunq; impijs maiori copia quàm pijs affluere uidemus. 1. Corinth. 4. Duo autem profitetur Petrus, quorum obseruatio non parum iuuare potest. Primò paupertatem testatur, & quòd argentum siue aurum non possideat. Erat enim ex illorum numero, qui omnia reliquerant, & Christum erant secuti. Mar. 10. Quare mundi opes habere non potuit. Num uerò illum ideò infelicem & miserum putabimus? Absit. Nemo igitur felicitatem opibus & mundi huius bonis metiatur. Nam miser esse non potest, qui Christum possidet, licet opibus & bonis uniuersis spoliatus, cum Petro nec aurum nec argentum habeat. Quòd si uerò Petrus istis caruit, unde tanta horum copia Petri successoribus contigit? Quod obsecro & unde Petri patrimoniū, quod hodie non modò auri & argenti amplißimos census, uerumetiam terras & regna tota comprehendit? Scripturis certè nihil de hoc traditum habemus, nec fide dignæ historiæ aliquam eius rei mentionem faciunt. Vnus Iudas habetur, qui argentum & aurum malis artibus acquirere studuit, quod illi desperationis & exitij causam dedit. Et de Antichristo oraculum extat, quòd thesauros terræ possessurus sit. Dan. 11. Desinant ergo Petri patrimonio gloriari Pontifices, cùm illos Petrus tam liberè mendacij arguat. Sed cur desinerent, qui eò impudentiæ processerunt, ut uerbis Petri per ludibrium abuti non uereantur, quando nouus Papa è sede, quam illi stercorariam uocant, subleuatus, pecuniam uilem, cui nihil uel auri uel argenti inest, in populum spargens, ait: Argentum & aurum non est mihi, &c. Mox uerò in alium locum translatus, suis creaturis aurum & argentum distribuit, illis acclamantibus: Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum seculi, &c. Quid obsecro est uerbum dei ludibrio habere, si hoc non est? Egregiè profectò istorum hominū impios & degeneres animos Thomas Aquinas perstrinxit. Cùm enim in Concilio Lugdunensi Neapolitanæ pecuniæ ad Gregorium X. deferrentur, non puduit eum Thomæ dicere: Non possumus nunc, ut olim Petrus, dicere: Aurū & argentum non habemus. At huic ille respondit: Sed nec dicere potes: Surge & ambula. Vidit enim uir doctißimus, Pontificū auaritia & ecclesiam dißipari & dona spiritus sancti restingui, quæ ueterem ecclesiam olim illustrabant. Vident hoc hodie pleriq;, sed ea est nostri seculi peruersitas, ut multi scientes seduci uelint. Nos uerò, quorum oculos euangelij lux illustrauit, fugiamus illorum laqueos & impudentem tyrannidem, neq; nos illis ultra illudendos & expilandos propinemus.

Vide Pōtificale Patrum de coronatione Pontificis.

Secundò animi promptitudinem & uoluntatē benefaciendi profitetur Petrus, cùm ait: Quod autem habeo, hoc do tibi. Quod perinde est ac si dixisset: Si pecuniam haberem, illam quoq; libenter largirer. Dabo autem quicquid habuero. Præbent hæc animi benefici exemplum, quo in beneficentia exercenda nos quoq; affectos esse oportet. Sunt enim qui ardens beneficentiæ studiū professi, se ignorare dicunt, quid & quantum pauperibus largiri debeant. At quæstionibus uniuersis beneficentiæ & charitatis

charitatis lex respondet, quæ iubet ut proximum tanquam nos ipsos diligamus. Hoc quicunque faciunt, non quid dare debeant, quærunt: sed quibus nam proximus indigeat, uident, & si illa penes se esse cernunt, liberalißimè largiuntur. Quare si pecuniam habent, pecunia iuuant indigos. Si uictu abundant, hunc in pauperes distribuunt. Si uestes habent, uestiunt quos nudos conspicantur. Quòd si nihil horum ipsis superſit, saltem animum impertiuntur egenis fratribus, cuius beneuolentiam amicis uerbis, consilio item & consolatione, quibus afflictos erigunt, testantur. Ita Petri exemplum secuti, dant quodcunque habuerint. Vnde colligimus, eos charitate uacuos esse, nec ullo benefaciendi studio teneri, qui quid & quantum pauperibus dari debeat, interrogant.

Quid uerò illud est, quod Petrus habuit, & quod claudo dedit quàm liberalißime? Addit: In nomine Iesu Christi Nazareni surge & ambula. Et apprehensa manu eius dextera, erexit eum, &c. Corporis ergo ualetudinem integram illi largitur, quam potestatem à Christo acceptam cum alijs apostolis habebat. Ita autem hanc largitur, ut omnibus notum sit, ipsum non propria uirtute miraculum edere, sed authorem huius esse Christum, cuius imperio, uirtute & operatione omne hoc factũ sit: de quo ipse postea pluribus apud populum dißeret. Simul autem multa congeruntur, quæ ad miraculi ueritatem & amplificationem faciunt. Nam claudũ prehensa eius manu, Petrus erigit. Subitò autem & repentè tali ipsius & plantæ uires & robur concipiunt, ut non difficulter exurgat, ut solent quorum membra diutinis morbis debilitata sunt, sed exilit. Nec momentaneus est ille impetus, ut eorũ, quos furor aut occultior aliquis spiritus exagitat: sed insistit pedibus, & obambulat. Ad hæc cum apostolis templum ingreditur, subinde exultans & subsiliens, & dei beneficium prædicans. Verè ergo curatus fuit claudus hic, ut nullum prioris morbi uestigiũ remanserit. Perfecta enim sunt dei opera, nec quicquam illis doli siue fraudis & imposturæ continetur. At priusquam sermoni finem imponamus, de duobus, quæ fidei nostræ institutioni seruiunt, dicendum erit.

Primum, spiritualis nostræ restitutionis typus est, quem hoc miraculo spiritus sanctus proponere uoluit. Omnium enim nostrum, quoad animam, eadem est quæ claudi huius conditio. Ex natiuitate is morbum traxit, qui omnium membrorum usum ipsi abstulit. Ita nos ex matris utero peccatores nascimur, & tanta est hæreditarij mali, quod ex Adamo parente in omnem posteritatem defluxit, uis, ut nihil in nobis uirium relinquat, quibus dei legem exequi, & ea obire poßimus, quæ saluti consequendæ seruiunt. Lex enim dei spiritualis est, nos autem carnales, uenundati sub peccatum, &c. Rom. 7. Deinde ut claudum nihil salutis sperantem sua bonitate præuenit clemens dominus: ita primum parentem, qui peccati conscientia territus dei conspectum fugiebat, deus prior inuisit, quæsiuit & uocauit, ac eundem salutis promißione gratuita consolatus est. Gen. 3. Vt uerò claudus Christi Iesu nomine sanatur, quod illi Petrus prædicat, eundemq; manu prehensa erigit: ita Christi merito nobis salus parta est, & illam euangelij prædicatio nobis offert; quam ubi fide percepimus, mox Christi spiritum in nobis efficaciter operantem sentimus, qui manum præbet, erigit & uires suggerit, quibus peccati tyrannidem excutere & in domini uijs ambulare poßimus. Illius enim opus est, quòd regenerat, cœlestium amore incendit, salutis fiduciam excitat, & de adoptione certiores factos clamare docet, Abba pater. Iohan. 3. Rom. 8. Adhæc mentes dei & uoluntatis ipsius cognitione illuminat, in omnem ueritatem ducit, & in aduersis omnibus consolatur. Iohan. 14. & 16. Huius ergo operatione fit, ut qui antea claudi eramus & infirmi, nunc omnia poßimus in Christo, qui nos corroborat, Philip. 4. Et licet carnis ingenium maneat, quod nos & labi facit interdum, & uarijs tentationibus solicitat, uincit tamen semper Christi spiritus, nec ultra uires nos tentari patitur. Perfecta enim salus est, quæ in Christo nobis obtigit, quæ nullis mundi aut principis ipsius conatibus turbari potest.

Typus restituti humani generis.

Secundò restitutorum officia claudi exemplo docentur. Is ubi in Christi nomine salutem sibi promitti audit & Petri manu erigitur, illico exilit. Ita postquam euangelij prædicatione salus in Christo offertur, & spiritus sancti suggestione nos animari & excitari sentimus, è luto peccatorum exurgamus illico, & beneficium Christi alacri mente complectamur. Nec enim in peccatis amplius uiuere possunt, quos ex illorum seruitute Christi meritum asseruit, ut multis Paulus docet, Rom. 6. Deinde cum apostolis templũ ingreditur. Atqui templum ecclesiæ Christi typũ geßisse constat. Huic ergo nos iungamus, idq; apostolis ducibus, qui euangelij prædicatione uiam, qua Christo & ecclesiæ

Restitutorum typus.

ipsius iungamur, nobis monstrant. At in Christi ecclesiam recipi non possumus, nisi desertis prius satanæ castris, cuius militiæ eos renuntiare conuenit, quicunq; Christi milites fieri cupiunt. Adhæc exultauisse & deum laudauisse dicitur. Exultemus & nos in domino, & laudemus illius bonitatem, quam nos ingenuè fateri & prædicare cōuenit. Frustra enim redempti & liberati sunt, quos Christi redemptoris & beneficij per ipsum accepti pudet. Ideò & fidei confeßionem à nobis paßim exigit, & mortis suæ memoriam mystica Cœna, quam in ecclesia perpetuam obseruari uult, consecrauit. His itaq; studere nos conuenit, ut Christo uerè insiti, & ipsius spiritu animati, cum eodem in cœlis regnemus: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA XXI.

Et uidit eum omnis populus ambulantem ac laudantem deum. Et agnouerunt illum, quòd is esset, qui solitus erat ad eleemosynam sedere iuxta speciosam portam templi. Et impleti sunt admiratione & stupore super eo, quod acciderat illi. Cùm uerò claudus, qui sanatus fuerat, teneret Petrum & Iohannē, cucurrit totus populus ad eos in porticum, quæ appellatur Solomonis, obstupefactus. Quo uiso Petrus, allocutus est populum: Viri Israelitæ, quid miramini super hoc, aut nos intuemini, quasi propria potentia aut pietate effecerimus, ut hic ambularet?

EXposuit Lucas insigne miraculum, quo diuus Petrus eum, qui ab utero matris claudus fuerat, curauit. Finis huius miraculi idem est, qui & aliorum omnium, ut uidelicet apostolicæ doctrinæ confirmandæ seruiat. Quare illius narratione non contentus euangelista, simul etiam, quid per hoc effectum sit, commemorat. Et primò quidem, ut Christi beneficium claudus exceperit, docet; quem sese apostolis coniunxisse, & cum illis templum intrauisse, deiq; laudes publicè prædicauisse, dicit. Adumbratur eo exemplo, quid eos facere deceat, quos Christus sui meriti uirtute restituit. Debent illi apostolorum doctrinam amplecti, & per hanc ecclesiæ palàm coniungi, & diuinæ gratiæ beneficium prædicare, ne illud in indignos collatum esse uideatur. Sed ad alia quoq; transit Lucas, exponens, quis miraculi tanti effectus in populo fuerit, & ut inde Petro prædicandi occasio oblata sit, ubi proprijßimus & uerus totius historiæ usus sese proferet.

I. Vt populus miraculum exceperit.

Populus claudum uidisse dicitur, qui iam ambulabat ac laudabat deum. Nec ambulantē modò uidit, sed certò agnouit eum esse, qui ad templi portam eleemosynæ colligendæ gratia solitus erat sedere. Quod ad ueritatem miraculi asserendam facit, ne quis fucum aliquem factum esse putaret. Inde autem admiratione pleni in stuporem rapiuntur, & turmatim ad apostolos, quos claudus præ animi lætitia nondum dimiserat, confluunt. Vbi duo nobis obseruanda ueniunt, quorum alterum laude dignum est, alterum reprehensionem meretur, ut ex Petri uerbis plenius patebit.

Admiratio operum dei necessaria.

Primò admiratione repleti excitati fuisse dicuntur, ut ad apostolos concurrerent, & de re noua & insolita inciperent cogitare: & miraculi nouitate: quod & meritò & bene ab illis factum esse, nemo negare potest. Debemus enim dei opera non oscitanter obseruare, & admirari illorum excellentiam, in quem finem homines à deo conditos esse, quidam philosophorum non omnino ineptè tradiderunt. Quia obseruatio illa & admiratio non in cæco & attonito mentis stupore subsistit, sed præparatio quædam animi est, qua ad ueram dei cognitionem perducimur. Reuelat quidem seipsum & uoluntatem suam Deus in uerbo suo, quod olim literis mandatum in ecclesia perpetuò prædicare iußit. At ea est in nobis animorum corruptio, ut nisi uiolento aliquo motu impellantur, à terrenis nunquam abduci poßint & in cœlestium consyderationem subuehi. Quare uerbo suo plerunq; signa aut opera quædam excellentißima deus coniungit, ut illa animos à sopore illo stupido excitatos in uerbi & uoluntatis suæ cōsyderationem abripiant. Et Christus hanc ipsam ob causam doctrinæ suæ miracula frequenter aut præmittit aut interserit, ut ad doctrinā percipiendam attentiores reddat. Quæ quantum profecerint ex Nicodemi & aliorum exemplis patet, qui ex illis cognitionis Christi initium sumpserunt. Iohan. 3. & 7. Debet autem eadem esse omnium signorum ratio, adeoq; omnium

iudiciorum

iudiciorum & operum dei, ut ex illis ansam arripiamus in diuinæ uoluntatis cognitionem altius ascendendi. Sed deploranda hic uenit nostri seculi socordia, quo pleriq; ita obsurduerunt, ut nihil uel uideant uel audiant eorum, quibus nos ad salutis cognitionem deus excitat. Prædicatur euangelij uerbum, & uigilare iubet dominus. Extant passim horrenda iudiciorum dei exempla, quibus mũdi incurabilem impietatem cohercet atq; punit. Eduntur signa, portenta & prodigia omnis generis. Fiunt deniq; in omnium conspectu quæcunq; nouissimo seculo ante gloriosum suum aduentum euentura esse Christus prædixit. Matth. 24. Luc. 21. Atqui omnia hæc quasi supino naso stertentes negligimus, ut si non alio signo siue argumento, certè ex mũndi securitate nimia intelligi possit ea esse tempora, de quorum periculis nos apostoli non semel admonuerunt. Vide 1. Thess. 5. 2. Pet. 3. Sed excitemur, ô fratres, & præsenti exemplo dei opera admirari discamus, ut illorum admiratio nobis ad perfectiorem dei cognitionem adminiculo esse possit.

Alterum in populo reprehensionem meretur, quòd etsi signo tam memorabili ipsos deus excitarit, animis tamen & oculis in solos apostolos intenti, ipsos tanquam miraculi authores suspicerent, cum in Christi Iesu, cuius nomine & uirtute miraculum editum erat, consyderationem animos subuehere deberent. Est hoc carnis ingenium, præsentibus & proximis causis inhærere, nec altius animum attollere, ut uerum & unicum omnium, quæ fiunt, authorem agnoscat. Nec leuiculus hic error est, cum ex hoc omnis superstitio & idololatria initium sumpserit. Hinc enim factum, quòd gentes Solem & Lunam cum reliquis astris deorum loco habuerunt. Nam cum illis accepta ferrent beneficia, quæ per illa humano generi deus confert, aliter facere non potuêre. Idem error eosdem, ut homines, qui publici alicuius boni authores fuerant, in deorum numerum referrent, commouit. Nec in hominibus error iste substitit, sed propter beneficia animalibus brutis, fluminibus, fontibus, arboribus, & plantis numen inesse putauerunt, & gloriam immortalis dei in imagines hominum, uolatilium & quadrupedum transtulêre. Rom. 1. cap. Nec alia ratione inter Christiani nominis professores idololatriam exortam esse constat. Postquam enim miracula, quæ olim à sanctis edita fuere, ab indoctis nimium aniliter conscribi, & in suggestu ineptius prædicari cœperunt, mox illa sanctorum uirtute edita esse rudis populus existimauit. Opinionem falsam alius error excepit, ut diuis uota facere inciperent, qui uel morbis uel alijs periculis impliciti erant, ex quibus aut diuos ipsos, aut alios illorum ministerio liberatos esse audiuerant. Et quia sanctorum suorum memoriam aliquando miraculis, iuxta illorum sepulchra editis, deus asseruit, locis illis numen inesse putauerunt, & inde factum est, ut cultum & inuocationem certis quoq; locis alligarent. Ne quid uerò superstitioni & idololatriæ deesset, imagines diuorum signis & miraculis nobilitare cœpit Satan, per quæ eò dementiæ peruentum est, ut iam non diuis modò tribuerentur, quæ solius Christi sunt, uerumetiam diuorum simulachris, quæ contra diuinæ maiestatis præceptum superstitiosi homines erexerant. Et parum prodesse uidebantur uota, quæ diuis nuncupantur, nisi & locus & imago diui celebrior diserte exprimeretur. Verè autem hæc dici, tum historiæ docent, tum exempla, quorum ingentem copiam nostro quoq; seculo superstitiosi nobis exhibent. Quapropter cum negligentior miraculorum consyderatio, eorumq; admiratio stulta, turpissimi erroris & impietatis manifestæ causam præbuerit, admonemur, miracula quæcunq; fiunt, nunquam absq; uerbi diuini doctrina consyderari debere, quæ sola de illis uerè iudicare docet. Nam diuersa inter homines miracula siue signa edi, scripturis sacris edocemur, uera nimirum & falsa. Vera dicuntur, in quibus uerè fit quod fieri dicitur, & quæ ueritatis doctrinæ testimonium ferunt, qualia olim apostolorum opera miraculosa ex Christi institutione fuerunt. Mar. 16. Matth. 10. Falsa dicuntur, quæ uel mendaci specie decipiunt, ut incantatores & præstigiatores solent: uel quæ à deo & ueritatis doctrina & fide homines auocant. Qualia olim fuêre, quæ Iannes & Iambres coram Pharaone edebant. Et qualia Antichristo & nouissimi seculi impostoribus tribuuntur. 2. Thessal. 2. Matth. 24. Et permittit illa interdum suorũ oculis deus obijci, ut in electis quidem fidei ipsorum constantiam exploret, quemadmodum Moses testatur. Deut. 13. in reprobis autem iudicij sui seueritatem exerceat, quando efficacia erroris (ut Paulus ait) seducuntur, qui dilectionem ueritatis nolunt admittere. Nunquam ergo miracula ita arripi debent, ut in illis uel illorum doctrina temere hæreamus, à quibus ea eduntur: sed ad diuini uerbi regulam examinari debent, ut in ijs, quæ ueritati testimonium ferunt & Christo confidere docent, deũ authorem

Signis inhærere, idololatriæ initium est.

Signorum diuersitas.

agnoscamus: alia uerò omnia pro falsis reijciamus, utpote quorum illecebris fidei & saluti nostræ Satan insidiari solet. Hoc nisi obseruetur non falsis modò signis, uerumetiam miraculis ueris, quorum deus ipse author est, nostro uitio seducemur, dum personis intenti, finẽ, in quẽ ista fiunt, minus obseruamus. Cuius rei euidens exemplum præsens hic locus exhibet, & aliud infra de Lystrensibus traditur, qui ex miraculo per Paulum edito, idololatriæ occasionem arripuêre, ut suo loco patebit. Acto. 14.

II. Cócionis Petri argumentum.

Sed Petrum uideamus, qui ex populi stupore prædicandi occasionem arripit. Num uerò populi ignorantia siue errore abutitur? Num per hunc sibi & collegis suis authoritatem conciliare studet, quod non incommodè fieri potuisset? Nequaquam. Imò de Christo concionari incipit, & illius honorem ac gloriam asserit. Sunt autem concionis huius partes quatuor. Prima ignorantiæ uulgi medetur, & ostendit, nihil hic uel potentia & uirtute uel sanctitate hominum esse effectum. Secunda, deum miraculi authorem prædicat, qui illud per filium suum ediderit, ubi simul illos immanis flagitij, in filium dei commissi, admonet. Tertia, pœnitentiam ab illis exigit. Postrema, quia cum Mose & prophetis pugnare uidebatur Christiana religio, docet Christum ab his tradi, & necessario illi credendum esse, nisi in Mosen & prophetas grauiter peccare uelint: simul uerò ne peccatorum conscientia toti absorberentur, testatur Christum, qui patribus promissus fuit, ad ipsos etiam pertinere. At in præsenti primam duntaxat partem excutiemus, de reliquis suo loco & tempore dicturi.

Ignorantiæ & errori medetur Petrus.

Principiò ignorantiam & errorem ex auditorum animis remouet. Est hic legitimus & commodissimus ueritatem docendi ordo. Ea enim hominis conditio est, quæ & terræ, unde ille originem trahit. Hæc sentes et uepres spontè gignit, nec semen bonum cum aliquo fœnore reddit, nisi ab illis sedulò repurgetur. Ita hominis mens, hæreditario peccati malo corrupta, errores spontè parit, quibus nisi strenuè occurratur, ueritatis doctrinam nec admittit, nec fructum ex ea aliquem percipit. Quapropter prophetam dominus diruere & extirpare iubet, priusquam ædificet atq; plantet. Iere. 1. Nec frigidus est in hac parte Petrus, quasi ciuilitatis & modestiæ ergò honorem detrectet, ut ambitiosuli solent, qui eo ipso gloriam uenantur, quòd se illius contemptores esse simulant. Sed interrogatione orationem figurans illam uehementiorem reddit, dicens: Viri Israelitæ, quid miramini super hoc, aut nos intuemini, quasi propria potentia aut pietate effecerimus, ut hic ambularet? Reprehensionem spirant uerba hæc. Quæ obsecro (inquit) causa uos impellit, ut hoc miraculo tantum stuporem conceperitis, cum non ita pridem infinita huius generis à Christo edita sint? Cur non illa in mentem ueniunt? & facilè pateret, quis nam huius quoq; author fuerit. Frustra certè nos intuemini, imò hic uester error tam grauis est, ut dissimulari non debeat. Nihil enim hic nostra uel potentia uel sanctitas effecit. Sed alterius hoc opus est, cui laudem facti omnem transcribi necesse est.

Sancti omnem gloriam Christo tribuunt.

Obseruemus hoc loco apostolorum modestiam & fidem, qua Christo honorem & gloriam omnem ita uendicant, ut nihil sibi reseruent, ex eo, quod illi debetur. Est hoc omnibus sanctis propriũ. Agnoscunt enim Christi uocem, apud prophetam dicentis: Ego dominus, hoc est nomen meum, & gloriam meam alteri non dabo. Isa. 42. Exempla huius studij non hic modò, uerumetiam alibi multa extãt. Baptista, cum de saluatore Messia interrogaretur, omnem hanc laudem uni Christo transcribit, cuius præcursorem se tantum esse profitetur. Iohan. 1. Idem coram discipulis, qui carnali zelo Christum persequebantur, illum ecclesiæ sponsum esse testatur, cui omnes adduci oporteat, & huic omnem à deo patre potestatem & gloriam concessam esse docet, & discipulos suos ad Christum ablegat. Iohan. 3. Matth. 11. Et Paulus lapidari mauult, quàm diuinos honores, cum spontè illi à Lystrensibus offerrentur, recipere. Acto. 14. Similiter & angelos affectos esse constat. Cum enim Iohannes, reuelationum excellentia abreptus, angelum adorare uellet, illum dicentem audit: Vide ne feceris, conseruus enim tuus sum, & fratrum tuorum prophetarum, & eorum qui seruant uerba prophetiæ libri huius. Deum adora. Apoc. 22. Vnde D. Augustinus epistola 49. de cultu soli deo exhibendo disputans, de angelis, quos spiritales creaturas uocat, sic scribit: Quantò magis pia est & subdita deo, tantò minus se tali honore dignatur, quem scit non deberi nisi deo. Et paulò post malos angelos (quos hominum erroribus delectari adeoq; pasci dicit) cum bonis conferens addit: Proinde sicut impia superbia, siue hominum siue dæmonum, sibi hos diuinos honores exhiberi uel iubet uel cupit: ita pia humilitas uel hominũ uel angelorũ sanctorũ, hæc sibi oblata recusauit, & cui deberetur ostendit.

Potest

Potest ex his certa desumi de omnibus tam apparitionibus quàm doctrinis iudicandi regula. Quicunq enim deo fidere & seruire & deum unum in Christo Iesu adorare docent, siue angeli siue homines fuerint, pro sanctis dei ministris haberi debent, & illis tutò credere licebit. Quisquis uerò salutis gloriam à Christo uel in seipsum, uel in alias creaturas transferre, ac salutem in proprijs hominum operibus quærere docet, anathema sit, etiamsi angelus de cælo fuerit. Galat. 1. Iugulantur hoc telo omnes spirituum apparitiones, qui animarum è mundo digressarũ personam simulant, & Missarum sacrificijs alijsq; eius generis operibus sese redimi posse docent. Arguũtur item falsi doctores, qui hominum simplicitate ita abutũtur, ut sibi redemptionis & remissionis peccatorum gloriam uendicent. Et damnat suo exemplo Petrus Romanos Antichristos, qui sede & successione Petri gloriantur, è quorum numero quidam dixisse fertur, nihil utilius & fœcundius esse Christiana persuasione: per hanc enim fieri, ut ipse & sui similes rerum domini habeãtur. Ita unius uox, temere elapsa, omnium illorum animos prodidit.

Admonemur etiam Petri uerbis, ad quem authorem signa & miracula omnia referri debeant. In quibus duo ferè respiciunt homines, Potentiam nimirum & Pietatem siue sanctitatem eorum, quorum ministerio illa fiunt. Sed Petrus neutrum ex his miraculorum causam efficientem esse docet, dum Iudæos eo nomine reprehendit, quòd apostolorum potentia & pietate tantum opus confectum fuisse putarent. Nec rationes desunt, quibus Petri sententia probari possit. Miracula enim dicuntur, quæ contra aut præter naturæ ordinem fiunt. Atqui naturæ dominus solus deus est, qui uni Christo potestatem omnem tradidit in cælo & in terra. Matth. 28. Iohan. 3. Quare hunc quoque unicum omnium miraculorum authorem agnoscere conuenit. Quid enim cõtra naturæ ordinem possent homines, qui nec in ijs aliquid possunt, quæ iuxta naturæ leges fiunt. Naturale est, ut ætate augeatur hominis statura, donec ad iustam mensuram perueniat, et ut idem senecta appropinquante canescat. Quis uerò hominum est, qui sua solicitudine & industria staturæ suæ unicum cubitum addere, aut pilum capitis uel nigrum uel album facere possit? Matth. 6. & 5. At nec sanctitati hominum hic quicquam tribui debet, quasi hæc miraculorum sit causa efficiens, quando multos constat sanctissimos fuisse, quos miraculorum dono destitutos fuisse legimus. Nec enim propter illos, quorum ministerio eduntur, sed aliorum salutis causa plerunq miracula fieri consueuerunt. Quæ causa est, quòd impiorum opera non rarò deus uti uoluit, ne quid hominum meritis tribueretur. Sic Iudam proditorem in illorum numero censeri uidemus, quibus euangelij prædicationem dominus commisit, & miracula edendi uirtutem concessit. Et alibi dominus, multos in nouissimo die miraculis gloriaturos dicit, quos se reiecturum testatur, non quòd falsa iactitent, sed quòd iniquitatis sint operarij. Matth. 7. Quare ut miracula non semper certa sunt sanctitatis hominum testimonia, ita nec illorum sanctitati, per quos fiunt, adscribi debent. Quid enim mereatur homo contra naturæ cursum facere, qui propter innatam corruptionem naturalibus quoq, & quotidianis dei beneficijs indignus est? Solus ergo deus miraculorum author censeri debet, eorum inquam, quæ saluti & fidei nostræ confirmandæ seruiunt. Operatur autem hæc, non quia nos meremur, sed quia saluti nostræ consultum cupit. Sunt enim doctrinæ ueritatis testimonia, & hominum mentes ad illius consyderationem excitant. Eadem quoq, illorum ratio est, quæ circa sanctorum tumbas olim contigisse legimus. Nam illis doctrinam ipsorum confirmare uoluit dominus, & de illorum immortalitate & beatitudine testari, qui diris tormentis per impios fidei persecutores, excruciati fuerant, ut consolationem acciperent, qui illorum morte & interitu offendi potuissent. Intra hosce ergo limites miraculorum rationem omnem contineamus, ut uni deo omnis illorum gloria transcribatur. Hos quicunq, transgressi fuerint, uel suis miraculis alios parum cautos seducent, uel ipsi ab alijs seducentur.

Miraculorum author unus deus.

Nemo tamen nostra hæc ita accipiat, quasi sanctis dei cultoribus suum honorem & gloriam inuideamus. Tribuimus enim illis, quicquid illis in scripturis spiritus sanctus tribuit. Agnoscimus illos, cum in terris agerent, diuinæ gloriæ & gratiæ uasa ac organa electissima fuisse, quorum doctrinam, fide firma apprehendere, & uitæ exemplum imitari debeant, quicunq, salutem consequi cupiunt. Christum enim dixisse scimus: Qui uos audit, me audit, &c. Matth. 10. Iohan. 13. Et illud Pauli exosculamur: Imitatores mei estote, quemadmodum & ego Christi sum. 1. Cor. 11. Nunc autem illos ipsos in cælis agere credimus, exemptos omnibus huius seculi curis, laboribus & molestijs,

Quid de Diuis pie credi debeat.

quemadmodum de Abrahamo & alijs patriarchis sancti apud prophetam testantur. Isa. 63. Interea quæcunq; ad mundi huius gubernationem & nostræ redemptionis rationem spectant, uni deo per Iesum Christum tribui debere, docemus. Vt enim in mundi creatione nullius ope & auxilio siue consilio usus est: ita nec redemptionis gloriam cum aliquo communem habet. Quare nefas ducamus, quicquam illi eripere & uel nobis uel alijs uendicare. Sed illi fidamus constanter, & uni hæreamus per filium suum dilectum, Iesum Christum: cui debetur benedictio, honor, gloria, & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA XXII.

Deus Abrahami, Isaaci & Iacobi, deus patrum nostrorum, glorificauit filium suum Iesum, quem uos tradidistis, & quem negastis coram Pilato, cum ille iudicasset absoluẽdum. Vos autem sanctum & iustum negauistis, & postulauistis, ut uirum homicidam donaret uobis, authorem uerò uitæ interfecistis. Quem deus suscitauit à mortuis, cuius nos testes sumus. Et in fide nominis ipsius hunc, quem uidetis & nouistis, consolidauit ipsius nomen: & fides, quæ per ipsum est, dedit ei integram hanc sanitatem coram omnibus uobis.

EXposuimus primam concionis Petri partem, qua uulgi ignorantiæ medetur, & miraculum, quod in claudo editum fuerat, nec potentiæ nec sanctitati hominum tribui debere, ostendit. Videamus nunc secundam, qua miraculi authorem deum facit, & in Christum Iesum, cuius nomine illud factum sit, ipsos respicere docet. Et quia hæc totius concionis præcipua pars est, illam magno studio & ordine commodissimo tractat. Primò enim summam totius negotij paucis uerbis comprehensam proponit. Deinde illos immanissimi sceleris, in filium dei commissi, admonet. Tandem uerò ad propositum rediens miraculi rationem omnem disertè exponit.

I. *Miraculi author & causa finalis.*

Summa totius causæ est: Deus Abrahami, Isaaci & Iacobi, deus patrum nostrorum, glorificauit filium suum Iesum. Comprehendit his tum miraculi authorem, Deum, tum eiusdem causam finalem, glorificationem scilicet filij dei, Iesu Christi. Et quemadmodum prius nihil uel potentiæ uel sanctitati hominũ tribui debere ostendit: ita nunc ad deum authorem unicum & filij ipsius gloriam siue illustrationem omne hoc referri debere, docet. Interim duo nobis obseruanda ueniunt.

Deus Abrahami, Isaaci, Iacobi & patrum.

Primum, quod de deo loquens, deũ Abrahami, Isaaci & Iacobi, deniq; deum patrum nominat. Quo titulo deus ipse non semel in ueteri Testamento utitur, & est hoc ingens diuini amoris argumentum, quo suam bonitatem ille nobis commendat. Solent huius seculi reges à deuictis & uastatis gentibus nomina sibi sumere, & gloriam ex eo magnam quærunt, si Parthici, Gothici, Alemannici, Africani, Numidici, dicantur. At quæ alia istorum nominum ratio est, quam quòd populos istos exciderunt, & illorum terras igne ac ferro uastarunt? Longè aliter deus, qui ab hominibus ijs denominari uult, quos nihil tale meritos sibi ex gratia perpetuo fœdere obstrinxit, & à quibus nec prædam opimam, nec aliquem fructum sperare potest, nisi quem ipse in illis produxerit. In præsenti tamen altius quiddam spectauit Petrus, & eos titulos deo tribuit, quos præsenti negotio imprimis conuenire uidebat. Primò enim cum patres nominat, illos promissionum admonet, quas olim patribus de Christo deus dedit. Abrahamo enim dictum erat: Ero deus tuus & seminis tui post te. In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ, Gene. 22. Quam promissionem in Isaaco & Iacobo postea repetitam fuisse legimus. Gene. 26. & 28. Vt iam de Dauide nihil dicamus & prophetis, qui in eadem promissione explicanda plurimum uersantur. Proderat autem, imò necesse erat promissiones illas repeti, eò quòd illas omnes Iudæi paulò ante coram Pilato negauerant, dum se nullum alium regem, præter Cæsarem sperare & habere clamant, ut infra audiemus. Quapropter, ne se à dei fœdere & promissionibus in uniuersum excidisse putarent, omnemq; salutis spem abijcerent, ostendit Petrus, deum illum adhuc uiuere & regnare, qui olim cum patribus fœdus inierit, nec illum adhuc Abrahami, Isaaci & Iacobi pigere, sed ut olim, ita nũc quoq; ab ipsis denominari uelle, modò ipsi ad illum conuertantur. Deinde ad declinandum suspicionem, qua apostoli grauabantur, hic dei titulus non

parum

parum faciebat. Plerisq enim suspecti erant, quasi nouum deum, nouam fidem, nouamq religionem, patribus hucusq incognitam, prædicarent. Quæ causa erat, quòd à multis non audiebantur, à multis uerò digni putabantur, qui iuxta Mosis legem mortis iudicium sustinerent. Deute.13. At hoc dei titulo Petrus tam ingenuè & magnificè utens, publicè quodammodo protestatur, se nullum alium deum agnoscere, quàm qui se patribus olim manifestauerit, nec aliam fidem siue religionem prædicare, quàm qua patres olim deo sese approbarint, & per quam ipsi saluati sint. Postremò, quos patres Iudæi in religionis & fidei causa obseruare atq imitari debeant, illos non obscurè admonet. Gloriabantur illi patribus, qui recentiores erant, quiq post Mosem & prophetas subingressi nouarum traditionum & multiplicis superstitionis authores fuerant. Quorum traditiones tam anxiè obseruabant, ut dei potius leges transgredi, quàm in illis quicquam negligere aut mutare auderent, quod ipsis à Christo non semel exprobratum fuisse, legimus. Matth.15. & 23. &c. Nec alia res erat, quæ ipsos tum Christo tum apostolis infensiores redderet, quàm quòd isti maiorũ traditiones sua doctrina impugnarent. Abrahami ergo, Isaaci & Iacobi meminit Petrus, ut ostendat, non quosuis patres in religione esse imitandos. Vt enim unus omnium pater deus est, & unus omniũ magister, Iesus Christus, quem pater toti terrarum orbi doctorem constituit: ita illorum duntaxat uestigijs nos insistere decet, quorum fidem & religionem deo placuisse constat, & quibus fidei & integritatis testimonium ferre deus dignatus est. In quorum numero principatum tenet Abraham, quem credentium & multorum populorum patrem ideò scriptura uocat, quòd ad illum pertinent, quotquot fidem in Iesum Christum, quæ illi ad iustitiam imputata est, amplexantur. Rom.4. Eidem Christus testimonium fert, quandò illum exultauisse dicit, ut diem suum uideret, & cum illo discubituros ait in cœlorum regno, quotquot ab oriente & occidente in ecclesiam dei confluunt. Iohan. 8. Matth. 8. Discant hinc nostri seculi homines, quàm inanis sit recentiorum patrum gloriatio, qui nouam salutis rationem extra Christum uel commenti uel secuti sunt. Nisi Abrahami filij per fidem in Christum reddamur, nullo aliorum patrocinio & authoritate defendi poterimus, etiamsi reges & Imperatores fuerint, &c.

Secundò obseruemus, quòd ait: Deus patrum nostrorum glorificauit filium suum, Iesum. Atqui de miraculo in claudi persona edito, loquitur, cuius finem his uerbis indicat. Docemur hic, glorificationem siue illustrationem filij dei, Iesu Christi, omnium miraculorũ noui Testamenti finem & scopum esse, ad quem eos quoq omnes respicere oportet, quicunq miraculis gloriari audent. Hunc finem euangelista disertis uerbis exprimit, dicens: Multa alia signa fecit Iesus, quæ non sunt scripta in hoc libro: hæc autem scripta sunt, ut credatis, quòd Iesus est Christus ille, filius dei, &c. Iohan. 20. Sed & ipse Christus de potestate edendi miracula & iudicandi, sibi à patre tradita, loquens, hunc eius finem esse docet, ut omnes honorent filium, sicut honorãt patrem. Iohan.5. Et de Lazari morbo apud discipulos disserens, ait: Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria dei, ut glorificetur filius dei per eam. Iohan. 11. Hinc patet, quo loco haberi debeant miracula & signa, quibus nonnulli suam priuatam gloriam illustrare student, ut sibi discipulorum & seruorum instar subijciant, quos Christus sanguinis sui precio redemptos sibi sanctificauit.

Miraculorum noui Testamenti finis.

Cæterum, quia in Christi mentionem Petrus incidit, commodè auditores immanis flagitij admonet, quod in hunc ab illis patratum erat. Nec leuiter illud perstringit, sed omnem illius atrocitatem ipsis ob oculos statuit. Crescit enim ceu gradibus quibusdam oratio, cuius hic finis est, ut tanti sceleris agnitione consternati, pœnitentiæ studio & salutis per Christum assequendæ desyderio inflammentur. Primò, illos filium dei tradidisse dicit, nimirum gentibus ad illudendum & crucifigendum. Atqui immane scelus est, innocentem in mortem tradere, & horrenda extant dei iudicia in eos, qui sanguine sese polluunt. Vide Numer.35. Sed hic maius quiddam & atrocius subest. Quia enim Iudæos, ex omnium gentium numero selectos, sibi consecrauerat deus, nemo illorum gentibus prophanis ad illudendum & in mortem tradi poterat, sine prophano & sacrilego dei & gloriæ diuinitus concessæ contemptu & conculcatione. Quæ mihi causa esse uidetur, quòd Christus frequenter, quando de morte sua loquitur, huius facinoris meminit, quòd ipsum gentibus traditurí sint. Matth. 20. Luc.18. &c. Id autem non temere & incogitanter, sed publico & communi seniorum consilio & populi applausu, qui ipsos ad Pilatum usq comitatus est, factũ esse euangelistæ testantur. Matt.27.

II. Admonet sceleris in Christum commißi.

Luc.23. Accedit his secundo loco, quòd ait: Et negauistis illum coram Pilato. Atqui non de leui aliqua Iesu abnegatione loquitur, sed ea, qua omnibus dei promißionibus, de Meßia & rege redemptore exhibitis, renuntiauerant, spemq́ patrum, qua tot seculis liberatoris aduentum expectauerant, negauêre. Quod ipsos fecisse, Iohan.19. legimus. Cum enim Pilatus, illis subinde regis nomen ingeminaret, haud dubiè ad promissum & ab omnibus hucusq́ expectatũ Meßiam respiciens, illi immani impietate exclamant: Non habemus regem, nisi Cæsarem. Ergó ne de Cæsare intelligi debebat promißio Dauidi facta, quòd ex ipsius stirpe nasciturus esset, cuius regnum æternũ maneret? Et num de Tiberio, flagitioso & impuro homine, intelligendum quod dicitur? Ecce rex tuus ueniet tibi, iustus & seruator & mitis, &c. Zach.9. Hanc ergo impietatem, qua sese & salute & promißionibus salutis, omniq́ salutis spe spoliauerant, hic illis Petrus exprobrat. Ne uerò flagitium in Pilatum transferre possent, quasi illius metu eò impulsi essent, hoc ipsos fecisse dicit, cum Pilatus Christũ absoluendum iudicasset, & publicum de illius iustitia & integritate testimoniũ tulisset. In Iudæis ergo culpam hanc hærere dicit, qui (ne quid sceleris omitterent) tam se quàm filios suos sanguinis huius reatu solenni & publica protestatione obstrinxerant. Horrenda sunt hæc, sed nondum in his quieuit Iudæorum impietas. Nam addit Petrus: Vos Sanctum et Iustum negauistis, & postulauistis ut uir homicida donaretur uobis, authorem uerò siue principem uitæ interfecistis. Eam odij in Christum acerbitatem exprobrat, qua ita excæcati fuêre, ut nõ puderet ipsos, latronem sanguinarium Christo præferre. Et ut euidentior sit sceleris atrocitas, collatione utitur. Iesum negauistis, qui sanctus erat & iustus, in quo nec Sacerdotes (licet omnem lapidem mouerint) nec Pilatus, nec Herodes, quicquam criminis deprehendere potuerunt. Adhæc interfecistis eum, quem uitæ authorem, imò uitæ & mortis principem ac dominum esse, tot miraculis & recenti Lazari resuscitatione agnoscere debebatis. Interim latronem, sicarium et seditiosum hominem uobis donari postulauistis. Et cũ uestra esset electio, beneficiorum Christi omnium obliti, latronem nefarium illi præferre non puduit. Quid uerò atrocius & grauius & magis horrendum dici poterat? Atqui hæc Petrus in ea urbe, imò in templo loquitur, ubi rerum potiebantur qui primi huius facinoris authores fuerãt, quosq́ odia in Christum adhuc spirare nouerat. Rursum ergo docemur, qua libertate publica scelera argui debeant ab ijs, quos in sua ecclesia speculatores dominus constituit, ut gladium imminentem prænuntient, ne quis illorum incuria & negligentia pereat. Nec est quòd eos audiamus, qui hac uehementia minimè opus esse dicunt hodie, quando nemo sit, cui tam atrox facinus obijci queat. Nec enim soli Iudæi peccaucre, sed hodie non minus atrociter, quàm ab illis peccatum fuit, à multis peccatur. Traditur à multis Christus in mortem, dum paßim in fideles Christi ferro & igne sæuitur. Eundem multi metu, plures autem hominum fauorem secuti, abnegant. Nec simplicitate & ignorantia peccatur, quo nomine paulò post Petrus Iudæos excusabit. Sed multos reclamante multum conscientia Christum negare uidimus. Horret animus, quando atrocis flagitij recordor, quod ab illis commissum est nuper, qui non modò ipsi ueritatem abnegarunt, sed suos ad eandem abnegationem coegerunt, & eam religionis formam amplexi sunt, quæ nec ab eius authore & inuentore probabatur. Exemplo caret impietas, quæ tunc designata est, & utinam uerè sceleris pœniteret omnes, qui eo polluti fuerunt. Interea regnare, florere & in pretio haberi cernimus, sanguinarios Barrabas, qui mercenariæ sanguinis effusioni assueuerunt, quiq́ dei iram & horribile exitium in miseram patriam sua improbitate prouocant. Tales ergo accusari conuenit, nec ullus modestiæ locus superest, ubi hæc palàm fiũt, & pro flagitijs haberi desierũt. Sed ô scelus. Nõ licet hodie inter Christiani nominis professores, quod Petro in sanguinaria Hierosolymorũ urbe licuit. Iudæis igitur hoc nomine deteriores sumus, quòd cum eadẽ cũ ipsis faciamus, uerbi tamen disciplinã non eadẽ cũ ipsis patientia suscipimus.

III. Miraculi & totius salutis ratio.

Redit autem ad institutum Petrus, ut deum miraculi huius authorem, omnemq́ illius rationem luculentius describat. Prius tamen resurrectionem Christi prædicat, tum quòd in ea potißimũ salutis per Christum acquisitæ ratio uersatur, tum quòd Crucis offendiculo pulchre medetur. Vos quidem interfecistis (inquit) uitæ authorem, sed deus illum resuscitauit ex mortuis, cuius rei nos sumus testes. Necesse autem erat, hæc præcedentibus subijci, ne quis impiorum libidini nimium permissum fuisse putaret. Docent enim, illorum truculentiam & iniquitatem Christo nihil potuisse adimere, utpote qui è mortuis resuscitatus, nunc in cœlis uiuat & regnet. Hinc uerò communem consolationem

lationem petere licebit. Vt enim Christo nihil detrahere potuit Iudaicæ gentis improbitas & tyrannis: ita nec Christi membris nocere poterunt, quicunque Iudaicam impietatem & tyrannidem imitantur. Concursant quidem mundi principes, & Christi regnum euertere cupiunt. Sed dominus ex alto illorum consilia ridet, cuius consilium in æternum stabit. Vide Psal. 2. & 33. Nemo igitur homines timeat, qui ut maximè insaniant, in solas fortunas & corpus nostrum, alioqui mortale & periturum, aliquid poterunt. Imò nec in illa quidem quicquam possunt, nisi dominus permittat, qui capitis nostri pilos numeratos habet. Anima uerò extra omnem fortunæ aleam posita, Christo redemptore fidit, nec spe sua unquam frustrabitur. Matth. 10.

Sed uideamus, ut miraculi rationē Petrus explicet. In fide nominis ipsius (inquit) hunc, quem uidetis & nouistis, consolidauit nomen ipsius. Obscura uidetur oratio, nisi uerborum contextum obserues. Et imponit multis, quod nomen in accusandi casu positum esse existimant, cum nominatiui casus illud esse tota uerborum series non obscurè testetur. Sic autem construi & contexi debet oratio: Nomen Iesu Christi consolidauit & sanauit hunc, quem coràm conspicitis, idq; propter fidem, quam hîc nomini Christi adhibuit, factum est. Et ut planior esset sensus, per expositionem adijcit: Fides, quæ per ipsum est, dedit ei integram hanc sanitatem coram omnibus uobis. Sensus uerò omniū est, Christum Iesum per suum nomen, id est, sua uirtute, potentia & merito claudo sanitatem & incolumitatem contulisse, eò quòd ille in Christum Iesum crediderit. Frequentius autem Christi nomen & fidem in Christum repetit, ut euidentior sit Christi gloria, in qua asserenda nunquam sibiipsis satisfaciunt apostoli, ut in illorum scriptis & sermonibus passim apparet. Sunt autem non oscitanter prætereunda uerba hæc. Quia enim in claudo totius humani generis typum nobis propositum esse diximus, in eiusdem curatione uniuersam nostræ salutis rationem cernere licebit. Comprehenditur ergo hic salutis author uerus, deinde & mediū quo salus à nobis percipitur, & eiusdem finis, in quem omnia ista tendunt.

De salutis authore Petrus disserens, Christi Iesu nomen allegat, quem paulò ante authorem & principem uitæ dixerat. Nomen uerò pro uirtute, imperio aut merito accipi, notius est, quàm ut multis demonstrari debeat. Quia autem prius omnem potentiam & sanctitatem hominū ab hoc negotio exclusit, & nunc unius Christi meminit, cuius nomine & potentia hoc omne transactum esse testatur: facilè patet, salutis nostræ originem ad unum Christum referri debere. Huius enim merito ex peccatis liberati & mortis satanæq; tyrannide redempti sumus. Et ipse apud prophetam nullum alium redemptorem, præter se unicum, esse profitetur. Isa. 43. At plura de hoc dicendi locus cap. 4. offeretur, ubi nullum aliud nomen sub cœlo hominibus datum esse Petrus testatur, per quod saluari possint, &c. — Author salutis Christus.

Atqui non satis est nouisse, in Christo omnem salutis rationem contineri, nisi qua ratione nos salutem, quæ in ipso est, consequi & apprehendere possimus, intelligamus. Sed & hanc Petrus exponit, dum in fide, id est, propter fidē nominis Iesu Christi, hunc consolidatum & sanatum fuisse dicit. Item: Fides, quæ per ipsum est, dedit ei hanc integritatem, &c. Fide ergò salus apprehenditur, nec extra fidem quicquam in nobis est, quo illa apprehendi possit: eò quòd non alia re quàm fide Christo inserimur. Qui edit carnem meam & sanguinem meum bibit, in me manet, & ego in ipso. Iohan. 6. Quia enim corpore à nobis discessit, & spiritu nos inhabitat, spiritu in nobis uiuit & regnat, solius fidei illud opus est, quòd illum & in illo salutem apprehendimus. Quæ causa est, quòd frequenter fides saluare & iustificare dicitur. Sic sanguinis profluuio laboranti dicit dominus, Fides tua saluauit te. Matth. 9. Et peccatrici iisdem uerbis salutem pollicetur. Luc. 7. Saluat quidem & iustificat unus Christus. In illo enim est uita, & hic nobis à deo patre factus est sapientia, iustitia, satisfactio, sanctificatio & redemptio. 1. Cor. 1. At quia fides nos Christo inserit, & bonorum, quæ in illo sunt, consortes facit, non immerito illi salus & iustificatio tribui consueuit. Obserua autem fidei definitionem quam uerbis hisce Petrus cōprehendit, cùm ait: Fides nominis ipsius, & fides quæ per ipsum est. His enim docet, se de ea fide loqui, quæ Christo nititur, & quæ talem agnoscit & credit Christum, qualis nomine suo describitur. Nomen filij dei incarnati est, IESVS CHRISTVS. Iesus nomen, ab angelo priusquam nasceretur nominatum, in Circumcisione, solenni more gentis Iudaicæ accepit: quod Saluatorem & redemptorem sonat, angelo dicente: Vocabis nomen eius IESVM. Is enim saluum — Medium, quo salus apprehenditur, fides.

faciet populum suum à peccatis suis. Matth.1. CHRISTI uox Latinis unctum significat, & saluationis siue redemptionis modum exprimit. Vngebantur enim antiquitus, ex dei institutione, Reges & Sacerdotes, & propterea Meschijm & Christi, id est, uncti dici solebãt. Ita autem promissum saluatorem appellari decuit, eò quòd is uerus ille Rex est, quem deus super Zion, montem suum sanctum, constituit, & cuius regnum per totum orbem extenditur. Vide Psal.2.72. Zach.9.&c. Hic enim fidelis regis instar, suos ex tyrannide diaboli asseruit, eosdem regit & gubernat, tuetur & cœlestis regni sui thesauris liberalißimè ditat. Idem sacerdos est in æternum iuxta ordinem Melchizædech. Psal.110. Docuit enim olim, & quotidie docet in sua ecclesia. Vnico autem corporis sui sacrificio omnia hominum peccata expiauit. Et nunc pro nobis intercedit apud patrem, fidelis Pontifex in omnibus ijs transigendis, quæ nobis apud deum agenda restant. Hebr.2. Quicunq; ergo dei filium regem & sacerdotem ecclesiæ dei & unicum saluatorem uerè agnoscunt, & illo uno soloq; nituntur, in nomen filij dei uerè credunt, quod præcipuum dei mandatum esse, apostolus testatur. 1.Iohan.3.

Fructus fidei.

Finis autem siue fructus fidei huius est, ὁλοκληρία, id est, integritas totius hominis, qualem claudo huic obtigisse uidimus. Contulit illi Christus propter fidem integras uires corporis, ut iam & incedere & saltare ac exultare posset. Sed & animam eius non immunem salutis fuisse, ex eo patet, quòd deum prædicauit, & apostolorum socius indiuulsus factus est. Totos ergo nos per fidem Christus restituit. Nec enim à peccatis tantummodo & peccatorum pœna liberat, uerumetiam per uerbum dei immortale spiritus sui operatione nos regenerat. 1.Pet.1. Quò fit, ut cœlestia sapere, diuinæ uoluntati nos accommodare, carnis cupiditatibus resistere, omnia deniq; poßimus in Christo, qui nos corroborat. Philip.4. Excipit autem nos perfecta salus & uera beatitudo, quæ in cœlis parata est. In hanc anima, per fidem è mundo migrans, recipitur, nec in aliquod iudicium uenit. Corpus uero, ubi corruptionem omnem exuerit, in nouißimo die tuba & uoce archangeli excitatum resurget. Vide Iohan.5.1.Theß.4. Amplißimus ergo hic fidei fructus est, quem etiam non alia ratione, quàm fide in Christum assequi licebit. Studeamus itaq; uerbo dei, per quod fidem largitur dominus. Iungamus studijs nostris ardentes preces, ut hac fide animati perfectam tum corporis tum animæ salutem consequi & in cœlis poßidere poßimus in Iesu Christo, saluatore, Rege & Sacerdote nostro unico: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA XXIII.

Et nunc, fratres, scio quòd per ignorantiam fecistis, quemadmodum & principes uestri. Deus autem, quæ prænuntiauerat per os omniũ prophetarum suorum, Christum passurum esse, sic impleuit. Pœnitentiam ergo agite, & cõuertimini, ut deleantur peccata uestra: ut cùm uenerint tempora refrigerij à conspectu domini, & miserit eum, qui ante prædicatus est uobis, Iesum Christum: quem oportet quidem cœlos accipere usq; in tempora restitutionis omniũ, quæ locutus est deus per os omniũ suorum sanctorum prophetarum à seculo.

Diuus Petrus secunda suæ concionis parte miraculi, in claudo editi, authorem deum ita indicauit, ut Iudæos simul immanißimi sceleris, quod in dei filium Iesum Christum commiserant admonuerit. At quia nihil hoc atrocius & horribilius fingi poterat, dubium non est, quin multorum mentes non mediocriter perculsæ & territæ fuerint. Quare illis resipiscentiæ & salutis uiam monstrari necesse fuit. Facit hoc in præsenti, quæ tertia concionis huius pars est, in qua illorum ingenio & capiti prudentißimè sese accommodat. Primò enim quia in desperationis præcipitio consistere uidebantur, ueniæ & salutis spem adhuc superesse docet. Deinde salutis uiam ostendit, & simul grauißimis rationibus hortatur & urget, ut illam capessere uelint. Quæ singula si excutiantur, nostræ institutioni non parum seruient. Docent enim, ijs quoq; apud Deum ueniæ spem esse, qui grauißimè peccarunt: & simul salutis uiam monstrant, quam eos ingredi oportet, qui cum deo reconciliari & salutem consequi cupiunt.

Prudenter

Prudenter uerò & commodè ab eo orditur, quòd ipsos nondum omni salutis spe excidisse docet. Nisi enim hoc intelligant peccatores, frustra illos ad pœnitentiam hortaberis, quam sibi nihil profuturam putabunt. Vnde fit, ut uel contumaces facti, scelus sceleri addant, adeoq; cum deo certamen suscipiant, cuius rei exempla in Caino, Saule & alijs extant: uel desperationis barathro absorbeantur, quod Iudæ accidisse legimus. Quæ causa est, quòd prophetæ grauißimis increpationibus, quibus & populi peccata accusant, & pœnas meritas minantur, promißiones & oracula de Christo saluatore interserunt, ut peccatorum conscientia perterriti, animos per fidem promißi saluatoris denuò erigant, & in illo salutem quærere discant. Imitatur horum industriam Petrus, qui hoc sui officij esse nouerat, ut homines non absterreret minacibus dictis à Christo, sed illos huic lucrifaceret: quem scopum hodie etiam Christi ministris propositum esse decet. Sed argumenta Petri uideamus, quibus illos ad ueniæ & salutis spem erigit.

Veniæ & salutis spem facit Christicidis.

Primò ignorantiæ prætextu scelus mitigat. Scio (inquit) quòd per ignorantiam fecistis, quemadmodum & principes uestri. Si enim illi (ait Paulus) cognouissent, nunquam dominum gloriæ crucifixissent. 1. Cor. 2. At non ita accipi debent Petri uerba, quasi scelus ipsorum, quod ante horrendum in modum amplificauerat, nunc extenuare & excusare uelit: quod sine leuitatis crimine fieri non potuisset. Et ignorantia per se non excusat ea, quæ in dei gloriam committuntur, imò ipsa non leue peccatum est, cum homines in eum finem conditos esse sciamus, ut deum norint, colant & glorificent. Sed Iudæorum peccatum à peccato in spiritum sanctum distinguere uult. Est hoc, quando homines agnitam ueritatem & Christum, qui animis illorum innotuit, scientes & uolentes abijciunt, adeoq; cum deo & Christo eius bellum suscipere audent, quod Iudam proditorem, Iulianum apostatam & alios eius farinæ fecisse constat. Horum peccatum remißionem nullam inuenire, Christus testatur Matth. 12. Et Iohannes pro eo precari uetat. 1. Iohan. 5. Rationem huius sententiæ Apostolus ad Hebr. cap. 6. simili eleganti à terra petito reddit. Vt enim hæc, si & studiose colatur & cœlestibus influentijs irrigetur, nihilominus tamen sterilis manet & infrugifera, eo argumento satis docet, se maledictioni obnoxiam & desperatæ sterilitatis esse: ita si qui Christi Iesu cognitione, quæ sola hominum mentes ad salutem excolit & ad bonum fœcundas reddit, non emolliuntur, sed efferatiores facti, illam scientes uolentes reijciunt & impugnant, næ illi satis apertè produnt, se ex reproborum numero esse, de quorum salute nihil sperari poßit. Hoc igitur ab auditoribus suis remouet Petrus, ut ostendat, de remißione peccati & salute non desperandum esse ipsis, cum ignorantia seducti, non deuota impietate, peccarint. Et uerisimile est, ipsum ad Christi preces respexisse, qui hoc ipso nomine pro ijs, à quibus crucifigebatur, orat, dicens: Pater, remitte eis, quia nesciunt quid faciant. Luc. 23. Est autem locus hic non oscitanter prætereundus, ut discamus, quæ illa ignorantia sit, per quam peccata mitigari, adeoq; excusari, poßint. Duplicem enim in scripturis ignorantiam inuenimus. Prima impiorum est & eorum qui palàm deo rebelles facti sunt, quam uoluntariam dicere poßumus, quia ignorare uolunt homines, quod scire & assequi poterant. Exemplum huius in Pharaone habetur, qui Iehouan se ignorare dicit, cùm illum ex prodigijs quotidianis iam pridem agnouisset, & apud illum pro se orari uellet, iamq; moriturus diceret: Iehoua Hebræorum pugnat contra nos. Vide Exod. 5. & 14. Talis Iudæorum est, qui cùm à Ieremia consilium petijssent, eidem in faciem dicere audent, se uerbo ipsius minimè obtemperaturos esse. Ierem. 44. Talis multorum est hodie, qui superstitiones suas ignorantiæ prætextu magnificè excusant, nec se aliter edoctos esse protestantur: interim uerò oblatam ipsis ueritatem respuunt, audire nolunt, monitores fugiunt, & serpentum instar aures obturant. Est hæc inexcusabilis, quia emendationi uiam præcludit. Imò Christus hanc mundi condemnationem esse testatur, quòd lucem fugiat, ac sciens uolensq; tenebris inuoluatur, ne arguantur ipsius praua opera. Iohan. 3. Alterum ignorantiæ genus est, quod ex pietatis & gloriæ dei zelo enascitur, quo homines ueritatem persequuntur, non quidem ueritatis nomine, sed quòd per hanc dei gloriam & cultum imminui existimant. Hac multos contra Christum peccauisse credibile est, quòd illum Mosis & legis, templi & uniuersi cultus diuinitus instituti hostem esse putarent. Et Paulus eodem zelo seductus, ecclesiam Christi persequi ausus est. 1. Tim. 1. Phil. 3. Ac eodem Iudæorum plerosq; peccauisse olim, author est. Rom. 10. Excusationem uerò meretur ignorantia hæc, non alio nomine, quàm quòd institutionem admittit & emendatur; quam si respuant homi-

Ignorãtiæ prætextus quomodo excuset.

nes, ad primum illud & incurabile genus ignorantiæ referri debent. Obseruent discrimen hoc, qui ad sibijpsis uel alijs hominibus ignorantiæ prætextu hodie blandiuntur, cùm plerosq; malitia & contumacia peccare constet.

Prouidētia dei solatur peccatores.

His argumentum à dei prouidentia desumptum subijcit, ut maiorem illis ueniæ & salutis spem faciat. Deus (inquit) quæ prænuntiauerat per os omnium suorum prophetarum, Christum uidelicet passurum esse, sic impleuit. Argumenti uis in eo est, quòd deus illorum peccato bene usus sit, & proinde ipsos de dei gratia non debere diffidere. Perinde enim est, ac si diceret: Vos quidem immanissimum facinus designauisse nec potestis nec debetis negare. Sed ideò desperandum non est, quin potius facti uestri finem respicite, ad quem dei immensa bonitas omne hoc negotium direxit. Vobis quidem animus fuit, Christi memoriam delere è terra uiuentium, eò quòd illum deo & religioni ueræ aduersum esse putaretis. Excæcauit uos ignorantiæ malum, quo factum est, ut in filium dei insana mente grassaremini. Sed omnis huius Tragœdiæ finis fuit lætissimus. Nam quod nemo sperauisset, deus hoc pacto æternum suum consilium de humani generis redemptione, executus est, & impleuit quæcunq; per prophetas olim prædicta fuêre. Cur ergo spem salutis abijceretis, quam modò partam esse auditis? Cur de dei bonitate desperaretis, quam in ipso scelere uobis tam propitiā affulsisse cernitis? Nunquam certè propter hoc peccatū uos reijciet deus, quo tam feliciter abusus est, modò uos salutis consilium, quod nunc aperiam, non reieceritis. Admonemur his rursum, quis nobis diuinæ prouidentiæ usus esse debeat: non quidem ut in hac scelerum nostrorum patrocinium, sed fidei uitæq; institutionem & animorum consolationem quæramus. Non enim occisi Christi scelus à Iudæis in deum transfert apostolus, sed deum Iudæorum facto bene usum fuisse docet. Ita si quid uel à nobis uel alijs delinquitur, culpam delicti in nobis agnoscamus, nec ita nos excusemus, ut deum flagitij authorem statuamus. Quòd si uerò quid boni ex nostro scelere enascitur, ne tunc quidē nos omni culpa liberatos esse putemus, sed dei bonitatem exosculemur, quæ flagitijs quoq;, quibus damnationem merebamur, ad nostram salutem abutitur. Exemplum huius rei supra ex Iosephi historia, à fratribus uenditi, adduximus, cui si præsens hoc coniungas, omnem huius causæ rationem ceu in speculo cernere licebit. Præterea nec eos audiamus, qui peccandum esse dicunt intrepidè, quando peccatis quoq; nostris dei gloria & salus nostra prouehi potest. Nec enim (ut Paulus monet) facienda sunt mala, ut ueniant bona. Rom. 3. Imò quò plura in nos extant diuinæ bonitatis argumenta, eò quod de peccatis dolere, & diuinæ uoluntati obedire debemus. Obseruemus etiam hîc, non temere nos de aliorum peccatis iudicare debere. Examinanda quidem sunt ad uerbi diuini regulam. Damnationis uerò sententia non temere intonanda est, quando diuinæ prouidentiæ consilium non semper nobis notum est, quæ fortaßis in multorum salutem utetur illius opera, quem priuato et nimis præcipiti affectu damnare institueramus. Vide quæ de iudicijs eiusmodi habentur, Matth. 7.

II. Salutis consiliū præscribit.

Videamus autem salutis consilium, quod Petrus paucis uerbis cōplectitur, dicens: Pœnitentiam agite, & conuertimini, ut deleantur peccata uestra. Habet sententia hæc præceptum & promissionem. Præceptum idem est, quo supra eos instruxit, qui peccatorum agnitione compungebantur. Rem uerò unam & eandem duobus uerbis enuntiat. Primò enim pœnitentiā agere iubet, quæ propriè peccatorum agnitionem & cordis contritionem comprehendit. Ab his paßim exordiuntur, quicunq; de salute consulunt. Quia nisi peccata agnoscamus & de ijsdem doleamus, nunquam de emendatione & reconciliatione cum deo cogitabimus. At quia interdum impij quoq; peccata agnoscunt, & de ijs dolent (quemadmodum in Iuda cernimus) alterum quoq; addit, nimirum ut Conuertantur. Conuersionē uerò eò fieri oportet, unde peccando receditur. At peccatis à deo recedi notius est, quàm ut multis probari oporteat. Ideò enim uias domini reliquisse dicuntur in scripturis, quorum peccata accusantur. Ad deum ergo per pœnitentiā nos conuerti oportet. Fit hoc partim uitæ emendatione, partim fide in Iesum Christū. Illa enim efficit, ut à peccatis discedamus, quibus dei iram prouocauimus: hæc uerò iustitia Christi nos induit, & facit, ut in illius conspectu consistere poßimus. Quia in Christo patrem nobis reconciliatum esse euangelica doctrina testatur. Ex fide autem & inuocatio dei, & quicunq; alij sunt pœnitentiæ fructus enasci consueuerunt. Eandem ergo salutis rationem Petrus, quam supra uidimus, hîc quoq; tradit, quam non minus ad nos, quàm ad Iudæos, pertinere putabimus. Breuiores uerò hîc sumus, quia quæ hîc dici poterant, superius dicta sunt, unde plura petat qui uolet.

Præcepto

Præcepto autem siue consilio promißionem coniungit, ut magis moueat. Pollicetur autem peccatorum remißionem, de qua illos cumprimis solicitos fuisse, credibile est. Sed obserua locutionis genus, quo non temere uti uoluit. Conuertimini (inquit) ut deleantur peccata uestra. Non ipsis hanc meriti gloriam tribuit, quasi pœnitentiæ operibus peccata delere & pro illis satisfacere poßint. Sed illa ab alio deleri oportere docet, à deo nimirum, cui peccamus & peccando debitores reddimur. Metaphora enim est à creditoribus sumpta, penes quos solos debita è rationum suarum libris delendi ius est atq; potestas, ubi uel satisfactum fuerit à debitoribus, uel ipsi debitum omne ex gratia remiserint. Atqui deo debitores fiunt quicunque peccant, iuxta illud Dauidis: Tibi domine peccaui. Et peccatum reuera est, quod contra dei uoluntatem committitur. Nisi ergo deus peccatorum debita deleat, illis nos nemo alius liberare poterit. Consenserunt in hoc sapientißimi quiq; ex Iudæis & gentibus. Etsi enim hæ suis superstitionibus multum tribuerent, eas tamen irritas esse fatebantur, nisi peculiaris aliqua numinis gratia accederet. Inter Iudæos uerò plurimùm quidem suis operibus pharisæi tribuebant: at illos ipsos palàm confessos fuisse legimus, quòd solus deus peccata remittendi potestatem habeat. Matth. 9. Remittit autem ea, siue delet, non quòd nostrarum uirium sit illa expiare & pro ipsis satisfacere (quia coram illo non iustificatur ulla caro, & omnes nostræ iustitiæ ueteris, attritæ & laceræ uestis instar sunt, quæ nec tegere nec calefacere potest. Psal. 143. Isa. 64.) sed quòd filius dei, Iesus Christus, illa suæ mortis merito in ara crucis expiauit, adeoq; sui sanguinis precio omne hoc deleuit, quod nos mortis reos coram deo faciebat. Eodem sensu dominus apud Isaiam cap. 43. & 44. delendi metaphora utitur, omnemq; huius causæ rationem Christus eleganti parabola Matth. 18. explicat. Huius ergo Petrus Iudæos admonet, ut iam nunc deleta esse intelligant peccata sua, siquidem Christum Iesum, cuius merito deleta sunt, ex animo amplectantur. Quod uerò illis dicitur, nobis quoq; dici putemus, quibus hoc ante omnia curæ esse debet, ut dum pœnitentiam agimus, in gratuitam peccatorum nostrorum remißionem oculos defigamus, ne impia & nimis audaci confidentia nobisipsis & nostrorũ operum meritis uendicemus quod solius gratiæ dei beneficium est, Christi merito impetratum.

Peccatorum remißio gratuita.

Porrò ut nihil uel salutarius est uel homini magis necessarium pœnitentia & conuersione ad deũ, quam in præsenti Petrus suadet: ita caro uix quicquã aliud sibi difficilius persuaderi patitur. Nam & ea est naturæ corruptio, ut peccatis delectemur, & ita superbimus ut culpam agnoscere & emendare pudeat. Argumentis ergo cunctabundos urget apostolus, quæ & ualidißima & præsenti causæ cumprimis conuenientia adhibet. Nouißimi enim diei memoriam & gloriosum Christi iudicis aduentum ipsis ob oculos statuit. Est autem ecliptica oratio, quæ facilè sarciri poterit hoc modo: Non frustra pœnitentiam & conuersionem ad deum à uobis exigo. Ea enim uobis salutaris & necessaria erit, ut olim subsistere poßitis, cùm uenerint tempora refrigerij à conspectu domini, & miserit eum, qui ante prædicatus est, Iesum Christum, quem oportet quidem cœlos accipere usq; in tempus restitutionis omnium, &c. Ex quibus duplex argumentum elici potest. Primum à tempore sumitur, cuius sensus est: Non semper durabit hæc mundi forma, nec semper ea erit rerum & hominum ratio, quæ hodie conspicitur. Veniet enim dies refrigerij & restitutionis, quo & pij liberabuntur, & ab impijs exigetur restitutio. Quàm ergo uobis salus uestra chara est, tam studiose curate, ut & uobis dies ille refrigerium & salutem, non autem terrorem & cruciatum afferat. Alterum argumentum à iudicis persona producit. Mittet deus hunc ipsum iudicem, de quo nunc agitur, Iesum Christũ uidelicet, coram cuius tribunali omnes homines sisti oportebit, ut ibi recipiant in corporibus suis retributionem factorum suorum omnium, siue illa bona siue mala fuerint. Annon ergo necesse erit, ut cum illo iudice in gratiam redeatis, priusquam ille scelerum pœnas à uobis exigat? Videtur autem & tertium argumentũ ex his colligi posse, cùm dicit, eum iudicem uenturum, qui nunc ipsis prædicetur. Sic enim ignorantiæ prætextum illis aufert, ne in iudicij die per ignorantiam (qua in præsenti illorum facinus mitigarat Petrus) se excusari posse existimarent. Atqui tantum habent ponderis quæ hîc dicuntur, ut si quem illorum consyderatio mouere nequit, næ ille frustra alijs argumentis urgebitur.

III. Vrget metu nouißimi iudicij.

Venit autem hîc nobis obseruanda nouißimi diei conditio, quam duobus epithetis exprimit. Primò diem refrigerij uocat per Synecdochen. Ad solos enim pios istud pertinet, qui tunc refrigerium sentient, & omni molestia liberabuntur. Tunc absterget deus omnem lachrymam ab oculis eorum.

Dies refrigerij.

Et mors ultra non erit, neq; luctus, neq; clamor, neq; dolor, &c. Apoc.21. Tunc item ijs bonis beabuntur, quæ nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec hominis ratione comprehendi possunt. Isa.64. Tunc è carne sua (sicuti Iob ait) deum uidebunt, qui cùm in mundo uiuerent, in carne sua omnis generis molestias patienter sustinuerunt. Iohan.19. Quæ causa est, quòd Christus nos capita attollere iubet, quando signa, nouissimum diem præcessura, uidemus, eò quòd tunc redemptio nostra appropinquet. Luc.21.cap. Nec enim terribilis esse potest pijs Christi iudicis conspectus, cùm hunc suum saluatorem & aduocatum esse intelligant. Et hoc ingens illud fidei bonum est, quod non aliundè homini obtingere potest. Sola fides nos ad Christi aduentum intrepidos reddit & salutis certos. 1. Iohan.2. Nulla tunc ex opibus, ex honoribus, ex mundi amicitia salutis spes affulgere poterit ijs, qui fidem in Christum, cùm hîc agerent, aspernati sunt. Hac itaq; spe nos in aduersis huius mundi contra omnes tentationes armari conuenit, nec unquam à salutis uia dimouebitur.

Dies restitutionis.

Deinde restitutionis diem uocat, quia tunc omnium restitutio fiet, & perfecta immutabilisq; reducetur rerum conditio siue forma. Quæ, quoad hîc uixerimus, frustra à multis expetitur & quæritur. Plenus enim confusionis est mundus hic, & turbas quotidie nouas dare consueuit, quibus etiam Christi regnum sic interdum petitur, ut prorsus corruisse uideri possit. At nouissimo die ita constituetur regnum illud, sicut prophetæ futurũ prædixerũt. Abolita enim & pedibus Christi subiecta omni aduersaria potestate, nihil erit amplius, quod fideles turbare possit, tuncq; erit læta illa, pacifica & tranquilla rerum conditio, cuius frequenter prophetæ meminerunt. Isa.9.& 11. Ierem.23. Amos 9. cap.&c. Restituentur eodem die corpora, qualicunq; modo corrupta fuerint. Dabit enim mare mortuos, qui in ipso sunt, similiter & mors & infernus. Apoc.20. Restituetur felix & læta mũdi cõditio, & quæ nunc sub corruptionis pondere ingemiscit, mundi machina liberabitur. Rom.8. qualis priusquam ob hominis peccatum maledictione feriretur, extitit. Erunt enim cœli noui & terra noua, in quibus iustitia inhabitat. Apoc.21. 2.Pet.3. Retribuetur unicuiq; in corpore suo prout egit, siue bene siue male. 2.Corinth.5. Sed & ipse Christus, ubi omnem principatum aboleuerit, & sibi subiecerit omnia, tunc subijcietur ei, qui illi subiecit omnia, & tradet regnum patri, ut sit deus omnia in omnibus. 1.Corinth.15. Deniq; ea tunc erit omnium restitutio, quam modò nec uerbis explicare, nec ratione humana complecti possumus. Quia nunc ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus: at ubi uenerit quod perfectum est, tunc quod ex parte est, abolebitur. Nunc per speculũ cernimus in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, &c. 1.Corinth.13. Interea autem horum consyderatio institutioni seruire debet, ut huius restitutionis spe suffulti, patienter feramus quæcunq; ferenda ueniunt, & ita uitæ conuersationem per fidem in Christum instituamus, ut nobis quoq; cum reliquis pijs, consolationem & refrigerium magnus ille dies domini afferat, &c.

Quare Christus aduentum suum differat.

Atqui multis mirum uidetur, quòd aduentum suum tam diu dominus differat, & de hoc fortassis Iudæi quæstionem mouere poterant. Quia enim ex nostræ carnis ingenio deum metimur, non possumus non mirari iudiciorum dei dilationem & moram. Sed præoccupat eiusmodi quæstiones Petrus, cùm ait, Christum oportere cœlos capere, uel in cœlis regnare, donec omnia restituantur & impleantur, quæ deus olim per prophetas prædixit. Absoluit ille quidem in terris nostræ redemptionis negotium. Sed restabant adhuc peragenda quædam, olim diuinitus decreta & prædicta. Nam euangelium in toto orbe prædicari & gentes in ecclesiæ cõmunionem uocari oportebat, sicuti magno consensu omnes prophetæ testantur. Restabat & Antichristi mysterium, cuius tyrannide ecclesia exerceri & numerum martyrũ Christi impleri opus erat. 2. Thes. 2. Apoc.7. His ergo locum cessit Christus, in cœlos receptus, & omni tam in cœlis quàm in terris potestate accepta. Nemo igitur illũ uel nostri uel sui officij oblitum esse putet, quando aduentum suum & iudicij diem differt. Certa enim illi constat omniũ quæ facit ratio. Consoletur interim nos, quòd eum in cœlis regnare nouimus. Ibi illũ animis, per fidem eleuatis, quæramus, de corporali eius præsentia in terris nihil soliciti, donec magnus ille dies illuxerit, quando fulguris instar repentè apparebit. Matth.24. Vtinam uerò Petri uerba diligentius excuterent, qui hodie ut corporalem Christi in terris præsentiam statuant, humanam eius naturam propter diuinæ communionem siue coniunctionẽ ita per omnia extendi dicunt, ut nullo uel loco uel tempore circumscribi possit. Quid igitur Petro respondeant uiderint, qui & locũ & tempus eidem assignat: imò sic diuinitus constitutum esse ait, ut in cœlos assumptus illic consideat usque dum nouissi-

nouißimus ille dies aduenerit, quo iudex redibit, & olim promissam pijs restitutionem plenè conferet? Scio illos cælum terræ miscere, & cæli nomine gloriam & conuersationem cœlestem intelligere, quæ etiam in terris agenti contingat. Sed commentum hoc ut scripturis probari nequit, ita eruditæ uetustati planè ignotum fuit, & proinde operosa confutatione non opus habet. Omißis ergo illorum argutijs, discamus ex tertia huius cōcionis parte, ne in peccatis de dei gratia desperemus, sed per pœnitentiam fidemq; ueram conuertamur ad deum, ac ita nos præparemus, ut & nobis felix & letus illucescat dies ille, quo suorum assertor & impiorum iudex ueniet Iesus Christus: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas. Amen.

HOMILIA XXIIII.

Moses quidem ad patres dixit: Prophetam uobis suscitabit dominus deus uester ex fratribus uestris, mei similem. Illum audietis iuxta omnia quæcunq; locutus fuerit uobis. Erit autem, ut omnis anima, quæ non audierit prophetam illum, exterminetur è populo. Quin & omnes prophetæ à Samuele ac deinceps, quotquot locuti sunt, annuntiauerunt dies istos.

Postquam diuus Petrus immane Iudæorum facinus, quod in dei filium designauerant, grauiter accusauit, ijsdem tertia suæ concionis parte salutis consilium præbuit, quod proximo sermone explicuimus. Iussit autem illos pœnitere & ad deum conuerti, quod partim per uitæ emendationem fit, partim per fidem in Iesum Christum, cuius merito deo patri reconciliati sumus. Atqui non leuis erat remora, quæ Iudæos Christum amplecti prohibebat. Quia enim illius cognitionem nondum assecuti erant, timebant pleriq; ne illum amplectendo, in Mosen & legem diuinitus per Mosen datam, peccarent: & graue illis uidebatur eum cultum abijcere: quem à deo traditum & maiorum exemplo confirmatum tot iam seculis tenuerant. Huic igitur errori quarta suæ orationis parte medetur apostolus, docens, tam Mosen quàm prophetas ad Christum relegare ueros dei cultores, & proinde tam abesse, ut fide in Christum contra legem peccent, ut potius nec Mosi obedire nec prophetis uerè credere poßint, nisi Christum, cui illi testimonium dederunt, recipiant. Simul uerò, ne Christi bonitati diffiderent, quem abs se tam immani crudelitate grauiter offensum esse, iam multoties audiuerant, ostendit hunc, qui patribus promissus fuit, ad ipsos quoq; pertinere, ac illis nō minus, quàm patribus, salutarem fore, si ipsum uera fide complectantur. At in præsenti ea tantummodo excutiemus, quæ de Christi mysterio, in ueteris Testamenti libris fundato, Petrus affert.

I. Moses Christo testimonium dat.

A Mose uerò orditur, eò quòd summa illius esset apud Iudæos authoritas. Cuius cum multa posset testimonia proferre, unum è multis deligit, quo Christum populo dei iam olim doctorem & magistrum destinatum esse docet, quod præsenti causæ plurimum seruiebat, cum (ut modò diximus) multis religio esset à Mose deficere, quem sibi à deo legislatorem et magistrum datum esse nouerant. Ostendit igitur, nec ipsi Mosi eum animum fuisse, ut in ipso hærerent perpetuò, sed alium monstrauisse prophetam, qui perfectius omnia traditurus esset. Extat locus Deuteron. 18. cap. Prohibentur illic superstitiosæ & fatidicæ ethnicorum artes, quibus in futurorum & arcanorum dei cognitionem diuinatione, mathesi impia, augurijs, necromantia & alijs eius generis uaticinandi modis penetrare conati sunt: & monet Moses, ut his abiectis, ad unum dei uerbum conuertantur, totiq; ab uno illo pendeant. Ne uerò dei uerbum inuentu difficile putarent, nunquam defuturos dicit prophetas, quos ex ipsis deus suscitaturus sit, & quorum ministerio de dei uoluntate in omnibus, quæ agenda sunt, erudiri poßint. Nec falluntur, qui eo loco uniuersalem promißionem contineri dicunt, qua prophetiæ donum in dei populo siue ecclesia stabilitur. At generalem promißionem ad Christum non ineptè Petrus restringit, quem prophetarum principem esse constat, & cuius spiritu prophetas omnes instigatos & instructos fuisse, alibi tradit. 1. Pet. 1. Et in Christum competere quæ hic à Mose dicuntur, euidentius est, quàm ut prolixiori demonstratione opus habeat. Nam & ille ex Iudæis natus est, & à deo missum fuisse ex miraculis & doctrina constat, quam prophetarū doctrinæ omni ex parte conformem esse uidemus. Quare ualidißimum uidetur Petri argumentum, quo Christi fidem ex Mo-

sis oraculo illis persuadere nititur, perinde ac si diceret: Moses adeò non sibi soli omnem docendi authoritatem uendicauit, ut cuiuis prophetæ dei uerbum prædicanti, aures & fidem præbere iusserit, pœnamq́ capitalem decreuerit uniuersis propheticorum sermonum contemptoribus. Quantò magis ergo Christo uos credere decet, quo non alius dei patris uoluntatem perfectius & euidentius declarauit, & in quem uerißimè quadrant quæcunq; à Mose de propheta dicuntur? Sicq́ propositi sui finem & scopum pulchre attingit Petrus, ut nimirum præpostera religione illorum animos liberet, qui Mosis & legis nimia ueneratione & inepto sensu impediti, Christum amplecti renuebant. Quia tamen locum Mosis tum Petrus tum Stephanus (ut infra patebit) de Christo exponunt, nobis quoq; ea heic inuestiganda erunt, quæ nos in Christi cognitione instruere possunt. Et primò quidem Christum non ineleganter nobis Moses describit. Deinde officij, quo illi obstricti sumus, admonet. Simul uerò capitalem sententiam in Christi contemptores stringit.

Christus homo uerus ex Iudæis

In Christi descriptione primò, unde hic exoriturus sit, docet, Suscitabit illum dominus deus uester ex fratribus uestris. E Iudæis ergo nasci debuit, quod infallibile incarnationis ipsius & ueræ humanitatis argumentum est, quo conuincuntur, qui Christum carnem cœlitus attulisse, & non ex uirginis substantia, sed per uirginem (ut per canalem aqua defluere solet) in mundum uenisse dicunt. Paulus certè, illum non angelos aut cœlestem aliquam creaturam, sed semen Abrahami assumpsisse testatur. Hebr. 2. Et de Iudæorum prærogatiuis loquens, quibus illos præ alijs gentibus deus illustrare dignatus est, inter alias huius quoq; meminit, quòd ex illis Christus secundum carnem natus sit, qui est deus in omnibus, laudandus in secula. Rom. 9. Quò & ueteres promißiones referri debent, in quibus frequenter modò mulieris, modò Abrahami & Dauidis semen appellatur. Gene. 3. & 22. Psal. 132. Isa. 11. & c. Obseruanda uerò hic nobis uenit insignis dei bonitas, qui cum nobis filium saluatorem & doctorem destinauisset, eundem incarnari & hominem fieri uoluit, ne uel illius maiestate terrefieremus, uel nostras infirmitates illi minus cordi esse putaremus, quod & Paulus obseruauit, Heb. 2. & 4. cap.

Christus propheta.

Secundò officium Christi denotat, dum prophetam dicit. Atqui non ignorauit Moses, Christum & regem fore & humani generis redemptorem, nec id in præsenti negat, sed eius officij meminit, quod in ea causa, quam tunc tractabat, cumprimis erat obseruandum. Prophetæ uerò dicuntur diuinæ uoluntatis interpretes, siue illi futura prædicant, siue de præsenti rerum conditione homines ex dei uerbo admoneant. Quia uerò Christus sacerdotio æterno in ecclesia sua fungi debebat, à docendi munere abstinere non poterat, quod in sacerdote non postremo loco requirebatur, ut uidere est, Malach. 2. cap. Quare etiam alibi in prophetæ persona describitur, ut Isaiæ 61. cap. quem locum ipse in schola Nazarethana de seipso exponere dignatus est, Luc. 4. Nec in ueteri tantum Testamento talis fore prædicitur, sed iam in terris agentem, deus solenni & illustrißima inauguratione consecratum, toti orbi doctorem uniuersalem & irrefragabilem proposuit: quando in monte Thabor, adhibitis tum ex defunctorum tum ex uiuentium numero locupletißimis testibus, Mose nimirum & Elia, Petro item, Iohanne & Iacobo, præclaram illam sententiam pronuntiat: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacuit: Hunc audite. Matth. 17. Sed & ipse Christus, docendi munus magno studio & sedulitate obiuit, seq́ illius causa missum esse, non obscurè fatetur. Mar. 1. Luc. 4. Non temere ergo propheta à Mose & Petro dicitur. Et admonemur hoc loco, non sufficere, si Christum saluatorem & redemptorem nostrum esse fateamur, nisi eundem doctorem nobis à deo datum agnoscamus, & officium illi præstemus, quod discipuli fido doctori debent. Obseruabis præterea quanta penes nos esse debeat ministerij dignitas, quo euangelium prædicatur. Quo enim argumento splendidius & magnificentius commendari poterat, quàm filij dei exemplo, qui illud & ipse in terris gessit, & in ecclesia sua perpetuum esse uoluit? Quò Paulus respiciens, nos nomine Christi legatione fungi & reconciliationis sermonem mundo annuntiare dicit. 2. Cor. 5. Cuius utinam & auditores & ministri semper meminissent, ne uel illi contemptius de ministerio iudicarent, nec hi illud sua improbitate deridendum præberent.

Christus Mosi similis.

Tertiò, qualis propheta Christus futurus sit, indicatur: nimirum Mosi similis. Quod non ita accipi debet, quasi nihil in Christo excellentius & præstantius Mose agnoscere debeamus, cum hic merus homo & peccator fuerit, Christum uerò deum & hominem nostræq́ salutis authorem esse constet.

stet. Sed ad officium prophetæ & typum Christi, quem Moses gessit, similitudo hæc siue comparatio restringi debet, ubi multa occurrent consyderatu iucunda & utilia. Primò de Mose Paulus testatur, quòd cum populo dei laboribus & ærumnis affligi maluerit, quàm Pharaonis nepos censeri, & Aegypti thesauris atq; delitijs frui. Heb. 11. Idem affectus in Christo cernitur, qui cum in forma dei esset, seipsum humiliauit & exinaniuit, ac forma serui accepta nobiscum potius affligi, adeoq; pro nobis mori uoluit, quàm nostram diutius uidere miseriam. Deinde ut Mosem indignißimè reprobauerunt fratres sui: ita cum in sua uenisset Christus, sui illum non receperunt, et coram Pilato abnegarunt, dicentes: Non habemus regem nisi Cæsarem. Iohan. 1. & 19. Sed & hodie adhuc indignißimis modis reijcitur à multis, quibus seipsum, & in sese uitam atq; salutem æternam per euangelium offert. Tertiò, ut Moses dei populum ex immani Pharaonis tyrannide liberatum Aegypto eduxit & Pharaonem maris rubri fluctibus obrutum suffocauit: ita dei filius humanum genus ex diaboli potestate asseruit, disruptis peccati & mortis uinculis, simulq; spiritualem Pharaonem, Satanam, cum omni suo apparatu armisq; uniuersis sanguinis sui merito occidit. Quartò, ut Moses Israelẽ fidelis pastoris instar per inuia deserti loca tutò deduxit: ita Iesus Christus fidelis ille pastor est, qui oues suas præcedit, nosq; per mũdi huius desertũ, omni periculorum genere plenum, sui uerbi lucerna & spiritus moderatione tutò traducere solet. Psal. 24. Iohan. 10. Quintò, quemadmodum Moses populo esurienti Manna exhibuit, & sitientibus ex petra fontes aquarum elicuit: sic Christus Iesus suæ carnis merito animas cibat ad uitam æternam, & in suo latere uberrimum salutis fontem aperuit, quo solo omnes sitientes animæ æstus restingui possunt. Vide Iohan. 6. 4. 7. 19. cap. Sextò, ut Moses diuini sermonis interpres fuit apud populum, cum hic dei loquentis maiestatem sustinere non posset. Exod. 20. Deute. 5. ita cum nemo nostrum deum uiderit, nec uidere poßit, quoad carne hac mortali uestimur, filius dei, qui est in sinu patris, nobis enarrauit, quæcunq; de deo nos scire oportebat, idemq; eo argumento probat, se nos amicorum loco habere, quòd nihil eorum nos celauerit, quæ à patre audiuit. Iohan. 1. & 15. Septimò, ut ad Mosen referri solebant quiq; grauiores casus, qui ab ordinatis iudicibus discuti non poterant, ille uerò sententiam è dei ore acceptam proferebat, quæ irrefragabilis habebatur, ut uidere licet, Exo. 18. & 33. Leuit. 24. Nume. 15. &c. ita quæcunq; tum in fidei & regni cælorum mysterijs, tum in uniuersæ uitæ nostræ conuersatione nostræ rationis captum superant, ad unum Christum referri conuenit, & illius standum est sententiæ, sic ut fidei obedientiæ intellectum omnem subijciamus, quem euangelij finem & scopum esse Paulus testatur. 2. Cor. 10. Rom. 1. Octauò, ut Moses pro populo nunquam non apud deum intercessit, quoties ille peccando dei iram prouocauerat, idq; tanta fide egit, ut propter ipsos è libro dei deleri postularit. Exod. 32. & 33. Num. 11. & 21. &c. ita Christus, cum damnationis sententia omnium nostrum ceruicibus immineret, sese medium interposuit, & ipse execratio fieri uoluit, ut nos à legis execratione liberaret. Gal. 3. Idem etiam mediator inter deũ & homines factus, perpetuò pro nobis apud patrem intercedit, & illo aduocato apud deum uti debent, quicunq; peccatis se dei iram meruisse sentiunt. 1. Tim. 2. 1. Iohan. 2. Possent multa alia produci, in quibus Christum Mosi similem uel potius eorum absolutum & perfectum executorem esse constat, quæ per illum præfigurabantur: sed sufficiat occasionem præbuisse ijs, qui illa altius & exactius scrutari uoluerint.

Cæterum Christi descriptioni officium, quod illi debemus, subijcitur. Dicit enim Moses: Illum audietis iuxta omnia, quæcunq; locutus fuerit uobis. Idem deus pater in monte Thabor iubet (ut paulò ante monuimus) cum ait: Hunc audite. Nemo tamen dei præcepto satisfactum putet, si auribus Christi uerba perceperit, quod & Iudam & Pharisæos cum Pilato multisq; alijs olim fecisse constat. Sed primò studium euangelij requiritur, quod inter multa alia, quibus uanißimè occupantur homines, unum est necessarium, ut Christus admonet, Luc. 10. A studio uerbi nõ abesse potest fides, quã illi habemus. Cur enim illud assequi conaremur, cuius fides & ueritas nobis suspecta esset? Fidem obedientia sequitur, qua Christum fidei, religionis et uitæ totius magistrum agnoscimus, eiq; pro uirili obtemperamus. Has ipse filiorum dei notas constituit, cũ ait: Qui ex deo est, uerba dei audit. Iohan. 8. Item: Oues meæ uocem meam audiunt, & sequuntur me. Iohan. 10. Vnde certò colligimus, nec dei filios, nec Christi oues esse, quicunq; Christi uocem, in euangelio sonantem, audire detrectant. Cumprimis autem obseruare decet, quòd omnia, quæcunq; Christus loquitur, audire iubemur.

Christo debetur fides & obedientia.

Sunt enim qui audiũt quidem Christum, sed in ijs duntaxat, quæ carni adlubescunt: cui si quid aduersum fuerit, illud nihil ad se pertinere putant. Ex illorum numero sunt, qui euangelij promissiones, quibus gratia dei & peccatorum remißio gratuita prædicatur, libenter audiunt & mirificè amplectuntur: sed ijdem pœnitentiæ doctrinam, quæ peccata accusat & corripit, nolunt admittere. Similes illorum sunt, qui ueritatis doctrinam utcunq; prædicari patiuntur: indignißimè autem ferunt, si quis seductores & Antichristos arguat. Plerosq; etiam ita affectos esse uidemus, ut magnis laudibus extollant quæcunq; de Christi regno, de illius uictoria, & electorum gloria, quam in cælis possidebunt, dicuntur: crucem uerò & persecutiones ita horrent, ut non aliquam illarum mentionẽ ferre poßint. At toto cælo errant isti homines. Nec enim scinditur Christus, nec separari debent doctrinæ Christi partes. Qui enim in suo nomine peccatorum remißionem prædicare iußit, idem pœnitentiam ab omnibus exigit. Luc. 24. Et qui peccatrici, peccata sua deflenti, dixit: Remittuntur tibi peccata tua, Luc. 7. idem paralytico per se restituto dicebat: Ecce sanus factus es, ne posthac pecces, ne quid deterius tibi contingat: Iohan. 5. & postea per Paulum scortatores & adulteros, pœnitere nescios, regnum dei ingressuros esse negauit. 1. Cor. 6. Similiter, qui se lucem & ueritatem profitetur & in se ambulare nos iubet: idẽ pseudochristos & antichristos arguit, & illos cauere iubet. Matth. 7. & 24. Item qui regni cœlorum thesauros suis pollicetur: idem ipsos in mundo tribulationem passuros, constanter affirmat. Iohan. 15. & 16. Et qui à mortuis gloriosè resuscitatus, magnifico triumpho cælis inuectus est: idem paulò ante inter latrones medius pependerat. Vt ergo Christum totum nos amplecti oportet: ita doctrinam illius omnem audire necesse est, nisi illo in uniuersum spoliari uelimus. Figura huius rei in agno paschali præcesßit, quem totum manducare, ossa uerò & quæcunq; comedi non possunt, igne comburere iubebantur. Ita totus Christus recipiendus erit, & si quid in illo intolerabile uidetur, id fidei & charitatis diuinæ flammis consumi & superari debet.

Pœna contemptorum Christi

Porrò quia hic plurimum reluctatur caro nostra, quæ iugum hoc inuita suscipit, graui comminatione nos urget Moses. Erit (inquit) ut omnis anima, quæ non audierit prophetam illum, exterminetur è populo. Comprehendit pœna hæc totius hominis interitum, corporis nimirum & animæ. Quæ enim salutis spes ei superesse poterit, qui à populo dei & ecclesia, quæ sola in bonorum dei communionem admittitur, exclusus & excisus fuerit? At cur non ab eius consortio reijciatur, qui magistrum & doctorem ecclesiæ, quem deus illi imposuit, audire detrectat? Qui aspernatus fuerit Mosis legem, absq; misericordia, sub duobus aut tribus testibus moritur. Quantò igitur maiores pœnas meretur, qui filium dei conculcare ausus fuerit? Hebr. 10. Hinc graues illæ in euangelio comminationes sumuntur, quæ multis nimiæ & æquò atrociores uidentur. Qualis illa Baptistæ sententia est: Qui non credit filio, non uidebit uitam, sed ira dei manet super illum. Iohan. 3. Et Christus, cum euangelio credentibus uitam æternam pollicitus esset, addit: Qui non crediderit, condemnabitur. Mar. 16. Atqui horum Iudæos admonere uoluit Petrus, ne lusum iocumq; putarent euangelicæ doctrinæ & Christi contemptum: sed animarum salutem hic periclitari scirent. Atqui nobis idem dici putemus. Ea enim est Christi Iesu apud patrem authoritas, ut nemo huic gratus & acceptus esse poßit, nisi qui illi insitus fuerit. At illi nos non nuda & inanis nominis Christiani profeßio inserit, sed uiua fides, quæ ut doctrinæ ipsius obtemperemus, & illi firmiter inhæreamus, efficit. Vide quæ de ueris falsisq; Christi auditoribus habentur, Matth. 7. & Luc. 6. cap.

II. Prophetæ de Christo testantur.

Quamuis uerò magna esset Mosis apud Iudæos authoritas, ne quid tamen omittat Petrus, prophetarum testimonia illi coniungit, quorum aliquot illum recensuisse uerisimile est. Hic uerò omnes simul complectens ait: Quin & omnes prophetæ à Samuele ac deinceps, quotquot locuti sunt, annunciauerunt dies istos. A Samuele uerò prophetarum numerum siue chorum orditur, quia ante hunc nemo prophetarum fuit post Mosen, cuius scripta extent. Imò priusquam ille prophetaret, sermo domini pretiosus & rarus fuisse legitur (1. Samuel. 3.) qui postea per multos prophetas luculentißimè & paßim cum prædicari tum scribi cæpit. Omnes uerò, quotquot ab illo tempore extiterunt, de Christo Iesu uaticinatos esse, omnibus illis liquidò constat, qui illorum sermones siue libros non oscitanter legerunt. Clarum omnino & minime ambiguum est dei oraculum, quod Dauidi de Christo, è sua stirpe nascendo, Nathan annuntiauit. 2. Sam. 7. Clariora sunt hoc multa, quæ ab ipso Dauide edita sunt, ut quæ extant, Psal. 2. 22. 89. 110. &c. De Isaia quid attinet dicere, qui omnium

eorum

eorum, quæ abs Christo geri debuerunt, narrationem tam perspicuam contexit, ut (teste D. Hieronymo) multis in locis euangelista potius quàm propheta censeri mereatur. Eadem omnium aliorum est ratio, quorum oracula si uerbotenus recensere uellemus, dicendi initium facilius quàm finem inuenire liceret. Illud admonuisse sufficiat, nihil in Christo tam minutum esse, quod non ueteris Testamenti oraculis comprobari possit. Vnde simul colligimus, ueteris Testamenti libros nequaquam contemni debere, ut fanatici quidam solent, qui illos ad solos Iudæos pertinere clamant. Peccant illi in dei bonitatem & industriam, qui salutis nostræ causam omni modo illustrare & confirmare uoluit.

Obseruemus igitur hic euangelicæ doctrinæ & fidei Christianæ tum certitudinem tum antiquitatem. Si enim prophetarum & Mosis testimonijs legales typos & ueteres promissiones, olim patriarchis exhibitas, coniungamus, facilè uidebis, nullum unquam doctrinæ genus siue religionem tot tantisq; testimonijs confirmatam & illustratam fuisse. Prima enim promissione nititur, quam in paradiso primis parentibus de semine mulieris, quod serpentis caput conterere debeat, exhibuit. Magna igitur illorum est stultitia siue temeritas (ne quid grauius dicam) qui doctrinæ euangelij uel palàm contradicere, uel Concilia alia expetere audent, quorum authoritate de fide & religione statuatur. Quid enim isti homines aliud faciunt, quàm quòd deum, qui per Mosen & prophetas locutus est, mendacij arguunt, uel saltem illius ueritatem in dubium uocant? Ad hæc stultè admodum hominum authoritatem requirunt, cum ne angelo quidem diuersum docenti credi debeat. Galat. 1. Quare omissis illis, Christum amplectamur, quem unanimis scripturæ consensus proponit, in quo solo omnis iustitia, sanctificatio, ueritas & salus continetur. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas. Amen.

Certitudo & antiquitas fidei Christianæ.

Gal: 1

HOMILIA XXV.

Vos estis filij prophetarum & testamenti, quod testatus est deus patribus uestris, dicens ad Abraham: Et in semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ. Vobis primū deus, cum suscitauisset filium suum Iesum misit eum benedicentem uobis, dum unumquenque conuertit ab iniquitatibus suis.

Diuus Petrus salutis uiam et rationem Iudæis sic monstrat, ut simul omnibus ijs occurrat, quæ ipsos, quò minus per hanc ingrederentur, impedire poterant: ubi duo potissimum occurrebant. Primum erat præpostera Mosis & auitæ religionis obseruantia. Timebāt enim, ne Christum amplexi, in legem & religionem, diuinitus patribus traditam, peccarent. Docet ergo nullū subesse periculum, eò quòd tum Moses tum prophetæ ad Christum relegare soleant. Quin potius eos in Mosem peccare, qui Christum amplecti dedignantur, cum talibus iam olim Moses capitalem pœnam constituerit. Restabat uerò alterum obstaculum, sceleris in Christum commissi conscientia. Quia enim hunc (ut supra Petrus monuit) improbè negauerant, iustum & æquum esse uidebant, ut ipsos quoq; Christus auersaretur, nec ipsorum pœnitentiam gratam & acceptam haberet. Nec ignorare poterant, deum per prophetam illorum preces reijcere, qui manus sanguinis plenas coram ipso extendebant. Isa. 1. Quapropter huic malo in præsenti Christus medetur, & firmis rationibus probat, Christum Iesum ad ipsos quoq; pertinere, nec auersaturum ipsos, si ad illum totis animis cōuertantur: qui principalis huius loci status est, quo etiam concionem suam feliciter omnino absoluit.

Isa: 1

Priusquam uerò Petri uerba aggrediamur, exemplum illius obseruandum uenit, quo de uera euangelij prædicandi ratione admonemur. Quæ in hoc uersatur, ut singuli intelligant, euangelij promissiones ad se pertinere. Nisi enim de hoc certi sint, illas nec magni facere possunt, nec illis tutò & certò inniti. Quæ causa est, quòd in gentium uocatione asserēda tam multùm Paulus uersatur, quia frustra illis prædicatum fuisset euangelium, nisi cognouissent, salutem per Christum partam non minus ipsis, quàm Iudæis, destinatam esse. Eandem ob causam euangelij promissiones omnes uniuersales sunt, & singulis, has uera fide amplectentibus, accōmodari possunt. Venite ad me (inquit Christus) omnes, qui laboratis & onerati estis, &c. Matth. 11. Sic deus dilexit mundum, ut filium suum

Euangelij prædicandi ratio.

Matth: 11
Jo: 3

unigenitum pro illo traderet, ut omnis, qui credit in illum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Iohan.3. Et alibi se pro omnibus orare dicit, qui in ipsum per apostolorum sermonem credituri sunt. Iohan.17. Quò etiam referri debet, quòd Iohannes, omnes qui peccant, Christum aduocatum habere docet, cum is se dederit propitiationem pro peccatis totius mundi. 1. Iohan.2. Et Paulus frequenter omnem personarum respectum à salutis negotio excludit, & omnibus in Christum credentibus salutem in illo diuinitus conferri testatur. Vide Rom.10. Galat.3. Col.3. &c. Debent horum ita meminisse ministri, ut ab uniuersalibus dei promissis neminem excludant, sed euangelij sermonem ita faciant, ne quis dubitare possit de suæ salutis certitudine, & Christi meritum ad se quoq; pertinere intelligat. His præmissis ad Petri sermonem accedamus, qui tribus argumentis Iudæorum fidem ualidissimè confirmat.

I. Iudæi filij prophetarum.

Primò ueteris dignitatis & maiorum suorum admonet, dicens: Vos estis filij prophetarum. Id est, ex ea gente estis oriundi, quæ prophetas genuit. Vel potius, patriarcharum filij estis, quos præstantissimos prophetas fuisse constat, utpote per quos salutis promissiones humano generi primò omnium innotuerunt. Quæ causa est, quòd à spiritu sancto prophetæ olim dicti sint, Psal.105. Hinc uerò colligit Petrus, non dubium esse, quin ad Iudæorum gentem promissiones, per prophetas olim reuelatas, pertineant, siquidem illas amplecti, & maiorum suorum fidem imitari uelint. Nec enim carnali generationi quicquam hic tribuere uult Petrus, quam apud degeneres & palàm impios nullius momenti esse constat, quemadmodum grauissimæ illæ Iohannis Baptistæ & Christi expostulationes docent, quibus Iudæos, inani Abrahami titulo gloriantes seuerissimè increpant. Matth.3. Iohan.8. Sed desperabundos hoc argumento confirmat Petrus, ut intelligant, non inane fore ipsorum studium, si patres prophetas imitati, Christum saluatorem, cuius aduentum illi prædixerunt, amplectantur.

Obseruabis autem, quòd salutis spem Iudæis facturus Petrus, primo loco prophetarum mentionem facit. Agnouit ergo, hoc præcipuum esse diuini erga nos fauoris argumentum, si suæ uoluntatis interpretes deus largiatur, eò quòd nisi hæc nobis bene comperta sit, salutem consequi non possumus. Ideo inter ueteris Testamenti beneficia, quæ olim suo populo deus contulit, hoc semper imprimis commemorari solet, quòd prophetis illos instruxerit, per quos de dei uoluntate edocerentur. Vide Mich.6. Amos 2. Psal.107.2. Par.36. Quid? quòd ipse Christus hoc argumento euincit, se apostolos amicorum suorum loco habuisse, quòd nihil eorum ipsos celarit, quæ à patre illi manifestata erant. Vnde colligitur, quanta illorum sit ingratitudo & improbitas, qui dei uerbum contemnere audent, & prophetas quorum ministerio illud prædicatur, explodunt. Sentient illi olim Christi sententiam, qua seruorum suorum contemptum seuerissimè uindicabit, quemadmodum minatur, Matth.10.cap.

II. Iudæi filij testamenti.

Secundò dei uocationem & promissionem illis in mentem reuocat, dum fœdus siue testamentum dei, olim cum Abrahamo factum, allegat. Vos, inquit, estis filij testamenti, quod testatus est deus patribus uestris, dicens ad Abraham: Et in semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ. Videtur autem filios testamenti Hebraica phrasi dicere, pro ijs, ad quos testamentum pertinebat, quiq; testamento dei hæredes scripti erant. Sic enim & filios iræ aut mortis dici legimus, quos deus iræ aut morti destinauit. Videtur autem dupliciter argumentari Petrus. Primò à pronuntiato argumentum ducens, ait: Deus in testamento, quod patribus testatus est, uos quoq; hæredes scripsit. Ergo salus, quæ dei testamento continetur, non minus ad uos quàm patres pertinet. Antecedens multis probari non opus erat apud eos, quibus dei promissio notissima erat: Ero tibi deus, & seminis tui post te. Genesis decimo septimo. Deinde summam & compendium testamenti illius producens à comparatis probat, illos ab hoc non posse excludi. Ita enim patri Abrahamo testatus est deus, quòd in illius semine benedici debeant omnes familiæ terræ. Quòd si ad exteras gentes testamentum dei extenditur, quis obsecro illud ad eos pertinere dubitabit, qui ex Abrahamo progeniti sunt? Semper tamen meminerimus, Petrum hæc omnia conditionaliter loqui, & illis salutem polliceri, qui Abrahami fide præditi Christum apprehendunt: ne simpliciter carnali generationi tribuere uideatur, quod ex mera dei gratia & gratuita illius electione dependet, ut multis Paulus probat, ad Rom.9.cap.

Potest

Potest autem ex hoc loco confutari Anabaptistarum uæsania, qui paruulos ex fidelibus progenatos in dei & ecclesiæ Christi consortium admittere nolunt. Atqui nemo nostrum negat, electionis dei salutem esse, non carnalis generationis. Interim cùm deus testamento suo olim paruulos, ex fidelibus natos, incluserit, non leuis temeritas uideri debet, illis testamenti & ecclesiæ dei communionem negare. Num uerò noui Testamenti conditiones nostris liberis duriores & grauiores esse putabimus, quàm ueteres olim fuerint, quibus octauo die per circumcisionem in populi dei consortium aditus patebat? Gen.17. Et an nulla erit apud nos Christi authoritas, qui & paruulis fidem tribuit, & ad eosdem regnum cœlorum pertinere affirmat? Matth.18. & 19. Marc.10. Vel quid Paulo respondebimus, qui de imparibus coniugijs loquens, liberos eos sanctos dicere nō ueretur, qui ex alterutro tantum parente Christiano nati erant. 1. Corinth.7. Fugiamus ergo præcipitem nostri iudicij audaciam, & diuini fœderis articulos constanter retineamus, quibus paruulis quoq; salutis communionem promissam esse constat. — Contra Anabaptistas.

Est autem diligenti obseruatione dignum, quòd nostræ redemptionis & salutis negotium fœdere uel testamento comprehensum esse uoluit deus. Quod ut in Abrahamo cœpit: ita postea non semel cum Abrahami posteris innouatum ac instauratum esse constat. Huc enim pertinent, quæ de Dauide habentur, Psal.89. & 132. & quæ Ierem.31. de nouo dei testamento legimus. Nec testamentū modò constituit deus, sed illud ipsum iurisiurandi religione interposita confirmauit. Iurauit enim Abrahamo, & per seipsum quidem, cùm per maiorem iurare non posset. Hebr.6. Seruiunt hæc salutis nostræ certitudini asserendæ. Nam si hominis testamentum, postquàm legitimè conscriptum & confirmatum fuerit, nemo reijcit uel infringit: nemini tantum authoritatis esse poterit, ut dei testamentū irritum faciat. Gal.3. Dei enim dona ἀμεταμέλητα, *& illius uocationem inuiolabilem esse, Paulus testatur. Rom.11. Idem ipse deus apud Ieremiam cap.33. affirmat, dicens: Si irritum fieri potest fœdus meum, quod inij cum die & nocte: ut non sit dies & nox suo tempore: etiam irritum fieri poterit fœdus meum, quod inij cum Dauide seruo meo, &c. Et alibi naturales parentum erga liberos affectiones, quas Græci* στοργὰς *uocant, non tam uehemētes & certas esse testatur, quàm ipsius cura & fides est, qua sui testamēti ueritatem & salutis nostræ certitudinē inuiolatā seruare studet. Isa.49.* — Testamento dei salus nostra continetur.

Prodest autem diuini testamenti summam, quæ à Petro ex Geneseos 22. cap. allegatur, diligentius inspicere. In semine tuo (dicit deus Abrahamo) benedicentur omnes familiæ terræ. Quibus uerbis tria comprehendit dominus. Primò enim quid ex testamento suo nobis boni obtingat, docet. Deinde mediatorem, per quem illud simus accepturi, indicat. Tertiò ad quos testamenti huius hæreditas extendatur, admonet. — Summa testamenti dei.

Primò benedictionem promittit deus, quæ maledictioni opponitur, ut patet Deut.27. & 28. cap. Comprehendit hæc omnem hominis incolumitatem, & imprimis dei fauorem, qui omnis generis bonis suos accumulare solet. Nec enim fieri potest: ut quicquam illius uel corpori uel animæ desit, qui deo propitio & benigno utitur. Oportuit uerò hanc nobis disertè promitti, eò quòd natura maledicti sumus, quotquot ex Adami progenie nascimur. Peccato enim maledictionem deberi, passim scriptura docet, & lex maledictum pronūtiat eum, qui non omnia fecerit, quæ Deus mandat. Deut.27. Quia ergo peccatores sumus omnes, gloria & gratia dei destituti, illius iræ et iudicio subiacemus. Rom.3. 5. &c. At quemadmodum peccato transgreßionis omne malorum genus mundo inuectum est: ita benedictione omne bonum deus pollicetur. Quare amplißima est hæc promißio, & totam hominis salutem complectitur. — Benedictio.

Quia uerò inter deum & nos propter peccati culpam inimicitiæ obortæ erant, cum illo absq; mediatoris intercessione reconciliari non poteramus, nec benedictionem illius consequi. Ostendit ergo hunc deus, cùm in semine Abrahami benedictionem pollicetur. Quem locum Paulus apostolus mira simplicitate de Christo Iesu exponit, quem Abrahami semen assumpsisse legimus. Scribit enim ad Galat.3. cap. Abrahamo dictæ sunt promissiones, & semini eius. Non dicit, & seminibus, tanquam de multis, sed tanquam de uno: Et in semine tuo, qui est Christus. Neque hîc Iudæorum cauillationes moramur, qui seminis uocabulum, quia collectiuum est, de tota Iudæorum gente exponunt, & comparationem faciunt, quasi iuxta illius gentis exemplum reliqui populi benedici debeant. Quia enim constat omne genus mortalium maledictioni subiacere, nullius momenti fuisset dei testa- — Benedictionis mediator Christus.

mentum, nisi aliquem designasset, qui à maledictionis sententia liberatis benediceret. At quis nam ille sit, Iudæi nunquam ostendere poterunt, si Christum abijcere uelint, cùm in omnibus alijs Abrahami posteris peccata non pauca nec leuia deprehendi possint, quibus maledictionem in ipsis etiam hæsisse constat. Verè enim apud Isaiam illis dixit Dominus: Pater tuus primus peccauit, & interpretes tui præuaricati sunt. Isa. 43. Vnus Christus habetur, in cuius ore non inuentus est dolus, & qui hostibus suis dicere potuit: Quis ex uobis arguet me de peccato? Et idem ille solus à deo patre cælitus is esse declaratus est, in quo benedictionem consequamur. Illi enim dixit deus, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, &c. Matth. 3. & 17. Et ipse in ultima Cœna, noui testamenti consummationem in sanguine suo consistere, palàm testatus est. 1. Corinth. 11. Illius enim sanguine peccata nostra expiata sunt, propter quæ maledictionis sententia grauabamur. Hunc ergo amplectantur, quicunque benedictionis hæreditatem uolunt consequi.

Benedictionis hæredes.

Cæterum ne paucorum hominum uel unius tantum gentis hæc felicitas esse uideretur, disertè quòusque illa extendi debeat, edocet. Includit autem benedictioni huic, quæ in Christo obtingit, omnes familias terræ. Nec enim Iudæorũ duntaxat deus est (ut Paulus inquit) qui ista sanciuit, uerum etiam gentium. Rom. 3. Et passim admonemur in salutis causa nullum esse coram deo gentium discrimen, sed (ut infra Petrus testabitur) in omni gente eos ipsi probari, qui illum timent, & operantur iustitiam. Act. 10. Adhæc ipse Christus salutem, cuius ipse author est, ad omnes gentes pertinere testatur, cùm in euangelio dicit: Multi uenient ab Oriente & Occidente, & accumbent cum Abrahamo, Isaaco, & Iacobo in regno cælorũ. Matth. 8. Quò imprimis referri debet, quòd apostolis euangelium in toto terrarum orbe prædicandi mandatum dedit. Mar. 16. Act. 1. Vt enim primis parentibus prima salutis promissio facta est: ita omni illorum posteritati illam communem esse uoluit deus. Nec alia ratio est, propter quam Abraham multarum gentium pater dici possit, quàm quòd omnes omnium gentium fideles, in Christo Iesu coniuncti, illius filij & promissionum salutis in Christo propositæ hæredes per fidem reddi solent. Est autem hæc consyderatio institutionis & consolationis plena. Docet enim ne quem temere contemnamus, nec inani nostræ gentis prærogatiua, quæ plerunque à nobis terrenis & insano hominum iudicio dependet, superbiamus: quando Christus Iesus, qui nostra salus & gloria est, ad omnes gentes pertinet. Rursum in fidei tentationibus nos confirmat, ne nos à Christo excludi patiamur, in quo omnes familias terræ benedici audimus: quo argumento hîc quoque Iudæis certam salutis suæ spem facere conatur.

III. Iudæis primis missus Christus.

Tertiò recenti dei beneficio & præsenti rerum statu ipsos consolatur. Vobis primùm deus, cùm suscitauisset filium suum Iesum, misit illum benedicentem uobis, dum unumquenque conuertit ab iniquitatibus suis. Suscitandi uerbo non resurrectionem Christi à mortuis intelligit, sed ad Mosis oraculum, quod paulò ante citauerat, alludit. Quasi dicat: Præstitit deus quod promisit, & prophetam illum magnum ac humani generis redemptorem ex fratribus uestris suscitauit. Suscitatum uerò & incarnatum, non ad alias gentes misit, sed uobis illum destinauit, eundemque inter uos primùm innotescere & redemptionis causam peragere uoluit. Nec quisquam est, qui hoc negare possit. Inter uos enim Christus docuit. Inter uos miraculis claruit. Vobis seipsum familiarissimum exhibuit. Imò disertè fatetur, se ad perditas Israelis oues cumprimis pertinere. Matth. 15. Adhæc, cùm nos primum ad prædicandum emitteret, iussit, ut intra uestræ gentis terminos nos contineremus, nec iremus in uiam gentium. Matth. 10. Et ultimum ipsius, iam cælos ascensuri, mandatum fuit, ut prædicationis euangelicæ initium Hierosolymis fieret, quam per Iudæam quoque prius uulgari, & inde demum ad reliquas gentes transferri uoluit. Act. 1. Quare nulla uobis iusta dubitandi causa restat, nisi præsentem dei gratiam aspernari, & de ijs dubitare libeat, quæ tantumnon manibus contrectanda deus offert. At non lactat is uanis pollicitationibus homines. Non uana beneficiorum ostentatione ludit, sed illa conferre gaudet, nec aliunde maiorem, quàm ex nostra salute, delectationem capit. Docemur hîc, ut & ipsi ex euangelij prædicatione certam salutis nostræ spem capiamus. Quia enim salutis nuntium est, salutem uerè offert deus ijs, quos per hoc in filij sui cognitionem & cõsortium inuitat. Nec alia hodie uia siue ratio superest, per quam nobis filium suum deus mittat, quàm euangelij prædicatio, quæ omnem salutis benedictionem absolutè comprehendit.

Pauci

Paucis uerò Christi officium Petrus describit, cùm illum a deo missum esse dicit, ut nobis benedicat. Vnde etiam colligimus, ipsum per semen Abrahami non alium, quàm Christum intellexisse, ut supra ex Paulo demonstrauimus. Benedicit autem nobis Christus tanquam sacerdos. Sacerdotum enim erat benedicere populo, ut Moses Numerorũ cap.6. docet. Quanquam magna inter hos & Christum sit differentia. Illi enim figuræ & umbræ tantummodo ministri erant. Christus uerò bona non modò imprecatur, uerumetiam confert, & in hoc nobis deus benedicit omni spirituali benedictione, ut Paulus Ephes.1. monet. At modum quoq; benedictionis huius explicat Petrus, addens: Dum conuertit unumquenq; ab iniquitatibus suis. Quia enim peccata maledictionem gignunt, benedictioni locus esse non potest, nisi his è medio sublatis. Aufert autem illa Christus, imò iam olim mortis suæ merito expiauit, unde à Baptista agnus dei dicitur, qui tollit peccatum mundi. Iohan.1. Non autem semel duntaxat peccata tollit, sed in se credentes cōuertit à peccatis. Quia enim spiritu suo illos donat, per eundem regenerantur & innouantur, ut qui antea peccatorum seruituti dediti fuerant, illius iugo excusso, deo uiuere, & illi per innocentiæ & charitatis studium seruire incipiant. Vnde colligimus, uehementer hallucinari eos, qui Christum carnalis licentiæ patronum fingunt, & illius prædicatione in hominum animis peccandi securitatem plantari clamant. Ideo certè in mundum uenit Christus, ut opera diaboli dissoluat. 1. Iohan.3. At inter hæc peccato primum locum deberi, nemo est qui nesciat. Quin potius, si uerum fateri libet, nulla in nobis uera esse poterit à peccatis conuersio, nisi cuius author Christus suo spiritu fuerit, iuxta illud Ieremiæ: Conuerte me & conuertar. Ierem.31. Item: Conuerte nos ad te, ô domine, & conuertemur. Thren.5.

Officium Christi.

Porrò priusquam dicendi finem faciamus, obseruandum est, quòd tot prærogatiuis insignes Iudæi, quot cùm hic tum Rom.9. & alibi cōmemorantur, nihil ex illis omnibus utilitatis perceperunt, sed à deo repudiati sunt, cum pertinaci incredulitate Christum contemnere & euangelij prædicationem aspernari pergerent, qua de re multa Paulus tradit, Rom.11. Vana ergo sunt externa omnia, nisi Christum uera fide complectamur, qui solus à peccatis conuertit, peccata expiat, & cum deo reconciliatos, regni cœlorum hæredes facit. Hunc sua concione Petrus tradidit, & in hoc apertum salutis thesaurum ijs ostendit, qui omni salutis & gratiæ dei spe excidisse uideri poterant. Nobis ergo hæc ipsa dici putemus, & in hoc incumbamus, ut uera illius membra facti, illius spiritu animemur, & cum eodem in cælis olim regnemus. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Prærogatiuæ omnes extra Christum inanes sunt.

CAPVT IIII.

HOMILIA XXVI.

LOquentibus autem illis ad populum, superuenerunt illis Sacerdotes, & præfectus templi, & Sadducæi, ægreferentes quòd ipsi docerent populum & annuntiarent in Iesu Christo resurrectionem ex mortuis. Et iniecerunt eis manus, & posuerunt in custodiam usq; in crastinum. Erat enim iam uespera. Multi autem eorum, qui audierant sermonem, crediderunt: & factus est numerus uirorum circiter quinq; millia.

DEscripsit hucusq; Lucas primitiuæ ecclesiæ initium & progressum. Vidimus illic, quæ nã apostolorum doctrina fuerit, quam illi ecclesiæ tradiderunt, quæ item ecclesiæ ueteris studia fuerint & exercitia. Subijcitur his commodissimè, ut doctrinam hanc mundus exceperit: ubi hoc ipsum factum fuisse uidebimus, quod Christus iam olim apostolis prædixerat. Nam apud Iohannem ait: Non est seruus maior domino suo. Si me persecuti sunt, & uos persequentur. Si sermonem meum seruauerunt, & uestrum seruabunt. Iohan.15. Item: Tradent uos in concilia, & in conciliabulis suis cædent uos flagris, &c. Matth.10. Atqui hæc iam experiri incipiunt apostoli, quos hucusq; ab hostium furore tutos fecerat deus, donec ecclesia principiũ firmius & stabilius collocari posset. Iam uerò repentè illis acerrimi hostes irruunt, comprehensos carceribus inclu-

dunt, in Concilio examinandos sistunt, tandemq́ longa disceptatione uexatos non sine grauissimis minis dimittunt. Nobis uerò in uniuersa hac narratione illud ante omnia consyderandum erit, quod nostræ institutioni & consolationi cumprimis seruit: ne uidelicet impiorum conatibus, quibus hodie Christi doctrinam & ecclesiam oppugnant, offendamur. Nec enim aliquid nouum aut insolens facit mundus hic, cuius ingenium est, ueritatis lucem odisse & persequi, eò quòd per hanc opera illius praua arguuntur. Iohan.3. Hîc uerò primitiuæ ecclesiæ constantia nos armari cõuenit, ne oppugnati loco cedamus, sed forti & inuicta fide dei opem & tentationis euentum expectemus, quem felicissimum illis largitur dominus, quos Cruce probatos & meliores factos esse uiderit. 1. Cor. 10. Sed quia de his dicendi locus frequenter sese offeret, paucis hæc prælibauisse sufficiat, ne scopum, ad quem singula dirigi oportet, amittamus. Nunc uerò quæ à Luca dicuntur per singulas partes siue circumstantias ordine excutiemus. Describit enim, qui apostolorũ hostes & persecutionis authores fuerint, qua astutia & quibus artibus usi sint, quid suo conatu impio & iniquo prætexerint, qua uiolentia manus iniecerint apostolis, & quàm uanus illorum conatus fuerit, cùm fidelium numerus illorum rabie auctus potius quàm imminutus sit.

I. Authores persecutionis apostolorum.

Inter apostolorum hostes tria hominum genera recensentur. Primi sacerdotes sunt, quos totius negotij authores & duces fuisse, ex circumstantijs facilè colligitur. Atqui horum potius erat ueritatis patrocinium suscipere, & Christum, cui Moses & prophetæ testimonium ferebant, populo prædicare. Comitatur hos templi præfectus, quem Romanum aliquem militum Tribunum fuisse uerisimile est. Quia enim templum in loco urbis munitissimo situm, ipsum quoq; munitionibus probè defendebatur, illius curam à Romanis prætoribus uel præsidibus Iudææ cumprimis commendatam fuisse crediderim, ne quid ibi turbarũ Iudæi sub sacrorum cœtuum & religionis prætextu cõcitarent. Adduxit uerò haud dubiè templi præfectus suos satellites siue milites, qui illius seruitio & obsequio semper præsto erant. Accedit his tertium hominum genus, Sadducæi, quos omnem religionem ludibrio habuisse constat. Negabant enim corporum resurrectionem & quæcunq; de uitæ æternæ mysterijs traduntur, ut uidere est Matth. 22. & Act. 23. cap. Atqui fieri non potest, ut aliquid synceræ religionis in ijs supersit, qui ista negare audent, quibus sublatis, nullus religionis usus superest. Quòd si uerò rem probè expendamus, eosdem contra Christi apostolos conuenisse patebit, qui ad Christum capiendum ad montem oliuarum exiuerunt, sicuti Lucas in euangelica historia cap. 22. narrat.

Hostes Christi & doctrinæ euangelicæ.

Obseruemus hîc, qui semper acerrimi ecclesiæ & doctrinæ Christi hostes ac persecutionum authores futuri sint. Sacerdotes nimirum, id est, ij qui doctrinæ & totius ecclesiæ gubernationem sibi uendicant. Vt primùm enim illi, ambitione & auaritia superati, priuato honori studere & religionem in quæstum mutare incipiunt (quod Iudaicos illos fecisse euangelica historia abunde docet, Matth. 7. 23. Iohan. 5. &c.) fieri non potest, quin primi se ueritati opponant, eò quòd primi illius luce arguuntur. Hinc factum uidemus, ut per eiusmodi homines omnibus seculis contra ueritatis doctrinam turbæ concitatæ fuerint. Docent hoc prophetarum tempora, quibus religionis antistites & sacerdotes præ alijs negotium fecerunt. Idem Baptista sensit, cuius doctrinam & baptismum primi ab Hierosolymis missi Leuitæ carpere cœperũt. Iohan. 1. Et Christus non alios acerbiores hostes habuit quàm sacerdotes, quorum consilijs tandem captus, damnatus & cruci affixus fuit. Eosdẽ nunc quoq; apostoli infensissimos sentiunt, & quibus per Pilatum & Romanos milites hucusq; de Christo prædicare liberum fuerat, ab ijs interturbantur, quorum patrocinio & fauore in propagando Christi regno defendi debuissent. Horum memores, nõ offendamur, si hodie etiam illos nobis aduersari uideamus, qui hactenus doctrinæ & sanctitatis titulos in ecclesia sibi uendicarunt, Pontifices dico cum uniuerso episcoporum & monachorum grege. Cùm enim auaritia & ambitione totos regi constet, & humanis traditionibus ueritatis doctrinam iam olim obscurarint, ac religionem sibi quæstum fecerint, fieri nequit, quin lucem ueritatis odio prosequantur & extinctam cupiant.

II. Astutia hostiũ ueritatis.

Sed astutiam horum uideamus, qua in apostolis oppugnandis usi sunt. Primò non soli templum ingrediuntur & apostolis manum injiciunt. Sic enim omnibus uideri poterant, non nisi priuati honoris & quæstus studio duci. Et periculum erat, ne populi furorem contra sese prouocarent. Quapropter templi præfectum sibi adiungunt, cuius erat publica authoritate prohibere, ne quid turbarum in templo excitaretur: sicq; uideri poterant pro publica pace soliciti esse, cùm non alio animo hoc ab ipsis

ipsis fieret, quàm quòd magistratus præsidio ad suæ tyrannidis defensionem abuti cuperent. Deinde Sadducæos quoq; sibi coniungunt, homines ab omni religione alienissimos, eò quòd tales ipsorum instituto cumprimis idoneos esse uiderent. Qui enim tales sunt, uel stulti uel seditiosi animi indiciũ esse putant, si quis in religione contra receptam consuetudinem quicquam immutare uelit. Postremò docentibus superueniunt, & quidem de improuiso, quod ad populum perterrefaciendum non parum seruiebat. Vnde etiam colligere licet, ipsos occasionem iam ante captauisse, nec quicquam hîc fortuitò & inconsultò esse factum. Vtuntur eadem astutia quicunque contra ueritatem iam aliquot seculis conspirauerunt. Nam & Daniel Antichristo oculos hominis, id est, prudentiam & prouidendi astutiam tribuit, & Christus filios huius seculi in sua generatione prudentiores esse dicit, quàm filios lucis. Dan. 7. Luc. 16. Et sanè si Pontificum Rom. historias consyderemus, ea calliditate iam aliquot seculis usos fuisse constabit, ut tum maximè suas res gesserint, quando nihil minus facere uidebantur, & carnali brachio suffulti in tantum tyrannidis fastigium ascenderunt. Sic Bonifacius tertius Phocam, indigna Mauricij Imperatoris cæde madentem, Imperij honore sibi demeretur, ut illius authoritate uicissim primatum ecclesiæ obtineat. Ita Longobardorum uiribus Græcos Imperatores Italia expulere, & cum Longobardi ipsis intolerabiliores uiderentur, Francorum auxilio in illis debellandis usi sunt. Nec alia causa Imperatorem Occidentis Carolum creauerunt, cum annis plus trecentis Romanum Imperium uacauisset, quàm ut Templi præfectum haberent, cuius opera occupatam in ecclesia tyrannidem tueri, & contradicentes cohercere possent. Apertissimè autem hos suos animos prodidêre, quando Imperij titulo ad Germanos translato, Imperatores in uerba sua iurare coegerunt, ac sibijpsis Imperatorem confirmandi & coronandi ius reseruarunt, ne quis alius quàm illorum uotis respondens, ad eam dignitatem ascendere posset. Fatebuntur me uera dicere, quicunq; iurisiurandi formulam, qua Imperatores obstringuntur, quamq; inter sui Iuris Canones retulerunt, adhæc Bonifacij octaui Canonem de Maioritate & obedientia legerint. Is enim de duobus gladijs, id est, ecclesiastica & politica potestate loquens, utrunq; Romanis Pontificibus disertè uendicat his uerbis: Vterq; est in potestate ecclesiæ, spiritualis scilicet gladius & materialis. Sed is quidem pro ecclesia, ille uerò ab ecclesia exercendus. Ille sacerdotis, is manu regum & militum, sed ad nutum & patientiam sacerdotis, &c. Agnoscamus ergo ueteris typi ueritatem, quando Pontifices regum armis contra ueritatem pugnare uidemus. Agnoscamus bestiæ huius astutiam, quæ alienis uiribus res suas conficit. Cogitemus indefessum esse illius in opprimenda ueritate studium, nec ex nostra socordia illos æstimemus. Vigilant illi nobis securè dormitantibus. Excitemur ergo & ipsi, ac iuxta Christi admonitionem caueamus nobis ab hominibus. Matth. 10.

III. Quo prætextu ueritas oppugnetur.

Atqui nimis insolens & tyrannicum uideri poterat, homines nullo iuris prætextu uiolenter abripere. Indicat ergo Lucas quid facto suo prætexerint: Molestè ferebant (inquit) quòd ipsi docerent populum, & annuntiarent in Iesu resurrectionem ex mortuis. His enim uerbis non modò quid ipsis doluerit, uerumetiam quibus criminibus apostolos grauarint, docet. Duo autem recensentur. Primò illis intolerabile uidetur, quòd Petrus & Iohannes, rudes & illiterati, qui ex piscatura hucusq; uictum quæsiuerant, nec ullis sacris erant initiati, docerent populum. Videbatur hoc schisma spirare, & quòd ab ecclesiæ unitate populum abducere conarentur. Eò quippe inter Iudæos res deuenerat, ut omne ecclesiæ administrandæ ius penes sacerdotes esset, qui ad docendi munus neminem admittebant, nisi qui in illorum uerba iurauisset: quod à Romanis quoq; Pôtificibus iam seculis aliquot usurpatum uidemus, in quorum ecclesia (sicuti Christus in sua Reuelatione prædixit) nemini licet aut emere aut uendere, nisi charactere bestiæ acceperit, &c. Apoc. 13. Nec tamen hoc ita accipi uolumus, quasi cuiuis docendi ius esse debeat. Scimus enim quid de ministrorum ordinatione apostoli tradiderint. 1. Tim. 3. & 5. &c. Sed illorum damnamus tyrannidem, qui sibi solis omnem potestatem uendicant, cùm ipsi omnium in ecclesia malorum præcipui authores sint, & ne extremum quidem in illa locum habere mereantur. Secundò illud etiam animaduersione dignum ducũt, quòd Iesum à mortuis resurrexisse prædicarent. Damnabatur quidem à Sadducæis in uniuersum resurrectionis doctrina. Sed dolet cæteris aliud quiddam grauius. Ex resurrectione enim cuiuis colligere licebat, Christum dei filium & uitæ authorem, à sacerdotibus & Pilato iniusto & iniquo iudicio fuisse damnatum, quod inter concionandum non obscurè Petrus dixerat. Illud uerò non intolerabile modò conuitium,

uerumetiam seditiosum uideri poterat, quasi populum contra iudices iniquos & sanguinarios concitare cuperent. Duobus ergo grauißimis criminibus grauantur apostoli, schismatis nimirum in ecclesia & seditionis in republica, quorum utrunq; omnibus bonis meritò exosum & detestabile uidetur. Quòd si uerò sacerdotum animos & mores inspicias, uanum hunc prætextum fuisse facilè patebit. Si enim schisma in ecclesia ferre nolunt, cur Sadducæos in precio habent, quos præcipuum fidei & salutis articulum corporum scilicet resurrectionem, palàm negare non pudebat? Cur Essenos & Pharisæos, homines planè sectarios & diuersißimarum opiniorum professores ferunt? Si seditionis scelus tantopere horrent, cur populo authores fuerunt, ut Barrabam, hominem seditiosum & latronem, sibi donari peteret, Christum uerò ad Crucem postularet? Non ergo uel schismatis uel seditionis periculum, sed ueritatis odium illos exagitat, & graue illis est, quòd ueritatis luce illorum malitia & improbitas argueretur.

Interim uidere licet, quo prætextu contra ueritatem pugnetur ab impijs. Huius enim propugnatores omnibus seculis pro schismaticis & seditiosis habitos fuisse constat. Eliæ obijcitur, quòd Israelem turbet. 1. Regum 18. cap. Amos propheta seditionis apud Ieroboamum accusatur. Amos 7. Christus quoq; coram Pilato populum seducere & contra Cæsarem regnum affectare dicitur. Eadem crimina olim quoq; Christianis intentata fuisse Imperatorum temporibus, ex Tertulliani, Cypriani, Arnobij, Lactantij & aliorum scriptis colligere licet, quibus illi gentilium calumnijs responderunt. Hodie quoq; hoc potißimum nomine euangelij doctrina malè audit, quod inconsutilem Christi tunicam, ecclesiam nimirum, scindat, animos disiungat, & bellorum faces subministret. Sed facilis est ad illa responsio, nec obscurum est longè aliud illis hominibus dolere. Si enim ecclesiam scindi nolunt, cur obsecro Monachorum regulas & ordines tantopere commendant, quibus in diuersißimos ritus & factiosa nomina scinduntur, quos unius Christi nomen profiteri decebat? Cur non Paulum apostolum, ista grauißimè damnantem, audiunt? 1. Corinth. 1. & 3. Si dißidia tantopere abominantur, quî fit, quòd iam seculis aliquot omnium bellorum authores Romani Pontifices fuerint? Illis debemus horrendum & Christiano orbi nunquam satis deplorandum schisma, quo Oriens ab Occidente reuulsus, & tandem Turcarum impiæ tyrannidi subiectus est. Quis belli sacri author indicari poterit alius, quàm Romana sedes, quo totus terrarum orbis infelicißimè commissus & riui sanguinis humani effusi sunt? Historias appello, quæ me uera dicere, non affectui indulgere, testabuntur. Nonne etiam nostro seculo horum legati in Regum castris & inter militaria signa uisuntur? An non illos regum dißidijs crescere, & suam in ecclesia tyrannidem stabilire cernimus? Hæc dum euangelij lux arguit, illicò nos schismatum & seditionum accusant. Agnoscite ergo dolum, ô Christiani principes, & toties icti sapite, nec contra fratres & Christi membra sæuite in illorum gratiam, quos publicæ pacis & salutis maximas pestes esse constat.

IIII. Aperta ui pugnatur contra ueritatem.

At miretur aliquis, quòd ad intentata crimina non responderint apostoli. Sed quid obstiterit satis apertè Lucas docet. Mox enim manibus in illos iniectis, in carcerem abstraxerunt, idq; eò festinantius fecerunt, quò minor ipsis sese coram populo purgandi facultas daretur. Est hoc ueritatis hostibus proprium, quòd aperta ui in huius professores grassantur, in hoc unum maximè intenti, ne ullus excusationis locus fidelibus concedatur. Norunt enim eam ueritatis uim esse, ut suo fulgore omnes illorum machinationes facilè discutiat, nec alia re magis, quàm uulgi ignorantia, se tutos esse intelligunt. Vt ergo falsa crimina de pijs in uulgus spargere solent: ita ne quis illorum innocentiam cognoscere poßit, summo studio obstant. Quare ubi rationibus & scripturis agi oportebat, apertam uim, laqueos, carceres, enses, faces & alia eius generis proferunt. Notius hoc est, quàm ut multis probari opus sit. Meminerint tamen hanc, Christo teste, tenebrarum potestatem esse, & cum tenebrarum principe se aliquando tyrannidis & impietatis suæ pœnas esse daturos. Luc. 22. Animemur autem apostolorum exemplo, qui indignam pietatis & studij sui fidelis ab ingrato mundo mercedem recipiunt, nec offendamur, si quid tale nobis etiam accidere sentiamus.

V. Persecutione augetur ecclesia.

Cæterum ne qua nobis esset iusta offendiculi occasio, quàm parum tyrannide sua contra Christum & ecclesiam eius impij hostes profecerint, euangelista docet. Multi (inquit) eorum, qui audierant sermonem, crediderunt: & factus est numerus uirorum circiter quinq; millia. Quid hîc primùm explicemus & admiremur, ô fratres? Ineffabilem ne dei potentiam, aut admirandam fidelium illius temporis

temporis constantiam & fortitudinem? Inuicta enim hic elucet Christi potentia, quæ hostium consilia non modò dissipat, sed etiam inuertit, quod illum facturum Dauid olim testatus est. Psal. 2. & 33. Conantur illi euangelij cursum impedire, & terrore iniecto homines à Christi ecclesia auellere. Sed adeò falluntur, ut admirabilis potius euangelij fructus conspiciatur, & noui ecclesiæ Christi discipuli accedant. Est autem hæc perpetua ecclesiæ sors, quòd ex persecutionibus incrementum sumit. Factum hoc olim in Babylone, quando Assyriorum & Persarum reges ueri dei et religionis præcones facti sunt. Dan. 3. & 6. Sub Imperatoribus autem quò feruentior fuit persecutio, eò plures inuenti sunt, qui Christum sanguine confiteri pulchrum duxerunt. Hoc illud est, quòd Dauid Christum in medio hostium suorum dominaturum esse uaticinatur. Psal. 110. Imitemur uerò nos primitiuæ ecclesiæ fortitudinem, nec cruce uel persecutorum rabie terreamur. In corpus sæuiunt quantum dominus permiserit, sed in animam iuris nihil habent. Matth. 10. Vinciuntur ab his uerbi præcones & fidi auditores, at sermo dei uinciri nequit. 2. Tim. 2. Spirat enim domini spiritus, non ubi mundo libuerit, sed ubi ipse uult. Iohan. 3. Adhæc maior est qui in nobis agit, quàm qui in mundo furit. 1. Iohan. 4. In hoc enim diabolus agit, quem iam olim superatum esse scimus. Iohan. 12. & 16. In nobis Christus operatur, quo nos confortante, possumus omnia. Philip. 4. Est hic fortis & fidelis pastor, qui oues sibi eripi non patitur. Iohan. 10. Præparauit is nobis in cœlis locum, ad quem nos inconcussa fide per Crucem & tribulationes omniuarias contendere decet, ut cum illo uiuamus & regnemus in domo patris ipsius: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA XXVII.

Factum est autem postridie, ut congregarentur eorum principes & Seniores & scribæ Hierosolymis, & Annas summus Sacerdos, & Caiaphas, & Iohannes, & Alexander, & quicunque erãt ex genere pontificio. Et cum statuissent eos in medio, interrogauerunt: In qua uirtute, aut in quo nomine fecistis hoc uos? Tunc Petrus repletus spiritu sancto dixit illis: Principes populi & Seniores Israel, si nos hodie examinamur de beneficio in hominem infirmum collato, quomodo ille sanatus sit: notum sit uobis omnibus & toti populo Israel, quòd in nomine Iesu Christi Nazareni, quem uos crucifixistis, quem deus excitauit à mortuis, hic stat coram uobis sanus. Hic est lapis ille, qui reiectus à uobis ædificantibus, factus est in caput anguli: nec est in ullo alio salus. Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.

QVamuis dominus & saluator noster Iesus Christus, iuxta promissiones suas nunquam desit ijs, qui ipsum uera fide amplexi sunt, præcipuè tamen illis se præsentem exhibet, quando persecutionibus, per fidei hostes excitatis, premuntur, nec aliquod uident in hominibus præsidium, quo niti possint. Et tunc quidem illos spiritu suo non modò consolatur, uerumetiam, quid faciant quidue loquantur, edocet. Matth. 10. Mar. 13. Luc. 21. Exemplum eius rei præsens historia exhibet, dum eos, qui cum sapientia tum potentia instructissimi erant, per apostolos Christi, rudes & nullius pretij homines (si mundi iudicium audias) superati & turpiter confusi sunt. Vidimus enim, ut in carcerem abducti sint apostoli, eò quòd docendi munus, non ordinati à sacerdotibus, suscepissent, & Christum Iesum à mortuis resurrexisse prædicarent. At in præsenti, ut causam Christi coram senatu Hierosolymitano egerint, Lucas commemorat: qui locus tum ob multa alia, tum maximè hoc nomine memorabilis est, quòd hostium ueritatis artes & pontificij Concilij, contra ueritatem congregati, typum elegantem continet.

Orditur autem à Iudicum consessu, quem diligenti singulorum, qui hic conuenerunt, enumeratione depingit, non modò ut intelligamus, qui & quales conuenerint, sed ut constet, ueritatis hostes humana potius authoritate & potentia quàm ulla alia fiducia niti. Factum est (inquit) ut congregarentur principes, & Seniores & scribæ Hierosolymis. Tribus ordinibus quicquid inter Iudæos I. Concilij pontificij descriptio.

eximij erat, comprehendit. Principes ſunt, quibus per Romanos rerum adminiſtratio cōmiſſa erat, earum cumprimis, quæ ad Iudaicam politiam, quatenus illa à reliquis differebat, attinebant. Seniorum ordo idem qui Senatorum erat, ut ex alijs ſcripturæ locis patet. Scribæ autem dicebantur, qui legis & totius ſcripturæ notitiam ſibi uendicabant, & penes quos erat tabularum ſeu inſtrumentorum publicorum cuſtodia. Non contentus uerò ordines hos nominauiſſe, quorundam nomina recenſet, qui maiori inter alios authoritate præſtabant. Annam nimirum, qui ſummus ſacerdos hic dicitur, non quòd pontificatum tunc gereret (nam illum Caiapham adhuc tenuiſſe hiſtoria docet) ſed quòd in illo aliquando fuiſſet: Caiapham item: Iohannem & Alexandrum, quibus tandem omnes alios ſubijcit, quicunq; ex pontificio genere inueniebantur. Quòd ſi uerò hunc conſeſſum inſpicias, nihil illo tempore hoc magnificentius fingi potuiſſe patebit. Conuenerunt enim, quorum potentia Romanorum præſidum authoritate nitebatur. Adſunt, quibus publicè commiſſa erat eccleſiæ cura. Nec deſunt, qui eruditionis & doctrinæ titulo omnibus ſuſpiciendi erant. Omnibus uerò his accedebat, quòd horum ordo tum diuina inſtitutione, tum ſucceſſione annorum plus mille quingentorum (ſi ab exitu Aegypti ſeu Aaronis pontificatu ad Chriſti & apoſtolorum tempora annorum numerum ſupputes) commendabatur. Et reuera ſeſe Aaronis, Eleazari, Abiathari, Iehoſuæ & aliorum ſucceſſores dicere poterant, quibus non uulgaris laus in ueteri ſcriptura tribuitur. Cum his apoſtoli committuntur, imò inter illos ſiſtuntur captiui et rei, quibus illo tempore uix aliquis hominum ordo abiectior erat & contemptior, cum illos nec generis nobilitas, nec ſucceßionis amplitudo, nec opum & honorum huius ſeculi dignitas commendaret, multos autem infame Crucis ſupplicium, quod illorum magiſter & inſtitutor Chriſtus perpeſſus erat, offenderet. Hos tamen illorum uictores fuiſſe exitus tragœdiæ huius docebit. Nec mirum alicui uideri debet, quòd tot tantiq; uiri contra ueritatis præcones conuenerint, cum eius rationem nobis non ſemel euangeliſtæ reddant. Quia enim priuati commodi ſtudio & ambitione ſeducti doctrinam humanis traditionibus corruperant, & religionem omnem in quæſtum commutarant, ueritatis lucem ſuſtinere non poterant: cuius odium illos in Chriſtum armarat, & nunc eoſdem extimulat, ut contra apoſtolos tanquam ad commune incendium reſtinguendum concurrant. Interim noſtræ inſtitutioni horum conſyderatio ſeruire debet. Primò enim docemur, neminem hoſtium Chriſti potentia & authoritate offendi debere, ut uel illos turpiter metuat, uel præpoſtera reuerentia ſe & religionis cauſam illorum iudicio ſubmittat. Vt enim deus ſuos contra omnem mundi potentiam facilè tuetur: ita nulla hominum dignitas eſt, quæ dei uerbo præiudicare poßit. Vendicant ſibi hanc poteſtatem hodie Rom. pontifices, & ut Conciliorum ſuorum decretis omnes obtemperent, ſatis pro imperio poſtulant. Argumenta illorum præcipua ſunt, quòd Petri cathedram teneant, quòd ſucceßione apoſtolica commendentur, quòd regum & principum authoritate confirmata ſit illorū poteſtas. Atqui ut hæc illis demus, quæ tamen falſò ſibijpſis tribuunt, omnia iſta hic quoq; concurrunt, ut paulò ante diximus. Non tamen ideo illis cedunt apoſtoli, quia degeneres iam pridem exorbitarant, cum & doctrinam corrupiſſent, & cultum externum ſibi quæſtum feciſſent, & ueritatem apertè perſequerentur. Eadem ergo cum ſit noſtrorum temporum ratio, cur nobis non idem, quod apoſtolis, liceat? Neq; audiendi ſunt, qui ſibi neſcio quid magni pollicentur ex iſtorum hominum Concilijs. Non poteſt arbor mala fructus bonos facere. Et quid boni ſtatuent, qui dei uerbum perſequuntur, & de ſtabilienda tyrannide ſua dies noctesq; cogitant? qui deniq; ſuis præiudicijs nos iam olim damnarunt, nec aliquem habent qui ipſos in ordinem redigat? Veritatem illi oppreſſam cupiunt, cuius fulgorem ferre non poſſunt. Illis ergo credant doctrinæ & religionis iudicium, quicunq; ueritatem proditam uolunt. Sed ſtupenda eſt noſtri ſeculi cæcitas, qua fit, ut multi ſcientes uolentes non religionis modò cauſam, uerumetiam fortunas ſuas omnes, & patriæ communis libertatem, hominum ambitioſorum libidini inſatiabili ſubijciant.

II. Quæſtio ſacerdotalis Concilij.

Sed quæſtionem uidere prodeſt, qua Iudæorum ſacerdotes apoſtolos, in medium productos, aggrediuntur. Comprehendunt hanc paucis uerbis, ut ſatis pro imperio loquantur, & inani authoritatis uſurpatione ipſos perterrefaciant. Aiunt enim: In qua uirtute, & in quo nomine feciſtis hoc uos? Habent hæc aliquam pietatis & zeli diuini ſpeciem. Hoc enim ex officio interrogare uideri uolunt, utpote quorum ſit, cauere, ne populo uel doctrina peruerſa uel falſis ſignis imponatur. Reuera autem tentandi gratia interrogant, ut ex illorum uerbis calumniandi occaſionem uenentur, quo dolo non

non semel contra Christum quoq; usi fuerunt. Quid enim opus erat de hoc quærere, cuius rationem in templo tam euidenter apostoli reddiderant? Vel num obliti erant, Christum Iesum propria uirtute, apostolos uerò illius iam pridem ipsius Christi nomine miracula edere cœpisse? Non ergo ueritatem discere cupiunt, sed dolo malo incautos circumuenire student. Similes sunt illorum quæstiones, qui hodie nostros interrogant, unde nouam doctrinam didicerint, qua authoritate noua dogmata spargant & ecclesiarum reformationem aggrediantur? Atqui iam olim de omnibus istis rationem reddidimus, quam illi ignorare non possunt. Longè alio igitur quàm ueritatis discendæ studio tenentur, nec aliud perinde cupiunt, quàm ut ex uerbulo aliquo incautius elapso ansam calumniandi apprehendant. Suspecta ergo nobis sint eiusmodi hominum consilia & instituta omnia, & sicut Christus admonuit, serpentina in illis cauendis prudentia utamur. Nec illorum astutia nos terreri conuenit, quando suum spiritum Christus promisit, cuius suggestione Petrus instructus magna cum animi constantia respondet.

Sunt autem responsionis Petri partes duæ: quarum altera quæstioni Iudicum respondet, altera Christum prædicat. Priorem partem admirabili prudentia tractat. Priusquam enim Christum miraculi authorem esse doceat, illorum iniquitatem, & præposterum iudiciũ grauiter reprehendit. Interim honore, qui ex dei mandato magistratibus debetur, illos non defraudat, ne quid ex affectu prauo aut lingua petulantia dicere uideatur. Sic autem ait: Principes populi & Seniores Israelis: Si nos hodie examinamur de beneficio, in hominem infirmum collato, quomodo ille sanatus sit, notum sit uobis omnibus, &c. Sic autem dicere uidetur: Mirabamur equidem, qua de causa in carcerem heri abducti simus, & quæ nostra culpa sit, in quam tanto studio inquiritis. Cum enim magistratus officium esse constet, in maleficos inquirere, nobis autem nullius maleficij conscij essemus, uestrum hoc institutum non potuimus non admirari. At quantum nunc uidetur, propter beneficium, in hominem miserum collatum, iudicio sistimur. Hæc mihi uerborum Petri sententia esse uidetur. In his uerò euidens hostium ueritatis typus depingitur, quorum iudicio ij soli peccant, qui Christo uni seruiunt. Quot enim illo tempore Hierosolymis fuisse putas, qui dolis, mendacijs, calumnijs, usura, rapinis, aperta ui et homicidijs quàm plurimos læserunt? Quot item, qui falsa doctrina, superstitione, blasphemijs & infinitis alijs flagitijs dei iram prouocabant? At nullus illorum iudicio sistitur. In nullius mores egregij illi censores inquirunt. Imò in illorum consessu nõ postremum locum obtinent, qui tales erant. Apostoli autem in ius uocantur, in carceres ducuntur, examinantur, qui hucusq; læserant neminem, profuerant plurimis. Ita hodie ubi ueritatis odio flagrant homines, ibi omnibus impunè licet malis esse. At Christum prædicare, & illius doctrina hominum mentes à superstitione & idololatria reuocare, hoc demum maximi flagitij loco habetur. Est hæc uetus mundi corruptio, qui nunquam à scelerum pœnis sibi metuit, sed eos duntaxat abominatur & odit, qui ipsum deo reconciliare student. III. Responsio Petri.

Postquam uerò Petrus iniquitatem horum reprehendit, quæstioni ipsorum euidentius respondet, & miraculi authorem esse testatur unum Iesum Christum. Notum sit (inquit) uobis omnibus & toti populo Israel, quòd in nomine Iesu Christi Nazareni, quem uos crucifixistis, quem deus excitauit à mortuis, hic stat coram uobis sanus. Idem hic, quod in templo dixerat, repetit. Ita enim uni Christo miraculi gloriam uendicat, ut simul in faciem illis exprobret commissum in filium dei facinus. Simul uerò resurrectionis Christi meminit, ut ipsos frustra cum illo certamen suscepisse doceat, cum morte deuicta nunc gloriosè uiuat, quem illi sublatum uoluerunt. Est autem probè obseruandum Petri exemplum, quo docemur, ut cum professis ueritatis hostibus agere conueniat. Honore quidem, quo deus iudices donare dignatus est, illos (ut modò diximus) non defraudat. Interim ab assentatione ignobili prorsus abstinet: quin potius libere & fortiter ea profert, quæ Christi gloriæ & ueritati asserendæ seruiebant. Nã & sceleris illos admonet, & eum uiuere & regnare docet, quẽ illi persequebantur. Hac uia & nobis incedendũ est, ne uel linguæ petulantiæ aliquid permittamus, uel ignauo metu siue fauoris captatione ueritatẽ dissimulemus. Vt enim nos indigni sumus, qui maledicentia seculi filios imitemur: ita ueritatis hostes nequaquã digni sunt, quorum tyrannidi & sceleribus parcatur. Extant & alia huius generis exempla cum in prophetis tum in apostolis. At consultissimũ erit sancti spiritus suggestionẽ sequi, qui Christi zelo flagrantibus nunquam deerit. Vt agendum cum ueritatis hostibus.

Secũda responsionis Petri pars.

Cæterum, quia apostoli in hoc potißimum instituti fuerunt, ut Christum orbi prædicarent, hic quoq; sui officij Petrus minimè obliuiscitur, et ex præcedẽtibus occasione sumpta paucis, in uno Christo salutis rationem omnem comprehensam esse docet. At obstabat hic uehementer, quòd Christum Iesum ab illis damnatum uiderent, qui ex dei institutione in ecclesia ueteri docendi & quauis administrandi potestatem habebant. Huic igitur offendiculo primùm medetur, Dauidis uerba ex Psalmo 118. producens, quibus ipsum Christum quoq; in euangelio usum fuisse legimus. De seipso enim loquens Dauid, qui simul & Christi typus erat, ait: Lapis, quem reiecerunt ædificantes, factus est caput anguli. Quæ uerba Petrus de Christo & Iudæorum sacerdotibus disertè exponens, dicit: Hic est lapis ille, qui reiectus à uobis ædificantibus, factus est in caput anguli. Sensus autem uerborum est: Scio tum uobis tum alijs mirum uideri, quòd Christo Iesu tantam laudem & gloriam tribuimus, & illum à mortuis resuscitatum uiuere & regnare dicimus, quem uos ignominiosa morte sublatum uoluistis. At hoc neminem offendere debet. Quin hinc potius discite eum esse Iesum hunc, quem olim prophetæ prædixerunt. An uerò Dauidicum illud excidit, qui sic à domino decretum esse docet, ut Meßias ab illis ipsis reprobetur, qui ecclesiam dei ædificare debebant, & illi quosuis adducere? Aedificantes illi uos ipsi estis. Vobis enim commissum est docendi munus & tota religionis administratio. Vos Iesum reiecistis, nec aliquem illi locum concedere dignati estis in templo domini. Illum uerò deus à mortuis suscitatum, caput anguli fecit, id est, dominum & saluatorem constituit, adeoq; ecclesiæ suæ principem. Et salutis rationem omnem ita in hoc solo comprehensam esse uoluit, ut illa extra hunc nusquam inueniri poßit. Nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Sic ergo Iesum saluatorem esse prædicat Petrus, ut simul omnem salutis spem illis deneget, quicunq; hunc amplecti dedignantur. Tria autem hic continentur, quorum consyderatio non tam utilis est quàm necessaria.

Locus Psal. 118.

Christus ab ædificantibus reijcitur.

Primum, quòd Christum ab ijs reijciendum fore spiritus sanctus prædixit, qui ex dei institutione in illius populo primatum tenebant. Arguit hoc Roman. pontificum impiam superbiam, qui se errare posse negant. Nam licet illos diuinitus instituitos esse constaret, hoc tamen illis nunquam concedi posset, cum toties errarint, quorum institutio diuina erat. Sed ita produnt suam imprudentiam, dum se errare negant, cum impiiß. illorum errores non iam lippis & tonsoribus, uerumetiam pueris noti sint. Agnouit istorum crassam ignorantiam uel potius impudentem mentiendi libidinem Clemens VII. Papa. Cum enim ad illius mensam duo Monachi pro more disputarent, An Papa errare poßit? multis ultro citroq; dictis, illum quidem errare posse dixerunt, quatenus homo sit: ab omni autem errore alienißimum esse, quatenus Papam agat & Christi in terris uicarium. Tunc Clemens impudentißimis hisce & plus quàm seruilibus adulationibus offensus non sine stomacho dixit: Imò, quoad Papæ munus, me errare posse & frequenter errare fateor. Dum enim sacerdotia & ecclesiasticas dignitates in uiros bonos & pios me conferre puto, illos postea nebulones & nullo honore dignos esse comperio. Audiant hoc sui Caiphæ oraculum, qui hodie cornutos episcopos ita admirantur, ut scelus esse putent ab illorum decretis latum unguem discedere. Deinde monet locus hic, ne offendamur, quando Christum à præstantißimis in mundo, imò ab ijs etiam reijci uidemus, qui ecclesiæ columnæ, cardines & capita à plerisq; habentur. Vetus enim hoc in mundo malum est, qui tenebras luci plerunq; præfert. Quod & Isaias conqueritur, quando Christi mysteria explicaturus, paucos fore dicit, qui illi fidem adhibeant & domini brachium uerè agnoscant. Isa. 53. Et Christus mysteria hæc paruulis reuelata, à sapientibus uerò mundi huius abscondita esse testatur. Matth. 11. Quid, quòd idem publicanos & meretrices ijs in regno dei præfert, cum quibus in præsenti Petrus disputat? Matth. 21. Consoletur autem nos, quòd Christo honorem suum saluum & integrum fore scimus, ut ut contra illum infelix mundus sauiat. De illo enim ab æterno deus prædixit: Ego constitui regem meum super Zion montem meum sanctum. Recensebo decretum, dominus dixit mihi: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula à me, daboq; gentes, ut sint hæreditas tua, &c. Psal. 2.

Ecclesiæ ministri architectis conferuntur.

Secundò, Allegoria obseruanda uenit, qua ecclesiæ antistites ædificantibus siue architectis conferuntur. Hæc enim illos & officij admonet, & omnem illius rationem explicat. Architecti nomen non honoris sed officij est, nec quicquam ab architecto tam alienũ esse potest, quàm ocium. Illis enim

non

non labores modò ut alijs operarijs, sed totius ædificij cura & solicitudo incumbit. Finis uerò illi propositus est, domus ædificatio decora & stabilis. Quem finem ut assequatur, fundamentum iacit solidum, super quod ædificium totum extruit, & ut idem decorè absoluatur, curat. Hæc ecclesiarum ministris obseruanda ueniunt, quos ad labores & curas uocauit dominus. Sunt autem architecti domus dei, quæ est ecclesia, sicuti Paulus admonet. 2. Cor. 6. 1. Tim. 3. Ad huius ædificationem omnia conferant, memores, se ad ædificandum, non ad destruendum potestatem accepisse. 2. Corinth. 10. Fundamentum uerò non nouum iaciant, sed super illud ædificent, quod à deo iactum, quodq; prophetarum & apostolorum fundamentum à Paulo nominatur, quod est Iesus Christus. 1. Corinth. 3. Ephes. 2. Hic enim pretiosus ille lapis est in fundamentis Zion collocatus. Isa. 28. Hæc illa petra est, cui nos uiuos lapides superædificari oportet, & cui portæ inferorum non præualebũt. 1. Pet. 2. Mat. 16. Vt autem ab hoc incipiendum ædificium, ita idem illius caput & summus anguli lapis est. In hoc enim nostra perfectio habetur, & hic duos populos, gentes nimirum & Iudæos, in unum ecclesiæ corpus (ut duos parietes angularis lapis) connectit. Ephes. 2. Idem se huius domus ostium quoq; profitetur. Iohan. 10. Idem uerus ille paterfamiliâs est, qui domus curam ministris commisit, ab ijsdem olim administrationis suæ rationem requisiturus. Matth. 24. & 25. In hunc ergo ministri omnes respiciant, & curent ne fœnum aut stipulam ædificio isti admisceant, in quo nullus humanis traditionibus locus est. Matth. 15. Quotquot ergo hic fallunt, cum Iudæis, malæ fidei architectis, Christum reijciunt, in quem impingentes, sibijpsis malum consciscent. Ad quam regulam si examinentur, qui hodie architecti ecclesiæ haberi uolunt, facilè patebit quales censeri debeant.

Postremò imis animis recondi debet præcipuum hoc Christianæ fidei principium, quo uni & soli Christo omnem nostræ redemptionis & salutis gloriam Petrus transcribit, dicens: Non est in ullo alio salus. Id uerò dei decreto probat, cum subijcit: Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Vt enim in rerum natura unamquanq; rem ijs medijs confici oportet, quæ deus illi destinata esse uoluit: ita salutẽ alijs medijs acquiri impossibile fuit, quàm Christi merito, quem deus (qui unicus salutis humanæ author est) ab æterno ad hoc negotium præordinauit. 1. Pet. 2. Et quia dei decretum inuiolabile esse constat, unum hoc ad huius dogmatis assertionẽ abundè sufficere putauit Petrus, cui alioqui non deerant infinita scripturæ loca, quibus hoc probari poterat. Etenim saluatorem agere nemo potest, nisi peccata tollere, mortem uincere, apud deum pro nobis intercedere, iustitiam & uitam in se credentibus conferre possit. Hæc autẽ in solius Christi manu esse, omnis scriptura docet, & ipse apud prophetam clamat: Ego dominus, hoc est nomen meũ, & gloriam meam alteri nõ dabo. Et de hoc uno deus pater cœlitus testari uoluit: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Matth. 3. & 17. De hoc olim per prophetã pronuntiauit: Ecce seruus meus, quo nitar: electus meus, quo placatur anima mea, &c. Isa. 42. In hoc data nobis ueritas & gratia. Iohan. 1. In eodem omnes scientiæ, sapientiæ & bonitatis diuinæ thesauri aperti sunt. Col. 1. & 2. Hic nobis à deo factus est sapientia, iustitia, satisfactio, redemptio & sanctificatio. 1. Cor. 1. Hic esurientibus panis uitæ, & sitientibus fons aquæ uiuentis est. Iohan. 6. 4. & 7. Hic laborantibus & oneratis refocillationem pollicetur & præstat. Matth. 11. Vnus hic uia est, quam qui non ingreditur, ad patrem uenire nequit. Iohan. 14. Hic agnus ille dei est, mactatus ab origine mundi, cuius merito & ueteres dei cultores saluati sunt, & saluabuntur quotquot in illum credent usq; in consummationem seculi. In hoc deniq; nos Paulus electos esse testatur, priusquam mundi fundamenta iacerentur. Ephes. 1. Confutãtur igitur hoc loco omnes aliæ religiones, quæ noua salutis media extra Christum monstrant. Hoc ariete gentilium idololatria, Iudæorum legalis iustitia, pharisæorum gloriatio & hypocrisis, papatus cum toto indulgentiarum & meritorum foro, & totum illud Monasticorum ordinum chaos, conuellitur, disijcitur, euertitur & prosternitur. Quicquid enim extra Iesum est, saluare nunquam poterit. Non nos ergo, sed Petrum hæreseos damnant, qui ideo nos excommunicant hodie, quòd uno Iesu saluatore nitamur, contemptis ijs, quæ hominum superstitio peperit. Sed facilè illorum iudicia contemnimus, qui ex Petro discimus, non mirum esse, si lapidem hunc pretiosum architecti pleriq; abijciant. Illum uerò amplectimur constanti fide, extra quem salus nulla est, & qui omnibus in se credentibus salutem uitamq; promisit æternam. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

In uno Christo salus.

Quis salua[illegible] possit!

HOMILIA XXVIII.

Videntes autem Petri in dicendo libertatem & Iohannis, & reputan
tes quòd homines essent illiterati & idiotæ, mirabantur & agnoscebant
eos quòd cum Iesu fuissent. Hominem uerò uidẽtes ipsis astantem, qui
sanatus fuerat, nihil habebant quod contradicerent. Iussis autem illis ex
concilio secedere, conferebant inter se, dicentes: Quid faciemus homini
bus istis? Nam conspicuum signum editum, esse per eos, omnibus inco-
lis Hierosolymæ manifestum est: nec possumus negare. Sed ne amplius
diuulgetur ad populum, minando minemur illis, ne cui hominum post
hac loquantur in hoc nomine. Tunc uocatis ipsis, præceperunt, ne om-
nino loquerentur, neúe docerent in nomine Iesu.

DIuus Petrus quæstioni, in Concilio Hierosolymitano sibi & Iohanni ob claudum sana
propositæ, ita respondet, ut non modò quod ipsi querebant doceat, uerumetiam uniuersæ sa
lutis rationem, breui compendio comprehensam, illis exponat. Docemur eo exemplo, cum profe
quoq; ueritatis hostibus ita agendum esse, ut illos Christo & saluti lucrifacere studeamus. Quem
nem ipsi Christo etiam, quotiescunq; illi cum aduersarijs dimicandum fuit, propositum fuisse cõs
Sed uideamus modò, quis responsionis Petri effectus fuerit, qui in tanta dicendi uehementia ac pr
senti spiritus sancti operatione, non potuit uulgaris esse. Vbi mira se profert animorum cõfusio, q
ut euidentior esset, ita à Luca describitur, ut primò quidem quomodo animis suis affecti fuerint, d
inde quid de ijs consilij ceperint, exponat. Quæ & nos singula ordine consyderabimus.

I. *Obstupescunt & consiliorum incerti fiunt.*

Primò quidem admiratione & stupore replentur, ac consiliorũ incerti fiunt, adeo ut non habea
quod contradicere poßint. At ne quis illos uel ingenita mentis inopia laborauisse, uel panico qu
terrore perculsos putaret, causæ indicantur, quæ tam perplexos in suis consilijs reddiderint. Pri
apostolorũ in dicendo libertas siue fiducia est, quam utiq; inexpectatam audiunt. Sciebant enim h
mines esse illiteratos & idiotas, qui præter uernaculam linguam artes nullas didicissent. Nouera
illos à re piscatoria inter Christi discipulos fuisse adoptatos. Et nimirum nunc quoq; illorum m
tes uetus illa opinio dementabat, qua olim dixerant, neminem ex pharisæorum aut scribarum n
mero, sed execrabile uulgus & plebeios homines, legis & scripturæ ignaros, Christi partes tueri, I
ban.7. Facilem ergo sibi de apostolis uictoriã polliciti, non possunt non obstupescere, ubi illos ad qu
stionem propositam tam cordatè respondere, iniustitiam illorum tam fortiter arguere, & Christi c
sam tanta prudentia & constantia tueri audiunt. Coguntur enim, uelint nolint, diuinum quidda
in illis agnoscere, illosq; longè alia, quàm carnis, prudentia regi uident. Atqui hæc potißima cau
est, propter quam rudes & illiteratos apostolos eligere Christus uoluit, ut euangelij doctrina non h
minum sapientia, facundia uel authoritate, sed diuina uirtute propagata esse agnosceretur, ac o
nis illius laus siue gloria uni deo cederet, qua de re multis Paulus disputat. 1. Corinth. 1. cap. Alte
stuporis causa est euidens signi, per apostolos editi, ueritas, quam nec in dubium uocare, nec aliq
magiæ siue incantationis suspicione aggrauare possunt. Coràm enim astare uident hominem, cui s
lutis beneficium contulerant, siue ille ab ipsis uocatus sit, siue sponte apostolis sese coniunxerit, cum i
lis omnem rei euentum communem habiturus. Hærent itaq; animis, nec uerbulo quidem respond
possunt. Turpißimè ergo uicti & confusi sunt, qui unius quæstionis obiectione apostolos uinci & c
pi posse sperauerant. Hic autem impletur, quod Christus promiserat, dicens: Dabo uobis os et sapi
tiam, cui non poterunt contradicere, neq; resistere omnes, qui aduersabuntur uobis. Luc. 21. Simul u
rò patet quàm uana sint hominum contra Christum consilia. Nouit is illorum cogitationes uana
esse, & gentium consilia dißipat, ipsius uerò consilium in æternũ stabit, sicuti Dauid admonet. Psal.
94. & 33. Verè etenim is est, qui (ut Eliphaz Themanites ait) cogitationes callidorum irritas fa
cit, ut nihil solidi efficiant manus eorum. Et capit sapientes in ipsorum calliditate, & consilium a
sutorum subuertitur. Iob. 5. Exemplum eiusdem generis euangelica historia exhibet de caeco p
Christum illuminato, qui & illiteratus & mendicus totum sacerdotum & scribarum Concilium m
rificè exagitat, ut quò magis illi instant quærendo, eò magis sese ridiculos præbeant. Iohan. 9. Ne-

mo igitur hostium siue potentia siue calliditate terreatur, cùm utranq; tam facilè subuertat dominus. Nec enim nostra causa est, quam agimus, sed dei, qui os & linguam suppeditat: nec nos sumus loquentes, sed spiritus patris nostri, qui in nobis est. Matth. 10. At priusquàm hinc discedamus, de duobus, obseruatu dignißimis, pauca dicenda sunt.

Primò non temere fit, quòd dicendi fiducia & libertate, qua apostoli utebantur, impios Christi hostes attonitos & confusos fuisse, scribit Lucas. Eo enim exemplo docemur nihil ad cohercendum impios tam efficax esse, quàm ingenuam dicendi libertatem, qua in faciem redarguuntur, & ueritatis causa, cui illi sese opponunt, forti constantia asseritur. Nam ea uerborum uis est, ut animos facilè penetrent. Quòd si uerò ijsdem diuinæ ueritatis & gloriæ dei zelus accedat, fieri nequit, quin auditorum conscientiæ feriantur, utcunq; illud interdum dißimulent. Quò fit, ut si non semper ueram pœnitentiam agant, plerunq; tamen se pœnitere simulent, & à malefaciendo abstineant. Cuius rei exemplum euidens in Achabo cernitur, postquàm indignam Nabothi cædem prophetica libertate ipsi Elias exprobrauit. 1. Regum 21. cap. Rursum ubi linguis frænum injci patiuntur uerbi ministri, uel ipsi sibi silentium imponunt, ut mundo placeant, mox impijs animos addi uidemus, qui in omnem peccandi licentiam erumpendo mensuram iniquitatis complent, tandemq; cum cæcis suis speculatoribus & canibus mutis infelicißimè pereunt. Vide Ezech. 3. & 33. cap. Quæ causa est, quòd arguendi libertas paßim à uerbi ministris exigitur. Isaiæ dicit dominus: Clama ex gutture, ne parcas, exalta instar tubæ uocem tuam, & annuntia populo meo præuaricationem suam, & domui Iacob peccata sua. Isa. 58. Et Ieremiam contra sacerdotes, populum, principes & reges intrepidum ahenei muri instar stare iubet idem dominus. Ierem. 1. Ideò & Paulus eos qui peccauerunt, coram omnibus uult argui, ut & cæteri timorem habeant. 1. Timoth. 5. Imò cùm in uinculis agens se causamq; suam ecclesiæ precibus commendat, Vigilate (inquit) cum omni sedulitate & precatione pro omnibus sanctis, & pro me, ut mihi detur sermo in apertione oris mei, cum libertate, ut notum faciam mysterium euangelij, super quo legatione fungor in catena, ut in eo libere loquar, sicut oportet me loqui. Ephes. 6. cap. Nunquam ergo dicendi liberam fiduciam sibi eripi patiantur ministri, pro qua tantum apostolum tam solicitum fuisse uidemus.

Dicendi libertas maximè cōfundit impios.

Deinde non oscitanter obseruari decet, quòd claudum sanatum apostolis, cùm causam hanc agerent, astitisse, & proinde cum ijsdem periclitatum fuisse scribit. Admonet hoc quæ sanctorum in hoc mundo sors sit & conditio. Vt primùm illi salutis beneficium à Christo recipiunt, periculis & minis impiorum obijci solent. Ita Lazarus, per Christum resuscitatus, præsens periculum sibi imminere sentit, dum ipsum unà cum Christo interfectum uolunt Iudæorum sacerdotes. Iohan. 12. Vt enim gloriæ Christi fulgorem extinctum cupiunt impij: ita nec illos ferre possunt, per quos illum excitari & augeri uident. Est hoc non uulgari diligentia obseruandum, ne dum salutem æternam nobis Christus offert, nos felicitatem huius seculi & mundi amicitiam nobis promittamus, & spe falsa inescati postea cruce ex improuiso nobis incidente offendamur: quod hodie multis non sine salutis periculo accidere uidemus. Simul uerò gratitudinis & fortitudinis Christianæ exemplū est claudus hic, dum benefactores suos in periculo non deserit, sed illorum causam pro uirili adiuuat. Atqui multæ rationes erant, quibus seipsum excusare, & recepti per apostolos beneficij ueniā à principibus petere poterat. At nihil tale de illo legitur. Arguuntur illius exemplo, qui salutis quidem beneficiū à Christo recipere cupiunt, sed cum eodem pericula & crucem subire nolunt. Ex quorum numero sunt, qui quæcunq; salutis rationem, in Christo comprehensam, explicant, prædicari uolunt, ea uerò adijci non patiuntur, quæ idem Christus contra Antichristos & seductores pronuntiauit, eò quòd illis plerosq; in mundo offendi uident. Quorum similes sunt, qui salutis doctrinā, à ministris nuntiatā, auidè arripiunt, seq; errorum laqueis liberatos gaudent. At ubi mundum contra ministros furere & fremere uident, omnē illis opem & patrocinium denegant, imò illorum conspectum subterfugiunt, ne ipsis fauere uideantur. Plenus hodie talium hominum mundus est, & optimi haberi possunt, qui non apertè ministros Christi periclitantes calumnijs & conuitijs proscindunt, adeoq; in cruce suspensis acetum propinant. At meminerint illi, Christum diuidi non posse, & nobis aut illo in uniuersum carendum, aut talem recipiendum esse, qualis à patre datus est. Crucifixum uerò scripturæ proponunt,

Claudus apostolis astat.

& illum per Crucem in patris gloriam transiuisse docent. Talem & nos amplectamur, & tali uia ad cœlestem gloriam tendamus, oportet. Ad crucem ferendam suos inuitat, nec illis meliorem in mundo sortem pollicetur, quàm quæ illi in mundo obtigit. Matth.16. Iohan.15. & 16. Idem discipulos & seruos ferre nequit, quos sui pudet coram mundo hoc prauo, adultero & degenere. Marc.8. Christiana igitur fortitudine, iuxta claudi exemplum, armemur, & cum Paulo singuli dicamus: Non me pudet euangelij Christi. Nam potentia dei est ad salutem omni credenti. Rom.1.

II. Decretũ Concilij contra apostolos.

Transeamus nunc ad alteram huius loci partem, qua Concilij decretum contra apostolos continetur. Nam illis secedere iussis, inter se consultare cœperunt: ubi mira animorum perturbatio & incerta consiliorum confusio cernitur. Primò, Quid faciemus (aiunt) hominibus istis? O ineptam & præposteram quæstionem. Num uerò ignorabant, innocentes dimitti debere, & eos qui beneficium dederant, remuneratione dignos esse? Sed hoc modo deuotam animi malitiam produnt, qua sibi occasionem dari uellent in innocentes & beneficos sæuiendi. Sed ulterius progressi, magis seipsos produnt, dum miraculi ueritatem confitentur, dicentes: Conspicuum signum per eos editum esse, omnibus incolis Hierosolymis manifestum est, nec id possumus negare. Impij ergo, quòd in signi authorem, Iesum Christum, adhuc conspirant. Simul uerò, quid ipsos maximè urgeat, fatentur. Nullam enim uel dei ipsius uel Christi mentionem faciunt: sed populo rem hanc innotuisse, conqueruntur. Maiorem ergo populi quàm dei respectum habent, utpote qui toti ab inani imperitæ & superstitiosæ plebis existimatione dependerent, nec ullam haberent diuinæ gloriæ rationem, quam incurabilis ipsorum incredulitatis præcipuã causam esse, Christus alibi dixerat: Iohan.5. Tandem uerò cõcludunt quid fieri debeat. Quod factum est, infectum fieri nequit. At quia ex populi defectione periculum imminere uidebatur, obstandum putant, ne huius rei fama amplius uulgetur. Ita enim ἀμνηστίᾳ & obliuione omnem Christi memoriam obliterari posse confidunt. Illud uerò minis & tyrannide consequi studere, cum rationibus se destitutos uideant. Minaciter interminemur illis (inquiunt) ne cui hominum posthac loquantur in hoc nomine. Et mox accersitis apostolis magna uerborum grauitate egregium hoc sacrosanctæ (si dijs placet) Synodi decretum denuntiant. Quid uerò hîc primùm admirabimur, imò detestabimur, ô fratres? Impudentiam ne & impiam tyrannidem, aut stupendam hominum stultitiam? Miraculum se negare non posse, palàm fatentur, & tamen illud obliteratũ uolunt. Et quod in ore erat omni populo, ab apostolis prædicari prohibent. Adhæc cum Christo certamen suscipiunt, quem ne mortuum quidem & sepultum armata militum coborte & Romani præsidis authoritate, qui sepulchri lapidem obsignauerat, in sepulchro retinere potuerunt. Nunc uerò uiuentis & regnantis gloriam inanibus minis reprimi & extingui posse putant stolidissimi homines.

Persecutorum impietas incurabilis.

Obseruemus hîc, quorsum abducat deuota mentis impietas & semel conceptum ueritatis odium. Hi ne tunc quidem quiescere possunt, quò minus contra dei consilium pugnent, ubi propriæ conscientiæ testimonio se conuictos esse sentiunt. Verè enim impijs non est pax, ut propheta ait, & instar Euripi fremit illorum animus, affectuum æstu turbidus. Isa.48. & 57. Exempla huius passim extant, & hodie plurima uisuntur. Quis enim ignorat, eòusq; penetrauisse ueritatis lucem nostro seculo, ut Pontifices quoq; graues in sua ecclesia abusus esse, non semel confessi sint? Norunt item de religionis causa iam non doctos modò, uerumetiam artifices manuarios, nautas, aurigas, rusticos, pueros deniq; & mulierculas disputare & iudicare posse. Vident se passim ministrorum uerbi concionibus argui, uulgi dicterijs derideri, canticis publicis accusari, picturis & hieroglyphicis omnis generis ad uiuum exprimi. Adhuc tamen sibi omnem in ecclesia iudicandi authoritatem uendicant. Adhuc se errare posse negant, obliti nimirum, quòd abusus in Romanam ecclesiam multos irrepsisse, sæpius confessi sunt. Adhuc ministris silentium mandare audent, cùm non ignorent, ipsis tacentibus lapides concionaturos esse, quod iam annis aliquot in Pasquillo suo experti sunt. Adhuc bullarum suarum crepitus & inania è pelui fulgura tanti momenti esse putant, ut regnantis Christi ueritatem ijs opprimi possit. O cæcos & stultos, qui lucem tantam non uident. O impios, qui in totius mundi theatro θεομαχεῖν non uerentur. Sed experientur olim quàm infelix sit illorum exitus, qui Saulis instar Dauidem regnare nolunt, & cum Iudæorum Pontificibus Dauidis filium, Iesum Christum, ecclesiæ suæ regno exturbare conantur. Vide Psal.2.

Præterea

Prætereà horũ exemplo admonemur, quàm noxiũ ſit, dominium & regnum eccleſiæ hominibus religione & dei metu uacuis cõmittere. Nulla in illis ſapientia eſſe poteſt, cùm illius principiũ (Solomone teſte) ſit timor domini. Prouerb.1.&c. Omni ergo rationis repagulo perrupto in cæcam affectuum licentiam effunduntur, & tunc demum ſe magiſtratu probè functos exiſtimant, ſi omnibus teſtatum fecerint, quòd nulla uel legum authoritate uel religionis maieſtate poteſtatẽ ſuam circumſcribi uelint. Cumprimis ergo curandum, ut in eligendis tum rerumpub. tum eccleſiarum præſidibus prima religionis ratio habeatur, quod & Iethro Moſen admonuit, cuius conſilium diuina authoritate probatum eſt. Exod.18. Et qui in magiſtratu ſe collocatos uident, non ſibi merum quiduis pro ſua libidine agendi imperium traditum, ſed ſuam poteſtatem diuinis iuſtitiæ & religionis legibus limitatam eſſe cogitent, & deo olim rationem reddendam eſſe, qui uerus iudiciorum præſes in ſcripturis traditur. Deut.1. Pſal.82. Hæc niſi conſyderent magiſtratus, illorum poteſtas perinde erit, ut gladius in manu furioſi, & tam ſibijpſis quàm reipub. exitiales erunt, qui patriæ patres & conſeruatores eſſe debebant. Vide Pſal.94.&c. *Poteſtas ſine dei timore ſumma peſtis.*

Poſtremò mundi ingenium hîc ceu in ſpeculo conſpiciendum proponitur. Sunt in hoc tria hominũ genera, omnia autem ueritatis odio flagrant, & Chriſti nomen oppreſſum cupiunt. Primum eorum eſt, qui redemptionis & ſalutis humanæ gloriam ſibi uendicant: quo in numero Iudæorum ſacerdotes olim fuiſſe conſtat, cùm templum & cultum omnem in forum & nundinationem turpiſſimã conuerterint, quod non ſemel illis Chriſtus exprobrauit. Iohan.2. Matth.15.21.&c. Iſtorum locum hodie tenent, qui claues regni cœlorum ſibi ſolis uendicãt, peccantes ad ſuorum pedum oſcula inuitant, ijs peccatorum remiſſionẽ & indulgentias diuendunt, & penes ſe eſſe dicunt, ut uel canonizatos cœlis inuehant, uel dãnatos in tartara præcipitent. Qui cùm propriũ nomen ſtabilire uelint, Chriſti nomen, quo omnis illorũ quæſtus & gloria euertitur, nullo modo ferre poſſunt. Secundũ genus horum ſimillimũ eſt, & eos habet, qui non eam quidẽ ſibi poteſtatẽ uendicant, quòd alios ſaluare poſſint, ſed ſe ſibijpſis ad ſalutem ſufficere putant, & cum uulgo Iudæorũ propriam iuſtitiã (ut Paulus inquit) ſtabilire uolentes, dei iuſtitiæ, quã is in filio ſuo nobis offert, ſubijci nolunt. Rom.10. Nituntur iſti ieiunijs, ferijs, eleemoſynis, roſarijs, chameúnijs, matutinis, cucullis, cilicijs, raſuris, paſſagijs & infinitis alijs rebus, in quas & corporis uires exhauriunt, & ſumptus ingentes faciunt. Hi quoq; nominis Chriſti hoſtes ſunt. Vident enim hoc admiſſo omnem ipſorum iuſtitiam intercidere, ſeq́; ridiculos fore, qui inanibus laboribus & ſumptibus ſeſe fatigarint. Tertio genere palàm impij & Epicuri de grege porci continentur, qui religionis nomen ideò tantum profitentur, ne pro ἀθέοις & prophanis habeantur. Horum flagitia & ſcelera quia Chriſti uerbum arguit, illud ferre nequeunt, quemadmodum ipſe olim monuit. Iohan.3. Nam intelligunt, aut morum mutationem faciendam eſſe, aut ipſos infames fore coram ueris dei cultoribus. Interim tamen omnes iſti aſtutè ingenij ſui corruptionem diſſimulare norunt, & ne ſuas res agere uideantur, ſeditionis & turbarum nomine Chriſti doctrinã infamant, eamq́; publicarum calamitatum cauſam eſſe clamitant. Notũ enim illud Achabi eſt, quo Eliam Iſraelitici regni turbatorem eſſe ait. 1. Regum 18. Notum illud Amaſiæ ſacerdotis Bethel, qui Amos prophetam cõtra regem coniurauiſſe dicit, nec terram illius ſermones ſuſtinere poſſe. Amos 7.cap. Quò etiam referri debent, quæ Iudæi in Aegypto Ieremiæ in faciem exprobrant, ut libri ipſius cap.44. legitur. Nec alio prætextu hos uſos eſſe quinto capite patebit. Atqui utinam ijs, quæ olim mundus fecit, contentus eſſet, & non hodie ſuum illud ingenium referret. Prodeſt autẽ hæc nouiſſe, ne mirum nobis uideatur, quando ſalutarem Chriſti prædicationem probiberi audimus. Imitemur autem apoſtolorum conſtantiam, de qua ſequenti Sermone dicetur, ut mundi minis & conatibus ſuperiores ſalutem ueram conſequamur in Ieſu Chriſto: cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen. *Mundus Chriſti & euangelij impatiens.*

HOMILIA XXIX.

At Petrus & Iohannes reſpondentes, dixerunt illis: An iuſtum ſit coram deo, uos potius audire quàm deum, iudicate. Nos enim non poſſumus, quæ uidimus & quæ audiuimus, non loqui. At illi additis minis dimiſerunt eos, nihil inuenientes cur punirent eos, propter populum: quia

omnes glorificabant deum super eo, quod acciderat. Annorum enim plus quàm quadraginta erat homo, in quem editum fuerat signum istud sanationis. Dimissi autem uenerunt ad suos & annuntiarunt quæcunq; ipsis summi sacerdotes & Seniores dixerant.

Non temere saluator noster Iesus Christus frequenter de persecutionibus & cruce coram Apostolis concionatur, quam omnibus paratã dicit, quicunq; ipsius discipuli esse uelint. Non uero earum admonitionũ hic finis est, ut metu perculsos à fide absterreat, sed fidi Imperatoris instar hoc quærit, ut aduersus præuisa pericula fide & patientia armemur. Quare præsens etiam auxilium pollicetur, nosq; omnibus periculis & hostium conatibus superiores fore dicit. Euidens horum exemplum primus ille, qui apostolos excepit, tumultus exhibet, qui eò maiori diligentia inspici meretur, quòd & consolationem affert tam fidele Christi patrocinium, quo suos periclitantes defendit, & apostolorum exemplo nos in simili casu cõstitutos officij admonet. Contra apostolos siquidem omnes eos conspirauisse audiuimus, qui inter Iudæos potentia & authoritate ualebant: quorum tyrannide factum est, ut primò quidem in carceres abducerentur, deinde in Concilio sisterentur, ut coram iniquissimis iudicibus fidei & doctrinæ suæ rationem redderent. Vincit tamen ueritas, & ita uincit, ut hostes pore repleantur omniumq; consiliorum incerti fiant, qui paulò ante uictoriam & triumphos animo suo conceperant. Nec aliam rationem sibi restare uident, quàm quòd minacibus edictis apostolorum constantiam coherceri posse existimant. Quare edicunt, ne quam in posterum Iesu Christi mentionem faciant, nec doctrinam illius spargere pergant. Perpetuus hic mundo mos est, ut euangelij prædicationem tum edictis publicis tum aperta ui opprimere conetur. Sed qua animorum constantia illius conatibus & minis resistere debeant Christiani homines, felix huius Tragœdiæ exitus docet, quem modò Lucas exponit, cuius singulæ partes diligentius excuti debent, ut plus inde consolationis & institutionis percipi possit.

I. Apostoli decreto Concilij parere recusant.

Primum uerò hîc locum apostolorum responsio tenet, qua disertè testantur, se illorum mandatis obedire nec posse nec debere. Ne tamen proterui & impudentes siue temerarij uideantur, rationibus agunt, quas nemo reijcere possit facilè. Prima dei authoritate nititur, quæ maior est, quàm ut hominum quantumuis excellentium edictis cedere debeat. Argumentum tale est: Deo magis obedire oportet quàm hominibus. Deus uerò nos prædicare iussit, & filij dei mandatum est: Ite in orbem uniuersum, & prædicate euangelium omni creaturæ. Mar. 16. Item: Eritis mihi testes Hierosolymis, in Iudæa, &c. Acto. 1. Quare uobis diuersum mandantibus obedire non licet. Maiorem uerò per concessionem enuntiant, ipsorum iudicio causam hanc subijcientes, ut in rebus extra omnem controuersiam positis fieri solet. Et sanè plus quàm Luciferiana impietas esset, si quis sibi inter homines maiorem ea, quæ deo debetur, authoritatem & obseruantiam uendicaret: cùm palàm constet, ipsum non priuatorum modò hominum, uerumetiam regum & principum dominum esse, cui omnes sacramentis publicis obstricti sumus. Altera apostolorum ratio eiusmodi est: Vidimus & audiuimus ista omnia quæ docemus. Ergo illa silentio præterire aut reticere non possumus. Consequentiæ huius uis in eo uersatur, quòd non otiosi rerum à Christo gestarum spectatores, sed ut testes adhibiti & delecti fuerant, quemadmodum dominus fatetur. Iohan. 15. Nihil ergo illorum, quæ uiderant & audierant, reticere potuerunt, nisi falsi testimonij scelus incurrere uellent, quod deo cumprimis detestabile uideri Solomon docet. Prouerb. 6. Adhæc quia redemptionis & salutis humanæ ratio in ijs consistit, quorum prædicatio apostolis, utpote oculatis testibus, commissa erat, nihil ab illis absq; manifesta publicæ salutis & gloriæ Christi iactura sileri potuit. Ita enim & Christi gloriam, quantum in ipsis erat, silentio oppressissent, & multorum hominum saluti obstitissent, qui euangelij prædicatione lucrifieri poterant. Verè ergo argumentatur Petrus, & potuisset esse apud Iudices illorum argumentorũ magna authoritas, nisi palàm cum deo bellũ suscepissent, quod postea illis Gamaliel exprobrat.

Obedientiæ uera ratio.

Est autem perquàm memorabilis hæc apostolorum responsio. Primò enim ueram obedientiæ rationem tradit, circa quam uariè & pernitiose errari solet. Vt enim obedientiam cùm publicè in rep. & ecclesia tum priuatim in omni uitæ genere necessariam esse, omnes intelligunt: ita ferè in hominum decretis & constitutionibus omnium seuerissimè exigitur, qui maximorum errorum, & interdum scelerum quoq; fons est. Hinc enim fit, quòd principes & magistratus defectionẽ à fide Christi, ut-

sti, ueritatis abnegationem, superstitionem & idololatriam edictis suis mandare audent, & quòd multi eò facilius ipsorum mandatis obtemperant, quòd se illis obedientiam debere, & extra omnem culpam fore arbitrantur, si illis obtemperauerint. Ex eodem fonte emanat, quòd liberi cum infidelibus coniugia contrahunt, ad infideles commigrant & inter illos domicilia sibi constituunt, ne parentibus rebellare uideantur. Et eodem errore decepti nonnulli monasticam uitam & superstitiones mordicus retinent, quibus se per obedientiæ uotum obstrinxerunt. At omnibus hisce Petrus medetur, dum obedientiæ rationem ad dei iudicium reuocat. An iustum sit (inquit) coram deo, uos potius audire quàm deum, iudicate. Non ergo quid hominibus iustum & æquum uideatur, respici debet, sed quid deus à nobis exigat. Huic omnes homines sacramentis obstrictos esse, modò diximus. Illius minister est magistratus, sicuti Paulus admonet. Rom.13. Ille in iudicum consessu arbiter & iudicij præses, in scripturis esse traditur. Psal.82. Huic olim rationē reddent parentes, & quicunq; aliqua authoritate nobis præcellunt. Quapropter illius ratio cumprimis haberi debet, nec alicuius hominis tanta sit authoritas, ut illa nos ab obedientiæ officio, quo deo obstricti sumus, auocari patiamur. Huc illud Christi pertinet, qui ita nos quæ Cæsaris sunt exoluere iubet, ut simul deo quoq; demus, quæ dei sunt. Matth.22. Dei sunt uera fides, religio syncera & inuiolata, innocentiæ & charitatis studium, inuocatio & quæ alia sunt eius generis. Hæc nullius imperio nobis extorqueri patiamur, quò minus deo nos obsequentes præbeamus. Horum consyderatione moti Danielis socij Nabuchodonozoris edicto parere recusant, quo ille statuam contra dei præceptum adorare iubebat. Et Daniel contra regis edictum in ueri dei inuocatione constanter pergit. Vtrorumq; uerò inobedientiam non uulgaribus miraculis deus approbauit. Dan.3.& 6. Infinita huius generis exempla sunt in Martyribus, quos extremè stultos fuisse quis negare posset, si principum regumq; edicta dei præceptis præscribere deberent. Idem in officijs quæ parentibus debentur obseruari debet, quod Christi exemplo docemur, qui à matre obiurgatus, quòd ipsa & Ioseph inscijs in urbe remansisset, respondet: An nesciebatis, quòd in his quæ patris mei sunt, oportet me esse? Luc.2. Stultißima uerò est monasticorum uotorum religio, & duplicis peccati reos facit horum obseruatores. Peccant enim turpißimè, dum ea uouent, quæ partim præstare nequeunt, partim uerò cum dei præceptis ex diametro dissident. Deinde uerò ne parum religiosi habeantur, ea pertinaciter obseruant etiam meliora edocti, quæ & impiè & imprudenter uouerunt, Herodis similes, qui ne periurus uideretur, temerario iuramento parricidium coniunxit. Tutißima igitur ratio est, ut officij, quod deo debemus, memores nihil uel polliceamur uel præstemus in alicuius hominis gratiam, quod cum illo pugnat. Quòd si quid imprudentia peccatū est, culpam agnoscamus, nec maiori impietate promissa præstemus, quàm illa à nobis facta sunt. Quòd si qui eò insolentiæ efferuntur, ut suam authoritatem diuina maiorem haberi uelint, sancta & pia fortitudine illorum impietati nos opponamus, ut hic Petrum & Iohannem fecisse cernimus.

Docet præterea apostolorum responsio, quibus argumentis contra mundi conatus euangelij ministri sese armare debeant. Illum enim euangelij prædicationem prohibiturum esse semper, supra monuimus, & quotidianus rerum euentus docet. Sed principiò illos cogitare decet, dei mandatum esse, ut euangelium prædicetur, & ad ipsos huius prædicationis ministerium pertinere, cùm diuinitus ad hoc munus uocati & missi sint. Impiæ ergo & infelicis temeritatis esset, deo obsequium negare, quod Amoz uidit, dum sui seculi hominibus propheticas obiurgationes indignè ferentibus, ait: Leo si rugiat, quis non timeat? Dominus deus cùm loquitur, quis non prophetaret? Viderat enim quàm infeliciter Ionæ successisset, cùm apud Niniuitas prophetandi officium uellet subterfugere. Ideò & Paulus exclamat: Væ mihi, si non euangelizem. 1.Cor.9. Deinde, ueritatis testimonium sibi commissum esse cogitent, & eius quidem ueritatis, quæ & præcipuam Christi gloriam & publicam humani generis salutem comprehendit. Si quid ergo in hominum gratiam reticuerint, fieri nequit, quin læsæ diuinæ maiestatis crimen incurrant, & pro publicis humani generis hostibus habeantur. Deniq; rationem sibi olim reddendam esse cogitent coram Christo iudice, qui non modò perfidos commißi talenti adulteratores, uerumetiam eos æterno supplicio mulctabit, qui talentum defossum occultant, nec pro uirili Christo quàm plurimos lucrifacere student. Matthæi 25. capite. Hæc (inquam) uanis & inanibus mundi terriculamentis opponi debent, nec multum eos mora-

Quibus armis ministri mundo sese opponere debeant.

bimur, qui nec salutis rationem simpliciter tradi, nec pseudochristos argui, nec palàm flagitiosos accusari uolunt.

II. Apostoli dimittuntur liberi.

Cæterum cumprimis admirandum est, quòd Lucas apostolos, cùm palàm obsequium detrectarent, dimissos esse scribit, cùm tamen obstinata maneret in Iudicibus euangelium persequendi uolun-tas. Nam ne quis illos rationibus cessisse putaret, ait: Additis minis dimiserunt eos. Exprimuntur hæc impiorum mores & implacabile ueritatis odium, quo excæcati, nullis rationibus cedere nec dei iudicium extimescere norunt. Nec habent quod Petri rationibus objiciant. Et tamen minantur. Non ergo alio prætextu id facere possunt, quàm quòd apostolos indignos censent, quibus cùm disputationem prolixiorem instituant. Interim admonet exemplum hoc, ita uincere fideles in hoc mundo, ut nulla tamen aut saltem perexigua illis detur securitas. Spirat enim minas indesinenter mundus, & semel superati ueritatis hostes pugnam subinde instaurant. Ita Elias quamuis in Carmelo Baalis sacerdotes & doctrina & diuinitus edito miraculo uicisset, eosdemq; iugulasset, nouis tamen Isabellæ reginæ insidijs & persecutionibus excipitur. Nunquam ergo securitati se dedant Christi milites, quàtumuis se hostibus superiores factos esse uiderint, sed sub crucis uexillo sibi triumphandū esse meminerint, quoad carnis carcere liberati in cœlis cum Christo regnabunt, ubi nulla supererit tyrannos extimescendi occasio.

Populi metu apostoli dimittuntur.

At miretur aliquis apostolos ab infensissimis hostibus liberos dimissos esse, cùm illi & potentia & authoritate præualerent. Causam ergo rei Lucas exponens, addit: Nihil inuenerunt cur punirent eos propter populum: quia omnes glorificabant deum super eo, quod acciderat. Annorum enim plus quàm quadraginta erat homo, in quem editum fuerat signum istud sanationis. In his obseruanda uenit admirabilis dei potentia, cui tam facile est impijs frænum inijcere. Eam enim in præcedentibus uidimus horum authoritatem & potentiam, ut soli pro rerum dominis haberi potuerint, quibus nullorum aliorum uis fuerit timenda. Sed ecce populum timent & ignobile uulgus. Ita deus qui mari, elemento furiosissimo, arenam labilem & inconstantem termini loco posuit, quem nisi ille permittat, transgredi nequit: potentissimis tyrannis ferè plebem, qua nihil inconstantius habetur, obijcere solet, uel etiam alijs medijs insolitis ac inexpectatis eos constringit, ut in inermes & imbelles ea exequi non possint, quæ maximè uellent, & quæ facillimè posse uidebantur. Sic in media Chananæorum gente patriarchas olim defendit, occulto quodam Chananæorum animis timore immisso. Vide Gen. 35. Psal. 105. Sic Saulem à Dauidis persecutione per Philisteos retraxit, & per eos Dauidem tutatus est, qui eiusdem hostes erant infensissimi. 1. Sam. 23. Et nunc illius populi metu sacerdotes, quo minus apostolis manus inferant, cohercet, qui antea uæsano & impio clamore Christum ad crucis immane supplicium postulauerat. Sunt infinita eius generis exempla, quibus edocemur, non semper licere tyrannis quicquid libet. Illorum uerò hîc apud nos usus esse debet, ne inanibus mundi minis terreamur, sed intrepidi sectemur uocationem nostram, nec dubitemus de dei præsidio, qui cùm pilos capitis nostri numerauerit, nihil nobis præter suæ prouidentiæ decretum accidere patietur. Matth. 10. Tuetur ille suos in medio Babylonis & Aegypti, quàm diu ipsos gloriæ suæ asserendæ & aliorum saluti prouehendæ seruire posse uiderit. Vbi uerò ijdem cursum suum compleuerint, eos ad se euocat, & licet tunc impijs aliquid contra hos permitti uideatur, hoc ipsum tamen nihil aliud est, quàm quòd pios infelici carnis ergastulo liberant, ipsi uerò interea suæ iniquitatis mensuram complent, ut ad eos colligantur apud inferos, qui terrorem suum posuerunt in terra uiuentium. Ezech. 32.

Tyrannorum sors.

Præterea tyrannorū sortē & conditionē uidere licet, quā tunc quoq; sustinent, quando cumprimis potentia & authoritate præualere omnibus uidentur: ut nimirū multos timeāt, qui à multis timeri uolunt. Idem enim illis, quod immanibus belluis, ursis, leonibus, pantheris alijsq; similibus, accidit. Sæuiunt istæ in quosuis obuios, & ab omnibus timentur. Sed ijsdem quàm plurimi laqueos tendunt & foueas effodiunt, ac in illarum necem tela parant: quò fit, ut frequenter uilissimi alicuius & formidulosissimi mortalium manu conficiatur fera, quæ toti alicui regioni paulò ante terribilis erat. Eandem sibi sortem plerunq; accidere ipsi tyranni norunt, & proinde hoc præpostero metu uexantur, ut populum, adeoq; suos domesticos timeant, qui ab omnibus timeri uolunt, quod & nostris hisce in præsenti Lucas tribuit. Hinc exquisitæ illæ tyrannorum custodiæ, quibus corpora & uitam suam tueri

tueri conantur. Ideo ferè ex peregrinis gentibus armatos custodes & satellites conducunt, & inter peregrinorum arma plus sibi præsidij, quàm inter suos, pollicentur: eò quòd inter illos neminem inueniri sperant, ad quem aliquod ex ipsorum morte emolumentum redire possit. Eandem ob causam Masinissa Numidiæ rex, cum & Pop. Romano amicitia & fœdere iunctus, & quinquaginta quatuor filiorum pater esset, corporis salutem canum custodia uallauit, plus in his præsidij repositum esse putans, quàm in hominibus, quos multoties se offendisse nouerat. Quid de Dionysio dicemus, qui filias tonsorum artem edoceri uoluit, ne alicuius uiri manibus iugulum suum credere cogeretur: & ne filiabus quidem amplius fidere potuit, postquam illæ nubiles factæ sunt: nec ad coniuges suas unquam, nisi prius excussas diligenter, accessit. Sed plenæ sunt eiusmodi exemplorum historiæ, quæ & nobis contra tyrannos consolationi esse debent, & omnibus ijs, qui in magistratu uersantur, documento esse, ut iustitiæ & æquitati studeant, nec in effræni potestate salutis suæ præsidium collocent. Quò enim plures terrore suo concusserint, eò plures uitæ & fortunarum suarum insidiatores contra se prouocabunt. Quicunque uerò dei timore ducti, illius præceptis obsequendum esse ducunt, & secundum illa suæ potentiæ uires moderantur, licet interdum impiorũ artibus & insidijs petantur, deum tamen tutorem sentient, qui quosuis seditiosorum conatus facilè dissipat, quemadmodum Dauidis & Ezechiæ exemplis docemur.

Adijcit autem postremò Lucas, quid apostoli dimissi fecerint, dicens: Venerunt ad suos, & illis annuntiarunt quæcunque ipsis summi sacerdotes & Seniores dixerant. Ecclesiæ ergo rem omnem exposuerunt, tum ut ad preces illam extimularent, ut sequentia testantur: tum ut singuli hostium minis & conatibus perspectis, Christiana fortitudine & patientia sese armarent, & quantum religio permittebat, sibi ab illorum insidijs cauerent. Quo exemplo docemur, licere uerbi ministris, ut ecclesijs publicè exponant quæcunque professi ueritatis hostes contra Christum & gregẽ ipsius moliuntur. Quod multis hodie non modò superuacaneum esse, uerumetiam aliquam seditionis speciem referre uidetur, quando uel Pontificum Bullæ, uel Comitiorum aut Conciliorum decreta & horribiles Antichristorum minæ coram ecclesijs recitantur. At horum iudicio cum Christus tum apostoli seditionis accusabuntur, quos hoc ipsum non semel fecisse constat. Quin potius meminerimus ministros ecclesiæ pastorum & speculatorum instar datos esse. Officij ergo illorum est lupos arguere & oues de periculis imminentibus admonere. Ioban. 10. Omnium uerò hic finis sit, ut ad dominum per preces & uitæ emendationem conuersi fideles Christiana fortitudine & fidei constantia armentur, ut omnibus hostium conatibus superiores facti, tandem in beatum Christi Iesu regnum recipiantur: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

III. Apostoli rem omnem referũt ecclesiæ.

HOMILIA XXX.

Illi autem cum audissent, unanimiter extulerunt uocem ad deum, & dixerunt: Domine, tu es deus, qui fecisti cœlum & terram, mare & omnia, quæ in eis sunt. Qui per os Dauidis serui tui dixisti: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Adstiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in unum aduersus dominum, & aduersus unctum eius. Verè enim conuenerũt in hac urbe aduersus sanctum filium tuum, Iesum, quem unxisti, Herodes simul & Pontius Pilatus cum gentibus & populis Israel, ut facerent quæcunque manus tua & consilium tuum prius decreuerat fieri. Et nunc domine, aspice in minas eorum, & da seruis tuis, ut cum omni fiducia loquantur sermonem tuum, manum tuam porrigendo in hoc, ut sanatio, & signa & prodigia edantur, per nomen sancti filij tui Iesu. Et cum illi precati essent, motus est locus, in quo erant congregati. Et repleti sunt omnes spiritu sancto.

Quemadmodum dominus & saluator noster, Iesus Christus, de piorum persecutionibus frequenter disserit: ita spiritus sanctus primitiuæ ecclesiæ persecutiones per Lucam diligenter describi uoluit, non quidem ea duntaxat causa, ut oraculorum Christi ueritatẽ assereret, sed partim

ne aduersis & tribulationibus, quibus hodie ecclesia uexatur, tanquam insolitis, offendamur: partim uerò ut primitiuæ ecclesiæ exemplo edoceremur, quid nos in persecutionibus facere cōueniat. Et huc quidem cumprimis referri debent, quæ huçusq; de apostolis dicta sunt. Illi in Concilium producti ingenuè & intrepidè Christum confitentur. Deinde, cum euangelij prædicationem hostes prohiberent, admirabili constantia, se impio mandato obedire non posse, protestantur. Tandem cum rationibus nihil apud impios profici, & ab illis minas ingeminari uiderent, ad ecclesiam rem omnem referunt, ut singuli de imminentibus periculis admoniti, sibi facilius prospicere possint. Hæc ministri imitentur, quoties persecutionum procellas mūdus excitat. Ingenua Christi confessione alijs exemplo sint. Impijs principum edictis nequaquam cedāt. Ecclesiæ autem fidis admonitionibus adsint, ne alicuius salus illorum ignauia periclitetur. Pergit autem in cœpta narratione Lucas, et quid ecclesia per apostolos admonita fecerit, docet: cuius exemplo patebit, quid singulos Christianos, quando persecutores grassari uident, tum publicè, tum priuatim facere deceat.

Ecclesia per preces ad deū confugit.

Illi, inquit, cum audissent apostolos, unanimiter extulerunt uocem ad deum. Atqui unicum hoc ecclesiæ factum cōmemorat, quòd per preces ad dei auxilium confugerit. Non ergo securi imminentia pericula contempserunt. Nec etiam ad humanæ sapientiæ consilia aut humana præsidia sese contulerunt, sed in precibus omne quæsiuerunt præsidium & auxilium. Est hoc tutissimum ecclesiæ asylum, eò quòd passim deus suam opem postulantibus se propitium & assertorem fore pollicetur. Et quod passim pollicetur, exemplis infinitis præstitit, ut de promissionum ipsius ueritate nemo Christianus dubitare possit. Huc enim pertinet, quod ad mare rubrum Aegyptiorum armis inclusos Israelitas, per Mosis preces excitatus, liberat. Exod. 14. Et postea eiusdem precibus uictoriam contra Amelechitas concedit, Exod. 17. In Psalmis uerò infinita exempla habentur eorum, qui deum precibus suis benignum annuisse testantur. Sed & Ioel propheta ecclesiæ periclitanti hoc unum consulit, ut omnes ad deum conuersi, illius gratiam & opem implorent, simulq; formulam præscribit, qua in precibus publicis uti debeant. Ioel. 2. Nec irritum fuisse istud consilium, rei euentus docuit. Misit enim angelum suum deus, qui cæsis una nocte Assyriorum copijs, urbem Ierosolymam ex immani Sennacheribi tyrānide asseruit. Quare nihil à primitiua ecclesia melius & salutarius fieri potuit, quàm quòd dei auxilium pijs precibus sibi impetrandum esse putauerunt. Arguuntur hoc exemplo corruptissimi nostri seculi mores. Plerosq; enim pericula ecclesiarum, cum adhuc longius absunt, nimia securitate contemnere, admonitiones omnes scurriliter insectari, & uoluptatum intempestiuis studijs se totos addicere uidemus. Vbi uerò persecutionis ignem iam ardere sentiunt, uel carnis consilia secuti fidem dissimulant, uel principum fœderibus & humanis præsidijs sese tueri conātur. Quæ causa est, ut quò magis eluctantur, eò maioribus pluribusq; periculis sese implicent.

Vera precandi ratio.

Simul uerò paucis uerbis ueram precandi rationem Lucas comprehendit. Primò deum inuocarunt, quem solū inuocandum esse, tum fœdus cum Abrahamo initum, tum primum Decalogi præceptum & dominicæ orationis formula admonet. Et multis exemplis constat, illum solum nos & passim exaudire & liberare posse. Quapropter enormis illorum error est, quicunq; uota sua creaturis nuncupare audent. Deinde sublata uoce orant. Atqui constat, deum gemitus quoque audire, & lachrymas oppressorum atque afflictorum ipsi indesinenter ob oculos uersari. Psalm. 12. & 56. Sed ingenuitatem fidei uocis elatione exprimere uoluerunt, & testari quod ipsos precum & inuocationis diuini auxilij minimè pudeat. Non postrema enim hæc confessionis fidei pars est: quod Danielem intellexisse uidemus, qui cum prius occultius orauisset, ubi numinis inuocationem regio edicto prohibitam sensit, apertis fenestris et quasi in publico orat, ne impio edicto subscripsisse uideretur. Postremò unanimitatem illis tribuit, quam nisi ecclesia obseruet, nec in precibus exaudiri, nec pro ecclesia dei censeri poterit. Ea enim sub uno capite Christo unum corpus effecta, uno eodemq; spiritu animatur, unum & eundem patrem inuocat, simulq; unam & eandem in cœlis hæreditatem repositam habet. At qui in his uerè conueniunt, animis scindi non poterunt. Imitemur ergo à primitiua ecclesia usurpatam precādi rationem, & præsentissimum in aduersis dei auxilium experiemur. Præstat autem ipsam precationem, qua usi sunt, diligentius excutere, cuius tres partes constitui poterunt.

Prima dei descriptionem habet, qua illum totius mundi Creatorem agnoscunt. Creationis uerò cum primis mentionem faciunt, ut omnipotentiam dei & merum illius in omnes creaturas imperiũ sibijpsis ob oculos statuant, unde consolationem non uulgarem poterant percipere. Admonebantur enim, impios Christi hostes nec dei opus impedituros esse suis machinationibus, nec ipsis quicquam citra dei consilium & permißionem nocere posse. Eadem ratione nos quoq; dei omnipotentiam consyderare decet, ut non Creatorem modò, uerumetiam gubernatorem omnium creaturarum agnoscamus, qui licet in alto thronum suum collocarit, demittit tamen se, ut inspiciat quæcunq; in cælo & in terra sunt. Psal. 113. Quæ consyderatio ut ad uitæ morumq; institutionem plurimùm conducit, ita in tribulationibus consolationem affert, & in precibus fidem (ex qua precum effectus maximè dependet. Iac. 1. Matth. 21.) quàm maximè cõfirmat. Et hic præcipuus articuli primi in Symbolo apostolico usus est, quo nos in deum patrem, cæli & terræ Creatorem credere profitemur. Facit enim ad fidei confirmationem, & omnes causas diffidentiæ adimit, quæ plerunq; ex eo enascitur, quod deum uel non posse, uel non uelle nobis auxilium ferre, cogitamus. At quid impoßibile erit ei, qui cælum & terram uerbo suo condidit, & orbem hunc totum hucusq; conseruauit? Vel num homines, rerum creatarum dominos, negligere uolet, qui rebus inanimatis prospicere & illos suo imperio continere solet? I. Deum describunt ab omnipotentia.

Secunda parte narrationem contexunt, qua hostium conatus & imminentia pericula deo exponunt, non quòd illum ista ignorare putent, sed ut in dei sinum depositis querelis suis animos suos curis & solicitudinibus aliqua ex parte liberent: qui præcipuus narrationum usus est, quas sancti orationibus suis interserere consueuerũt. Commendatur autem hoc argumento dei bonitas, qui querelis nostris aures tam faciles præbet, & de nostris miserijs aut periculis conquerentes clementer audit. Narrandi uerò exordium sumunt ex Psalmo secundo, quo Dauid, dei spiritu illuminatus, Christi regnum descripsit, unà cum improbis mundi conatibus, quibus is contra illud pugnaturus sit. Sensus omnium est: Reipsa nunc experimur, quod tu, ô deus, per Dauidem olim prædixisti. Verè enim in hac Hierosolymorum urbe, quæ & sancta & iustitiæ sedes olim dicta est, contra filium tuum conspirauerunt Herodes & Pilatus, milites item ex gentibus collecti & populus Israel, qui tibi totus consecratus esse debuit, &c. Non temere autem uetus uaticinium repetunt. Eo enim docent, nihil hic noui aut insoliti accidisse, & proinde improbis hostium Christi conatibus neminẽ offendi debere. Docemur autem illorum exemplo, ut ipsi quoq;, quando persecutionum procellis agitamur, scripturæ oracula in mentem reuocemus, & ea cumprimis, quibus ipse Christus testatur, perpetuas inter mundum & suos cultores inimicitias fore. Si de mundo essetis (inquit) mundus, quod suum est, diligeret. At nunc ego uos selegi ex mundo, & ideò mundus uos odit. Iohan. 15. & 16. Et Paulus persecutionem omnibus propositam esse dicit, qui uelint piè uiuere in Christo. 2. Tim. 3. Quò imprimis pertinet, quòd in ipsa mundi origine deus prædixit, perpetuas inimicitias fore inter serpentem & semen mulieris, id est inter diabolum, mundi principem, & Christum, qui simul corpus suum, ecclesiam, sub se comprehendit. Horum consyderatione fit, ut persecutionibus non offendamur, quando ita diuinitus constitutum esse cernimus, ut mundi intemperie & furoribus pij quasi per ignem probentur. Quò illud Petri referri debet: Charißimi, ne miremini dum per ignem exploramini, quæ res ad experimentum uestri fit, perinde ac si nouum aliquid uobis obtingat. Imò in hoc, quòd consortes estis afflictionum Christi, gaudete, &c. 1. Pet. 4. Cæterum prodest diligentius paulò inspicere, ut de hostium Christi conatibus spiritus sanctus cum per Dauidem tum per ecclesiam credentium loquatur. II. Narratio.

Primò ipsos conatus describit, dum illos fremere, meditari, insurgere & concursare uel fœderibus coniungi dicit. Exprimunt hæc ardens & deuotum Christi & regni ipsius odium, quod omni modo euersum cupiant. Et pulchre quidem studia illorum moresq; depingit. Cum enim gentes & populos, & reges inter Christi hostes numeret, singulis quod ipsis proprium est, tribuit. Gentes incredulæ fremunt, ut quæ affectuum potius rabie quàm consilio ducuntur. Populi (quo nomine ignobile uulgus intelligitur) meditantur siue loquuntur inania, dum inter pocula ferè de Christi regno opprimendo uerba faciunt. At reges & principes, quos regnorum suorum cura solicitos habet, exurgunt, conueniunt & publicè consultant, quibus armis aut rationibus Christus opprimi poßit. Interim omnes hosce inania moliri siue meditari dicit. Quid enim contra dominum mortales efficerent, quorum Hostium Christi conatus.

cogitationes uanæ sunt? Psal. 94. Concipiunt molestiam, parturiunt uanitatem, & pariunt mendacium. Psal. 7. Et facilè dißipat gentium consilia deus, cuius consilium æternum stabit. Psal. 33. Huc pertinet quod pij apud prophetam dicunt: Congregamini populi, & uincemini: & audite uniuersæ procul terræ, confortamini, & uincemini: accingite uos, & uincemini: inite consilium, & dissipabitur: loquimini uerbum, & non fiet, quia nobiscum deus. Isa. 8. Exempla huius historias tum sacras tum ecclesiasticas legenti paßim occurrunt, ut illorum prolixa commemoratione non sit opus. Memorabile tamen Iuliani apostatæ est, qui iam moriturus adhuc Christi odio flagrans, dicere coactus est: Vicisti Galilæe, uicisti. Vt non temere pius quidam Christi cultor impio Sophistæ, quid faber Galilæus ageret, interroganti, responderit: Iuliano loculum parat aut feretrum.

Christi hostes cum deo bellum gerunt.

Deinde aduersus quem isti conatus tendant, indicatur. Conuenerunt in unum aduersus dominū & aduersus unctum eius. Leue uideri poterat cum Christo susceptum certamen, propter uilem & abiectam assumptæ ab ipso humanitatis speciem. Sed non tam Christi incarnati, quàm ipsius dei hostes sunt. Vt enim qui unicum regis filium regni hæredem & regem agnoscere dedignatur, & contra illum seditionum author est, cum ipso rege bellum suscepisse meritò censetur: ita qui dei filium regem & saluatorem agnoscere noluerit, ipsius dei hostis dicitur, qui illi soli omnem potestatem regni sui, omnemq; humanæ redemptionis gloriam tradidit, ut omnes honorent filium, sicut honorant patrem. Iohan. 5. Nec aliter quàm in filio deus agnosci & honorari potest. Quare necessariò deum nec agnoscunt nec honorant, qui filium agnoscere & colere nolunt. Quòd si ijdem contra filium dei turbas excitent & arma capessant, impiorum gigantum instar, deum ipsum bello nefario oppugnare censentur. Vidit hoc Baptista, cum ait: Pater diligit filium, & omnia dedit illi in manum. Qui credit filio, habet uitam æternam. Qui uerò non credit filio, non uidebit uitam, sed ira dei manet super eum. Iohan. 3. Quis uerò dei hostem esse dubitet eum, qui iram dei irreconciliabilem contra sese prouocauit? Seruiunt hæc nostræ tum institutioni, ne tā immani impietate nos polluamus: tum consolationi, ne hostium uiribus terreamur, quando nos illis impares esse uidemus. Nec enim nostra hæc pugna est, sed dei auspicijs bellum hoc geritur, cui facillimum erit illorum conatus & uires profundare. De quo Iohannes admonet, quando eum qui in nobis est, maiorem esse ait, quàm eum qui in mundo est. 1. Iohan. 4.

Christi hostes dei consilia exequuntur.

Postremò effectum & finem impiorum eiusmodi conatuum euidentius exprimunt fideles, quando aiunt: Conuenerunt, ut facerent quæcunq; manus tua & consilium tuum prius decreuerat fieri. Atqui non ideo conueniunt & consultant impij, ut dei decretum exequantur. Sed illos non aliud efficere posse ostendunt, quàm quod deus fieri decreuit, & tunc maximè dei consilia adiuuare, quando illa impedire student. Manifestum hoc fiet, si quid Iudæorum sacerdotes fecerint, consyderes. Voluerunt illi prohibere ne regnum acciperet Christus. Ideo contra illum Romanos præsides & plebem concitant, nec ante desistunt, donec in cruce defunctum & sepultum uident. At quid omnibus hisce aliud effecerunt, quàm quòd Christus iuxta æternum patris decretum, mundi saluator factus, regnum accepit? Et horum quidem consyderatione offendiculo medentur, quo illi impingunt, qui impios suis uiribus Christo superiores factos esse putant. Est autem hic singularis prouidentiæ dei usus, ut intelligamus impiorum conatus non ulterius posse progredi, quàm à deo constitutum est. Obseruandum uerò, illos in diuina prouidentia, non præscientiam modò, uerumetiam decretum stabile & manum agnoscere, qua ipse quod decreuit pro suo arbitrio administrat et exequitur, ut ipse sit omnia in omnibus. Nec ideo excusantur impij, quando illos non ad dei uoluntatem & decretum respicere constat, sed corruptißimis suis affectibus indulgere, ut iam sæpe diximus. Et licet hoc uerè sentiat & ingenuè profiteatur primitiua ecclesia, orat tamen, & dei opem precibus ardentißimis implorat. Minimè ergo preces tollit ea doctrina, quæ diuinæ prouidentiæ res omnes & illarū euentus subijcit. Vult enim orari & inuocari deus: & hoc eò ardentius faciunt pij, quòd illius nutu res omnes administrari norunt. Faciunt enim quod ille iussit, consilia uerò eius arcana non scrutantur curiosius, sed euentum omnem illi permittunt, quem fidelem esse sciunt, qui nos non ultra uires tentari patiatur, ac se diligentibus omnia ad finem lætum deducat.

III. Petitiones credentium.

Porrò tertiam precationis huius partem uideamus, quæ petitiones continet earum rerū, quibus se tunc quàm maximè opus habere uidebant. Prima harum est: Et nunc domine, inspice in minas

eorum. Inspiciendi uerbo iudicium & animaduersionem intelligũt, & perinde est, ac si deum causæ huius uindicem expetant. Quis enim meliori iure se uindicem præbeat, quàm ille, cum aduersus hũc bellum hoc geri, Psalmi uerbis probauerint? Est autem hoc peculiare pijs, ut quando uel uocatione sua se impediri, uel uiribus inferiores esse sentiunt, dei iudicium appellent, quod Dauidem in Saulinis persecutionibus frequenter facere uidemus. Psal. 7. 17. 26. &c. Nunquam tamen maiori fiducia illud fieri potest, quàm cum ipsius dei gloria ab impijs apertè petitur. Sic Ezechias Assyrij regis blasphemam epistolam in domini conspectu expandit, & illum ut causæ suæ assertor esse dignetur, inuocat. Isa. 37. Nec dubium est, quin de sui nominis gloria solicitos exaudiat, qui priuatas suorum querelas tam clementer suscipere solet. Sed ne ita causam hanc deo commendare uideantur, ut ipsi sese omni periculo subducere conentur, eam quoq; sibi gratiam dari expetunt, ut cum fiducia dei sermonem eloqui possint. Quod cumprimis de apostolis & reliquis uerbi ministris intelligi debet, qui nisi dei spiritu animentur & regantur, mundi minis & machinationibus facilè terreri possunt, ut officium suum intermittant. Quod & Paulus post multiuarios sui ministerij labores agnoscit, & proinde publicis ecclesiarum precibus se adiuuari uult, ut aperto & libero ore Christi uerbum proferre possit. Ephes. 6. Interim ad singulos fideles hoc etiam referri debet, & pro singulis orari conuenit, ut Christum ingenuè & intrepidè coram mundo hoc prauo & adultero confiteantur. Necesse autem est, ut hanc fiduciam nobis diuinitus conferri intelligamus. Ita enim extimulamur, ut pro fidei incremento subinde oremus, cum apostolis clamantes: Domine, adauge nobis fidem. Luc. 17. Tertiò miraculorum uirtutem augeri postulant, eò quòd illa Christus doctrinæ apostolorum quasi sigilla & publica testimonia constituit. Mar. 16. Iohan. 14. Per Christi uerò nomen illa fieri cupiunt, ut testentur, se de solius Christi gloria solicitos esse. Admirabilis autem hic elucet primitiuæ ecclesiæ fortitudo, & flagrantißimus Christi zelus. Senserant paulò ante apostolorum doctrina & miraculis Pontificum animos exacerbatos esse. Attamen maiorem dicendi fiduciam apostolis concedi & miraculorum dona augeri petunt, tam abest, ut hostium furori ad tempus cedendum esse existiment: quod nostri seculi homines solent, qui eam docendi rationem optimam ducunt, quæ professis etiam ueritatis hostibus probari potest, nec aliud quàm otium & mundi pacem quærunt, de regni Christi incremento nihil aut parum soliciti. Qui tales sunt, ministros nimium feruere putant, & sæpe eos quoq;, qui plus satis tepẽt. Quæ mihi potißima caussa uidetur, quòd parum feliciter inter nos Christi regnum propagatur.

Postremò, quis precum effectus fuerit, docet Lucas. Exaudiuit enim precantes deus, quod tum sensibili signo, loci nimirum concußione (quæ numinis præsentiam significabat) tum effectis saluberrimis declarauit. Nam spiritu sancto repleti sunt, id est, efficacem spiritus consolationem & animos sibi addi senserunt, quos periculorum metus nonnihil terruerat. Et quibus euangelij ministerium commissum erat, summa constantia illud prædicauerunt: sic ut hostium minis accensos potius & inflammatos, quàm territos putares: de quo in sequenti sermone plura dicentur. Docemur hoc exemplo, piorum preces à deo nequaquam negligi, cuius oculi ad iustos intenti sunt, & illorum uotis aures ipsius patent. Psalm. 34. Imitemur ergo primitiuæ ecclesiæ exemplum nostro seculo, quando paßim contra ueritatem truculentißimi hostes conspirant: & ad dominum per preces conuersi, illi causam omnem committamus, petamus autem ab illo fidei & spiritus sancti incrementa, ne ullis periculis & terroribus uincamur, sed felici uitæ cursu peracto, in cœleste regnum transferamur, cum Iesu Christo uicturi: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Preces fideliũ exaudiuntur.

HOMILIA XXXI.

Et loquebantur sermonem dei cum fiducia. Multitudinis autem credentium erat cor unum & anima una: nec quisquam aliquid eorum quæ possidebat, dicebat suum esse: sed erant illis omnia communia. Et magna uirtute reddebãt apostoli testimonium resurrectionis domini Iesu: magnaq; gratia erat super omnes ipsos. Nec enim inter ipsos aliquis egenus erat. Quotquot enim erant possessores agrorum uel domo-

rum, ijs diuenditis, illorum pretia afferebant, & ponebant ad pedes apostolorum. Distribuebatur autem singulis, prout cuiq; opus erat. Ioses autem, cognominatus Barnabas ab apostolis (quod est, filius consolationis) Leuita, Cyprius genere, cum haberet agrum, uendidit illum, & attulit pecuniam, & posuit ad pedes Apostolorum.

QVemadmodum diuus Lucas primam, quæ aduersus apostolos concitata est, persecutionem diligenter descripsit: ita non minori diligentia, quid in illis turbis fideles fecerint, commemorat. Finis omnium est, ut inde quid in simili casu nos facere conueniat, discamus. Primus autem locus precibus datus, quas unanimi & ardenti studio ad deum fuderunt. Ad deum ergo nos quoque in aduersis conuerti decet, non ad uana carnis præsidia. Petenda uero sunt, non quæ carnis securitati & ocio seruiant, sed quæ ad regni Christi propagationem facere possunt. Sed uideamus reliqua ecclesiæ primitiuæ studia, ex quibus patebit, illos nihil eorum intermisisse, quæ officij ipsorum erant.

I. *Apostoli euangelium constanter prædicant.*

Primò de apostolis agit & omnibus ijs, quibus docendi munus commissum erat. Dicitur de his quòd sermonem dei cũ fiducia, id est, ingenuè & liberè prædicarint. Quibus paulò post additur: Magna uirtute reddebant apostoli testimonium resurrectionis domini Iesu. Fecerunt ergo, quod se facturos esse contra Concilij decretum protestati erant. Solius uerò resurrectionis meminit Lucas, non quòd hanc solam prædicarint, sed quia per hanc redemptionis & salutis nostræ negotium Christus absoluit, & ne apostolos Sadducæis, qui tunc primatum tenebant, quicquã concessisse putemus. Non temere uerò doctrinæ ante omnia alia mentionem facit Lucas, quandoquidem prima semper illius ratio haberi debet. Quia enim per hanc nos regenerari constat, & eadẽ fideliũ ecclesia colligitur, sine hac ecclesiæ status saluus & incolumis seruari non potest. Nec absq; spiritus sancti suggestione olim Solomon dixit: Cum defecerit prophetia, dissipatur populus. Et hoc uerè dictum esse, omnium seculorum exempla abunde testatur. Quare ut supra ecclesiam in apostolorum sermone & doctrina perseuerauisse dixit: ita nũc apostolos quoq; sui officij memores & studiosissimos fuisse testatur. Quo exẽplo ministri admonentur, ne persecutionum metu & hostium minis prædicandi libertatem sibi excuti patiantur, nec periculis imminentibus Christi oues uerbi doctrina & consolatione destituant. Hoc enim mercenariorum est, ut Christus admonet, non eorum, qui iuxta Christi exemplum animas suas pro ouibus suæ fidei commissis deponere parati sunt. Iohan. 10. At quia plurimùm in hoc peccatur, prodest exemplum hoc diligentius excutere, ut ex eo ministri intelligant, quid ipsos facere conueniat. Et primò quidem ingenua docendi libertas & intrepida animi fiducia apostolis tribuitur. Quam omnibus ministris necessariam esse constat, eò quòd semper inueniri solent, qui ipsis frænum inijcere conantur. Nam ueritatis lucem mundo inuisam esse Christus testatur. Iohan. 3. Idem admonitionum quoq; & correptionis impatientissimus est. Quare olim extiterunt, qui prophetis dicere auderent: Ne prophetetis. Ne contemplemini nobis plana, loquimini nobis blanda, contemplamini nobis illusiones, recedite à uia, declinate à semita, facite quiescere à facie nostra sanctum Israelis. Amos 2. Isa. 30. Et Paulus nouissimo seculo eos regnaturos dicit, qui ueritatis sermonem sustinere non possint, quiq; auribus prurientibus eiusmodi doctores coaceruaturi sint, qui ipsorum affectibus conuenientem doctrinam afferant. 2. Tim. 4. Quod autem ille prædixit, passim fieri cernimus. Hic ergo apostolica libertas & intrepida prædicandi fiducia requiritur, qua opportunè & importunè suo officio insistant ecclesiarum antistites, ut & alijs animos addant, de quibus spes bona superest, & suas animas liberent, ne ab ipsorum manibus pereuntiũ sanguis exigatur. Ezech. 3. & 33. Deinde resurrectionis Christi articulum præ alijs inculcauisse dicuntur apostoli. Atqui hic ipsus erat, quo præcipuè offendebantur Iudæorum antistites. Partim enim per hunc iniustæ cædis Christi conuincebantur, partim Sadducæis intolerabilis erat illius prædicatio, cum illi resurrectionẽ apertè negarent. Nihilominus tamen hunc constanter & intrepidè prædicant, ita ut de hoc uno solicitì esse uideri possint. Docet exemplum hoc, eos articulos præcipuè urgendos esse, qui ab aduersarijs quàm maximè oppugnantur. Ad ædificationem enim omnia destinari decet in uerbi ministerio. 1. Cor. 14. 2. Cor. 10. Proxima uerò cura sit, ne quod ædificatum est, denuò collabatur. Atqui neutrum ex his

feliciter

feliciter exequetur, qui non ea parte se constantißimè opposuerit, ubi doctrinæ ueritas, aduersariorum artibus & tyrannide oppugnata, præcipuè laborat. Qui urbibus & castris præsidio dati sunt, illuc ferè uires omnes conferunt, ubi hostes fortißimè impreßionem faciunt. Idem obseruent, quos ecclesiæ suæ præsides & pastores dedit dominus. Nec audiendi sunt, qui ea reticenda & supprimenda esse censent, quorum prædicatione hostes exacerbari solent. Verbi enim ministros nos dominus constituit, non iudices siue magistros, ex quorum arbitrio doctrina pendere debeat. Impijßima ergo est illorum confidentia, qui tantum sibi tribuunt, ut spiritui sancto, qui unicus ecclesiæ & doctrinæ gubernator est, præscribere ausint.

II. Ecclesia concordiæ studuit.

Secundò unanimitati & concordiæ totam ecclesiam studuisse, docet. Multitudinis (inquit) credentium erat cor unum, & anima una. Sensus est, unam eandemq; omnibus uoluntatem siue studiū fuisse, cuius finis haud dubiè non fuit alius, quàm regni Christi propagatio. Hæc uoluntatum & studiorum similitudo ueram amicitiam & stabilem concordiam gignit. Qui enim ad hanc metam simul cōtendunt, ut Christi regnum propagent, à priuati cōmodi studio alienißimi sunt, quod unum omnes amicitias interturbare solet. Insigne autem hoc spiritus sancti opus fuisse patebit, si cogitemus multitudinem credentium quinq; millia uirorum habuisse, in quorum omnium studijs consensus hic euidenter apparuit. Est autem hæc propria uerè fidelium nota, qua ipsos carere impoßibile est. Qui enim unum in cœlis patrem agnoscunt, uno baptismo initiati sunt, unum sub Christo capite corpus sunt, & uno spiritu Christi omnes animantur, fieri nequit, ut mutuis dißidijs discerpantur. 1. Cor. 12. Ephes. 4. Ideò Christus hanc ipsam suorum tesseram cōstituit, dicens: In hoc cognoscent omnes, quòd discipuli mei sitis, si charitatem inter uos habueritis mutuam. Iohan. 13. Et uicißim Paulus Corinthios adhuc carnales esse hoc argumento euincit, quòd æmulationibus, contentionibus & factionibus mutuis scinderentur. 1. Corinth. 3. Est uerò obseruatione dignißimum, quòd hostium minis & impijs conatibus auditis, animorum coniunctioni & mutuæ concordiæ tam ardenter studuerunt. Est id proprium charitati, ut tum maximè suos effectus prodat, quando periculis & neceßitate fratres circumuentos, ope & auxilio cumprimis indigere uidet. Arguuntur autem exemplo hoc nostri seculi mores, quos ab unanimitatis & concordiæ studio alienißimos esse constat. Audimus inter euangelicæ doctrinæ & fidei professores factiosa Zuinglianorum & Lutheranorum nomina. Et æmulationum studio ac feruore eòusq; progressum est, ut cùm alterutri parti periculum imminet, reliqui fratres periclitantes deserant, & omni commiserationis affectu posito, taciti in sinum gaudeant, imò gaudium suum non rarò acerbis scommatis testantur, adeoq; Christi membris in cruce pendentibus acetum felle mixtum propinent. Vt interim de contentionibus, conuicijs, opprobrijs & obtrectationibus mutuis nihil dicam. Periculum itaq; est, ne dum inuicem mordemus, mutuis morsibus consumamur. Galat. 5. Animis per charitatem prius coniungi oportet, quicunq; dei præsentem opem in periculis expetunt.

III. Beneficētia & pauperum subuentio.

Cæterum ne quis putaret animorum coniunctionem in nudo & inani affectu substitisse, tertio loco ut hanc ipsis rebus testati sint, docet. Imprimis autem beneficentiæ & subuentionis pauperum meminit, cuius studium non possunt intermittere, quorum animi in Christo concordes sunt. Et est locus ille cōsyderatione dignißimus, tum propter Anabaptistas, qui (ut supra Cap. 2. diximus) hinc Platonicam rerum communionem elicere conantur: tum propter pseudoeuangelicos, qui Christianæ communicationis studium omne intermittunt. Vtq; euidentior sit totius loci tractatio, primò summam negotij huius, deinde ordinem & modum à fidelibus hic obseruatum, tandem uerò qui huius effectus siue fructus fuerint, consyderabimus.

Voluntate communia erant bona, non legibus.

Summam huius negotij paucis uerbis complectitur, cùm ait: Nemo aliquid eorum, quæ poßidebat, dicebat suum esse, sed erant illis omnia communia. Non negatur hîc rerum proprietas, cùm poßeßionis mentio disertè fiat: sed animi affectum exprimit, quo fideles præditi fuerunt. Qui licet domus, prædia & alia eius generis bona poßiderent, nemo tamen illa sibi ita uendicabat, ut sibi soli data putaret, sed eadem aliorum quoque usui & neceßitati patere uolebat. Vnde colligimus, uoluntate ipsis omnia communia fuisse, non legibus: qua ratione amicorum omnia communia esse, prouerbio dicitur. Atqui hoc loco uerus Christianæ beneficentiæ & communicationis fons indicatur, animus nimirum, qui diuitiarum studio minimè addictus est, sed de illis & illarum usu uerè iu-

dicat. Nam iuxta Pauli sententiam opum huius seculi usus in solo uictu & amictu (sub quo domicilium quoq; comprehendimus) uersatur, cùm nudi in mundum nascamur, nec quicquam inde nobis efferre liceat. 1. Timoth. 6. At quia fidelis intelligit, pauca humanæ naturæ sufficere posse, nimio accumulandarum opum studio immergi nequit, nec in illis thesaurum suum situm putat, & licet eas sibi affluere uideat, non tamen illis cor apponit. Psal. 62. Matth. 6. Imò dispensationem solam sibi commissam intelligens, de iniquo Mammone sibi amicos facere satagit, qui ipsum, ubi defecerit, in æterna tabernacula recipiant. Luc. 16. Facit consyderatio hæc, ut fideles cum alijs sua communia habeant uerè, licet proprietatis ius sibijpsis retineant.

Cōmunicationis ratio siue ordo.

Ad illustrationem huius sententiæ facit modus & ordo, quem in communicatione ista obseruarunt. De hoc enim ait Lucas: Quotquot erant possessores domorū & agrorum, ijs diuenditis, illorum pretia afferebant, & ponebant ad pedes apostolorū. Distribuebatur autem singulis, prout cuiq; opus erat. Primò domos & prædia diuendita fuisse dicit, quod nec ab omnibus, nec ita factum est, ut omnibus uenditis nihil sibi retinerent. Extant enim multorū exempla, qui domus proprias possederūt, & familias aluerūt, quod à Paulo non permissum modò esse, uerumetiam grauiter præcipi legimus. 1. Tim. 5. Vendiderunt ergo quantum præsens ecclesiæ necessitas requirere uidebatur, & ex uniuscuiusq; arbitrio pendebat, sua uel retinere uel diuendere, ut ex Petri uerbis ad Ananiam infra patebit. Deinde pretia siue pecuniam non in cōmune palàm deponebant, sed afferebant ad pedes apostolorum, quibus hanc distribuendi ius permissum esse uolebāt, donec publico ecclesiæ consensu diaconi ordinati sunt, qui isti negotio præessent. Act. 6. At nec apostoli quidem ad se delatas pecunias ita publicabant, ut unicuiuis liceret inde quod libebat auferre: sed distribuebatur singulis, prout cuiq; opus erat. Nulla igitur hîc fuit inordinata bonorū cōmunicatio, nulla rerum confusio, nulla uiolenta alienarum opum usurpatio, qualem fanatici & seditiosi homines somniant. Et si circumstantias omnes expendamus, facilè patebit, communicationem hanc eo duntaxat nomine fuisse institutam, ut publicas haberet opes ecclesia, quæ pauperum subuentioni seruirent, ne illi egestate cogerentur à Christi fide & corpore ecclesiæ deficere: nec admittebantur in illorum bonorum usurpationem, qui uel proprias facultates habere, uel honesto aliquo labore uictum sibi parare poterant. Interim hîc obseruanda uenit ecclesiasticorum bonorum ratio. Origo illorum est, quæ hîc describitur. Vt enim in primitiua ecclesia opulentiores sancta liberalitate suas opes ecclesiæ contulerunt, ita sequentibus postea seculis factum est, ut crescente Christianorum numero, reges & principes alijq;, quorū lautior fortuna fuit, horum exemplum imitati, ecclesias & collegia annuis reditibus ac decimis ditarent, quemadmodum fundationes antiquæ testantur. Vsum uerò bonorum eiusmodi esse uoluerunt, ut ex illis doctrina conseruaretur, & pauperes alerentur: quos ecclesiæ à Christo cumprimis commendatos esse nouerant. Quem usum hodie quoq; in ecclesijs uel seruari, uel collapsum restitui oportet, si ueteris & primitiuæ ecclesiæ formam aliquam extare uolumus. Sed facilius est hunc cum gemitu requirere, quàm reducere. Eò enim audaciæ peruenit impietas, ut pleriq; non uereantur sibi uendicare, quæ ecclesijs olim ex maiorum liberalitate donata sunt. Et hîc ferè reformationes ecclesiarum, quotquot nostro seculo tentatæ sunt, substitisse uidimus, quasi satis sit monachis & sacrificulis bonorum ecclesiæ administrationem eripuisse, cum ueteris & legitimi usus restitutio potius exigatur. Imò præstaret, impuris hypocritis illa relinquere, quàm ad eundem cum ipsis lapidem offendere. Quòd si uerò ueteris ecclesiæ exemplo nostra, si ita necessitas ferat, ecclesijs conferre debemus: atrocem illorū culpam esse oportet, qui cùm nihil de suo largiantur, quæ ab alijs data sunt palàm diripiunt. Hinc fieri uidemus, ut & pauperes negligantur, & ministri rariores sint, omnisq; religio passim euanescat.

Cōmunicationis fructus.

Sed eximium Christianæ communicationis fructum uideamus, quem huic descriptioni Lucas interserit, ut hinc intelligamus, quid nobis hodie sperandum sit, qui illius studium tam facilè negligimus. Duplicem hunc indicat euangelista. Primò enim effectum est, ut nemo inter illos egenus haberetur. Quare legi satisfecerunt, quæ prohibet, ne sit mendicus in Israel. Deut. 15. Videtur hoc multis impossibile hodie, dum pauperum multitudinem respiciunt. Sed confutantur primitiuæ ecclesiæ exemplo. Qua ratione enim impossibile uideri debet in pace & ocio agentibus, quod inter medios hostes in urbe sanguinaria pij homines effectum dederunt? Potuerunt illi suis opibus pauperes omnes alere, & nos opulentissimarum donationum & maximarum opum, quibus iam olim ecclesiæ donatæ sunt,

tæ sunt, subsidio instructi, hoc nobis impossibile factu putabimus? Seruetur modus, ut cuiq; detur prout opus habuerit, & benedictione domini ac piorum liberalitate nos adiuuari sentiemus, ut nulla nobis difficultas sit reliqua. Difficile autem & impossibile est quod exigimus, quia præpostero modo & ordine res agitur. Minimum enim accipiunt, qui pluribus indigebant: & plurimum in eos confertur, quorum erat proprias opes ecclesiæ largiri. Quòd si uerò expendamus, quantum periculi, molestiæ & incommodi cùm publicè tum priuatim ex mendicorum & egentium multitudine enasci soleat, inæstimabilis erit primus hic Christianæ communicationis fructus, quem inde primitiua ecclesia percepit. Sed alius ex hoc enatus est, quòd magna erat super omnes ipsos gratia: id est, gratiosi & accepti fuerunt toti populo, & ijs etiam, qui Christi cognitione nondum illustrati erant. Ea enim beneficentiæ uis est, ut hostes quoq; in sui admirationem & amorem abripiat. Et quia dominus sibi collatum putat, quod in pauperes ipsius nomine confertur, hoc præmio beneficos remunerare consueuit, ut apud plerosq; hominum gratia & authoritate ualeant. Hoc unum, si hodie consyderemus, non mirabimur, cur omnibus inuisi & exosi sint, quicunq; euangelij nomen profitentur. Nam præter illud, quod ueritatis lucem mundus odit, & huius improbitate nos deus exerceri uult, meretur hoc animorum duritia, qua Christi egenos negligimus: ut interim de improbitate ea nihil dicam, qua ecclesiæ bona sub euangelicæ reformationis prætextu diripimus, clamante interim pauperum turba, in quorum alimoniam illa impendi oportebat. Conferamus primitiuæ ecclesiæ morem cum ijs, quæ ipsi facimus, & nisi nos nostrijpsorum pudebit, non perfrictæ modò, sed plusquàm meretriciæ frontis homines meritò dicemur.

Cæterum subijcit tractationi huic singulare beneficentiæ & Christianæ communicationis exemplum, quod Ioses quidam Leuita Cyprius edidit, qui agrum proprium uendidit, & omne illius precium apostolorum pedibus siue administrationi subiecit. Videtur hoc Ananiæ & Sapphiræ exemplo præmitti, ut luculentior sit illorum improbitas, quos tam celebre opus non mouere potuit. Simul uerò admonet spiritus sanctus, laude decorandos esse, quicunque singulare aliquod uirtutis specimen edunt, ut laudis stimuli alios quoq;, quorum animi generosiores sunt, ad imitationem excitent. Duo autem in Iose commemorantur, quæ illum celebriorem reddunt. Nam cùm Leuita esset, ad Christi fidem conuersus est, cui Leuitarum ordo infensissimus erat, eò quòd Christus illorum quæstui & honori plurimum derogaret. Sed spirat domini spiritus ubicunque uoluerit, nec propter uitæ genus de cuiusquam hominis salute desperandum est. Deinde cùm Cyprius esset, Hierosolymitanos fideles tanto amore complexus est, ut tantum in illos ederet liberalitatis specimen. Intellexit nimirum, in Christo sublata esse nationum discrimina, ut alibi scriptura monet. At non caruit insigni fructu tanta uiri liberalitas. Nam & sempiternæ memoriæ illius uirtus consecrata est, & apostoli dignum censuerunt, qui cognomento Barnabas, id est, consolationis filius diceretur. Merebatur enim tam insigne nomen, qui beneficentia sua multis insigne solatium præbuerat. Interim admonemur, quos titulos mereantur, qui ecclesiasticorum bonorum direptione Christi egenos defraudant, & religionem atq; doctrinam, quantū in ipsis est, remorantur. Sunt hi reuera turbationis & perditionis filij, quorum iudicium non dormitat, ut sequens Ananiæ exemplum docebit. Obseruemus autem primitiuæ ecclesiæ exercitia, & ijsdem nostro hoc turbulentissimo seculo studeamus, quando passim contra ueritatis doctrinam persecutores satan excitat. Armentur ingenua docendi libertate uerbi præcones, & meminerint se dei seruos esse, quos nulla hominum authoritas mouere debeat. Vnanimes in Christo sint, quotquot Christi nomen profitentur. Vnanimitatem & concordiam beneficentiæ operibus, & imprimis pauperum subuentione testari studeant. Hæ Christianorum notæ sunt, & hæc ipsa eorundem fortissima præsidia & arma sunt. Ex his enim dignoscuntur Christi Iesu discipuli esse, qui contra quosuis mundi conatus ipsos facilè tueri potest, & tandem omni periculo ereptos in cæleste regnum transferet. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Iosis Barnabæ beneficentia.

CAPVT V.

HOMILIA XXXII.

VIr autem quidam, Ananias nomine, cum Sapphira uxore sua uendidit possessionem, & subduxit de precio, conscia etiam uxore sua, & partem afferens ad pedes apostolorum posuit. Dixit autē Petrus: Anania, cur impleuit satan cor tuum, ut mentireris spiritui sancto, & subduceres ex precio agri? Annon manens tibi manebat, & uenditus in tua erat potestate? Quare posuisti in corde tuo rem istam? Non es mentitus hominibus, sed deo. Auditis uerò his sermonibus Ananias, collapsus expirauit. Et ortus est timor magnus super omnes, qui hæc audierunt. Surgentes autem iuuenes collegerunt ipsum, elatumq́ sepelierunt.

EXposuit Lucas, quibus studijs & exercitijs primitiua ecclesia periculosissimo persecutionis tempore dedita fuerit. Vidimus illic quæcunq; ad perfectam omnibusq; numeris absolutam ecclesiæ formam siue constitutionem pertinent. Nam dei uerbum intrepidè & syncerè prædicarunt apostoli. Idem uerò ut par erat excepit populus, sicuti unanimis illorum concordia & ardens charitatis studium abunde testantur. At non ignorauit spiritus sanctus semper fore fanaticos & turbulentos homines, qui ex his occasionem accepturi essent quasuis ecclesias temere damnandi, in quibus non omnia primitiuæ ecclesiæ perfectioni respondent. Quapropter Ananiæ & Sapphiræ historiam subijci uoluit, qua admonemur, satanam in hoc etiam tam sancto cœtu sua habuisse mancipia, quorum hypocrisis tandem erupit. Nihil ergo omni ex parte beatum est, nec audiendi sunt, qui integras ecclesias propter paucorum hypocrisim siue libidinem damnāt, quando inter Christi discipulos Iudam quoq; fuisse legimus, & ipse testatur per euangelij prædicationem tam bonos quàm malos attrahi solere. Matth. 13. Priusquàm uerò historiam aggrediamur, obseruandum est, quòd ut Iudas ex ecclesiæ bonis sui peccati occasionem accepit: ita Ananias ad eundem lapidem impingens primas in ecclesia turbas dedit. Voluit nos istis exemplis admoneri spiritus sanctus, periculosam esse bonorum ecclesiasticorum tractationem, nec in ea sine euidenti salutis iactura peccari posse. Diligenter ergo sibi caueant, quicunq; Christi & euangelij nomine gloriantur. At si unum hoc expenderent, nunquam ut corui famelici ad illorum administrationem tanto cum studio accurrerent. Historiæ partes duæ sunt. Prior quid cum Anania, altera quid cum Sapphira illius uxore actum sit, commemorat. Sed ut euidentior sit prioris partis tractatio, principiò Ananiæ factū, deinde Petri de hoc iudicium, postremò pœnam à deo illi immissam, uideamus.

I. Ananiæ peccatum. *Ananiæ factum mira simplicitate narratur, ne quid affectibus datum putemus. Vir quidam, Ananias nomine, cum Sapphira uxore sua uendidit possessionem, & subduxit de precio, cōscia etiam uxore sua, & partem afferens ad pedes apostolorum posuit. Inquirendum hîc ante omnia, quod illud peccatum sit, quod paulò post repentina morte puniuit dominus. Nam si carnis iudicium audiamus, nihil hîc peccatum esse, sed Ananiam laude & præmio dignum putabimus. Nec enim peccatum fuit, agrum uendere, cùm id diuinis simul & humanis legibus facere liceat, & nulla hîc fiat doli mali, in contractu commissi, mentio. Similiter nec id à domino prohibitum est, ne bonorum nostrorum partem nostris necessitatibus reseruemus, cùm Paulus ethnicis deteriores esse dicat eos, qui suis non prospiciunt. 1. Timoth. 5. Et idem eleemosynas non ita faciendas esse docet, ut nostra liberalitate alijs quidem relaxationis, nobisipis uerò inopiæ & angustiæ authores simus. 2. Corinth. 8. Adhæc ingens beneficium ecclesiæ Christi conferre uidetur, quisquis uel dimidiam uel tertiā quartámue suarum opum partem illius usibus consecrauerit. Præterea Christo teste præmium meretur, quisquis uel aquæ frigidæ poculum alicui ex discipulis eius nomine ipsius dederit. Matth. 10. Animus ergo Ananiæ inspiciendus erit, quem in altera historiæ parte ex Sapphiræ uerbis deprehendere licebit, & qua in re peccarit, uidebimus: hypocrisi nimirum & fucata fidei ac charitatis simulatione, qua tam deo*

deo ipsi quàm ecclesiæ, imponere conatus est. Viderat enim homo ambitiosus, quantam sibiipsi laudem & gloriam Ioses Leuita liberalitate sua acquisiuisset. Quare ipse etiam celebrari cupiens, simile quid faciendum esse putauit. Quia tamen idem auarus est, futuræ inopiæ consultum uolens, partem precij clàm suis & uxoris necessitatibus reseruat, in eorum interim numero censeri uolens, qui omnia sua ecclesiæ Christi addixerant. Concurrunt huic peccato multa alia, quæ illius atrocitatem amplificant. Nam ut de ambitione & auaritia, quæ infelicem hypocritæ istius animum contrarijs quodammodo fluctibus agitarunt, nihil dicamus, diffidentiæ malo ipsum laborauisse, & fide prorsus caruisse patet, qui omnium flagitiorum fons est. Christi enim promissionibus diffidit, quibus se ecclesiæ suæ semper affuturum esse, & suis de uictu & amictu liberaliter prospecturum pollicetur. Matth. 28. & 6. Quibus si fidem habuisset, nec inopiam futuram potuisset metuere, nec sibi dolo malo in posterum prospexisset. Diffidentiæ malo immanis dei contemptus coniunctus fuit, qualis à Dauide illis tribuitur, qui in cordibus suis uel deum esse negant, uel illum mortalia non curare sibi persuadent. Psal. 14. & 94. Et cum hominibus solis sibi negotium fore putat, quod omnibus hypocritis proprium est. Nec enim uerisimile est, tale quid ausurum fuisse, si deum tum animorũ tum operum nostrorum inspectorem esse, credidisset. Accedit his sacrilegium, quod in proprijs pecunijs committit. Quia enim credi uult, uniuersum agri precium ecclesiæ abs se consecratum esse, non obscurè fatetur illud ecclesiæ deberi. Quare sacrilegij notam effugere nequit. Et quia ex ecclesiæ ærario postea alebantur, quicunq; sua omnia in illud contulerant, sacrilegus dolus fuit, quo ecclesiæ imponere uoluit, ijs se admiscendo, quibus ab ula uictus necessarius debebatur. Adeò fœcundũ est diffidentiæ malum & nouis subinde uitijs pullulat. Interim omnium pseudochristianorum typus est Ananias, qui ita Christũ profiteri instituunt, ne unquam illud ipsis damno aut fraudi esse possit. Quando enim uident Christum in gente aliqua regnũ obtinuisse, de eiusdem uerò perpetuitate dubitant, præsenti quidem reformationi consentiunt, sed diligenter cauent, ne aliquorum consiliorum authores sint, quæ collabentibus ecclesiæ fortunis, alicuius mali causam ipsis præbere queant. Conantur illi duobus dominis, Christo nimirum & mundo seruire, quod impossibile factu Christus ipse pronuntiat. Matth. 6. Atqui tales plerunq; sapientiæ & modestiæ laudem inter homines merentur. Sed reuera Ananiæ sunt, quorum cor non est rectum cum domino, licet aliqua ipsorum in ecclesiam beneficia extare uideantur. Regnat hoc hominum genus hodie, & utinam solum regnaret. Maior enim ferè illorũ numerus, qui cùm nihil ecclesiæ boni conferant, illius tamen bonis ditescere cupiunt, & ab alijs collata sibi uendicant. Quorum exemplar Iudas est, qui & ipse cùm nihil Christo contulisset, ea subripuit, quæ ab alijs dari solebant. Iohan. 12. Nec eo flagitio contentus, Christum insuper prodidit: ut eo exemplo disceremus, quid à sui similibus nobis sperare liceat.

Porrò cùm tales hodie passim conspiciantur, & ferè ecclesiarum nutritij & reformatores haberi uelint, multis rationibus sese tueri conantur, & ferè cùm ecclesiarũ tum rerumpub. incolumitatem, adhæc iura humana, feuda & collationes, aliaq; eius generis innumera suæ auaritiæ prætexunt. Sed spiritus sancti iudicium audiamus, quod per Petrum apostolum pronuntiat, ut inde constet, quales censeri debeant, qui Anania hodie deteriores sunt. Sensit enim ex spiritus reuelatione fraudem Petrus, & quantamcunq; uersutiæ laudem sibi uendicet Ananias, Petri tamen spiritum latere non potest, adeò uerum est illud Christi, quo nihil tam occultum esse dicit, quod non reueletur. Matth. 10. Nec dissimulat deprehensam fraudem apostolus, sed seuerissimè accusat. Quo exemplo docemur publicè à ministris argui debere non modò manifesta scelera, uerumetiam quæcunq; occultius contra ueritatem & Christi ecclesiam impij moliuntur. Nam ut boni Imperatoris est, non apertis modò hostium conatibus resistere, sed insidias quoq; detegere & præuenire: ita aduersus omnes impiorum machinationes uerbi ministros summa alacritate pugnare decet. Admirabilis autem inest Petri uerbis uehementia, & gradibus quibusdã insurgit oratio, ut euidentior fiat sceleris atrocitas. Initiò fontem omnis mali detegit, inquiens: Anania, cur impleuit satan cor tuũ? Quibus uerbis, ipsum à fide alienissimum esse testatur, & planè reprobum. Tentantur enim etiam pij & electi à satana, qui nunquã non ut leo rugiens obambulat, & quærit quem deuoret. Sed quia eidem fortes in fide resistunt, corda illorum implere nequit. Alia autem est impiorum ratio, qui ubi à fide semel defecerunt, toti à satana occupantur, ut nullus in ipsis spiritui sancto locus sit reliquus. Simul uerò admonemur, satanæ man-

II. Petri de Ananiæ facto iudicium.

cipia esse omnes hypocritas, quicunq; in religione dolo malo utuntur. Hunc enim mendacij patrem Christus esse docet, & hoc ipso argumento pharisæos diabolo progenitos esse probat. Iohan. 8. Quo etiam Iudæ exemplum referri potest, in quem satan ingressus esse dicitur, postquàm pertinaci hypocrisi tam ipsi Christo quàm apostolis in ultima Cœna fucum facere conatus est. Iohan. 13. Deinde effectum satanæ exprimit Petrus, dum Ananiam eò adductum esse dicit, ut spiritui sancto mentiri uoluerit: quod bifariam potest intelligi: partim enim se spiritu sancto agi falsò simulauit: partim uerò Christi ecclesiam fallere conatus est, quam spiritu donatam esse, tot argumentis hactenus cognouerat. Vterq; sensus impudentem & impiam hominis audaciam arguit, & ostendit quousq; progrediantur homines, si semel Satanæ in suos animos imperium permiserint. Tertiò ad ipsum Ananiæ factum propius accedens, eo nomine illum accusat, quòd ex precio agri partem subduxerit. Furti ergo & sacrilegij illum accusat, quod (ut paulò ante monuimus) in proprijs opibus à nobis committi potest. Et Ananiæ cõsortes sunt, qui opes, quas se egenis debere intelligũt, uel auari sibi solis usurpant, uel luxu dissipant. Peccatur in hoc publicè & priuatim. Publicè, dum opes, quas ecclesiasticas uocant, multi in usus prophanos conuertunt, esurientibus interim non modò egenis, uerumetiam ipsis ecclesijs, quæ pastoribus fidis & idoneis destitutæ dissipantur. Priuatim quoq; peccatur, quando nos opum dispensatores à deo constitutos esse gloriantur, interim uerò illas, neglectis pauperibus, uel improbè dilapidamus, uel domi nostræ coaceruamus, ut nec nobis nec alijs sint utiles. Conqueruntur ferè tales de egentium multitudine, quibus omnibus subuenire sit impossibile. At ijdem falsi conuincuntur per suum luxum, cui ipsorum opes sufficiunt, per rubiginem item nummorum, quos insatiabili cupiditate reconditos in arcis suis contemplantur: adhæc uestium multitudine, quas à tineis potius arrodi patiuntur, quàm uel illas ipsas, uel illarum uenditarum pretium in egenos conferant. Et ita (sicuti Iacobus ait) olim per illa ipsa damnationem suam augeri sentient, quibus se totis animis addixerunt. AT ne quam excusationem institueret Ananias, nulla illum necessitate ad tantum facinus adductum fuisse ostendit Petrus, dicens: Annon manens tibi manebat ager, & uenditus in tua erat potestate? Licebat uel agrum possidere, uel totum illius precium retinere, nec quisquam te propterea Christianorum consortio indignum censuisset. Vnde liquidò colligi potest, neminem lege communi, ut sua bona publicaret, coactum fuisse, sed uoluntariam & arbitrariam fuisse communionem, de qua præcedenti Sermone dictum est. NEC adhuc subsistit Petrus, sed eam testatur huius flagitij atrocitatem esse, ut à Christiano homine nihil tale uel cogitari, nedum fieri debeat. Nam ait: Quare posuisti in corde tuo rem istam? Tam syncerum enim integritatis studium à suis Christus requirit, ut non mores duntaxat & externam uitæ conuersationem, uerumetiam animos & cogitationes illorũ ab hypocrisi alienissimos esse uelit. Postremò, quod totius negotij caput est, repetit, Non es mentitus hominibus, sed deo. Nec enim cum hominibus solis, sed cum deo tibi res est, qui corda & renes scrutatur, quem tuæ impietatis uindicem & ultorem senties. Obseruemus autem in his, quo loco haberi debeant, quicunq; sub fidei & religionis prætextu homines fallere conantur. Inter quos cum Anania primum locum tenent, qui in duas partes claudicando, Christianismũ ita profitentur, ut sibi interim corruente etiam in terris Christi regno prospectum uelint. Proximi ab his sunt, qui Iudæ instar Christum & ecclesiam ipsius uel dolo malo uel etiam aperta ui spoliant, & tandem osculo produnt. Quibus etiam adnumerari debent Ieroboamici principes, qui religione ad tyrannidem suam stabiliendam utuntur, dum eos fidei articulos præscribunt eosq; externæ religionis ritus obtrudunt, quos nullo dei mandato traditos esse, sed ex meris hominum traditionibus dependere non ignorant, nec aliud quærũt, quàm ut in officio contineantur quibus ipsi imperitare cupiunt, quod olim Ieroboamum, primum Israeliticæ tyrannidis authorem, fecisse legimus. 1. Reg. 12. & 13. Nec ab his alieni sunt, quicunq; sub euangelij & Christianæ fidei prætextu peccandi licentiam quærunt, quorum infinitus hodie est numerus. Atqui omnibus istis facile est hominibus uel fucum facere, uel silentium imponere, ne quis illorum hypocrisim detegat. Sed quia non hominibus solis, uerùm ipsi deo mentiuntur, id inultum nunquam ferent. Nam ut illum nihil latere potest, ita mendaces quàm maximè abominari & odisse solet. Psal. 5. Prouerb. 12. Et eosdem regno suo excludendos esse Christus testatur. Apoc. 21. Quis enim uirum bonum dicat, qui alijs sui nominis prætextu imponi pateretur? Quæ ergo stultitia siue dementia, deum talem fingere, qui ipsissima est Veritas?

II. Petri de Ananiæ facto iudicium.

Sed

Sed ut ad historiam reuertamur, num soli Petro tam atrox uisum est Ananiæ facinus? Imò atrocius est deo iudice, quemadmodum rei euentus declarat. Nam auditis his sermonibus repentina & subita morte uitam finiuit, magnum omnibus illis timorem suo tam infelici exitu incutiens, ad quos rei gestæ fama dimanauit: de quo postea dicemus, ubi Sapphiræ uxoris similem interitum tractabimus. Primò autem hic nobis uerbi dei efficacia obseruãda uenit, quod ratum esse uult deus, etiamsi per hominem enuntietur. Nec enim ab hominis authoritate illius uis dependet, sed per sese subsistit. Intelligendum hoc tam de promissionibus quàm de minis, quæ in scripturis extant. Quæcunque enim fidis dei cultoribus euangelistæ pollicentur, non minus rata erunt, quàm si illa cœlitus intonans deus polliceretur. Et quæcunque ijdem impijs & prophanis dei contemptoribus ex scripturis interminantur, indubiè illis euenient. Testatur hoc Christi uox, qui in cœlis solutum siue ligatum fore ait, quodcunque ipsius ministri in terris ligauerint siue soluerint. Matth. 16. Iohan. 20. Nec hic mihi quisquam obijciat, non semper tam præsenti suorum iudiciorum executione deum uti, qualem hic cernimus. Nam licet inde illudendi occasionem impij arripiant, & securi minas omnes contemnant, magno tamen hæc illis securitas constabit, quando Christi iudicis uocem audient, quam sustinere ipsis impossibile erit. Agnoscamus potius dei longanimitatem, qui pœnas ideo interdum differre solet, ut pœnitentiæ tempus concedat: idem uerò simul aliqua edit suorum iudiciorum exempla, ut uerbi sui fidem & authoritatem asserat. III. Ananiæ pœna.

Præterea nõ negligendum est, quòd Ananiam uerbo & diuini iudicij denuntiatione Petrus occidit. Cui non absimile est, quòd Paulus, Elymam Magum cæcitate ferit, ut cap. 13. uidebimus. Videri hæc poterant ab illorum functione alienissima esse, quibus uitæ & salutis ministerium commissum est. Sed nullam reprehensionem apostoli merentur, quibus inter alia spiritus sancti dona efficaciam potentiarum, id est, efficacem ea quæ dicebant, exequendi uim diuinitus concessam esse, Paulus admonet. 1. Corinth. 12. Asseritur hic etiã ius gladij, quo magistratus improbos cohercet. Si enim Petrum & Paulum excusat, quòd diuinitus concesso dono aduersus Ananiam & Elymam magum usi sunt, qua ratione magistratum accusabimus, cui ius gladij non minus à deo collatum esse constat? Rom. 13. Nec prolixa disputatione contra eos mihi opus esse uidetur, qui in religionis causa gladij ius omnino cessare uolunt. Nam ut hoc illis demus, neminem uiolenter ad fidem cogi posse, cum ea dei donum sit, magistratus tamen est cum blasphemos tum seductores & pseudoprophetas gladio cohercere, ne contra dei gloriam & publicam salutem impunè grassentur. Vide legem Leuit. 24. Deut. 13. Nec aliam quàm religionis causam cum Petrus præsenti hoc loco, tum Paulus postea asseruisse uidentur. Imprimis autem præcipuum huius historiæ caput memori mente recondamus, & infelici Ananiæ exemplo territi, hypocrisim fugiamus, colamus autem deum in spiritu & ueritate, animisque sancta fide flagrantibus Christo Iesu adhæreamus: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA XXXIII.

Intercessit autem circiter trium horarum spatium, uxor quoque ipsius, nesciens quid factum esset, ingressa est. Dixit autem illi Petrus: Dic mihi, num tanti agrum uendidistis? At illa dixit: Certè, tanti. Petrus autem illi dixit: Quid hoc est, quòd cõsensistis inter uos ad tentandũ spiritum domini? Ecce pedes eorum, qui sepelierunt uirum tuum, ad ianuam adsunt, & efferent te. Repente autem concidit ad pedes eius, & expirauit. Ingressi uerò iuuenes, inuenerunt eam mortuam, & elatam sepelierunt iuxta uirum suum.

QVoniam non ignorauit Iesus Christus, semper in ecclesia falsos fratres & hypocritas fore, qui maximorum offendiculorum authores futuri sint, in eosdem circa principium nascentis ecclesiæ horrendum exemplum edi uoluit, quo edoceremur, quid tales sperare debeant. Vidimus illius priorem partem in Anania, qui hypocritarum mores egregiè exprimit. Destituuntur hi fide uera, qui omnium malorum fons atque origo est. Inde enim fit, ut tam deum quàm ecclesiam ipsius ludi

brio habeant & improbè contemnant. Accedit his uitiorum colophon, incurabilis pertinacia, qua fit, ut manifestos peccatores facilius conuertere liceat, quàm tales, qui Christum & ecclesiam sua hypocrisi fallere semel in animum induxerunt. Clariora autem erunt ista, si alteram quoq; huius historiæ partem uideamus, quæ Sapphiræ non minus tristem exitum continet, quam horis circiter tribus elapsis Ananiæ mariti mortis ignaram ad Petrum & fideles, qui cum ipso erant, ingressam esse, Lucas ait. Ferè enim ita fieri consueuit, ut postremi ea resciscamus, quæ nos cumprimis scire oportebat, cum plerique potius clam nobis uitia nostra traducere, quàm nos in faciem redarguere soleat. Deinde pios charitatis quoq; affectus mouet, ut ægrè eorum nuntij fiant, quæ proximo dolendi causam præbere possunt. Quæ mihi causa uidetur, quòd Sapphira mariti mortem hucusq; ignorauisse dicitur. Cæterum ut ex historiæ huius consyderatione plus ad nos utilitatis redeat, primo loco Petri quæstionem, qua illam aggressus est, deinde uerò confidentem Sapphiræ audaciam, & postremò pœnam, qua hanc deus uindicauit, consyderabimus.

Petrus Sapphiræ improbitatem arguit.

Petri quæstio nec leuis nec superuacanea est. Hac enim Sapphiræ impietas manifesta fit, quæ alioquin uideri poterat uel fraudis per maritum commissæ ignara, uel mariti authoritate ad simulationem & hypocrisin pertracta fuisse. Ab ipsa ergo facti huius rationem exigit Petrus, inquiens: Dic mihi, num tanti uendidistis agrum? Porrò cum rei euentus doceat, Petrum nihil priuato affectu, sed diuino spiritus sancti instinctu, hic omnia egisse, dei morem hic obseruare conuenit, quo in puniendis sceleratis utitur. Non poterat hunc latere incurabilis Sapphiræ improbitas, nec aliquis prohibebat, quò minus illam repentè uindicaret. Sed pœnitentiæ tempus ipsi concedi, & illius animum quæstione insolita tentari & excitari uoluit, ne nimia alicui uideretur iudicij ipsius seueritas. Similia diuinæ longanimitatis exempla paßim extant. Cauet enim deus, ne tyrannorum instar insontes sæuiat, sed ut ijdem intelligant, quibus delictis dei iram & pœnas contra se prouocarint. Ita cum primis parentibus illum egisse, legimus. Gene. 3. Et primo mundo centum uiginti annorum spatium concessit, quibus pœnitentiam agere posset, & eidem Noah iustitiæ præconem dare dignatus est. Gen. 6. 2. Petri 2. Chananæos item & Amorrhæos non ante delere instituit, quàm ipsos iniquitatis mensuram impleuisse, & planè incurabiles factos esse, uideret. Gene. 15. Sed quid exemplis opus est, cum ea non in sacris modò, uerumetiam prophanis historijs paßim occurrant? ut interim ea omittamus, quæ cum in alijs, tum in nobis ipsis quotidie experimur. Transferamus hæc potius ad nostram institutionem, & primò quidem dei longanimitate non abutamur. Ad pœnitentiam enim nos inuitat. Ne ergo reproborum instar, nobis iram dei conflemus, dum pœnitere nescij peccando pergimus, & quotidie deteriores reddimur. Rom. 2. Nam lento quidem gradu ad uindictam deus procedit, sed tarditatem hanc (ut ethnici quoq; olim monuerunt) supplicij grauitate compensat. Deinde dei bonitatem ipsi quoq; imitemur, nec præcipitemus iudicium nostrum, etiamsi pœnam aliquos meruisse constet. Quia enim salutem potius hominum quàm interitum deus paßim requirit, quæ obsecro audacia est, si nostro rigore & seueritate dei iustitiam superare contendamus? Quod ijs maximè obseruandum fuerit, qui in alios animaduertendi potestatem & ius diuinitus acceperunt, ne omnia seueritate & iudicij præcipitantia animabus quoque, quarum saluti maximè studeri debet, periculum struant.

Sapphira confidenter mentitur.

Sed Sapphiram audiamus, quæ confidenter mentitur, omni tum timore dei tum pudore posito. Nec simpliciter, sed adhibita contestationis nota, quasi iuramento affirmat, quod falsum esse non ignorat. Atqui si non dei timor, saltem quæstionis nouitas illam terrere debebat. Quia enim cuiusuis liberum erat pro suo arbitrio conferre quantum uolebat, uerisimile est, à nemine antehac postulatum fuisse, ut accepti datiq; rationem coram ecclesia redderet. Cogitare ergo debebat Sapphira, non sine mysterio fieri, quod talis iam mouebatur quæstio, maximè cum flagitij sibi conscia esset. At cum secura animi & confidens mentiri audeat, infallibili argumento se prorsus incurabilem esse probat. Quid enim boni sperare poßis, ubi pudor semel explosus est, quo generosi animi tanquam fræno in officio retinentur? Interim confidentem audaciam, quod hypocritarum proprium est, Sapphira exprimit. Quem enim uereri poßunt, qui deum fallere instituerunt, nec illius conspectum expauescunt? Quare nihil hypocrisi confidentius & audacius esse, scriptura multis exemplis probat. Et cum palàm flagitiosi ad primam ferè dei uocem concidant, et in eius conspectum prodire metuant, hypocritarum

tunc quoque suam integritatem ostentare audent, quando conscientias suas saucias & dei iudicio patefactas esse sentiunt. Exemplum eius rei Cainus exhibet, qui de Abelo fratre interrogatus, deo responsare audet, & dicere: Quis me constituit custodem fratris mei? Gene. 4. Et apud prophetam hypocritæ cum deo, tanquam nimis querulo, expostulant, cum aiunt: Quare ieiunauimus, & tu non aspicis? Affligimus animas nostras, & tu ignoras? Isa. 58. Item: Frustra seruitur deo. Quæ enim utilitas quòd instituta eius obseruamus, & quòd pullati coram domino exercituum incedimus? Malach. 3. Quid de Iuda proditore dicemus? Qui cum Christum facinus ipsius minime ignorare, seq; argui & grauissimè reprehendi sentiret, cum alijs tamen apostolis interrogare Christum audet, num se de tanto scelere suspectum habeat? Matth. 26. Nec minor est Sapphiræ confidentia, cum tot extarent exempla, quibus edocebatur, apostolos spiritu sancto donatos esse. Prodest autem hæc obseruare, ne confidentia & temeritate sua nobis hypocritæ imponant, aut suis dictis improbis nos protelent.

Cæterum ad Petrum reuertamur, qui ex spiritus suggestione dolum & fraudem intelligens, muliebri & hypocritica confidentia se moueri non patitur, sed dei sententiam, quam idem spiritus suggerebat, in illam stringit, cuius duæ partes sunt. Prima peccatum accusat & arguit. Nec enim quenquam punit deus, nisi peccati conuictum, ut quæ pœnæ causa sit, intelligat. Quid hoc est (inquit) quòd consensistis inter uos ad tentandum spiritum domini? Admiratione & interrogatione facti audaciam & atrocitatem amplificat: & ipsos in hoc conspirauisse clamat, ut spiritum domini tentarent. At si quis Ananiam uel Sapphiram de hoc suo facto interrogasset, hunc illis animum esse, constanter negaturos fuisse crediderim. At non refert quod nam nostrum sit de peccatis nostris iudicium: quia ad diuinæ legis regulam illa examinantur. Et quia coniuges isti ecclesiam fallere instituerunt, in qua spiritus dei præsidet & regnat, negari non potest, ipsos impia temeritate dei spiritum tentauisse. Quare hypocritico suo dolo in eam legem peccauerunt, quæ deum tentare prohibet. Deute. 6. Eiusdem uerò criminis reatu tenentur, quicunq; ecclesiæ Christi hodie etiam falsa fidei & pietatis simulatione imponere conantur, qui & ipsi sentient, deum à nemine impunè tentari posse. Ananias & Sapphira tentarunt spiritum domini.

At ne mariti authoritate & imperio excusari posse uideretur Sapphira, consensum, qui inter ipsos fuit, cumprimis accusat Petrus, & eo argumento omnem excusationem illi adimit. Quo loco docemur, neminem malis consentire debere, qui dei iudicium effugere cupiat: & ne ijs quidem, qui aliquod in nos ius habent diuinitus concessum. Marito etenim à domino in uxorem potestas facta est, quando Euæ dicitur: Ad uirum erit respectus tuus, & ipse tibi dominabitur. Gene. 3. capite. Et apostoli mulieres uirorum imperio subditas esse iubent. Ephes. 5. Coloss. 3. capite, &c. Atqui hoc unum Sapphiræ uitio uertitur, quòd marito consenserit, cum ille partem pecuniæ, quam ecclesiæ consecratam esse uolebat, dolo malo seposuisset. Peccatum ergo quod contra dei leges committitur, nullius hominis authoritas siue imperium excusat: eò quòd deo potius obediendum est quàm hominibus, quemadmodum supra Petrus monuit, & hoc ipso Capite denuo repetetur. Quòd si uerò illorum peccatis consentire nefas est, qui aliquam in nos potestatem ex dei ordinatione gerunt: quid de illis fiet, qui eorum scelera non consensu animi modò, uerumetiam illicitis commercijs, & publicis laudibus approbant & defendunt, quorum commercio in uniuersum abstinere poterant, imò iuxta dei leges abstinere debebant? Vt interim de illis nihil dicam, qui laborum & periculorum socios sese præbent, & sceleratos in flagitijs designandis adiuuant. Consensus in peccato pœna meretur.

Altera sententiæ diuinæ, per Petrum enuntiatæ, pars pœnam cōtinet, quæ Sapphiræ cum marito communis futura sit. Ecce (inquit) pedes eorum, qui sepelierunt uirum tuum, ad ianuam adsunt, & efferent te. Nec mora, quin ad pedes Petri exemplo collapsa expiret, & elata iuxta uirum suum sepeliatur. Hic enim diuinæ iustitiæ tenor est, ut qui idem flagitium designant, eodem etiam supplicio mulctentur, sicuti ipse apud prophetam testatur, dicens: An super his non uisitarem, & gentem huic similem non ulcisceretur anima mea? Ierem. 5. Debet hinc generalis doctrina sumi, quæ ad omnia peccata & scelera extendatur. Qui enim olim pauperum oppreßionem, iniustam uim, tyrannidem, usuras, cædes, adulteria, stupra & quæcunq; alia sunt huius generis, grauissimè uindicauit, eadem in nobis etiam hodie uindicabit, nisi pœnitentiam agamus Christianis hominibus dignā. Præ- Sapphiræ pœna eadem quæ Ananiæ.

cipuum tamen huius loci caput est, ut quid eos maneat discamus, qui sub Christi prætextu sua quærunt, & ecclesiæ Christi fucum facere audent. Videntur illi interdum lætis uti rerum suarum successibus, sed instabilis est illorum felicitas, nec diu per fraudem partis bonis fruuntur. Nam cito finitur impiorum iubilatio, & momentanea est hypocritæ lætitia. Iob. 20. Exemplum huius rei in Iuda quoq; proditore habemus, qui cum rebus suis optimè consultum esse putaret, & iam sacerdotum fauore magnus uideri posset, eam experitur diuinæ iustitiæ seueritatem, quæ ipsum ad restim adigit, ut nec uita nec pecunijs, quas uita chariores habuerat, diu frui poßit. Et utinam non hodie easdem pœnas multi experirentur, qui sub euangelij prætextu, nihil aliud quàm ecclesiasticorum bonorum usurpationem & direptionem quæsiuerunt. Hos certè à Monachis & episcopis denuo eiectos uidimus, nec aliquod ex illis opibus præsidij sensisse, quas in eum usum seposuerant, ut contra apertos religionis hostes ecclesias armata manu tueri possent. Nec melior fortuna omnibus ijs speranda est, qui simili exemplo peccant. Si enim subitam mortem Ananias & Sapphira meruerunt, quos non quicquam ecclesiæ surripuisse, sed de suis opibus aliquid hypocritica fraude seposuisse Lucas scribit, quas mortes & quæ infortunia non merentur, qui ecclesias aperta ui & publica authoritate diripere audent? Agnoscamus ergo in his Christi Iesu potentiam, qui ut ecclesiæ suæ propitius semper adest, ita illa fucum fieri non patitur, sed cum apertos eius hostes & persecutores, cum hypocritas impostores dignis supplicijs coercet, ut ueri cultus synceritas retineri poßit. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA XXXIIII.

Et factus est timor magnus super totā ecclesiam, & super omnes qui hæc audierunt. Per manus autem apostolorum signa fiebant & prodigia multa in populo. (Et erant unanimiter omnes in porticu Solomonis. Aliorum autem nemo audebat se illis coniungere, sed magnificabat illos populus. Magis autem accrescebat multitudo credentium domino, uirorum simul & mulierum:) ita ut in plateas exportarent infirmos, & ponerent in lectulis ac grabbatis, ut uenientis Petri uel umbra obumbraret aliquem eorum. Conueniebat autem & multitudo uicinarum ciuitatum Hierosolymam, afferens ægros ac uexatos à spiritibus immundis, qui sanabantur omnes.

AVdiuimus horribile iudicij diuini exemplum, quo Ananias & eius uxor Sapphira morte repentina mulctati sunt, quòd & fidem in Christum falsò simulassent, & ecclesiæ conati essent fucum facere, quo ad bona publica, quæ in pauperum subuentionē contribuebantur. Docet hoc, quàm sit dei in puniendis hypocritis seueritas: qui ut falli nequit, ita non potest non grauiter irasci ijs, qui ipsum fallere conantur. Vidimus præterea, quàm ardens fuerit in primitiua ecclesia disciplinæ conseruandæ studium, ne uel hypocritæ uel palàm scelerati obrepentes, fidem Christi infamem aut bonis suspectam redderent. Vt uerò ad huius imitationem accenderetur tota posteritas, sequitur præsens locus, qui huius exempli fructus plures & eximios commemorat: quibus primitiuæ ecclesiæ studia et exercitia interseruntur: ut ex ijs discamus, quid hodie fieri oporteat, si regnum dei propagare, & Christo propitio uti uelimus.

Disciplina pios & impios in officio cōtinet.

Primo ait Lucas: Factus est timor magnus super totam ecclesiam, & super omnes qui hæc audierunt. Timuerunt ergo tam Christiani quàm exteri, ad quos huius rei fama dimanauit. Nec inutilis fuit hic timor. Per hunc enim factum est, ut pij quidem cautiores essent, & seriò magis agerent dei negotium: hostes uerò minus auderent contra ecclesiam, cui spiritum tam efficaciter adesse uidebant. Est hic præcipuus disciplinæ ecclesiasticæ fructus, quòd & pios in officio continet, & impijs timorem incutit. Hodie quia quiduis licet omnibus, ecclesiæ intestina licentia dißipatæ hostibus præda fiunt.

Vsus iudiciorum dei.

Obseruandus est hic simul iudiciorum dei usus, qui in hoc consistit, ut ex illis dei iustitiam agnoscamus & eius pia consyderatione territi emendemur. Tradidit hunc ipse deus, quando Abrahamo Sodomarum horribile excidium denuntians, dicebat: Scio, quòd mandaturus sit filijs

suis

suis & domui suæ post se, ut custodiant uiam domini, & faciant iustitiam & iudicium, &c. Nec aliã ob causam uetera iudiciorum suorum exempla literis consignari, & in ecclesia cum publicè tum priuatim prædicari uoluit, sicuti Asaph Psal. 78. testatur, ubi sic scribit: Constituit contestationẽ in Iacob, & legem tulit in Israele deus, quæ precepit patribus nostris, ut hæc nota facerent filijs suis: Vt cognoscat ætas postera, filij scilicet qui nati sunt, cum adoleuerint, narrẽt ea filijs suis: Indeq; in deo fiduciam suam ponant, nec obliuiscantur operum dei, mandataq; eius obseruent. Nec euadant similes patribus suis, &c. Debet ergo hic iudicij diuini, quo Ananiæ & Sapphiræ hypocrisis punita est, usus hodie etiam retineri, ut uero dei timore concepto, ab hypocrisi nobis caueamus, deum autem colamus in spiritu & ueritate, sicuti Christus nobis præcepit. Imò hoc exemplo singuli excitati, ad se transferant quæcunq; huius generis paßim in historijs habentur, ut ex aliorum exemplis discant sibi quid facto opus siet, si dei iram effugere cupiant.

Secundò de apostolis dicitur, quòd illorum ministerio multa signa & prodigia in populo publicè edita sint. Vnde constat hac etiam parte exauditas fuisse fidelium preces, qua petierunt, ut miraculis instruerentur apostoli, quorum authoritate in Christi regno propagando adiuuari possent. Nec uulgaria tantummodo edunt, sed eòusq; uirtus illa extenditur, ut in plateas expositi ægroti umbram Petri transeuntis expetant, & hanc sibi salutarem experiantur. Iam ergo impleri cœpit illud Christi: Qui credit in me, signa quæ ego facio, faciet etiam ipse, & maiora his faciet. Est autem hic secundus disciplinæ ecclesiasticæ fructus, quòd ecclesiæ preces exaudit deus, & dona spiritus sui auget: cum eorum preces abominari soleat, qui aures suas ad legem eius obturant. Prouer. 28. Patet hoc ex historijs, quæ luculenter docent, insigniora illa spiritus dona, simul cum miraculis, tunc extingui cœpisse, cum disciplina dissolui cœpit, & morum licentia introducta est. Nemo tamen superstitiosis patrocinari putet, quod hic de Petri umbra scribitur: ut nec illud, quod infra de Pauli sudarijs audiemus. Solent quidem hinc nonnulli argumentari: Si Petri umbra multis salutaris fuit, quantò magis uestes, ossa, &c? Et hinc totum illud superstitionum chaos exortum est, quod circa peregrinationes & Diuorum, uel potius reliquiarum (quarum maxima pars falsa & ementita est) cultum uersatur. At nos signa ista non in eum finem facta dicimus, ut de Petri aut Pauli uirtute testarentur, sed ut euangelij prædicationem, cuius illi ministri erant, confirmarent. Ad huius ergo commendationem referri debent, & ad Christum eos remittere, quos hactenus uana superstitio circa res inutiles occupatos detinuit. Præterea ex ipsius Petri uerbis, quæ cap. 3. audiuimus, nos firmius multò argumentabimur: Maior est apud deum uirtutis & pietatis quàm uestium, aut totius corporis humani, ratio. At neq; sanctorum uirtus neq; pietas ad miracula quicquam contulit. Ergò multò minus illorum uestibus aut oßis illa ascribi debent. Addemus huic argumento, quòd alibi uirtus ex ipso Christo, non ex eius tunica, exiuisse dicitur. Luc 6. & 8. Sed facilè cadet superstitio, si miraculorum omnium finem siue scopum consyderemus, qui duplex est. Primò istis apostolorum doctrinam obsignari oportuit, quemadmodum ipse Christus admonet. Matth. 10. Mar. 16. Vnde colligitur, huic credendum esse, nec nouis hodie miraculis nos indigere. Si enim apostolicam doctrinam ministri prædicant, illa iam olim innumeris signis probata atq; confirmata est. Quòd si uerò diuersam ab hac tradunt, nequaquam recipi merentur, etiamsi miracula edant plurima: quando falsis quoq; & Antichristianis doctoribus illud permitti constat, ut electorum fides perspicacior & euidentior fiat. Vide Deut. 13. Matth. 24. 2. Theß. 2. Alter miraculorum finis & usus est, ut Christi Iesu cognitionem tradant, in cuius nomine ab apostolis uirisq; apostolicis edita sunt. Curantur ab apostolis in Christi nomine uarijs morbis & infirmitatibus obnoxij, & cum his etiam dæmoniaci, quos malignus Satanæ spiritus exagitabat. Christum Iesum ergo eum esse agnoscamus, qui (ut propheta ait) nostros languores & infirmitates pertulit, quiq; non corporum modò, uerumetiam animarum & corruptæ nostræ naturæ uitijs medetur. Illius enim spiritu & uerbo regenerati nouas uires concipimus, ut illo nos confortante poßimus omnia. Phil. 4. Idem à Satanæ tyrannide solus liberat. Idcirco enim in mundum uenit (teste Iohanne apostolo) ut opera diaboli dissoluat. 1. Iohan. 3. Et prima salutis promißio illius potentia & merito serpentis caput conterendum esse docet. Gene. 3. Quod effectum esse partim ipse in euangelio testatur, partim per apostolos illius nomine edita miracula abundè probant: Et omnes quidẽ sanatos fuisse Lucas admonet, qui ad apostolos adducti fuerunt, ut Christi

Miraculũ apostolorum.

nomine ſanarentur. Vnde colligimus, uniuerſalem eſſe ſaluatorem Christum, qui ut omnes laborantes & oneratos ad ſeſe inuitat: ita ad ſe uenientes minimè excludit. Matth.11. Iohan.6.

Studia primitiuæ eccleſiæ.

Apoſtolorum miraculis publicum totius eccleſiæ exercitium ſubijcit, quando eos qui credidérant, unanimiter in porticu Solomonis fuiſſe ait. Quod de ſacris illorum cœtibus intelligendum eſſe, ex ſecundi capitis fine diſcimus, ubi domorum mentio fit, in quibus panem fregerint. Non aliud igitur hoc loco euangeliſta docere uult, quàm præcipuam fidelibus hanc curam fuiſſe, ut ſacros cœtus frequentarent, & in ijs non tam corporibus quàm animis ſuis per fidem & charitatem unirentur. Vbi Christianæ fortitudinis & conſtantiæ exemplum nobis exhibent, qui cum Concilij minas & edicta non ignorarent, propter illa tamen ne à cœtibus quidem publicis abſtinere uoluerunt. Atqui humanæ prudentiæ ſufficere potuiſſet, ſi in animis ſuis fidem retinere, & intra priuatos parietes de Christo cum fidis fratribus uerba facere licuiſſet. Et hodie multi iſtis rationibus ſuam ignauiam excuſant, qua Christi confeſſionem inter indifferentia numerant, & illam principum edictis ſibi extorqueri patiuntur. Imò prudentiæ eſſe putatur, inter pericula fidem diſſimulare, cœtus & ſacra omnia intermittere, controuerſos articulos uel omnino non attingere, uel ambiguè tractare, uel etiam fidem omnino abnegare. Sed quàm infelices ſint huius prudentiæ effectus, eccleſia non ſine dolore & multorum interitu experitur. Rectius multò iſti, qui ex Christi uerbis didicerunt, confeſſionem à fide ſeparari non poſſe. Corde enim creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Roman.10. Et Christi uox eſt: Quemcunq; puduerit mei & ſermonum meorum in generatione hac adultera & peccatrice, pudebit illius & filium hominis, ubi uenerit in gloria patris ſui cum angelis ſanctis. Mar.8.cap. Obſeruemus autem, non temere toties ſacrorum cœtuum mentionem fieri. Hinc enim colligitur, eccleſiam illis nullo modo carere poſſe, cum propter preces publicas quas peculiari promiſſione nobis Christus commendauit, tum ne falſis doctoribus clàm ſubrepēdi occaſio detur, quibus hoc proprium eſſe Paulus ſcribit, quòd in familias ſubeant, & captiuas ducant mulierculas, et quotquot harum ſimiles, ipſorum dolis patent. 2. Tim.3. Et ne quis tam neceſſarium ordinē turbandi occaſionem aliquam haberet, Christus quoq; cœtus publicos nunquam deuitauit, ſed in illis publicè docuit, & eo argumento, ſe nec ſeductorem nec ſchiſmaticum cenſeri debere probat. Ioan.18. Nec alia cauſa uidetur, quòd primi credentes ne Iudaicum quidem templum horruerunt, cum nullus alius commodior locus ipſis in urbe daretur. Confutantur hoc exemplo Anabaptiſtæ, fanaticum & ſeditioſum hominum genus, qui nefas eſſe ducunt noſtra templa noſtroſq; cœtus ingredi, & anxiè cauent, ne ijs polluantur: cum interim illis non graue uideatur, in Christi eccleſia ſchiſma facere, quo non aliud crimen magis horrendum & deteſtabilius cenſeri debebat.

Maieſtas uerè Christianorū.

Sed ad fructus diſciplinæ & exercitiorum ueteris eccleſiæ reuertamur, inter quos tertio loco refertur Maieſtas, quæ illam hoſtibus formidabilem, & toti populo uenerabilem fecit. Ait enim Lucas: Nemo aliorum ſeſe ipſis coniungere audebat, ſed magnificabat eos populus. Quod de ijs intelligi debet, qui non prorſus impij & à religione alieni erant, mundi tamen & carnis ſtudijs adhuc detinebantur. Nam cum horrendum & infelicem Ananiæ & Sapphiræ exitum uidiſſent, timebant eorum cœtui ſe coniungere, in quo hypocriſis tam ſeuerè punita fuerat, ſuæ nimirum imperfectionis ſibi probè cōſcij. Purior ergo ab eo tempore fuit externus eccleſiæ cœtus, in quem fortaſſis prius multi doloſè irrepſerant, qualem uidimus Ananiam fuiſſe. Interim magnificè de illis iſti ſentiebant, & illorum mores publicis quoq; laudibus celebrabant: eò quòd cœleſtis & angelicæ uitæ ſpeciem in illis uiderent relucere. Plura eius generis exēpla in hiſtorijs leguntur. Et ſub Traiano Imperatore tam inculpata & integra fuit Christianorum conuerſatio, ut cum is contra illos perſecutionem decreuiſſet, Plinij Secundi (qui ex Iudicum numero erat) interceſſione liberati ſint. De duobus autem obſeruatu digniſſimis, nos hic locus admonet. Primò, eccleſiam ſolis fidelibus & ueris Christi cultoribus patere, nec ullo modo in illam mendaces hypocritas admitti. Quia enim ueritatis rex Christus eſt (quemadmodum coram Pilato teſtatur) mendaces & hypocritas ferre nequit. Et in euangelio à nuptijs ſuis eijciendos dicit, quicunq; ſine ueſte nuptiali ingreſſi fuerint. Matth. 22. Eoſdem alibi quoq; una cum timidis & incredulis, cum homicidis, ſcortatoribus, ueneficis & idololatris, æternæ damnationi adiudicat. Apocal.21. Deinde unde Christianis authoritas & gratia inter homines conciliari poſſit, diſcimus. Inde nimirum, ſi ſuæ profeſſioni reſpondeant, uitamq; uiuant Christo dignam,

per

per quam deus cœlestis pater glorificari possit. Matth. 5. Firmum enim ratumq; manet, quod per prophetam sacerdoti Heli deus denuntiat: Honore prosequar eos, qui me honorauerint: at qui me probro affecerint, ignominiosi fient. 1. Samuel. 2. Quæ si paulò attentius consyderaremus, facilè pateret, qui fiat, quòd euangelij nomen passim hodie inuisum, eiusq; professores ferè exosi & infames habentur. Meretur hoc effrænis nostra licentia, qua in omne scelus sub euangelij prætextu erumpimus, quiq; alijs sanctiores uolumus haberi, ferè omnes alios peccãdi libidine superamus. Corrigamus hæc, & ueteri maiestate ecclesiam uenerabilem fore breui experiemur.

Quarto loco nouos quotidie Christi cultores, tam uiros quàm mulieres, ecclesiæ numero accessisse dicit, qui nimirum uera fide imbuti & diuino spiritu moti pertrahebantur. Docet hoc quàm inanes & uani sint hostium Christi conatus, quando qui in urbe Hierosolymorum primatum tenebant, nascentis ecclesiæ incrementa impedire nequiuerunt. Nam sicuti Christus ait, spirat spiritus ubicunq; uoluerit, nec ullis hominum legibus subijcitur. Iohan. 3. Et exempla docent, ecclesiam inter persecutionum procellas semper auctam potius quàm imminutam esse. Hoc enim Christi proprium est, ut in medio inimicorum suorum dominetur. Psal. 110. Nemo igitur impiorum hostium minis terreatur, quasi in illorum potestate cõsistat ecclesiæ euersio. Christo enim illa nititur, cui inferorum portæ præualere nequeunt. Matth. 16. *Ecclesia persecutionibus augetur.*

Accedit his, quòd Christi regnum ad finitimas quoq; ciuitates propagari incipit. Vulgata enim hinc inde miraculorum fama, excitantur quàm plurimi, ut & ipsi suos ægrotos & dæmoniacos Hierosolymam deportari curent, eaq; occasione in Christi cognitionem perueniant. Præcipuus uerò hodie huius loci usus est, ut quibus medijs Christi regnum propagari possit, intelligamus. Qua in re uariè & diuersimodè ab ijs consultatur, qui sub fidei prætextu carnali sapientiæ indulgent, nec illam adhuc fidei obedientiæ subiecerunt. Sunt enim qui consultissimum esse putent, ut fideles tempori inseruiant, multa concedant & dissimulent, donec noua aliqua mundi facies sese exerat, & mitiores sint illorum animi, qui nunc ueritatis odium profitentur. Alij rursum ad carnis præsidia conuersi, fœderibus & armis rem transigendam esse arbitrantur. Vtrosq; uerò pernitiosissimè falli, rerum euentus testatur. Dei enim hoc opus est, nec alijs armis aut uiribus confici poterit. Non per exercitum, neq; per fortitudinem (ait per prophetam Dominus) sed per spiritum meum. Zach. 4. Et rursum: Seruabo eos in Domino Deo eorum, non autem seruabo eos per arcum, neq; per gladium, nec per bellum, nec per equos, nec per equites, &c. Scimus equidem illum nonnunquam hominum & principum ministerio, adeoq; armis uti (sicuti Machabæorum, Constantini & Theodosij exempla testantur) sed ita tunc res moderari solet, ut inter hæc ipsa spiritus sui uirtus elucescat, & sola emineat. In hunc itaque solum respiciant, quicunque de ecclesia asserenda & Christi regno propagando cõsilia ineunt. Quia nullus deo operandi locus superest, ubi humanis consilijs aut præsidijs res peragi incipitur. Primitiuæ igitur ecclesiæ studijs insistamus, quæ hucusq; Lucas recensuit. Veritatis doctrinam constanter prædicent doctores, nec ab ea se diuelli patiantur, quæ tot miraculis olim obsignata est. Eandẽ studiose audiant, quicũq; Christiani haberi uolunt, & uerbi studio assiduas preces coniungãt, quando sine dei interna suggestione nihil efficitur. Vigeat ecclesiasticæ disciplinæ authoritas, ne uel hypocritis uel palàm flagitiosis in ecclesia locus concedatur. Regnet charitatis studium & liberalis in pauperes beneficentia, ne fidei domestici propter nostrã auaritiam publica egestatis exempla conspiciantur. Hæc quia hodie non modò negliguntur, uerumetiam inuertuntur, mirum non est, quòd exiguos uidemus euangelicæ doctrinæ profectus. Ad ista igitur accingamur totis animis, nec deerit conatibus pijs dominus & saluator noster, Iesus Christus: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen. *Regnum Christi propagatur ad finitimos.*

HOMILIA XXXV.

Exurgens autẽ summus Pontifex, & omnes qui cum eo erant (quæ erat secta Sadducæorum) repleti sunt zelo, & iniecerunt manus in apostolos, posueruntq; eos in custodiam publicam. Angelus autem domini nocte aperuit ianuã carceris, & educens eos, dixit: Ite, & stantes loquimini in templo populo omnia uerba uitæ huius. Illi uerò cùm hoc audiuissent, sub auroram ingressi sunt templum, & docebant.

PErquàm memorabile est Dauidis regis & prophetæ oraculum, quo Christum Iesum in medio inimicorum suorum regnaturũ esse uaticinatur. Psal. 110. Inde colligitur, regnaturum quidem Christum etiam in hoc seculo, ita tamen, ut nunquam defuturi sint, qui regnum ipsius euertere conentur. Exempla eius rei paßim in scripturis & ecclesiasticis historijs obuia sunt. Omnium uerò clarißimè in præsenti libro hoc cernitur, cum in apostolicarum rerum commemoratione & primitiuæ ecclesiæ descriptione, duo hæc, felices nimirum regni Christi progressus, & insanos contra hoc impiorum conatus, semper Lucas coniungit. Vsus horum est, ut nec cruce & aduersis offendamur, de quibus toties Christus admonuit, nec perpetuam in hoc mundo speremus ecclesiæ tranquillitatem, sed tunc quoq; ad crucem ferendam præparemur, quando ecclesia in portu tutißimo consistere uidetur. Quo cumprimis præsens historia referri debet. Præmisit enim nuper Lucas florentißimum primitiuæ ecclesiæ statum, illam & authoritate præclaram & nouis indies incremẽtis auctam fuisse docens, adeo ut iam Hierosolymorum urbs angustior esset, quàm quæ Christi regnum posset complecti, quod iam ad exteros quoq; propagari incipiebat. Cæterum tantis tamq; prosperis succeßibus grauis persecutio & ingens periculum subijcitur, quando tantum hostibus suis permittit Christus, ut apostolis manus inijciant, & in carcerem abductos extremo supplicio mulctare instituant. Interim plus consolationis quàm terroris ista afferunt, dum apostolis pro sui nominis gloria periclitantibus tam præsenti ope affulget dominus. Sed ut plus hinc utilitatis ad nos redeat, primò Christi & apostolorum hostes considerandi erunt. Deinde ut illorum conatus dominus eluserit, inspiciemus. Postremò de eo dicemus, quod apostoli, periculo erepti, fecerunt.

I. Hostes & persecutores ecclesiæ.

De hostibus siue persecutoribus ecclesiæ & eorundẽ conatu diligenter Lucas differit. Nam summum Pontificẽ contra apostolos insurrexisse ait, nec solũ hunc, sed cum illo collegas siue Symmistas ipsius, unà cum omnibus ijs, quos sibi familiariores fecerat. Et hos quidẽ Sadducæorũ sectatores fuisse dicit, ut intelligamus, quanta tunc fuerit in Iudaica gente corruptio, quando illi primas in religione tenebant, quibus mortuorum resurrectio (quod præcipuum fidei & religionis caput est, 1. Cor. 15.) lusus erat, ut iam sæpe diximus. Et sanè nisi ab omni religione alieni fuissent, ipsos quoq; uel apostolicæ doctrinæ synceritas, uel ueneranda ecclesiæ maiestas, uel miraculorũ admiranda dignitas, tantusq; omnis generis hominũ ad Christi regnũ concursus, mouere potuisset, ne tam indomitum furerent. Simul uerò quid illos extimularit, indicatur. Zelo enim, id est, inuidia & æmulatione repletos fuisse Lucas dicit. Nec enim ferre poterant, eos in precio & honore esse, quorũ doctrina ipsorum honori & quæstui derogabat. At dubiũ non est, ipsos zelũ dei & publicã totius populi utilitatẽ priuatorũ affectuũ prætextũ fecisse, quod Caiaphã cum suis antea fecisse legimus. Quorsum uerò zelus iste erupit? Eòusq;, ut manus inferrent apostolis, & captos publico carceri mandarent, quasi publicæ pacis turbatores & palàm flagitiosos. Sunt autẽ hæc ad nostra quoq; tempora transferenda, cùm constet propter nos scripta esse omnia, ut inde institutionem & consolationem habeamus. Rom. 15.

Ex sacerdotum grege acerrimi ueritatis hostes prodeunt.

Primò enim docemur exemplo hoc, qui semper acerrimi ueritatis Christianæ persecutores fuerint. Illi nimirum, qui cum sacerdotij titulo glorientur, primiq; ecclesiæ antistites haberi uelint, illam publicè tueri & prædicare debebãt. Vt primùm enim illi sub religionis prætextu sua quærere incipiunt, mox nec ipsi credere possunt, nec ueritatis lucem ferunt, cuius fulgore ipsorum nequitia & impostura arguũtur. Et tales quidẽ plerunq; Sadducæi, imò Epicuri de grege porci sunt. Nisi enim Apinis & Siculis gerris uaniora putarent, quæ de cœlis & inferis, de animarũ immortalitate & corporum resurrectione in scripturis tradũtur, nunquã uel scripturas tam improbè suis traditionibus corrumperent, uel religionem tam impudenter in quæstũ conuerterent. Ideò in ipsa ecclesia Antichristi sedem Christus et apostoli nobis monstrant, ut intelligamus unde maximum periculũ timeri debeat. 2. Thess. 2. 1. Iohã. 1. Et si nostra hæc tempora inspiciamus, soli illi euangelicæ doctrinæ & regni Christi hostes uideri possunt, qui ecclesiæ primi antistites esse antehac crediti sunt. Quæ enim à principibus & regibus tentantur, in horum gratiam & his ipsis impulsoribus & authoribus fieri, clarius est, quàm ut multis demonstrari debeat. Offendit hoc multos hodie, qui uix sibi persuaderi patiuntur, ueram esse ecclesiarum nostrarum doctrinam, quæ ipsos Pontifices & Episcopos inimicos habeat. At stultum est eo offendi, quo iam inde ab orbe condito nihil fuit uulgarius atq; frequentius, ut alibi dictum est.

Sed non minus diligenter obseruandũ est, quibus artibus & armis isti pugnent. Vbi primum occurrit, quòd zelum dei egregiè simulare norunt, cuius gloriam calcari & ecclesiam pernitiose dissipari quiritantur. At corruptus ille zelus est, qualem in Caiapha uidere licet, cui ueritatis confeßio, quam Christus protulerat, blasphema uidetur & intolerabilis. Ita enim nostris illis nihil uel impium uel intolerabile uidetur, quàm quòd euangelij ueritatem redolet, & ipsorum quæstui & superbæ tyrannidi aduersatur. Nec aliter de nostrorũ hostium zelo iudicari debere ex eo patet, quòd ut Iudæorum antistites Sadducæorum furiosos errores ferre potuerunt, modò in Christo oppugnando suam illis operam locarent: ita nostri illi impiã & Pontificum canonibus damnatam sacrorũ nundinationem, doctrinæ Dei adulteratione͂, deierationes horrendas, stupra & effrenem morum licentiam ferre possunt, modò illis intacta relinquas, quæ ad ipsorum quæstum & inanem gloriam faciunt. Sed ut demus, illos reuera diuinæ gloriæ zelo agi, excusari tamẽ non merentur, sed Iudæorũ similes sunt, qui & ipsi (Paulo teste, Rom.10.) zelo dei flagrarunt, sed à quo omnis ueri rectiq́ scientia abesset. Nec enim nostri zeli, sed uerbi sui nos sectatores esse uult deus, quod ideò omnibus seculis reuelare dignatus est, ne quis humanæ sapientiæ & carnis dictata consuleret. Sed qualis eiusmodi hominum zelus censeri debeat, rei euentus declarat. Qui enim uerbi dei dispensatores erant, & diuinis rationibus errantes in uiam reducere, & contradicentes conuincere debebant, ceu officij sui obliti, ad uim conuertuntur, & nullius adhuc criminis conuictos, publicis carceribus includunt. Atqui hoc ipsum est, quod Christus illis exprobrat, quando gladijs & fustibus armati ad ipsum capiendum egreßi erant, quem tamen quotidie in templo docentem audiebant, ubi conuincendus erat, si quid à diuina ueritate alienum docuisset. Luc.22. Imò ne in Concilio quidem uim apertam prohibent, cùm Christũ à Pontificis seruo impunè uapulare permittunt. Iohan. 18. Ijsdem armis iam seculis aliquot pugnatum esse aduersus ueritatis doctrinam, historiæ docent. Nec exempla coaceruare opus est, quando unicum illud Constantiensis Concilij facinus sufficere potest, quod in sanctißimum Christi martyrem, Iohannem Hußium designarunt Romanæ ecclesiæ antistites: quem nec publica fides, nec Imperatoria Maiestas, nec ius gentium, nec piorum preces & Bohemorum minæ, è cruentis illorum manibus liberare potuerunt. Nec hodie alijs argumentis frequentius aduersus ueritatis doctores Magistri Nostri & Pontifices pugnant, quàm quòd principes contra ueritatem & illius doctores armant, qui tunc se ecclesiæ propugnatores esse arbitrantur, si ueram Christi ecclesiam ferro & igne uastare pergant. Vt interim de illis nihil dicam, qui eiusmodi causarum cognitionem nihil ad principes pertinere clamant, & indicta causa Christi martyres ad supplicia rapiunt, prius tamen linguis exectis, ne spectanti populo fidei & mortis suæ rationem reddere poßint. Sed quantò isti Iudæorum sacerdotum tyrannidem superant, tantò grauiores impietatis pœnas Christi exoluent, cuius regnum humanis uiribus opprimi non potest.

Hostium ueritatis artes.

Docet hoc altera historiæ pars, qua quid dominus interea egerit, explicatur: qui ecclesiæ suæ curam deposuisse & nimium hostibus suis permisisse uideri poterat. Sed non dormitat, nec pro suo nomine periclitantes deserit. Venit enim angelus domini, qui nec Sacerdotum authoritate terretur, nec ius uiolati carceris formidat, sed illius ianuas reserat, apostolos educit, & in templum reuerti ac ibidem illos uerba uitæ (id est, euangelium de Christo Iesu, in quo solo uita habetur) prædicare iubet. Docent hæc, deo suos curæ esse, nec uinciri posse uerbum dei, etiamsi illius ministri carceribus inclusi detineantur. Spirat enim spiritus domini, ubi uult, nec mundi iudicio regitur. Et Paulus se quidem uinctum detineri dicit, idem uerò dei uerbum uinctum esse negat. 2. Tim.2. Nemo igitur ministrorum uerbi uinculis offendatur, imò ne morte quidem, cùm non ex nobis, sed ex dei arbitrio & potestate, uerbi ipsius propagatio dependeat. Præstat autem liberationis huius modum & finem diligentius inspicere.

Deus hostium suorum conatus eludit, & suos asserit.

In liberationis modo obseruatu dignißimum est, quòd angeli ministerio carceris portas aperiri deus uoluit, quod infinitis alijs medijs effici poterat. Sed ita testari & docere uult, quæ & quanta sit electorum suorum dignitas, cùm illorum seruitio non terrenæ modò & inferiores creaturæ, uerùm etiam cælestes spiritus & angeli destinati sint. Generale enim dogma hinc constitui debere, multis scripturæ locis edocemur. Paulus certè, angelos ministratorios spiritus esse dicit, qui emittantur in ministerium propter eos, qui salutis hæredes erunt. Heb.1. Et notum est illud Dauidis: Angelus do-

Angeli electorum ministri & custodes.

mini castrametatur circa eos, qui ipsum timent, & eripit eos. Psal. 34. Et quod de uno Christo malignus ille tentator exponit, ad singula illius membra referri debet, quos angelorum curæ & custodiæ commendauit deus, ne pedibus suis ad lapidem offendant. Psal. 91. Nec desunt exempla eorum, qui uisibili angelorum ministerio usi sunt. Per angelos Sodomarum incendio eripitur Lot. Gen. 19. Angelorum castra Iacob cernit, & illorum præsidio se tutum fore intelligit. Gen. 32. Elizeum angelicæ copiæ è Syrorum manibus liberant. 2. Reg. 6. Daniel angelum domini Leonum ora constrinxisse fatetur, ne quid mali ipsi inferrent. Dan. 6. Tobiæ filio multis diebus fidele obsequium angelus, uisibili specie assumpta, præstitit. Quid? quòd angelus Aegyptiorum primogenita cædit, & Israeli itineris ducem sese exhibet. Et Assyriorum obsidione Ezechiam angeli ope liberatum esse constat. Isa. 37. Commemorantur hæc & alia eius generis exempla, non ut uisibili forma angelorum ministeria ipsi quoque requiramus, sed ut de horum præsidio & custodia non dubitemus, licet nobis non conspicui sint. Experimur hoc frequenter, quando occultis periculis eripimur, & nullo uel consilio uel auxilio hominum adiuti pericula ignota declinamus. Agnoscamus ergo nostræ naturæ & conditionis dignitatem, in quam diuinæ gratiæ beneficio collocati sumus. Seruiat autem eadem nostræ tum consolationi, ne in aduersis desperemus: tum institutioni, ne uitæ impuritate & improbitate angelos offendendo, tam sanctum tamq; necessarium præsidium à nobis propulsemus.

Finis liberationis.

Porrò liberationis finem angelus indicat, cùm apostolis, carcere ereptis, ait: Ite, & stantes loquimini in templo populo omnia uerba uitæ huius. Ad muneris ergo siue officij executionem, cui ipsos dominus destinarat, illos redire iubet, & regnum Christi, cuius tam præsens auxilium senserint, pro uirili propagare. Conuenit hoc cum eo, quòd alibi deus ipse iubet, ut ex malis liberati ipsum glorificemus. Psal. 50. Nec enim apostolis solis hoc dictum est, sed ad omnes ex æquo pertinet. Vult etenim deus, ut singuli suæ uocationi insistant, & periculis erepti eò ardentiori studio ad illam redeant, qui diutius illā intermittere coacti sunt. Grauis ergo illorum culpa est, qui morbis aut egestate alijsue calamitatibus erepti, uitijs & sceleribus sese consecrant, & dei nomē uitæ impuritate polluunt. Qui mihi eorum militum similes esse uidentur, qui ad Christum capiendum emissi, cùm illius occulta uirtute prostrati essent, subitò tamen in pedes erecti, manus & uincula illi iniecerunt. Nec multò leuior illorum culpa est, qui ubi semel & iterum pro Christi nomine periclitati sunt, quasi suo iam officio defuncti, omnia in posterum pericula & omnes pro Christo labores detrectant. Quibus grauius adhuc peccant, qui ut sese à periculis tutos faciant, ueritatem abnegare non uerentur. Atqui iuxta Pauli exemplum consummare nos decet cursum nostrum. Nec enim in nostro arbitrio situm est, ut ipsi nobis laborum & periculorum finem statuamus: sed domini uoluntatem expectemus, qui licet opem suam ad tempus distulerit, non deerit tamen firma & constanti fide in ipsum sperantibus. Habak. 2. Nec idoneus est ad regnum Christi, qui ubi manum aratro admouit, à tergo respicit: sed qui in finem perseuerat, saluus erit. Luc. 9. Matth. 24.

Euangeliū uerbum uitæ.

Cumprimis uerò memorabile est, quòd euangelium de Christo Iesu uerbum uitæ angelus nominat. Decoratur alijs quoq; titulis in scriptura. Nam uerbum gratiæ dicitur, eò quòd gratiam dei in Christo nobis collatam, nuntiat. Paulus idem reconciliationis uerbum uocat, propter Christum, qui nobis deum patrem reconciliauit. 2. Corinth. 5. Idem hoc potentiam dei saluificam esse testatur. Rom. 1. Alibi ueritatis & salutis uerbum dicitur. At præstantißimus hic titulus est, quo uerbum uitæ esse prædicatur, qui etiam illi proprius & germanus est. Nam & ipsum uerbum immortale uiuit & manet in æternum (1. Pet. 1. Isa. 40.) & uitam omnibus confert, qui illud uera fide amplecti dignantur. Christum Iesum enim nobis prædicat, qui solus uerba uitæ æternæ habet. Iohan. 6. In eodem omnia monstrat & exhibet, quæ nobis ad uitam consequendam necessaria sunt. In hoc enim habemus peccatorum expiationem, satisfactionem, iustitiam, sanctificationem, redemptionis pretium, & quæcunq; alia sunt eius generis. Et per fidem in hunc non modò in filios dei nos regenerat uerbum hoc, uerumetiam regeneratis adoptionis spiritum largitur, in quo clamamus Abba pater, qui infallibilis nostræ salutis arrhabo est. Rom. 8. Ephes. 1. &c. Atqui hoc nomine omnem mundi sapientiam euangelica doctrina excellit, quòd æternæ uitæ dux est, cùm aliarum scientiarum professores ne præsentis quidem uitæ tranquillitatem & felicitatem nobis tutò polliceri poßint. Verò ergo margaritæ preciosißimæ & thesauro incomparabili confertur, cuius gratia omnium facultatum

tum iacturam hilari & spontanea mente facere debeat, quisquis salutem ueram expetit. Rursum, quia propter Christum, qui uita & salus est, hoc tam illustri titulo euangelium decoratur, mortiferæ & exitiosæ omnes doctrinæ censeri debent, quæcunq; Christi meritum obscurant, & à fide Christi hominum mentes auocant. Quas qui profitentur, fures & latrones sunt, tum quia Christum sua gloria spoliant, tum quia incautis sectatoribus pro uerbo uitæ lethiferum humanarum traditionum uenenum propinant. Iohan. 10.

Sed ad apostolos redeamus, quos Lucas angeli mandato obedientes fuisse, ac mox sub auroram templum ingressos, ibidem docuisse, scribit. Atqui multa diuersum suadere poterant, cùm & periculi metus recens esset, & nota omnibus aduersariorum potentia, quā nulla alia re magis quàm euangelij prædicatione prouocari posse nouerant; adhæc ex hoc ipsorum facto ad totam ecclesiam periculum cōmune rediturum uidebatur, si hostium rabiem nouis furoribus magis accenderent. At tantum abest, ut his ab officio sese reuocari patiantur, ut potius nulla ampliori deliberatione habita, dei mandato sese obsequentes præbeant. Nobis autem in exemplum illorum obedientia proponitur. Generale siquidem dei præceptum est, ut non quod nobis bonum uidetur faciamus, sed illius iussa exequamur. Num. 15. Nec alia nocentior pestis est, quàm si carnis rationem in cōsilium admittamus, ubi suam uoluntatem disertis mandatis expreßit dominus, quod tum Saulis tum aliorum exempla abunde declarant. Et Paulus frequenter fidei obedientiam euangelicæ prædicationis scopum & finem esse testatur. 2. Corinth. 10. Rom. 1. & 16. Quicūq; igitur hac abiecta, carnis consilia audiunt, næ illi euangelio & fide Christi frustra gloriantur. Quare ad nos transferamus apostolorum exemplum, & spreta mundi tyrannide, quod deus iniunxit sedulò exequamur, nec deerit suo præsidio & ope pijs cœptis Christus Iesus: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

III. Apostoli angelo obediunt.

HOMILIA XXXVI.

Adueniens autem summus Pontifex, & qui cum eo erant, conuocarunt Concilium & totum Seniorum ordinem filiorum Israel, & miserunt ad carcerem, ut adducerentur. Cùm autem uenissent ministri, non inuenerunt eos. Itaq; reuersi nuntiarunt, dicētes: Carcerem quidem inuenimus clausum cum omni diligentia, & custodes foris stantes ad ianuam. Vbi uerò aperuimus, neminem intus inuenimus. At postquàm audierunt hos sermones tum summus Pontifex, tum præfectus templi & sacerdotes, anxij erant super his, quidnam hoc esset. Adueniens autem quidam nuntiauit eis: Ecce, uiri quos posueratis in carcerem, stant in templo, & docent populum. Tunc abiens præfectus cum ministris adduxit eos sine ui. Timebant enim populum, ne lapidarentur.

CVm Christi saluatoris & redemptoris nostri regnum Regius ille & diuinus Psaltes, Dauid, describere instituisset, ab insanis contra hoc impiorum hostiū conatibus exordiū sumens, ait: Quare fremuerunt gentes, et populi meditantur inania? Cōcursant reges terræ, & principes unà consultant aduersus dominum & aduersus Christum eius. Rumpamus (inquiunt) uincula eorum, & lora eorum à nobis abijciamus. Mox uerò terrificis illorum conatibus dei consilium opponens, subijcit: Qui sedet in cœlis, ridet: dominus subsannat eos. Tunc loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo terrebit eos, &c. Psal. 2. Quibus docemur, non irritos modò, uerumetiam ridiculos esse hostium Christi conatus, nec alijs quàm authoribus suis perniciosiores. Possent huius rei multa exempla produci, inter quæ nō postremus locus illi debetur, quod modò diuinus scriptor, Lucas proponit. Capti sunt enim sacerdotum suasu & impulsu apostoli, & in publico carcere non seris modò & portis, uerumetiam custodibus adhibitis asseruantur. Mox sequentis diei diluculo concursant sacerdotes, concilium & Senatum congregant, de supplicio nimirum & modo euangelicum ignem extinguendi consilium inituri. At dominus ex alto illos deridens & toti mundo deridendos proponere uolens, unius angeli ope apostolos uinculis eripuit, & mirificè illorum consilia frustratur, qui

sibi plus satis astuti uidebantur. Quia uerò spiritui sancto uisum est, singulas huius historiæ partes describere, nos quoq; in illis excutiendis nullius diligentiæ aut studij pigere debet, cùm præclarus studij huius fructus referre liceat.

I. Concilij prætextu aduersus apostolos pugnatur.

Principiò igitur Concilium uideamus, ad quod illos magno studio concursauisse diximus: cuius partes si excutias, omnia uidebis, quæ legitimi Concilij speciem & formam referre possunt. Primas in hoc tenet summus Pontifex, penes quem in eiusmodi causis ius summum deus esse uoluerat, & cui ex dei institutione obediētia summa debebatur. Capitalis enim iam olim in illos sententia lata erat, qui Sacerdotis sententiā contumaciter spernere audebant. Deut.17. Coniunguntur huic sacerdotes reliqui, ne quis Pontificem priuato affectu quicquam egisse arbitretur. Et ne quis uniuersum sacerdotum ordinem suspectum habeat, Seniores quoque uocantur, quorum ordo olim diuinitus institutus erat, & totius ecclesiæ formam repræsentabat. Num.11. Adhæc templi quoq; præfectum unà cum publicis ministris sibi adiungunt, ne quid contra rempub. moliri uideantur. Hæc cùm ita sint, quid obstat, quò minus legitimè collectum putari debeat Concilium? Sanè quod externam formam attinet, non facilè quicquam aliud requirere possis. At si finem consyderes, quem isti homines sibi proposuerunt, non in sancto spiritu, sed satanæ auspicijs illos conuenisse patebit, & proinde neminem bonum piúmue illis se subijcere, uel obedire debuisse. Nam ueritatis opprimendæ causæ conuenerunt, & contra Christum conspiratione facta illius regnum euertere conantur.

De Concilijs.

Docet nos locus hic de Concilijs iudicare, quæ hodie in omnium ore uersantur, quando controuersam religionis causam non aliter quàm Concilij generalis authoritate componi posse, multi sibi persuaserunt. De quorum sententia ut nunc non disputo, ita mihi quoq; utilißimum uidetur, si qua Synodus impetrari posset libera, in qua ex solo Dei uerbo controuersiæ omnes componerentur: qualis Apostolica illa fuit, de qua Cap.15. dicetur: & quales ueteres illas fuisse scimus, Nicenā nimirum, Constantinopolitanam, Ephesinam, Chalcedonensem, & similes, quas pij Imperatores sua authoritate gubernarnnt, ne episcoporum ambitio rixas maiores accenderet. Num uerò talis hodie sperari poßit, ego affirmare non ausim, quando neminem ex aduersæ partis hominibus uideo, qui malè usurpata in ecclesia possesione cedere, & se aliorum iudicio subijcere uelit. Rursum si uideamus, qualia iam seculis aliquot fuerint Concilia, ex quo Romani Pontifices summum in ecclesiam ius obtinuerunt, nemo sanæ mentis ex illis boni aliquid sperare poterit, cùm in illis ne externa quidem Concilij legitimi forma siue species habeatur. Nam ut à capite exordiamur, à Romanis Pontificibus illa indici & conuocari solent, quorum primatus nec à deo institutus est, & Christi gloriæ quàm maximè aduersatur. Iidem Conciliorum præsides & supremi Iudices haberi uolunt, qui causam potius dicere & suæ dispensationis rationem, iam seculis aliquot requisitam, reddere debebant. Assessores horum sunt Episcopi: non quales à Paulo describuntur, sed quales terrestris ille deus creare consueuit, à quibus si ineptum ac histrionicum ornatum & inanes titulos auferas, nihil relinquetur, quod aliquam episcopalis officij siue dignitatis speciem referat. Et illis solis sententiam dicendi ius datur, qui nec postremo quidem in ecclesia Christi loco digni, sed iam olim dei sententia excommunicati sunt. Chananæis enim, id est, sacrorum nundinatoribus, nullum in æde domini locum fore propheta affirmat. Zach.12. Et tales olim Christus templo Iudaico eiecit. Iohan.2. Matth.21. Idemq; in Reuelatione sua incredulis, homicidis, scortatoribus, ueneficis, idololatris & omnibus mendacibus in stagno, igne & sulphure ardenti locum paratum esse dicit. Apoc.21. At quis obsecro tam impudens est, ut sceleribus hisce pollutos esse neget plerosque illorum, quibus solis de religionis causa decernendi potestas datur? Nec obstat, quòd imperatores quoq; unà cum regibus & principibus ad Concilium uocare solent, cùm omnes hosce in Pontificum uerba iurauisse constet, nec pro catholicis agnoscantur, nisi qui Romanæ sedi se totos consecrarint. Quare ne externa quidem species legitimum Concilium refert, sed inani larua incautos decipit. Quòd si uerò finem spectes, in quem isti omnia referunt, ueritatis & euangelij oppreßionem ab ipsis unicè quæri, notius est, quàm ut multis demonstrari debeat. Testatur enim hoc fusus ab his martyrum Christi sanguis, quem auidißimè sitiunt. Probant idem bella, quorum ipsi contra ueræ fidei cultores primi authores fuerunt. Fatentur hoc ipsi in Bullis suis, quibus Concilia indicunt & conuocant. Tam acerbo enim ueritatis odio flagrant, ut cùm toti hypocrisin induerint, & ad quiduis simulandum uel dißimulandum instructißimi sint, hîc tamen nihil au-

certè

certè parum simulare possint, quò minus odium immane, quod iam olim aduersus euangelium conceperunt, palàm profiteantur. Horum igitur iudicio fidei & religionis causam subijciāt, qui ecclesiam & regnum Christi euersum cupiunt, quiq́ scientes & uidentes perire uolunt. Quibuscunq; uerò cum propria ipsorum salus, tum Christi gloria & ecclesiæ incolumitas cordi est, Dauidicum illud cumprimis huc pertinere intelligant: Beatus uir ille, qui non ambulauit in consilio impiorum, nec in uia peccatorum stetit, nec in consessu irrisorum sedit. Psal. 1.

Cæterum omissis his ad Sacerdotes & Seniores reuertamur, qui consilio de apostolis inito ministros ad carcerem mittunt, qui illos in Concilio sistant. Ibi uerò mirificè illos ridet & ludit Christus dominus, cum quo ipsi certamen susceperant. Ministri siquidem apostolos è carcere liberatos esse inueniunt. Reuersi ad suos heros rem ita narrant, ut non obscurè de diuino auxilio & miraculosa apostolorum liberatione testentur. Dicunt enim carcerem probè clausum fuisse, & custodes excubias egisse sedulò, neminem tamen in carcere repertum. Quid uerò hinc aliud colligi potuit, quàm dei hoc opus esse? Quis enim custodes ita fallere potuisset, & apostolos ipsis inscijs educere? Non frustra ergo animis suis anguntur, & rerum incerti hærent. Sentiunt enim conscientiæ stimulos, qui etiam impijssimis frequenter obrepere solent. Sed aliud accedit nuntiū, quo magis irritantur. Nam uenit, qui apostolos in templo intrepidè & palàm docere refert. Quod non potuit non maximi doloris causam præbere ambitiosissimis hominibus, quando nec authoritatem suam obseruari, nec potentiam timeri intellexerūt. Docet autem exemplum hoc, quàm facile sit deo improbos suorum hostium conatus eludere. Quis enim sperasset, apostolos inscijs custodibus è carcere educi potuisse? At quod hominibus impossibile uidetur, deo tam facile est quàm uento puluis disijcitur. Nam potest hic uel somno, uel sensuum obstipatione, uel uertiginis spiritu, uel infinitis alijs modis eos fallere, qui nulla astutia & dolo capi posse uidebantur. Adhæc eos miraculi testes & præcones habent, quorum ministerio ad ueritatis oppressionem abuti solebant. Idem ergo hic illis accidit, quod prius, quando ad Christum capiendum emissi ipsorum serui, non modò sine hoc reuertūtur, sed etiam de illius doctrina testimonium insigne & præclarum perhibent. Iohan. 7. Cui non absimile fuit, quod milites de Christi resurrectione testati sunt, quos ipsi, ut illam impedirent, sepulchro adhibuerant. Matth. 28. Similia exempla passim in scripturis leguntur. Israelis oppressionem & interitum meditatur Pharao. Idem tamen domi suæ eum alit, & gremio suo fouet, quem populi sui assertorem & uindicem dominus esse uoluit. Postea uerò cum Mosi Magos opponeret, illos ipsos palàm testari audit, dei digitum per Mosem operari. Exod. 8. Nec absimile est quòd Balaam à Moabita rege ad maledicendum Israeli conductus, eidem etiam inuitus benedicit. Numer. 23. & 24. Quid de Achabo dicemus, qui cum prophetas domini truculentissimè persequeretur, fidelissimum prophetarum patronum, adeoq́ unicum illius seculi Mecœnatem inter aulæ suæ principes fouet & ueneratur? Taceo infinita eius generis, quæ tum ex recentioribus tum priscis historijs adduci poterant, & quæ experientia quotidiana offert. His tantummodo fideles Christi cultores excitare uolui, ut similia diligenter obseruent. Magnus quippe & salutaris eiusmodi exemplorum usus est. Primò enim consolationem in aduersis afferunt, quando humanas uires diuina potentia longè inferiores esse, nec dei consilia hominum conatibus impediri posse uidemus. Deinde ad uitæ institutionem conducunt, ne temere dei consilijs & decretis nos opponamus. Quid enim impossibile deo erit, qui olim linguarum mirifica diuisione primorum hominum conatus dissipauit, & non semel unius duntaxat angeli ministerio reges & principes omnium ludibrio exposuit? Quare sub illius potenti manu humiliari tutissimum simul & saluti nostræ consultissimum est.

II. Eludit dominus hostium suorū conatus.

Porrò Sacerdotes & reliquos Concilij huius assessores uideamus, qui ne nunc quidem deo cedere norunt, nec contenti stultitiam suam iam omnibus patefactam esse, incurabilem quoq; animorum impietatem produnt. Ab illis enim missus templi præfectus, apostolos sine ui in Concilium adducit. Et à uiolentia quidem sibi temperant, non quòd diuini operis siue miraculi consyderatio mitiores reddiderit, sed quòd populum timent, ne fortè ab illo lapidentur. Hic uerò non modò sacerdotes cum suis complicibus, uerumetiam ipse deus, & cum hoc apostoli quoq;, consyderandi ueniunt.

III. Apostoli retrahuntur in Concilium.

In sacerdotibus & templi præfecto incurabilis impiorum malitia & pertinax animorum excæcatio cernitur. Nam anxios rerumq́ incertos fuisse, antea dictum est. Unde facilè colligitur, illos

Excæcatio impiorum incurabilis.

aliquo ſaltem rei geſtæ ſenſu fuiſſe perculsos. At non eòuſq; progrediuntur, ut miraculum ex animo agnoſcant & deo cedere uelint. Imò ad inſtitutum redeunt, & (ut ſequentia docebunt) occidere illos conantur, quos tam præſenti dei ope paulò ante ſeruatos uiderant. Hoc impijs omnibus ingenium eſſe, infinita exempla probant. Pharao certè non ſemel miraculorum maieſtate & plagarum dolore uictus, deum Iſraelis confitetur, Moſis interceßionem flagitat, deiq; mandato ſe obtemperaturum eſſe promittit. Mox uerò ad ingenium redit, quaſi nouum cum deo bellum ſuſcepturus. Et quod hic iſti faciunt, iam antea in Chriſti reſurrectione fecerunt. Cum enim illam ex militibus reſciuiſſent, nec ueritati cedere, nec Chriſti inuictam potentiam formidare norunt: ſed auro corruptis militibus falſos in uulgus rumores ſpargunt, quaſi mendacijs Chriſti gloria obſcurari poßit, quem nec Imperatoriæ maieſtatis authoritas (cuius nomine ſepulchri lapis obſignatus erat, in ſepulchro retinere potuerat. Atq; utinam uetera tantummodo huius pertinaciæ exempla haberemus, & non hodie quoq; paßim inuenirentur, qui nec dei iudicijs, nec propriæ conſcientiæ teſtimonio ſe ſuperari patiuntur, ut Chriſto & ueritati cedant. Eſt autem hoc infallibile reprobationis argumentum, & dignum contempti uerbi dei ſupplicium, quod per prophetam olim, & poſtea in euangelio hoſtibus ſuis interminatus eſt Chriſtus, quando ait: Auribus audietis, & non intelligetis: & uidentes uidebitis, & non cernetis. Incraſſatum eſt enim cor populi huius & auribus grauiter audiuerunt, & oculos ſuos occluſerunt, ne quando uiderent oculis & auribus audirent, & corde intelligerent, & conuerterentur & ſanarem illos. Iſaiæ ſexto. Matthæi decimo tertio. Debent autem iſta nos terrere, ne indulgeamus ueritatis odio, cuius tam infelix eſt exitus.

Impijs nō licet quicquid libet.

Præterea docemur, non ſemper licere impijs quod libet, ſed occulta dei potentia frequenter illos coherceri. Hac enim fit ut manus abſtineat præfectus cum ſuis, metuens nimirum, ne à populo lapidetur. Ignobile ergo uulgus metuit, qui deum ſe impunè contempturum putabat. Eſt hoc proprium impijs, ut diuerſæ omnino ſint illorum & piorum ſententiæ. Pij enim & fidelis hominis uox eſt: Dominus lux mea & ſalus mea, à quo nam timerem? Dominus robur uitæ meæ, à quo nam expauſcerem? Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo. Pſal. 27. & 118. Impiorum autem uoces ſunt: Dominus non uidet, neq; deus Iacob intelligit. Pſalm. 94. At ijdem illi, qui dei metum abiecerunt, mortales homines, & plerunq; ſeruos, imò proprios liberos timere coguntur: & qui generoſo dei timore duci nolunt, ignauo & ignobili miſerrimorum hominum metu uexantur. Ita ſui contemptum deus ulciſcitur. Et eſt præpoſterus hic metus, dignum tyrannidis contra iuſtitiam & ueritatem inſtitutæ ſupplicium. Quod obſeruare debent magiſtratus, quicunq; cum laude in ſuo officio uerſari uoluerint.

Sub crucis uexillo triūphant fideles.

At miretur aliquis, quòd deus apoſtolos denuo duci & comprehendi paſſus eſt, quos paulò ante per angeli miniſterium liberauerat. Num uerò illos amplius defendere non potuit? Vel num eorum curam abiecit, qui ipſius mandato tam ſtudioſè obtemperauerant? Nequaquam. Inuicta enim illorum conſtantia docet, ipſos deo cumprimis curæ fuiſſe. Sed docere uoluit dominus, ſub crucis uexillo pijs triumphandum eſſe. Quia enim Chriſtus in cruce ſuſpenſus mundum cum principe ſuo, ſimulq; peccatum, mortem & inferos deuicit, iniquum foret, ſi nos uictoriæ modum faciliorem affectaremus, ſed illius ueſtigijs nos inſiſtere decet, ut Petrus admonet, 1. Pet. 2. Debet hoc carnis ſocordiæ & ſecuritati mederi, ut nunquam non cruci ferendæ nos accingamus.

Apoſtolorum modeſtia.

Præclarum uerò Chriſtianæ modeſtiæ exemplum apoſtoli præbent, qui in diuina uocatione capti & abducti, nec contra deum murmurant impatienter, nec populum contra magiſtratum ad ſeditionem excitant. Nouerant enim deum ſapienter, iuſtè & utiliter omnia adminiſtrare. Nouerant Chriſti regnum nec mundanum eſſe, nec mundi armis propagari. Nouerant deum ſibi affuturum, ſi ita ipſius gloria & illorum ſalus exigat. Huius igitur curæ ſeſe committunt, & illius opem patienter expectant. Arguuntur horum exemplo, quicunq; deo obmurmurare & illius iudicia nimium audacter carpere audent. Quotquot item ſeditionibus iniquis ſibi conſulere ſtudent, quaſi illa aliquid ad Chriſti regnum propagandum momenti habeant. Scimus ſanè, puniri interdum tyrannos ſeditionibus, & iuſto dei iudicio fieri, ut ſeditioſis prædæ fiant, qui in pios moderato & iuſto imperio uti nolunt. At pios ſeditionum authores nunquam fuiſſe legimus. A quibus Dauidem ita abhorruiſſe conſtat, ut Saulem, apertum hoſtem, occidere noluerit, ne in unctum domini aliquid proterui-

deſigna-

designaret. 1. Samuel. 24. & 26. De priuatis loquor, alia enim magistratuum ratio est, qui si Christiani fuerint, gladio diuinitus sibi commisso, cumprimis ad piorum & gloriæ Christi defensionem uti debent. Quid autem in eiusmodi casu episcopi & ecclesiarum ministri faciant, D. Ambrosij exemplo admonemur: qui cum Arrianis templa tradere iuberet Imperator, & inde non modò ecclesiæ turbatio, sed urbis totius tumultus esset exortus, ipse nec ecclesiam in periculo constitutam deserere, nec arma contra Imperatorem excitare uoluit. Eius siquidem uerba ad populum, inter multa alia, hæc quoq; fuerũt: Metuistis ne ecclesiam desererem, & dum saluti meæ timeo, uos relinquerem. Sed quid & ipse mandauerim (de responso tribunis Imperatorijs dato loquitur) potuistis aduertere: deserendæ ecclesiæ uoluntatem mihi subesse non posse: quia plus dominum mundi, quàm seculi huius Imperatorem timerem. Sanè si me uis aliqua abduceret ab ecclesia, carnem meam exturbari posse, non mentem: Paratum me esse, ut si ille faceret quod solet esse regiæ potestatis, ego subirem quod sacerdotis esse consueuit. Quid ergo turbamini? Volens nunquam ius deseram, coactus repugnare non noui. Dolere potero, potero flere, potero gemere: aduersus arma, milites, Gotthos quoque, lachrymæ meæ arma sunt. Talia enim munimenta sunt sacerdotis. Aliter nec debeo, nec possum resistere. Fugere autem & relinquere ecclesiam non soleo, &c. Et cum eidem à tribunis Gotthis diceretur, ut populum compesceret, respondit: In meo iure est, ut non excitem: in dei manu, ut mitiget. Libuit hæc isto loco annotare, ut ex his ministri constantiam discant cum uera & Christiana prudentia coniunctam. Interim singulorum est, uocationi suæ constanter insistere, pericula patienter ferre, dei opem firma spe expectare, nec fallet Christus, qui se suis tutorem pollicitus est. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA XXXVII.

Cum uerò adduxissent illos, statuerunt coram concilio. Et interrogauit eos summus Pontifex, dicens: Annon præcipiendo præcepimus uobis, ne doceretis in nomine isto? Et ecce repleuistis Hierosolymam doctrina uestra: & uultis adducere super nos sanguinem hominis istius. Respondens autem Petrus & apostoli, dixerunt: Obedire oportet deo magis quàm hominibus. Deus patrum nostrorũ excitauit Iesum, quem uos in ligno suspensum interemistis. Hunc deus principem & seruatorem exaltauit dextera sua, ad dandam pœnitentiam Israeli, & remissionem peccatorum. Et nos sumus eius testes de uerbis istis, insuper & spiritus sanctus, quem dedit deus obedientibus ipsi.

QVanuis deus apostolos per angeli ministerium è carcere liberauerit, permittit tamen, ut ijdẽ denuò comprehensi coram Concilio immanissimorum hostium sistantur. Ita enim docere uoluit, se non modò ex periculis imminentibus suos liberare, uerumetiam in periculis constitutos tueri & conseruare posse. Cuius doctrinæ usus est, ne de salute nostra & dei auxilio desperemus, si quando cum periculis & aduersitatibus nos diutius conflictari patitur deus, nec à nobis calicem transfert, quem semel ebibendum propinauit. Tutus enim & securus agit, qui in abdito excelsi & sub umbra omnipotentis commoratur, etiamsi cadunt à latere ipsius mille, & à dextris ipsius decem millia, &c. Psal. 91. Exemplum huius euidẽs in præsenti historia Lucas proponit, qua quid cum apostolis in Concilio gestum sit, commemoratur: in quo uirgis quidem cæsos esse, hostium uerò manus euasisse audiemus. Priusquam tamen illud exponat euãgelista, primò sacerdotum criminationem, deinde apostolorum responsionem siue apologiam describit: de quibus in præsenti (quantum dominus dederit) dicemus.

Accusantur apostoli à summo Pontifice, qui idem supremus huius causæ iudex erat. Nec ita accusantur, quasi dubium adhuc sit ipsos peccauisse, sed magno uerborum fastu tanquam scelerum conuictos perterrefacere & tantumnõ obruere studet. Ait enim: Annon præcipiendo præcepimus uobis, ne doceretis in nomine isto? Et ecce repleuistis Hierosolymam doctrina uestra, & uultis adducere super nos sanguinẽ hominis istius. Quæ uerba, si penitius inspiciantur, non unius modò, sed plu- I. Pontificis criminatio contra apostolos.

1. Inobedientia.

rium, & grauissimorum quidem scelerum apostolos accusari uidebimus. Et primò quidem contumaciæ inobedientiæ reos agunt, quia contra euidens sacrosancti Concilij decretum siue edictum prædicare pergant. Nec leue hoc uideri poterat, eò quòd summa haberetur ex dei institutione summi sacerdotis authoritas, & capitale esset illi contumaciter reluctari. Deute. 17. Adhæc diuinæ institutionis uiolatores & prophanatores dici poterant, qui non uocati nec uncti, sacerdotij & docendi ius sibi audacter uendicarent, quemadmodum olim Core cum suis coniuratis fecisse legitur. Num. 16. &c. Et summam hanc curam fuisse illius seculi pontificibus, ne quis docendi officio sese ingereret, nisi ab ipsis solito more ordinatus, inde patet, quòd ab Iohanne Baptista & Christo functionis

2. Falsa doctrina.

suæ, quam obibant, rationem frequenter postularunt. Iohan. 1. 2. 18. Matth. 21. &c. Sed grauius est secundum crimen, quòd sua doctrina urbem totam repleuerint. Hoc enim perinde est ac si dicat: Graue est, quòd contra Concilij decretum docere pergitis. Sed quòd uestram, id est, nouam & falsam doctrinam spargitis, id demum est intolerabile: cum iam olim capitalis pœna falsæ doctrinæ

3. Seditio.

authoribus constituta sit. Deut. 13. Additur his tertio loco omnium grauissimum & atrocissimum facinus, cum ait: Vultis adducere super nos sanguinem hominis istius. His enim seditionis studium exprobrant, quasi ideo de iniqua Christi cæde in populo sermones habeant, ut populi animos contra ipsos, ceu publicos tyrannos, extimulent. Atqui mirum est, quòd Christi sanguinem nunc tantopere horrent & abominantur, cum illius culpam omnem coram Pilato solenni protestatione in se receperint. Cum enim hunc propter sceleris conscientiam ad fundendum Christi sanguinem tardiusculum uiderent, exclamauerant: Sanguis illius super nos, & super filios nostros. Nunc uerò, quasi omnium obliti, magnam sibi iniuriam fieri existimant, quòd eius flagitij authores habeantur. Est hic perpetuus impiorum mos, quòd licet in malitia sua glorientur (ut diuinus Psaltes ait) & ex sceleribus suis laudem quærant, eadem tamen per dei uerbum argui & accusari nolint.

Antistitum Antichristianorũ insolentia.

Sed imprimis obseruanda uenit hoc loco falsorum ac impiorum antistitum tyrannis & insolentia: qui ubi sub diuinæ ordinationis prætextu semel in ecclesia primatum obtinuerunt, quiduis exigere & postulare audent, suisq; mandatis simpliciter obtemperari uolunt. Hinc fit, quòd apostoli hic plus satis peccauisse uidentur, quòd contra ipsorum edictum docere perrexerint. Atqui utinam olim duntaxat hæc tyrannis regnasset, & non hodie quoq; passim dominaretur. Postquam enim Romani Pontifices uulgo persuaserunt se apostolorum legitimos successores esse, & sibi dictum esse: Qui uos audit, me audit. Vobis dabo claues regni cœlorum, &c: eousq; ipsos progressos cernimus, ut non modo leges & tempora (ut olim prædictum fuit, Daniel. 7. cap.) mutarint, uerumetiam se irreprehensibiles esse dixerint, licet animarum cateruas in tartara præcipitarent. Vide distinct. 4. ca. Si Papa. O impudentiam, O cæcitatem. Et tamen hodie adhuc, quando per euangelij lucem dolos suos perspectos uident, obedientiam à nobis flagitare audent: & pro illis acerrimè pugnant, qui et suam & suorum libertatem, cuius nobis author est Christus, summo studio debebant tueri.

Quibus criminibus grauẽtur ueritatis ministri.

Simul uerò obseruemus hic, quorum ferè criminum ueritatis ministri accusentur. Manet enim mundi ingenium, & iisdem armis ac artibus hodie quoq;, quibus olim, ueritatem oppugnat. Semper uerò inobedientiæ & contumaciæ crimen dei ministris obiectum est, & quòd ipsi rerum domini haberi uelint, nec ullis siue principum siue Conciliorum edictis obstringi. Seductores item dicuntur, & seditionum authores, quiq; turbis & infaustis rerum euentibus gaudeant. Exempla huius in Mose & prophetis infinita extant. Eliam Israelis turbatorem Achab uocat, & eundem hostem suum esse dicit. 1. Reg. 18. & 21. Idem Micheam sibi exosum esse testatur, quòd non nisi tristia & aduersa nunciet. 1. Reg. 22. Apud Ieroboamum Amoz eo nomine accusatur, quòd terræ totiq; regno intolerabiles sint sermones ipsius. Amoz 7. Ieremiæ uerò hoc etiam obijcitur, quòd militum animos suis sermonibus perterrefaciat, quorum uiribus patria defendi debebat, & ipsum omnium malorum, quæ tum publicè tum priuatim sustinuerint, authorem esse palàm dicunt. Ierem. 38. & 44. &c. Quæ Christo exprobrarunt hostes, notiora sunt, quàm ut multis repeti debeant. Non mirum ergo si iisdem criminibus apostoli grauentur, & quicunq; hodie apostolorum uestigijs insistunt. Nemo igitur temere cuiuis credat, qui uerbi ministris ista crimina impingit, sed rei ueritatem inquirat, ne præcipiti iudicio fallatur. Interim mundi improbitatem & ingratitudinem agnoscamus, qui excæcatus hostium loco eos habet, quorum ministerio salutis beneficium offertur. Sed apostolorũ responsionem

audia-

audiamus uerè apostolicam & rerum grauitate uenerabilem, cuius tres partes constitui poterunt. Prima inobedientiæ crimen diluunt. Secũda ad altera duo paucis respondet. Postrema uerò totum Christi negocium comprehendunt, si quos fortè lucrifacere possint. II. Apostolorum responsio.

Inobedientiæ culpam breui sententia excusant, nec negant sibi, quò minus prædicarent, interdictum esse: sed opponunt: Oportet deo magis obedire quàm hominibus. Quam sententiam supra quoque ita proposuerunt, ut ipsos sacerdotes illius indices constituerent, cum illius ueritas & authoritas facilè ab omnibus conspici possit, qui communi sensu non omnino destituuntur. At quia Sacerdotes eò impudentiæ peruenisse uident, ut suam authoritatem diuinæ præferre ausint, liberè & disertè hoc ipsum repetunt. Traditur autem his uera obedientiæ ratio. Nec enim negãt hominibus, quibus nos deus subiecit, obediendum esse, quo in loco sunt parentes, doctores, magistratus, heri aut domini: sed deo nos plus, quàm his, debere testantur. Obedientiæ ergo certos limites & terminos constituunt, inter quos sese continere debent, quicunque alijs præscribere uolunt. Relinquitur enim suum ius parentibus in liberos. Salua manet per euangelij doctrinam sua magistratibus in subditos potestas. Nec uiolari debet authoritas, qua deus uerbi sui ministros uenerabiles esse uoluit. Et Petrus alibi seruos iniquis etiam & morosis heris obedire iubet. 1. Pet. 2. Eadem est maritorum & omnium aliorum ratio, quos deus reliquis eminentiores esse uoluit. At si illi potestate & dignitate abuti incipiant, eaque præcipere & iubere ausint, quæ dei legibus & officio, quod ipsi debemus, repugnãt, ad Petri regulam recurrendum est, nec permittendum ut humana authoritas & simulata diuinæ institutionis species dei mandatis præiudicet, aut quicquam deroget. Vt primùm enim isti suos limites transgredi & deo aduersari cœperint, meri homines sunt, nec pro dei ministris haberi debent. Quia tamen de his supra quoque dictum est, paucula hæc modò sufficiant. Vera obedientiæ ratio.

Secunda parte ad duo reliqua crimina, simul comprehensa, respondent, dicentes: Deus patrum nostrorum excitauit Iesum, quem uos in ligno suspensum interemistis. Paucis uerò uerbis duo absoluunt. Primum est: Deus patrum nostrorum excitauit Iesum: id est, Illum Iesum & saluatorem prædicamus, quem non ipsi finximus, sed quem deus patrum nostrorum olim promisit, imò quem ab æterno præordinauit, ut mundi saluator esset. 1. Pet. 1. Nemo igitur doctrinam nostram uel nouitatis, uel falsi accusare debet. Nec alia mihi ratio esse uidetur propter quam patrum mentionem facere uoluerint, quàm ut promissiones de Christo, patribus olim reuelatas, in memoriam ipsis reuocarent. Vbi obiter Christianæ fidei & religionis uetustas & certitudo infallibilis perspici potest. Et hodie eodem argumento contra eos uti possumus, qui doctrinam nostram nouitatis & falsi crimine insimulant. Cur enim noua dicitur, quæ Christum iam inde ab origine mundi promissum prædicat? Cur falsa, quæ salutem in eo monstrat, qui est uia, lux & ueritas? Secundum mox subijcit, cum de Iesu loqui cœpisset, addens: Quem uos in ligno suspensum interemistis. Quasi dicat: Non nos sanguinem Christi & mortis ipsius culpam in uos transferre conamur: sed ipsi uobis huius facinoris & culpæ authores estis. Vos illum uestris suffragijs condemnatum Pilato tradidistis. Vos illum ad mortem postulauistis, cum ipse dimittendum iudicaret. Vestræ illæ uoces fuerunt, Sanguis eius super nos, ac super filios nostros. Nota sunt hæc omnibus, cum in publico gesta sint. Et si nos taceamus, res tamen ipsa clamat, nec reticeri potest, &c. Admonemur autem apostolico exemplo, qua constantia & libertate cum professis ueritatis hostibus agi debeat. Ingenuè ueritatis causam tueri conuenit. Liberè etiam illorum scelera argui opus est, ne sese timeri putent. Ea enim impiorum antistitum natura est, ut quò magis timentur eò magis ferociant, eo quòd dolos suos adhuc latere arbitrantur. In faciem uerò si quis illos arguat, mox totis animis consternantur. Hinc illa prophetarum constantia, qua potentissimis quoque regibus sese opposuerunt. Ideò etiam Christus, quo nemo unquam mansuetior extitit, fulminare uidetur, quoties cum scribis & sacerdotibus illi res est, quos prorsus incurabiles esse nouerat. Præpostera ergo illorum modestia est hodie, qui Pontificibus & Episcopis blandiuntur, quos coniuratos euangelicæ ueritatis hostes, & Iudaicis hisce sacerdotibus deteriores esse constat. Apostolorum doctrina non noua est. Apostoli non seditiosi.

Cæterum ne illos negligere uiderentur, qui fortassis lucrifieri poterant, summatim totum Christi & salutis nostræ negotium comprehendunt, ac illud testimonijs solidissimis confirmant, quæ tertia huius apologiæ pars est. Nam aiunt: Hunc deus principem & seruatorem exaltauit dextera Summaria salutis ratio.

ſua ad dandam pœnitentiam Iſraeli, & remiſſionem peccatorum. Et nos ſumus eius teſtes, &c. Deſcribitur his tum ipſe Chriſtus, tum modus & ratio, qua ille in conferenda nobis ſalute utitur. Et Chriſtum quidem nõ ſaluatorem modò, ſed principem ſalutis, dei dextera & uirtute exaltatum eſſe dicunt. Frequenter autem Chriſti regis & principis mentio fit in ſcripturis, præcipuè in Pſalmis & Prophetarũ ſermonibus. Huc enim pertinent, quæ legũtur Pſal.2.45.89.110.&c. Mich.5. Et angelus Gabriel ad illa alluſiſſe uidetur, quando ipſum in ſolio Dauidis regnaturum, nec ullum regni ipſius finem fore dicit. Luc.1. Ita uerò docere uult ſpiritus ſanctus, Chriſtum ſalutis noſtræ non miniſtrum modò, ſed authorẽ eſſe, qui uirtute propria nos ex diaboli tyrannide aſſeruit: adhæc potentem eſſe ſaluatorem, cui nemo reſiſtere poſſit. Nec enim ipſe ſibi honorem illum rapuit uendicauit, ſed cum extremè humiliatus eſſet, datum eſt ei nomen illud, quod eſt ſupra omne nomen, in quo omne genu flectitur, &c. Philip.2. Seruit uerò hoc conſolationi noſtræ in tentationibus. Quia enim potens ille rex Chriſtus eſt, quem dei dextera exaltauit, & cui omnis poteſtas data eſt in cœlo & in terris, facile illi erit nos tueri, nec quiſquam oues de manu ipſius rapiet. Matth.28. Iohan.10. Vtq; impia ſacerdotum rabies obſtare nequiuit, quò minus illum dei dextera exaltaret: ita nec hodie impij principum & mundi huius conatus, illius regno & gloriæ quicquam derogare poterunt.

Modus ſalutis.

Sed modum quoq; & rationem indicant, qua Chriſtus ſalutem confert, & quæ omnibus neceſſariò amplectenda eſt, qui per ipſum ſaluari cupiunt. Duabus uerò partibus ea comprehenditur, pœnitentia nimirum & remiſſione peccatorum, & utriuſq; author unicus Chriſtus eſſe traditur. Pœnitentiam totius hominis conuerſionem ad deum eſſe, non ſemel dictum eſt. Neceſſaria autem eſt omnibus nobis hæc ad deum conuerſio, eò quòd omnes peccando exorbitauimus, & quotidie à ſalutis uia deflectimus. Atqui eam non humanarum uirium opus eſſe, non ſcripturis modò, uerumetiam experientia quotidiana edocemur, nec quiſquam, niſi à deo conuertatur, conuerti poterit. Vide Ierem.31. Thren.5. Hanc uerò conuerſionem ſolus Chriſtus uerè in nobis operatur, dum per uerbi ſui ſemen & regenerationis ſpiritum nouos homines facit, quos & dei cognitione illuminat, uoluntate noua ac ſancta imbuit, et uiribus inſtruit, quibus ea exequantur, quæ humanis uiribus alioqui perfici non poterant. Confutantur his, qui ubi pœnitentiam exigi audiunt, mox inde iuſtitiæ propriæ meritum ſtabiliri arbitrantur, & liberi arbitrij uires extollunt. At quid noſtro arbitrio gloriamur, ſi conuerſionis iſtius author nobis eſt Chriſtus? Et quid obſecro merebimur pœnitentia noſtra, qui niſi Chriſti ſpiritu excitemur & ducamur, illam agere non poterimus? At licet ad deum conuerſus ſit homo, nondum tamen abſoluta eſt noſtræ ſalutis ratio. Quia enim peccatores ſumus, peccatorum quoque remiſſione & ſatisfactione opus eſt, ne quid diuinæ iuſtitiæ decedat. Cæterum cum modò dictum ſit, nos niſi per Chriſtum regeneremur, ad deum conuerti non poſſe, multò minus pro peccatis noſtris ſatisfacere poterimus. Et Chriſtus peccata tale debitum eſſe docet, cui ſoluendo nos non poſſimus ſufficere. Matth. 18. Luc.7. Quare ut in priori parte noſtræ infirmitati Chriſtus ſuccurrit, ita hic quoq; nobis medetur. Nam & mortis ſuæ merito peccati debitum ad culpam expiat, & in dei conſpectu iuſtos facit, dum ſuam iuſtitiam nobis in ſe credentibus communicat. Ideo enim peccatum pro nobis factus eſt, ut nos efficeremur dei iuſtitia per illũ. 2. Cor.7. Quia uerò utraq; hæc, ſine quibus ſaluus nemo poteſt, unius Chriſti beneficio contingunt, firmiſſimè hinc colligimus, extra Chriſtum ſalutem nullam inueniri poſſe. Quæ cauſa eſt, quòd euangelij ſummam ipſe paucis comprehenſurus, in ſuo nomine cum pœnitentiam tum peccatorum remiſſionem prædicare docet, Luc.24. Interim & hoc diſcimus, quàm errent, qui ſub Chriſti prætextu uel peccandi licentiam quærũt, uel illam hoc planè tollere putant, quando unus hic uerus ueræ & ſalutiferæ pœnitentiæ author eſt.

Euãgelij teſtes apoſtoli & ſpiritus ſanctus.

Porrò prædicationem de Chriſto teſtimonijs confirmant, cum addũt: Et nos ſumus eius teſtes horum uerbis iſtis, inſuper & ſpiritus ſanctus, quẽ dedit deus obedientibus ipſi. Nec cuiquam temerarium aut inſolens uideri debet, quòd ſuum teſtimonium allegant apoſtoli corã ijs, à quibus rei agebantur. Quia enim Chriſtus hos rerum abs ſe geſtarum teſtes eſſe uoluerat, hoc officij detrectare non potuerunt. Vide Iohan.15. Act.1. Et magna hinc accedit doctrinæ ipſorum authoritas, quam nemo negare poterit, niſi Chriſtum falſi accuſare uelit. At cum nõ ignorarent apoſtoli non multũ ponderis coram ſacerdotibus hoc ipſorum teſtimonium habere, alterum quoq; adijciunt, ſpiritus ſancti nimirũ, quem deus

deus ijs largitur, qui Christo obediunt. Quamuis uerò eius testimonium singuli fideles intra animos suos sentiant, & per hoc salutis suæ certi reddantur, præcipuè tamen de donis & operationibus spiritus sancti ista intelligi debent, quibus is euangelij doctrinæ in primitiua ecclesia testimonium ferebat. Illius enim uirtute fiebat, quòd linguis nouis loquebātur fideles, quòd toti subitò innouabantur, quòd miracula edebant. Quibus ut hodie non opus est, cum apostolorum doctrina iam satis comprobata sit: ita nobis spiritus testimoniū sufficere debet, quo animos nostros confirmari sentimus, & quo animati clamamus, Abba pater. Attamen non oscitanter præteriri debet, quòd spiritus ijs dari dicitur, qui Christo obediunt. Quos equidem iam ante spiritu præditos esse oportet, cùm sine hoc nec credere nec obedire Christo possint. Sed augentur in illis spiritus dona, iuxta illud Christi: Omni habenti dabitur. Matth. 25. Vnde rursum colligimus, spiritum sanctum penes illos locum habere non posse, qui Christo reluctantur. Talem enim ipse esse fatetur, quem mundus capere non possit. Iohan. 14. Patet hinc, cur tam raræ sint nostro seculo spiritus sancti operationes & dona: idcirco nimirum, quòd paucos est uidere, qui Christo obedire studeant. Nos uerò istis ad sanctam fidei obedientiā excitari decet, ut spiritu sancto donati proficiamus in omni bono, & salutem consequamur in Christo Iesu: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA XXXVIII.

His auditis dissecabantur, & consultabant ut interficerent illos. Surgens autem quidam in Concilio pharisæus, nomine Gamaliel, legis doctor, pretiosus toti populo, iussit paulisper apostolos educi foras: dixitq; illis: Viri Israelitæ, attendite uobisipsis quoad homines istos, quid sitis facturi. Nā ante hos dies surrexit Theudas, dicens se esse aliquem, cui adhæsit numerus uirorum circiter quadringentorū: qui occisus est, & dissipati sunt omnes, qui illi obedierant, & redacti in nihilum. Post hunc surrexit Iudas Galilæus in diebus census, & abduxit populum multum post se. Ille quoq; perijt, & omnes qui illi paruerāt, dispersi sunt. Et nunc dico uobis, abstinete ab hominibus istis, & sinite eos. Nam si ex hominibus est consiliū uel opus hoc, dissoluetur. Sin uerò ex deo, non potestis dissoluere: ne quando etiam cum deo pugnare reperiamini.

NArrauit in hesternis diuus Lucas, quæ crimina à summo Sacerdote apostolis obiecta sint, & ut hi ad illa responderint. Cuius narrationis præcipuus usus est, ut intelligamus quibus criminibus impij ueritatem simul & huius ministros infamare soleant, qua itē constantia & fortitudine nos in ueritate asserenda uti cōueniat. Vbi prima eius officij, quo deo obstricti sumus, cura esse debet, ne quid in hominum gratiam aduersus illud peccemus. Deinde cauendum, ne nostra pusillanimitate insolentiores reddantur ueritatis hostes, quod illis proprium esse cōstat. Adhæc constanter retinenda est Christi confessio, ne illius nos coram hominibus pudeat, quem nostri causa hominem fieri & mortem subire non puduit. Sequitur autem, quis responsionis seu apologiæ huius effectus apud improbos Christi hostes fuerit, qui locus cumprimis memorabilis est, tum quòd incurabilem impiorum pertinaciam arguit, tum quòd docet, quàm facilè sanguinarios illorum conatus deus dissipet.

Primò enim de ijs sermonem instituens, qui irreconciliabile ueritatis odiū conceperant, ait: His auditis dissecabantur, animis nimirum, adeoq; ira rumpebantur. Dolebat enim superbis & ambitiosis hominibus, quòd suam authoritatem uilipendi uiderent, & intolerabilis ipsis uidebatur tam libera & intrepida Christi & ueritatis assertio. Quare præsentibus adhuc apostolis de mortis supplicio aduersus illos consultare incipiunt. Et uerisimile est, ipsos furiosis potius clamoribus, quàm maturis deliberationibus usos esse. Admonemur autem hoc exemplo, impios & reprobos, qui in Christi odio indurruerunt, nullis rationibus emolliri ac mitigari posse. Nam spiritum sanctum, qui solus corda mutare potest, tales capere non possunt, ut proximo Sermone diximus. Verbum dei uerò externum, licet ipsorum animos penetret & conscientias perstringat, ferociores tamen reddit & ma- I. Apostolis mors intentatur.

gis indurat. Et quemadmodum in superiori aeris regione ingens calor frigidiorem materiam ... euectam, non dissoluit, sed in glaciem congelescere facit: ita impiorum animi, quò uehementius uerbo urgentur, eò magis indurescunt & ferociunt. Vel ut Solis calor ceram quidem liquefacit, lutum uerò indurat: sic dei uerbum, quo piorum mentes doceri & formari solent, impios praefractos reddit. Non quòd haec diuini uerbi culpa sit, sed quòd ea sit naturae corruptio in impijs, quae ... germanum effectum impedit. Exempla huius in Caino extant & Pharaone, Saule item & Achabo, Iuda proditore & infinitis alijs, quibus hos quoq; annumerari debere, res ipsa docet. Hinc discimus, quid de nostri seculi hominibus iudicari debeat, qui uerbi odium inueteratum non obscuris iudicijs produnt: simulq; admonemur, quàm immane scelus sit ueritatis persecutio, maximè si ea non ignorantia & stulto dei zelo, sed corruptissimis affectibus suasoribus instituatur. Meretur hoc, ut ad diuini uerbi medicinam inepti reddamur, quae sola saluti & uitae nos restituere potest.

Finis conatuum hostiũ Christi.

Praeterea docet exemplum hoc, quem finem & scopum consiliorum suorum impij ueritatis hostes habeant: eum uidelicet, ut è medio tollantur ueritatis ministri, quos solos suis cupiditatibus obstare existimant. Est enim hoc omnibus illis proprium, ut nihil sibi magis aduersum sentiant, quàm Dei uerbum, quo scelera ipsorum arguuntur. Quò fit, ut illos non pudeat uires suas omnes contra paucos homunciones proferre, & summo conatu aduersus illos pugnare, quos uiri fortes & magnanimi uix dignos putarent, propter quos aliquid laboris aut molestiae suscipi debeat. Aliter autem sentiunt, quia iam sibi persuaserunt, tum demum res suas in portu fore si molestissimis diuini uerbi sermonibus non amplius obturbentur. Sic Achab unum Eliam Israëlis turbatorem & hostem suum esse arbitratur. Et de Syris uictoriam certam sibi promittit, modò Micheam non admittat in consilium, quem infaustis nuntijs gaudere sibi planè persuaserat. Ita isti tunc se à reatu sanguinis Christi immunes, adhaec per omnia tutos & tranquillos fore credunt, si apostoli è medio sublati, auribus istorum oggannire desinant. Et si hodie aliquos interroges, quid ipsis in uita molestissimum sit, de solis ... bi diuini ministris conquerentur. Atque hinc fit, quòd tam immani rabie contra ueritatis praecones mundus hic tumultuatur, quòd hos publicae pacis & tranquillitatis turbatores esse credit. Quod cum omnibus seculis factitatum sit, non miremur nostri seculi mores, nec impiorũ conatibus offendamur, de quibus toties nos Christus admonuit. Armemus nos potius constantiae, fortitudinis & patientiae spiritu, adhaec cauti & circumspecti in uocatione, cui nos dominus destinauit, uersemur quemadmodum Christus iam olim docuit. Matth. 10. &c.

II. Gamaliel apostolos morti eripit.

At miretur aliquis, cuius ope aut intercessione apostoli immanissimorum hostium manibus & praesenti mortis periculo erepti sint. Quem enim alium isti uererentur, penes quos summa rerum potestas erat? Sed ex ipsorum consessu siue numero apostolis patronum & assertorem excurrexisse Lucas docet, Gamalielem nimirum, cuius personam diligenter describit. Nam Pharisaeum fuisse dicit, quae secta ut iustitiae externae splendorem sibi uendicabat: ita Christianae doctrinae & fidei ... infensissima. Deinde doctor legis fuit, cui illum attentius, quàm alios eius ordinis, studuisse res ipsa declarat, nec studij fructu caruit. Accessit his summa authoritas, quae ipsum toti populo uenerabilem & charum fecerat. Et hoc quidem in praesenti causa quàm plurimum momenti habebat. Quia enim alteri illi populum timebant, illius authoritatem reijcere non poterant, à cuius nutu totum uulgus sciebant dependere. Is ergo importunis collegarum consilijs prouocatus, & illorum furori se obijcere uolens, apostolos paulisper secedere iubet, quò liberius causam hanc agere posset: hoc ipso facto declarans quantum reliquos prudentia & sapientia anteiret, qui praesentibus apostolis animorum impotentiam & rabiem prodiderant. Mox uerò sententiam suam exponit, qua mitiores reddit eos, qui apostolos morte mulctandos esse iudicarant. Priusquàm uerò Gamalielis uerba explicemus, obseruandum uenit, quàm facilè sit deo suos periculis eripere, cùm ex hostium quoque numero ipsis tutores dare, & unius consilio siue authoritate multorũ conatus dissipare possit. Nam ut modò dictum est, nullus hominum ordo Christo & doctrinae ipsius infensior fuit, quàm pharisaeorum, qui iam olim excommunicationis sententiam in omnes Christi sectatores strinxerant. Iohan. 12. Veruntamen ordo hic Nicodemum habuit, cuius patrocinio ante etiã Christi causa defensa fuit. Iohan. 7. Ex eodem nunc Gamaliel prodit, cuius opera ad liberandos apostolos suos dñs uti dignatur. Et quidem unus hic absq; armis, prudenti tantũ consilio adhibito totius Concilij conatus disturbat. Exta... & alia...

& alia huius generis exempla, quæ nos generalem doctrinam & consolationem hinc petere docent. Huc enim pertinet, quòd unus Ruben, qui tamen & ipse hostili in Iosephum animo præditus fuerat, eundem postea præsenti mortis periculo eripit. Gen. 37. Eòdem referri meretur, quòd Dauidem Philistæi liberant, cum Saulinis copijs undiq; inclusus teneretur. 1. Samuel. 23. Quid de Mose dicemus, Israelitici populi uindice, quem Pharaonis immanissimi hostis filia inter Nili fluctus periclitantem saluat? Exod. 2. Sed longum foret, si quis omnibus exemplis, quæ adduci poterant, recitandis immorari uellet. Usum potius illorum nos obseruare conuenit, qui est, ne hominum conatibus terreamur, quos leui momento dissipare potest dominus, cuius seruitio addicti sumus. Quod unum si tam publicè quàm priuatim meditarentur homines, non ullis rationibus sese abduci paterentur, quò minus suæ uocationi insisterent, &c.

Videamus autem Gamalielis consilium, prudentiæ quidem plenum, sed in quo nonnulla desyderes, quæ illum in ueritatis causa nondum perfectè institutum fuisse docent. Voluit tamen illius opera uti dominus, & spes est illum postea maiores in pietate progressus fecisse. Sunt autem orationis ipsius partes tres. Primò exordiolo utitur, quo furentes mitigat, & hortatur ne quid temere aut inconsultò agant. Attendite uobisipsis (inquit) quoad homines istos, quid sitis facturi. Quasi dicat: Audio quidem à uobis decerni, ut mortis supplicium luant. Sed metuo, ne præceps nimium sit, & proinde periculosa uestri consilij ratio. Maturam ergo & diligentem deliberationem adhiberi uelim, ne quid ab iratis designetur, cuius nos postea pœniteat. Est autem hæc utilissima & omnibus seculis necessaria admonitio, ne irati quid statuamus uel agamus. Pessimum enim consultorem iram esse, ueteres dixerunt, utpote quæ breuis insania est. Quid autem ab insano aut mente capto boni aut æqui speres? Quam ob rem uerissimè Iacobus dicit: Ira uiri iustitiam dei non operatur. Iacob. 1. Atqui utinam tanta hodie inter Christianos esset harum sententiarum authoritas, quantam olim inter ethnicos fuisse legimus. De Augusto fertur, quòd Athenodori philosophi conuersationē sibi necessariam esse duxerit, eò quòd illum iam abiturus monuisset, ut iratus nihil decerneret, nisi prius uiginti quatuor literarum siue elementorum nomina recitauisset. Intelligebat enim uir prudentissimus iram mora mitescere. Nec minus memorabile est, quòd alius quidam è philosophorum numero, seruo, qui peccarat, dixit: Vapulares, nisi iratus essem. At hodie inter Christianos pleriq; ita sentiunt, ut iratis quiduis licere existiment, & iræ prætextu atrocissima & iniquissima queq; facinora excusare conentur. Quòd si leones aut ursos nos creauisset dominus, aliquem fortassis locum illorum excusatio haberet. At quia homines sumus, quos tum rationis fræno, tum dei uerbo regi decet, inexcusabiles erunt, quicunq; affectuum libidini sese regendos permittunt. Imprimis tamen horum iudices & principes meminisse decet, ne ira abrepti ab æquitate & iustitia exorbitent.

III. Gamalielis consilium.

Est præterea diligenti consideratione digna Gamalielis locutio: Attendite uobisipsis, &c. Atqui de apostolis agebatur, quorum uita in periculo constituta erat. Cæterum uidebat uir prudentissimus, & diligentissimus legis diuinæ obseruator, ex iniquis iudicijs plus periculi iudicibus, quàm reis ipsis imminere. Quid enim his potest morte durius accidere, qua uitam mortalem cum immortali permittant? Illi uerò Dei iram contra se prouocant, qui illorū cō[n]essibus (ut Psal. 82. scribitur) medius interest, nec inultam sinit eorum audaciam, qui sub iudiciorum diuinorum prætextu iniustitiam exercent. Sibi ergo hoc dici putent quicunq; in magistratu sunt constituti, & sibiipsis attendant, ne affectibus excæcati à iustitiæ tramite exorbitent.

Secunda orationis parte narrationem exemplis constantem texit, ex quibus suæ sententiæ argumenta paulò post desumit. Prudenter uerò exempla præmittit, & ita narrat, ut in quam partem inclinare uelit, primò uideri non possit, ne sententia ipsius uel non audiatur, uel non expensa explodatur. E multis autem duo potissimum deligit, quæ ut omnibus notissima erant: ita illorum mentes acrius commouere poterant: quorum alterum Theudæ, alterum Iudæ Galilæi est. Meminit horum Iosephus quoque, sed quoad ordinem à Luca plurimum dissentit, cùm Iudam multis annis Theuda priorem fuisse scribat, quem Gamaliel post hunc demum exurrexisse palàm testatur. Sed maior apud nos esse debet sacri scriptoris authoritas, quàm Iosephi, quem in multis alijs quoque falsum esse constat, & cuius scripta facilè corrumpi & inuerti potuerunt. In historijs difficultas nulla est, nec aliud hic docere uult Gamaliel, quàm nemini hactenus impune fuisse, Messiæ nomen & of-

Lib. antiq. 18. cap. 1 & lib. 20. cap. 4.

ficium sibi uendicare, imò cum omni sua secta perijsse eos omnes, qui hoc prætextu res suas ag... luerint. Vnde postea colligit, idem etiam Christianorum sectæ euenturum, si quid dolo malo Chri... egerit: & proinde Dei iudicium expectari debere, &c. Nobis uerò in exemplorum narratione ... seruandum est obiter, quid ferè eos maneat, qui uerum Meßiam, Iesum Christum, amplecti nolunt. Tales enim plerunq; seditiosis & improbis hominibus præda fiunt, qui ipsis publicorum malorum authores sunt. Quis enim hîc non uideat illud Christi impletum esse: Ego ueni nomine patris mei, nec recipitis me. Si alius uenerit nomine suo, illum recipietis. Iohan. 5. Quod ipsum hodie quoque fieri cernimus. Incurabile enim manet mundi ingenium, qui impostoribus gaudet & seductoribus, ueritatis uerò ministros odio irreconciliabili prosequitur. Iusto igitur dei iudicio fit, ut efficacem illusionem sentiant, & scientes simul ac uolentes in exitium ruant. Vide 2. Theß. 2. capite.

Sed ad Gamalielem reuertamur, ut uideamus quomodo exemplis hisce usus sit. Ex his enim sententiæ suæ fundamentum colligit, cuius propositio siue conclusio est: Abstinete ab hominibus istis, & sinite eos. Quod ut persuadeat, argumentationem per dilemma figurat hoc modo. Aut humanum aut diuinum sit oportet hoc negotium, cuius ministri siue dispensatores sunt apostoli, quos necandos censetis. At qualecunq; sit, ego à sanguinis effusione abstinendum censeo. Si enim humanum est, nec alijs quàm humanis consilijs regitur, sponte dissoluetur, id quod Theudæ & Iudæ exempla superioribus annis abunde docuerunt. Quæ ergo dementia foret uulgi furorem concitare, ut id tollatur, quod iamiam (etsi nemo impellat) collapsurũ est? Quòd si uerò diuinum hoc opus est, deo authore & moderatore regitur, nullis hominum uel uiribus uel consilijs dissolui poterit. Quid enim contra deum homo efficiat, qui puluis & cinis est? Adhæc, cum deo bellum suscepisse deprehendemini, cuius non poterit non esse infelicißimus exitus. Diligenter autem consilij huius scopus obseruandus est, quem dum multi negligunt, pernitiosißimi dogmatis occasionem hinc uenantur, quo nullius conatus quantumuis improbos, nullius etiam errores quantumuis impios & blasphemos ui coërcendos esse clamant. Vnde aliud sequi non potest, quàm uniuersæ disciplinæ cùm politicæ tum ecclesiasticæ conuulsio. Frustra enim geret magistratus gladium. Et frustra Paulus eiusmodi ministros ecclesijs uult præfici, qui non modò ueritatem docere, uerumetiam contradicentes refutare & conuincere poßint. Quis autem prudentißimo uiro hunc animum fuisse putet, ut omnes ecclesiæ & politiæ neruos dissolutos uoluerit? Hoc illum potius spectauisse constat, ut apostolos iudicum furori & imminenti mortis periculo eriperet, quod commodißimè fieri posse uidebat, si ostenderet contra illos sine euidenti discrimine nihil acerbius aut durius statui posse. Aut enim ex deo periculum fore, si illi bene sentiant et dei ministri sint: aut ex uulgo, cuius furorem ipsi declinare potius quàm prouocare debeant, maximè in tali causa, quæ si nudis hominum consilijs administretur, diu stare non poßit. Ab... hæc siue ueritatem intellexerit siue ignorarit, dubius tamen & ambiguus in sermone apparet. Longè igitur alia illorum ratio est, qui ueritatis cognitione uera illuminati, illam ex officio tueri, & errores ac impietates extirpare debent.

Dei consilia impediri nequeunt, &c.

Interim oraculi instar nobis esse debet, quòd dei consilia nullis hominum uiribus impediri poßint, humana uerò sua sponte collabi discimus. Nam ut deus æternus est & immutabilis, ita æternum est uerbum domini, nec ullis rationibus conuelli potest. Isa. 40. Et deum gentium consilia absq; negotio dißipare, suum uerò consilium perpetuò stabilire, Dauid testatur. Psal. 33. Exempla, quæ id probent, paßim sunt obuia. Dei consilio, quo Dauidē Israelis regem facere decreuerat, multum diu reluctatur Saul. Sed quò magis pugnat, eò minus se proficere sentit, & infelicem sortitur certaminis, cum deo suscepti, exitũ. Imprimis tamen ad fidei & religionis causam hoc transferri debet. Dei consilium est, ut filius quem ab æterno genuit, regnum obtineat in monte suo sancto, qui est ecclesia. Psal. 2. Huic dictum est: Sede à dextris mihi, donec ponam inimicos tuos scabellũ pedum tuorum. Item: Dominare in medio inimicorũ tuorũ. Psal. 110. Isti consilio ab ipsa mundi origine sese cum suis membris satan opposuit, & in Abele (quem idcirco primum Christi martyrem dicere fas est) cæpta persecutio, quæ sequentibus seculis cõtinuata, hodie adhuc durat. Sed uicißim durat Christi regnũ & ecclesia, cùm ei petræ innitatur, contra quam portæ inferorũ non præualent. 1. Corinth. 3. Matth. 16. Quòd si è contra gentilismum & immane illud idololatriæ chaos inspicias, quod à potentißimis

regibus

regibus obseruatum, multorum seculorum spacio confirmatum, nationum & gentium ferè omnium consensu approbatum, nullius uerò unquam armis oppugnatum fuit: sponte tamen collapsum & spiritu ac uerbo Christi dissipatum esse uidebis. Eadem est scripturæ sacræ ratio, quam à deo inspiratam uocat Apostolus. Nam si prophanos scriptores inspicias, illorum libri in pretio fuerunt, nec hostes habuerunt ullos, qui illos extinctos uellent. Perijt tamen maxima illorum pars, & uix nomina extant librorum, quos olim opulentissimi reges summo studio & immani pretio conquisierunt, sicuti de Ptolemæo Philadelpho & alijs similibus traditur. At sacri libri toties exusti, proscripti, & insuper principibus potentissimis exosi, adhuc extant, & in omnes propè linguas translati, per totum orbem magistrorum officio funguntur. Seruiant ergo hæc institutioni & consolationi nostræ, ne quid temere aduersus deum instituamus, néue mundi & tyrannorum minacibus contra Christi regnum institutis terreamur. Ita uerò deum causæ suæ assertorem & uindicem agnoscamus, ut ipsi quoq; pro nostræ uocationis ratione in ædificanda ecclesia fidelem operam nauemus, tanquam cooperarij Iesu Christi: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA XXXIX.

Paruerunt autem illi, & cùm aduocassent apostolos, cæsis præceperunt, ne loquerentur in nomine Iesu, & dimiserunt eos. Et illi quidem ibant gaudentes à conspectu Concilij, quòd digni habiti essent, qui pro nomine eius contumelia afficerentur. Et quotidie in templo & per singulas domus non cessabant docere & annuntiare Iesum Christum.

QVoniam ita comparatum est, ut omnes homines naturali quodam instinctu incolumitatis & felicitatis appetentes sint, fieri non potest, quin aduersis & tribulationibus uehementer offendantur, maximè uerò ijs, quæ propter religionem excitari & oboriri consueuerunt. Fit enim, ut de religione & doctrina ex euentu iudicent, & mox falsi insimulent eam religionem, cuius professores persecutionibus & aduersis exerceri uident. Quare non tam utile quàm necessarium est, ut contra omnes offendiculorum occasiones probè instituamur. Quæ causa est, quòd primitiuæ ecclesiæ afflictiones tam diligenter per Lucam spiritus sanctus describi uoluit: in quibus præcipuè obseruandum est, quæ semper in hoc mundo ecclesiæ Christi sors fuerit, & ut præsenti fidoq; domini præsidio iam olim inter maximas tribulationes conseruata sit: ne uel nostri seculi ærumnis, tanquam insolitis, offendamur, uel de dei auxilio & ecclesiæ conseruatione desperemus. Vtriusq; exempla præsens historia nobis exhibet, cuius exitum modò describit euangelista, & primò quidem quid coniurati Christi hostes, deinde uerò quid apostoli factitarint, commemorat.

De Christi hostibus, in Concilio congregatis, sic scribit Lucas: Paruerunt Gamalieli, & cùm aduocassent apostolos, cæsis præceperunt, ne loquerentur in nomine Iesu, & dimiserunt eos. Paruisse dicuntur Gamalielis sententiæ, cùm duo addiderint, quæ ille nequaquam facienda censuerat. Nam uirgis cædunt apostolos, & prius edictum renouant, quo euangelij prædicationem prohibere conabantur. Ita igitur paruerunt Gamalieli, ne occiderent Christi seruos, quemadmodū facere instituerant. Interim sibi temperare non possunt, quin flagris & uirgis cædant homines innoxios. Magnam ergo & effrænem fuisse oportuit illorum rabiem, quæ ne tunc quidem omnino sopiri potuit, cùm iam planè restincta esse uideretur. Est autem hoc proprium impijs Christi persecutoribus, ut cùm placati esse putantur, animorum tamen rabiem & ueritatis odium occultè foueant, & raro sine aliqua ignominiæ aut publicæ pœnæ nota Christi ministros dimittant, ne iniusto & impio ausu contra illos insurrexisse uideantur, & ut uel aliquam terroris speciem ipsorum sectatoribus obijciant. Ita Pilatus, licet Christum innocentem pronuntiet, non tamen nisi uirgis cæsum dimittere instituit. Luc. 23. Consolationis tamen plenum est, quòd tantam rabiem unica Gamalielis oratione eòusq; frænauit dominus, ut mortis supplicium insontibus inferre non ausi fuerint. Vnde colligimus, non semper impijs licere, quicquid libet, sed quamuis inuitos diuinæ prouidentiæ habenis gubernari. Insunt autem huic exemplo præter hoc alia quædam, quorum obseruatio nobis hodie utilissima est.

Apostoli uirgis cæduntur.

Pioru͂ afflictionibus nemo, ut insolitis, offendatur.

Et primò quidem admonemur, nihil noui aut insoliti accidere, etiamsi hodie quoq; pij & sancti cultores Christi, impiorum libidini permittantur, & afflictione͂ sentiant. De hoc enim Christus ipse iam olim præmonuit, & ostendit tempus fore, quo cultum deo præstare uideatur, quicunq; aliquem suis occiderit. Iohan.16. Idem ad crucem suos inuitat, & suo exemplo præire uoluit, ne nostram sortem illa præstantiorem fore speraremus, quam ipse sustinuit. Matth.16. Iohan.15. Sentiunt id nunc apostoli, nec offenduntur, quin potius nos frequenter admonent, ne tanquam re insolita offendamur, si quando per ignem exploramur. Vide 1. Pet.4. Prodest autem in horum consyderatione diligenter uersari. Ita enim fiet, ut nec secundis rebus insolenter abutamur, nec aduersis frangamur, cùm illa iam ante à nobis præuisæ sint.

Errant qui de religione & doctrina ex afflictionibus iudicant.

Secundò non indignum consyderatu est, quòd apostoli, electa Christi organa, in causa optima & sanctißima, cuius patrocinium ex Christi mandato susceperant, ignominiosè uapula͂t. Vnde non obscurè colligimus, quàm turpis & pudendus illorum error sit, qui afflictiones malæ & iniustæ causæ argumentum siue indicium esse existimant: è quorum numero sunt, qui nobis hodie clades & omnis generis infortunia obijciunt, quibus patere dicunt, nos in fidei & religionis causa exorbitare. At ipsos mentis & rationis non satis compotes esse, uel hinc constat, quòd ea uidere nequeunt, de quibus ethnicorum poeta æquius multò iudicauerunt. Notum est enim illud Nasonis: Careat succeßibus opto, Quisquis ab euentu facta notanda putet. Nam si horum iudicia ualere debent, paucos adeoq; nullos ex sanctißimoru͂ dei cultorum numero dabimus, qui non ipsi quoq; damnari mereantur: cùm uel cæcus uideat, plerosq; ipsorum, non modò uarijs laborum & persecutionum uicibus uexatos, uerumetiam immanißimorum hostium iniquis manibus necatos fuisse. Nec meliora nobis hodie speranda esse, Christi oracula, quibus ille nos de nouißimornm temporum statu admonuit, abunde docent. Quare quicunq; religionis causam ex euentu & succeßibus huius seculi dijudicant, Iudæorum & militum similes censeri debent, quos Christo in cruce pendenti acetum propinauisse, & dixisse legimus: Si rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credemus ei. Confidit in deo, liberet eum nunc, si uult eum. Dixit enim, se esse dei filium, &c. Matth.27. Et sanè quod nam acetum austerius & acerbius esse potest, quàm eiusmodi exprobrationes, quibus & dei gloria oppugnatur, & salutis nostræ certitudo atq; diuini uerbi ueritas in dubium uocari solet?

Afflictionum causæ.

Nec tamen idcirco temere ferri putabimus res mortalium, quando pios & religiosos dei seruos affligi uidemus. Sunt enim infinitæ aliæ causæ, propter quas deus ista euenire patitur, ut interim de occultis iudiciorum ipsius arcanis nihil dicamus. Ita enim carnis latentem improbitatem & ferociam interdum cohercet dominus, quæ nisi coherceretur, magno suorum malo erumperet. Nec est, quòd interdum coherceri dicamus eos, qui plus satis abiecti & humiles, nullum unquam ferociæ signum dedêre. Nouit enim humani ingenij improbitatem deus, & quibus rebus nobis opus sit, melius & certius, quàm nos ipsi, perspectu͂ habet. In tempore ergo castigat, & interdum nostra͂ malitia͂ preuenit, ne illa uiribus augeatur, & incurabiles reddat, qui cum mundo co͂demnari mereamur. Præterea fidem nostram ea ratione explorat, non quòd illum quicquam lateat, sed ut tum alijs exemplo simus, tum ipsi experiamur quanta adhuc in nobis infirmitas hæreat, quamq; nobis dei ope & gratia adhuc sit opus. Accedit his, quòd mundo testatum facere uult, quàm illi displiceat peccatum, quando electorum suorum leuia delicta, imò latentem adhuc corruptionem tam seuerè castigat. Et huc quidem Petrus respexit, cùm ait: Tempus est, ut incipiat iudicium à domo dei. Quòd si primùm incipit à nobis, quis erit finis eorum, qui non credunt dei euangelio? Et si iustus uix saluatur, impius & peccator ubi comparebit? 1. Pet.4. Hæc utinam obseruarent, qui hodie ex nostris afflictionibus, quarum consyderatio uitæ ipsorum emendationi seruire debebat, maioris impietatis & blasphemandi occasionem arripiunt.

Securitas cauenda.

Tertiò minimè negligendum est, quòd ex mortis quidem periculo apostolos Christus eripit; permittit autem, ut ijdem ignominiosè uirgis cædantur. Quo exemplo securitatem animis nostris excutere uult, ne periculo aliquo exempti, nobis omnia tuta & tranquilla polliceamur: sed potius cogitemus, alia nos manere certamina, ad quæ nos præparari oporteat. Quæ causa est, quòd paßim ad uigilantiam & preces aßiduas nos dominus exhortatur. Nec exempla desunt, quibus docemur, quàm infelix sit carnalis securitatis & socordiæ exitus.

Sed

Sed alterum quoq; uideamus, quod præter Gamalielis consilium fecerunt Concilij impij assessores siue antistites. Renouarunt illi impij edictum, cuius mentio præcedenti cap. facta est, & præceperunt apostolis, ne posthac in nomine Iesu loquerentur, id est, ne euangelium prædicarent. Est hoc ingens pertinaciæ argumentum, quæ impijs propria est. Cum enim in omnibus alijs studijs, per incertos & uarios affectus abrepti, nimium leues & inconstantes sint, ueritatis tamen odium constantissimè retinent, & pertinaciter urgent quæcunq; ad huius oppugnationem facere arbitrantur. At non oscitanter prætereunda est edicti siue decreti formula, qua ne in nomine Iesu loquantur, prohibetur. Iesu Christi ergo nomen impijs cumprimis exosum est. Potest alioqui cum pœnitentiæ tum remissionis peccatorum doctrinam mundus utcunq; ferre. Nam & olim de pœnitentia & peccatorum expiationibus multa à gentium sapientibus tradita sunt, & hodie inter Papistas multa ac frequens est utriusq; articuli tractatio. At quia quæ ab his dicuntur, ex humanæ rationis scrinio promanant, non difficulter illa admittunt, qui & ipsi ratione carnis duci consueuerunt. Sed quàm primùm iuxta Christi præceptum in ipsius nomine tum pœnitentia tum peccatorum remissio prædicatur, intolerabilis uidetur mundo doctrina hæc, eò quòd ijs inimica sit quæ humana prudentia in religione & salutis nostræ negotio excogitauit, ac quibus ut plurimùm homines gloriari solent. Si enim pœnitentiam ueram nobis Christus largitur (ut superius Petrus docuit) nec nos illius in nobis sumus authores, iam collapsa iacet nostri arbitrij libertas, hominis uires extinctæ sunt, nec aliqua superest nostrorum meritorum gloria. Imò uerum esse deprehenditur, quod Christus dicit: Sine me nihil potestis facere. Iohan. 15. Itē illa Pauli: Deus est, qui in nobis operatur & uelle & facere. Phil. 2. Item: Quid habes, quod non accepisti? Quòd si accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? 1. Cor. 4. Rursum, si in Christi nomine obtingit nobis peccatorum remissio, corruit iam nostrarum satisfactionum gloria, inutilis & uana est nostrorū operū fiducia, ridicula, imò impia & blasphema deprehenditur sacrorum nundinatio, quam auari homines, qui religionem quæstum ducunt, inuexerunt. Adhæc, quando ea est peccatorum atrocitas, ut solius Christi sanguine expiari potuerint, facilè patet, quàm serio & ardenti studio nobis incumbendum sit, ne à sanctitate & libertate, in quam Christi beneficio asserti sumus, denuo excidamus. Et hic aperiūtur Christianæ disciplinæ fontes, sine qua Christiani nominis professio damnationi potius quàm saluti seruit. Atqui ab omnibus istis pro innato carnis ingenio homines abhorrent. Quapropter fieri nequit, ut Iesu Christi doctrinam patientibus animis & auribus ferant. Prodest autem hæc obseruauisse, ne ignaris horum suspecta sit euangelij doctrina, quam mundo tam inuisam & exosam esse cernimus.

Renouatur edictum de non prædicando Christo.

Transeamus uerò ab impijs Christi hostibus ad electa ipsius organa, apostolos, & quales sese hi gesserint, uideamus. Et de his quidem duo præcipuè Lucas narrat. Primum, quod à Concilij conspectu abierint, gaudentes, quòd digni habiti essent, qui pro nomine Christi contumelia afficerentur. Alterum, quòd non cessarint quotidie cum in tēplo tum per domus singulas docere & prædicare Iesum Christum. De utroq; autem nobis diligentius dicendum est, cum hæc multum ad nostram consolationem & institutionem faciant.

Apostoli gaudent contumelijs.

Gaudent, quòd uirgis contumeliosè cæsi sint, apostoli. Nemo autem Stoicam in illis ἀπάθειαν fuisse suspicetur, aut ita mente captos, ut nullum inter honores & contumelias discrimen habere potuerint. Nam & homines fuisse constat, & humanis affectionibus obnoxios, quiq; sui nominis famā non semel ab improborum calumnijs asseruerunt. Gaudent uerò, quòd propter Christi nomen ipsis ignominiam pati licuerat. Vbi duæ concurrunt non leues & uulgares gaudij causæ. Primò enim constat, peccatores esse omnes homines, & in sanctis quoq; carnis reliquias superesse, quibus abrepti non raró grauissimè delinquunt, ut diuinitus puniri mereantur. At ea est dei bonitas & clementia, ut sub Christi sui & ueritatis nomine ea immittat, quæ scelerum pœnæ esse debebant. Quod perinde est, ac si princeps furem, qui suspendium meruerat, infami morti subducat, & inter primos suæ aulæ nobiles in prima acie pro regni sui libertate & incolumitate pugnare uelit. Et in horum quidem consyderatione uersatos esse apostolos uerisimile est, quibus nondum excidisse potuerant, quæ partim ignobili fuga, partim abnegatione turpi ab ipsis fuerant designata, cum Christus caperetur. Et cum hucusq; nutare potuerint illorum animi, nunc infallibile habent Christi reconciliati argumentum, quando se crucis & afflictionum ipsius consortes factos esse uident. Accedit his altera causa ex Chri-

sti promißionibus, quibus cœlestis regni gaudia ijs pollicetur, qui propter iustitiam ac nomen ipsius persecutionem sustinent. Ait enim: Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam illorum est regnum cælorum. Beati estis, cum probra in uos iecerint homines, & insectati fuerint, & dixerint omne malum uerbum aduersus uos, mentientes propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces uestra multa est in cælis. Matth. 5. Item: Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis. Et ego dispono uobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo, &c. Luc. 22. Quas promißiones, quia in Christo confirmatas & impletas esse uidebant, qui per crucem de omni potestate inferorum triumphauit, & per mortem patris sui regnum ingressus est, non potuerunt non singulari gaudio perfundi, cum istis principijs ad promissam sibi cælestis regni sortem sese contendere uiderent. Cæterum ut hæc apostolis gaudij causam præbuerunt: ita nobis quoque in afflictionibus gaudium & lætitiam afferre debent. Omnibus enim Christianis hoc proprium esse Paulus testatur, quòd afflictionibus glorientur & gaudeant. Rom. 5. Et sanè non uulgares causæ sunt, quæ hodie nos ad horum consyderationem excitare debebãt, quando iam annis aliquot grassantes uidemus in Germania Christi hostes, qui eo nomine nos crudelissimè persequuntur, quòd Christo potius quàm Antichristo obedire instituimus. Quorum uictorijs & successibus multi sic offenduntur, ut ueritatis doctrinam quasi suspectam habeant, & multos (proh dolor) circa fidem naufragium fecisse uidimus. At si nostra peccata ob oculos reuocemus, & in eius ingratitudinis consyderatione diligenter uersemur, qua Germania iam annis aliquot ineffabile uerbi dei & Christianæ libertatis beneficium partim neglexit, partim uerò prodidit, & effrænata licentia prophanauit: admirabilem in nos dei bonitatem uidebimus, qui propter uerbi sui ueritatem nos periclitari & filij sui martyres fieri uult, qui peccatis & sceleribus excidium meruimus. Etsi constet nos non propter scelera, sed solius religionis & ueritatis causa periclitari & pati, eos uelut hostes immisit, quorum mores abunde testantur, ipsos non peccatis nostris, sed sola ueritatis confessione aduersus nos esse prouocatos. Quod ergo euidentius diuinæ bonitatis & gratiæ argumentum nobis exhiberi poterat, quàm quòd nobis datur, ut nõ modò credamus in Christum, uerumetiam pro illius nomine patiamur? Hinc enim cum Paulo concludere licet: Si commorimur Christo, etiam conuiuemus. Si cum illo patimur, cum illo etiam regnabimus, &c. 2. Tim. 2. Hanc Crucis nostræ gloriam quia multi non uident, uel à fidei profeßione turpiter deficiunt, uel impijs conuitijs fidem nobis exprobrant, & sub Christi cruce gementes contumeliosè proscindunt. Quotquot uerò ista digne expendunt, non possunt non gloriari & exultare in Christo, cum illius stigmata in suis corporibus comparere cernunt. Vehementer ergo illorum stultitia deploranda est, quos Christi crux & afflictiones offendunt, ex quibus consolationis & gaudij argumenta sumere debebant.

Apostolorũ in dicendo perseuerantia.

Postremò de apostolis Lucas tradit, quòd nulla impij decreti ratione habita, non cessarint docere & euangelizare in nomine Iesu Christi. Et id quidem publicè in templo fecere, quàm diu hoc ipsis permissum fuit. Vbi uerò hostium tyrannis illos templo eiecit, in fidelium ædibus conciones sacras instituerunt. Nec enim certis locis alligata est dei ueritas, sed ubiuis doceri potest, modò ordinis & decori ratio habeatur, sicuti Paulus admonet, 1. Corinth. 14. Reipsa ergo præstant, quod in Concilio protestati erant, deo nimirum plus obediendum esse, quàm hominibus: & suo exemplo eos confutant, qui hodie in fidei & religionis causa magistratibus simpliciter obtemperandum esse contendunt. Quasi uerò seipsum & cultum suum hominum libidini & arbitrio deus subiecerit. At quia de hoc iam semel & iterum diximus, plura in præsenti dicere non attinet. Interim memorabilis est apostolorum constantia, qua diuinitus sibi commissam functionem, etiam plagis affecti, intrepidè obeunt. Confutatur hoc exemplo nostri seculi hominum ignauia, qui ubi aliquid paßi sunt, omni officio sese iam defunctos esse putant, nec amplius uel labores uel pericula sustinere uolunt. Possent equidem illorum rationibus aliquid tribui, si nobis liberum esset laborum nostrorum finem & limites constituere. Sed quia serui sumus, dei uoluntatem nos obseruare, & illum cum silentio expectare decet. Nec eos regno suo idoneos Christus dicit, qui à tergo respiciunt, sed qui in finem usque perseuerant. Vide Luc. 9. Matthæi 24. Adhæc domini præceptum est, ut angustijs & periculis illius beneficio erepti, ipsum glorificemus. Psal. 50. Quod ab ijs nequaquam fieri potest, qui suam stationem deserunt, & periculorum metu superati, otio & quieti suæ consulunt. Quapropter apostolorum

lorum constantiam singuli in sua uocatione imitentur, maximè uerò, quibus ecclesiæ & uerbi sui dispensationem dominus commendauit: nec de illius ope diffidant, quem gregis sui curam iam olim tanta fide gessisse uident. Huic quicunq; sui ministerij rationem iustam reddere possunt, regni ipsius consortes fient. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

CAPVT VI.

HOMILIA XL.

IN diebus autem illis crescente numero discipulorum, ortum est murmur Græcorum aduersus Hebræos, quòd despicerentur in ministerio quotidiano illorum uiduæ. Duodecim itaq; conuocata multitudine discipulorum, dixerunt: Non conuenit, ut nos derelicto sermone dei, ministremus mensis. Dispicite ergo, fratres, uiros ex uobis testatæ probitatis septem, plenos spiritu sancto & sapientia, quos præficiemus huic negotio. Nos autem precationi & ministerio uerbi incumbemus.

EXposuit hucusq; Diuus Lucas primitiuæ ecclesiæ originem, progressus, incrementa & formam: in quibus omnia secundum dei uerbum optimè instituta, & felicissimo successu inter horribiles persecutiones & diros hostium conatus administrata fuisse uidimus. Quia tamen generaliora sunt, quæ illic tractantur, nunc tandem ad specialiora diuinus scriptor descendit, ostendens ut quidam peculiari studio insignem operam nauarint in Christi regno prouehendo. Inter quos cum primum locum Stephanus obtineat, qui ex Diaconorum numero fuit, quorum nulla antehac mentio facta est, commodissimè illius historiam ab illorum institutione orditur, & in præsenti quidem loco docet primùm, qua occasione Diaconorum ordo institutus sit: deinde quo ritu & modo primi illi ab apostolis electi & ordinati sint, commemorat. Insunt uerò narrationi huic non pauca, quorum hodie in ecclesia præcipuus usus est, quare de singulis non indiligenter dicendum erit.

Occasionem siue causam noui in ecclesia ordinis creandi credentiũ multitudo, & quod in ea exortum fuit murmur, præbuit. Creuit enim & mirificè aucta est illo tempore Christi ecclesia, & irriti planè fuerunt impiorum antistitum conatus, quibus illam opprimere studuerunt. Cæterum quia ex diuersis hominum generibus multitudo ista confluxerat, non diu consentire potuit. Ortum enim est murmur siue querela Græcorum aduersus Hebræos. Græcos uerò dicit uel proselytos, qui ex gentilismo ad Iudaismum transierant, uel qui ex parentibus quidem Iudæis, sed in gentes dispersis, nati fuerant. Constat enim hoc tempore gentes in ecclesiæ communionem nondum admissas fuisse, cum longo post tempore Petro illud uitio detur, quòd euangelium Cornelio & familiæ ipsius, hominibus nimirum incircumcisis, prædicauisset, ut infra cap. 11. patebit. Causam uerò murmuri præbuit, quòd Græcorum uiduæ negligerentur in ministerio quotidiano, id est, in distributione uictus quæ inter credentes quotidie fiebat. Supra enim indicatum fuit, multos pecunias suas in publicum contulisse & apostolorum administrationi subiecisse, qui ex illis unicuiq;, prout opus erat, distribuebant. Ibi accidit, ut uel negotiorum multitudine obruti apostoli aliquos neglexerint, uel illi se neglectos esse putarint: id quod peregrini (suspicax hominum genus) præ alijs amarulenter conquesti sunt. Et ea res causa fuit, propter quam usitata hucusq; administrandæ ecclesiæ forma et ratio nonnihil immutanda esse uideretur. Sed priusquam de eo dicamus, quædam hic nobis obseruanda erunt.

1. Causa propter quam electi diaconi.

Et primò quidem memorabile est, quòd primitiuam ecclesiam suis quoq; uitijs laborauisse cernimus, quæ hactenus omni ex parte beata uideri poterat. Nec leuia delicta sunt, sed horrenda, quæ hic commemorantur. Nam & nationum discrimina obseruant, quæ in Christo nulla sunt (In hoc enim non est uel Iudæus uel Græcus, uel Scytha uel Barbarus. Galat. 3. Col. 3.) & factionibus scissi, non iam occultas simultates exercent, sed animorum amarulentiam murmure iniquissimo produnt. Eo ipso igitur peccato primitiuam ecclesiam infectam esse uidemus, propter quod sub Mose multa mili

Primitiua ecclesia non caret uitijs.

lia olim in deserto horribili dei iudicio prostrata fuisse leguntur.1.Cor.10. Accedit his ingratitudo detestabilis erga apostolos, quos infinitis alijs negotijs occupatos esse non ignorabant, imò quos iam semel & iterum in carcerem abductos esse,& solos ferè communis ecclesiæ periculum sustinere uidebant. Et cum scelus sit graue de benefactoribus & bene meritis aliquid sinistre suspicari, illi murmurando ipsorum fidem in dubium uocant, & seditiosè rebus nouis student: & quidem persecutionis tempore hoc faciunt, quando de mutua animorum coniunctione & charitatis studio omnes solliciti esse oportebat. Quo exemplo docemur, nunquam tam perfectè constitui posse ecclesiæ formam, quin semper aliquid correctione dignum incidat: non quidem quòd ea diuini uerbi uel obscuritas uel incertitudo sit, ut nihil ex eo perfecti institui queat: sed quòd nostri ingenij corruptio nusquam nõ occasionem inuenit, qua sanctißimas dei constitutiones cõuellat. Stulta igitur & nimis insolens est illorum hominum confidentia, qui se supremam perfectionem assecutos esse putant, nec aliquem monitorem ferre norunt. Præterea illorum quoq; arguitur temeritas, qui ab ecclesijs, in quibus næuos aliquos deprehendunt, secessionem faciunt, & schismatum authores sunt: quo uitio Anabaptistæ in primis laborant. At si horum ratio ualere deberet, nec primitiua ecclesia satis tuta foret, nec digna censeri potuisset, cui quis sese coniungeret. Porrò cum Christus unitatis studium maximè commendarit, facilè cernitur, quo spiritu regatur, quibus leuiculum uidetur ecclesiæ unitatem scindere. Vide Iohan.17. Item.1.Iohan.2.

In multitudine murmur.

Deinde obseruandum uenit, quòd crescente Christianorum numero murmur illud obortum fuisse dicitur: quando nimirum dei gratiam agnoscere, & unitati quàm maximè studere debebant. Sed uulgare hoc est, ut ubi multitudo est, ibi quoq; murmur sit & confusio, eò quòd impossibile est omnium uotis satisfacere in tãta animorum & desideriorum uarietate. Et natura sic comparatum est, ut undiquaq; quiritandi occasionem arripiant, qui sibi aliquid deesse sentiunt. Expertus hoc fidelis ille dei seruus, Moses, quem non semel lapidare conati sunt Israelitæ, si quando ollarum Ægypti memoria animis illorum denuò occurrebat. Tale quid nunc apostoli sentiunt, qui tamen in rebus administrandis haud dubiè summa fide & studio indefesso usi sunt. Nemo igitur mirum & insolens esse putet, si hodie quoq; in tanta, quæ paßim cernitur, pauperum & egẽtium multitudine murmura & querelæ acerbæ exaudiantur: quod ut ubiq; aliâs, ita maximè in ptochotrophijs & xenodochijs, locisq; similibus fieri consueuit. Nam ut nullæ aliæ causæ accedant, paupertas per se querula est. Quod uitium uel hoc nomine ueniam meretur, quod multæ indies causæ incidunt, quæ animos alioqui constantißimas permouere possunt. Hoc potius sibi cauendum ducant, quibus pauperum cura commissa est, ne illis iustas quiritandi & murmurandi causas præbeant, dum uel malignè distribuunt necessaria, uel quæ pauperibus alendis impendi debebant, impiè suffurantur. Nec enim leue aut simplex est peccatum, quòd hic committitur. Nam & immani sacrilegio sese polluunt, & spiritui sancto mentiuntur, simulq; pauperibus non parui peccati authores sunt, dum impatientiæ causas illis præbent, qui potius consolationem merebantur. Moueat hos, quòd primitiua ecclesia non aliis turbis uexata est, quàm quæ ex publicorum bonorum administratione uel iniqua uel negligenti exortæ sunt. Hic enim Iudam proditorem impegisse scriptura docet. Iohan.12. Ad eundem scopũ Ananiam & Sapphiram salutis naufragium fecisse, supra uidimus. Et nunc murmuris seditiosi occasionem non aliunde Græci arripiunt, quàm quòd suas uiduas in publica bonorum ecclesiæ distributione negligi putarent. Quæ exempla ideo tam diligenter conscribi uoluit spiritus sanctus, ut notum fieret quos scopulos cumprimis uitare debeant, qui Christiani nominis professione non inutiliter gloriari, sed ipsis factis respondere instituerunt. Minimè enim decet, ut ecclesiæ bona malignè dispensent, qui sua pro Christi nomine uel iam reliquerunt, uel relinquere debent, si ita ferat necessitas. Et absurdum est, nulloq; supplicio satis expiandum facinus, ea suffurari, qui alij in pauperum subuentionem contulerunt, quorum alimoniæ nostra omnia impendere iubemur. Sed utinam tam facile esset hoc loco corrigere nostri seculi mores, quàm merito illos deploramus.

II. Apostoli mature de remedio consultant.

Quid autem oborto murmure faciunt apostoli? Num maledictis eos incessunt, quos de iniqua dispensatione contra sese murmurare audiunt? Num ingratos murmuratores deserunt, & omnem administrandæ ecclesiæ curam indignabundi abijciunt? Num priuata authoritate nouam ecclesiæ formam obtrudunt? Vel quod charitatis speciem repræsentasset, num dißimulant, & na-

rus nectunt, quasi dissimulando & cunctando malum hoc sopiri possit? At nihil horum Lucas commemorat. Nec enim maledictis animos plus satis exacerbatos magis irritandos esse uident: nec ecclesiæ curam, à Christo ipsis creditam, propter paucos querulos deserere possunt: nec clero siue hæreditati domini quicquam priuata authoritate præscribunt, quasi tyrannidem affectent: nec dissimulandum putant, aut ignauiter negligendum non obscurè gliscens incendium. Sed in tempore remedium adhibent, & uniuersa multitudine conuocata, publicè & amicè de constituenda meliori ecclesiæ forma consultant. Est autem exemplum hoc omnibus seculis non obseruandum modò, uerumetiam imitandum summo studio, siquidem ecclesiam saluam & incolumem uolumus. Nam nec paucorum hominum ea debet tolerari licentia, ut pro suo arbitrio quiduis agant, & ecclesiæ domini superbè dominentur (1. Pet. 5. cap.) nec dissimulari debent aperta uitia, ea cumprimis, quæ murmuris & querelarum siue dissidiorum seminaria sunt. Nam & uires colligunt diutina mora, serpuntq; longius, & animos inflammant, ut incurabile malum fiat, quod circa initium facilè tolli potuisset. Fit etiam, ut temerarijs & seditiosis occasio detur, qua ipsi ecclesiæ dominium inuadere & pro sua libidine nouas reformationes instituere conantur. Debebant hoc obseruare, qui hodie falsa apostolorum successione gloriantur, & primi ecclesiæ antistites haberi uolunt, quibus intolerabile uidetur, si sancti magistratus ecclesiarum suarum reformationem instituant: cum ipsos totius orbis querelæ iam multis seculis non potuerint excitare, ut manifestos & horribiles abusus tollerent, quorum ipsi tum authores tum patroni iam nimis diu fuerunt. Sed & nobis hoc obseruandum erat, qui euangelij nomine gloriamur, & ecclesias reformauisse uideri uolumus. Quis enim tam uecors est, qui non audiat hodie simili de causa murmurantes & quiritantes pauperes? Et utinam non iustior multò esset illorum querela, quàm illorum fuit, de quibus hic agitur. Nam plerisque in locis à magistratibus diripiuntur ecclesiæ bona, luxu & fastu dilapidantur ab ijs, qui nec ecclesijs ministrant, nec euangelicæ ueritatis studio tenentur: egentibus interim & extrema inopia fameq; laborantibus tum pauperibus, quos ecclesiæ commendatissimos esse uoluit Christus (Matthæi uigesimo sexto capite) tum ecclesiarum ministris. Vt nihil interim de studiorum neglectu & scholarum dissipatione & neglecta morum disciplina dicam, & infinitis alijs malis, quæ omnia impiæ illi ecclesiarum & collegiorum direptioni accepta ferri debent. Vident hæc cordati multi, & ingemiscunt. Arguunt hæc non pauci ecclesiarum fidi pastores, & emendationem flagitant. Multi palàm conqueruntur, nec desunt qui seditioso murmure animorum indignationem testantur. Quid uerò omnibus istis proficitur? Sunt qui minis & atrocibus edictis, uel etiam pœnis murmuratores eiusmodi cohercendos putent. Et qui optimi uidentur, supina & oscitanti ignauia omne hoc negligunt. Interim nemo de reformatione seriò cogitat, quia nemo ex bonorum ecclesiasticorum possessione uult deijci. Sed inueniet uiam aliquam dominus, & horribili iudicio ignauos illos expergefaciet, quos nullæ uel uerbi diuini admonitiones, uel pauperum querelæ excitare possunt.

Cæterum quia magni momenti res est, de qua hic agitur, apostolorum orationem quoq; Lucas recitat, qua illi causam hanc toti ecclesiæ excutiendam proposuerunt. Est ea deliberatiui generis, eiusq; status est, creandos esse diaconos, quibus tum pecuniæ publicæ dispensatio, tum pauperũ cura & subuentio committatur. Sunt autem orationis partes tres. Prima breuem excusationem habet, qua & præsentis instituti rationem reddunt, & crimen, quod à murmuratoribus intendebatur, modeste diluunt, ita ut in seipsos omnem culpam recipiant, ne qua restet suspicionum exprobrationúmue occasio. Aiunt enim: Non conuenit, ut nos derelicto sermone dei, ministremus mensis. Ratio est ab impossibili. Ostendunt enim, fieri non posse, ut utriq; muneri, quod hactenus administrarant, sufficiant, quapropter necessarium sit, ut alterutrum in alios transferatur. Simul uerò admonent, neminem hoc iniquius ferre debere, si quid peccatum sit ab ijs, qui tanta negotiorum mole hucusq; occupati fuerant. Perinde enim est ac si dicerent: Quia ad nos delatæ fuerunt pecuniæ, quas ecclesiæ consecratas esse uoluerunt pij et benefici quidam, illarum dispensationem non inuiti suscepimus, ne aliqua in re ecclesiæ commodo deesse uideremur. At experientia discimus non potuisse nos simul tum docendi officio tum œconomiæ huic satisfacere, & fatemur inter tot tantasq; occupationes aliquid à nobis neglectum esse. Quare aut huic aut illi officio nosmetipsos abdicare oportet. At docendi munus in-

III. Apostolorũ de ordinandis diaconis oratio.

termittere non possumus, cum illud nobis Christus ipse commendarit, nosq; rerum abs se gestarum testes esse uoluerit. Alterum ergo illud in alios transferri oportet, qui mensis ministrent, id est, qui eorum curam suscipiant, quae pauperum subuentioni & alimoniae seruiunt.

Euangelij dignitas.

Docemur prima huius relationis parte, quanta sit euãgelij & uerbi diuini dignitas, cum huius praedicationem apostoli oeconomiae ecclesiasticae & pauperum subuentioni, rei nimirum sanctissimae & cumprimis necessariae, praeferant. Nec ignorauerunt ab euangelij ministris pauperes nullo modo negligi debere, cum illorum curam Paulo & Barnabae postea tam seriò commendarint. Gal. 2. At ubi eò deuentum est, ut uel mensarum uel uerbi ministeriũ intermitti oporteat, indignißimum sibi putant, ut uerbi praedicatio ab ipsis hoc praetextu negligatur. Quia maior animarum, quae uerbo dei alũtur, quàm corporũ & corporalis uictus cura haberi debet, quemadmodum Christus ipse admonet: Quaerite ante omnia regnum dei, &c. Matth. 6. Quid quòd ipse Christus uerbi sui studium omnibus alijs officijs, quae ipsi olim impendi potuerunt, praefert? Mulieri enim exclamanti, Beatus uenter, qui te portauit, & beata ubera quae suxisti: respondet: Quin imò beati, qui audiunt sermonem dei, & custodiunt illum. Luc. 11. Quò & referri debet, quae apud eundem euangelistam habetur Marthae & Mariae, sororum Lazari, historia. Luc. 10. Et Paulus maiorem euangelij quã Sacramentorum curam sibi habendam esse putauit, quando testatur, se non ad baptizandum, sed euangelizandum missum esse. 1. Cor. 1. Adhaec non obscurè in praesenti docent apostoli, tantam esse huius muneris excellentiam & grauitatem, ut peculiarem hominem, omnibus alijs curis & laboribus liberatum, requirat. Quae causa est, quòd Christus apostolos mundi huius imperijs & regnorum administrationibus occupari noluit. Matth. 20. Luc. 22. Peccatur ergo hic uehementer à personatis nostri seculi episcopis, qui quiduis potius quàm praedicandi munus subire uolunt, & in aulis regum, imò castris etiam, frequentius quàm in suggestu conspiciuntur, cum praecipuam in episcopo uirtutem hanc Paulus esse uelit, ut docendi facultate sit praeditus. 1. Tim. 3. Sed utinam ab illis solis peccaretur, & non inter nos haberẽtur, qui uel opum studio immodico, uel uanißimis rebus, compotationibus nimirum, aut uenationi & aucupio, ac interdum parum honestis exercitijs, maximam temporis partem, quae lectioni & doctrinae debebatur, impendunt. Experientur illi aliquando horribile dei iudicium, quando ab ipsorum manibus requiretur illorum sanguis, qui ipsorum negligentia perierunt. Ezech. 3. & 33. Matth. 24.

Quales ordinandi diaconi.

Secunda parte orationis, quid factu opus sit, docent, ut afflictis ecclesiae rebus consulatur, cum aiunt: Dispicite ergo ex uobis uiros testatae probitatis septem, plenos spiritu sancto & sapientia, quos praeficiemus huic negotio. Diaconos siue dispensatores constituendos esse censent, ad quos haec cura peculiariter pertinere debeat. Et septem quidem eligi uolunt, eò quòd illum numerum pro illorum temporum ratione sufficere putarent, non quòd omnes ecclesias eidem numero alligatas esse oporteat. Quanuis utile hoc esse uideatur, ne paucioribus publicarum opum cura credatur: quia ferè fit, ut illi uel ferocius insolescant, uel priuatis commodis prospiciant, nisi aliorum imperio & authoritate coherceantur. Et si nihil horum fiat, attamen pauciores citius in suspicionem ueniunt, quàm si plures hoc munus inter sese distribuant. At ne electione aberretur, diligenter quales ordinari debeant, exponunt. Primò ex fideliũ coetu eligi uolunt. Nemo igitur admittendus, qui fidei aduersarius, aut saltem à fide alienus fuerit. Deinde testatae probitatis uiros requirunt, ut nimirũ publicae opes illis tutò committi poßint. Tertiò spiritu sancto plenos postulant, nõ eos, qui affectibus turpißimis toti reguntur. Postremò sapientiae, id est, rerum gerendarum peritiae & dexteritatis rationem haberi uolunt, cum sine hac non poßit legitima exerceri opum eiusmodi dispensatio. His coniunge, quae de Diaconis Paulus tradit, & quid hodie obseruandum sit, facilè constabit. 1. Tim. 3. Sed ut alibi, ita hic etiam turpißimè aberratur. Apud Papistas enim inane diaconorum nomen remansit. At qui euangelici dicuntur, cum ecclesiarum opes uel aerario publico uendicent, uel in alios usus maximam illarum partem conuertant, ferè eos dispensatores constituunt, qui à fide alieni, uerbum dei eiusq; ministros summo odio persequuntur, quiq; ubi sua bona dilapidarunt, ecclesiae opibus ditescere student, & quos uino potius quàm spiritu sancto plenos esse, & non tam sapientiae spiritu quàm impotentißimis affectibus regi uideas. Peccant hi quidem grauißimè, sed non minus peccant, quorum suffragijs tales creantur. Nam hos alienis peccatis communicare, Paulus testatur. 1. Tim. 5.

Tertia

Tertia & postrema parte, quid ipsi facturi sint, repetunt, ne quis illos otium affectare suspicaretur. Nos autem (dicunt) precationi & ministerio uerbi incumbemus. Incumbendi uerbo ardens & serium studium exprimunt; quo uerbi ministris opus est, siquidem in suo munere cum fructu aliquo uersari uelint. Duobus uerò officijs præcipuas ecclesiastici ministerij partes comprehendunt. Primas in hoc doctrina tenet. Quæ quia ex ore dei desumi debet, diligenti scripturæ sacræ, in qua nobis deus loquitur, studio opus est. Ideò Paulus Timotheum lectioni iubet intendere. 1. Timoth. 4. Rursum quia eadem ad ædificationem tendere debet, probè curandum est, ut ritè secetur uerbum dei, ut singulorum tum institutioni tum consolationi seruiat. Cæterum quia inane est ministri studium, nisi dominus incrementum dederit (1. Cor. 3.) aßiduis precibus ille fatigandus est, ut auditorum mentes suo spiritu imbuere & trahere dignetur. Coniunxit utrunque Christus dominus, cuius exemplum apostoli hoc loco sibi imitandum proponunt. Imitemur idem quotquot ecclesijs seruiunt, nec inaniter sese laboraturos sentient. Aderit enim illorum studijs sui numinis gratia uerus & summus ille ecclesiæ Rex, Iesus Christus: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Ministrorũ ecclesiæ officia.

HOMILIA XLI.

Et placuit hic sermo coram tota multitudine: & elegerunt Stephanum, uirum plenum fide & spiritu sancto, & Philippum, & Prochorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenam, & Nicolaum proselytum Antiochenum. Hos statuerunt coram apostolis, & cùm orassent, imposuerunt eis manus. Et sermo Dei crescebat, & multiplicabatur ualde numerus discipulorum Hierosolymis, multaque turba sacerdotum obediebat fidei.

QVemadmodum optimam perfectißimamque primitiuæ ecclesiæ formam Lucas descripsit: ita uitium quoque, quod in illa obortum fuit, magna diligentia commemorat. Origo eius circa ecclesiæ opes extitit, & multipliciter peccatum fuisse nuper uidimus. Errarunt ignorantia & negotiorum multitudine circumuenti apostoli, cum duobus simul officijs sufficere non possent. Sed leuiculum errorem atrox flagitium sequitur. Simultatum enim semina quidam concipiunt, & murmuratores fiunt: ut longè alia nunc ecclesiæ facies sit, quàm quæ hactenus fuerat, quando unam & eandem omnium animam atque uoluntatem fuisse dixit. Voluit autem de his nos admoneri spiritus sanctus, ne qui tanquam re insolita offendatur, si quos næuos aut uitia in ecclesijs oboriri uideant. Quid enim tam humanum est, quàm falli & errare? De correctione ergo potius cogitandum, ne longius serpant uitia, aut dilatione incurabilia fiant. Obseruarunt hoc apostoli, qui multitudine conuocata, modestißimè sese excusant, simulque quid factu opus sit, ingenuè consulunt. Is uerò consilij ipsorum finis & scopus est, ut diaconi siue dispensatores eligantur, quibus cum publicorum bonorum tum pauperum ecclesiæ cura committatur: & ne in electione aberretur, qui & quales elegi debeant, diligenter admonent. Sequitur ergo, quid factum sit, ubi apostolorum consilium ecclesiæ totius authoritas comprobauit. Est hæc altera historiæ præsentis pars, qua diaconorum ecclesiæ electio describitur, in cuius consyderatione nos non oscitanter uersari conuenit, ut quid hodie nos facere deceat, intelligamus.

Principiò autem, à quibus diaconorum electio facta sit, docet. Placuit (inquit) hic sermo toti multitudini, & elegerunt Stephanum, &c. Totius ergo ecclesiæ consensu & authoritate diaconi electi sunt. Ad ecclesiam ergo totam pertinet diaconorum electio, quibus ecclesiæ bonorum administratio committatur. Quia enim hæc illi consecrata sunt, minimè permittendum est ut pauci aliquot illa pro suo arbitrio dispensent, aut illorum dispensatores eligant. Ita enim fit, ut dißipationi ecclesiarum occasionem præbeant opes illæ, quas in illarum conseruationem pij & fideles sancto studio & Christiano zelo contulerunt. Magnam uerò laudem meretur, quòd illis apostolorum cõsilium placuisse dicit. Videbant enim æquum & iustum esse, ne temporarijs rebus grauarentur, quos euangelij prædicationi Christus consecratos esse uoluerat. Videbant item Christi exemplo institutum hoc conuenire, qui & ipse loculos & uictus quotidiani pauperumque curam Iudæ cõmiserat, quò minus uel ipse uel re-

I. Ecclesia eligit diaconos.

liqui apostoli in uerbi ministerio impedirentur. Quapropter absq; omni controuersia in apostolorum sententiam pedibus eunt. Est autē hæc germana & propria ecclesiæ nota, quòd pastoris sui uocem audit, nec Christi consilijs siue exemplis reluctatur. Iohan. 10. Et inexcusabilis illorum contumacia est, qui ne errauisse uideantur, quicquam mutari & corrigi nolunt, etiamsi horrendis abusibus ecclesiæ formam & ordinem omnino conturbatū esse uideant. Peccatur in hoc à Romanis, qui axioma hoc [illegible]dicus sibi defendendum esse existimant, Romanam ecclesiam non posse errare, &c. nec reformationem aliquam admittere uolunt, etiamsi errores & abusus ingentes nec dißimulare nec excusare possint. Ad eundē lapidem non paucos ex euangelicorū numero offendere uidemus, qui dum à primæuarum ecclesiarū suarū reformatione ne latum unguem discedere uolunt, non ueteres modò errores in quibusdam articulis retinent, sed nouos quotidie succrescere patiuntur. Veteris ergo & primitiuæ ecclesiæ facilitatē imitemur, ne dum omni erroris suspicione liberari uolumus, erroribus toti deformemur.

II. Catalogus diaconorū ecclesiæ

Secundò, qui nam ab ecclesia electi fuerint, indicatur. Texitur enim septem uirorum catalogus, in quo ut primum locum Stephanus obtinet, ita singulari elogio cōmendatur, dum fide & spiritu sancto plenus fuisse dicitur. Cuius cōmendationis partim causa est sequens Stephani historia, partim ut intelligamus, quid in electione ista præcipuè ecclesia obseruarit. Nihil enim priuatis affectibus locatum, nec admissæ sunt ambitiosorum hominum artes, quos priuatæ uel gloriæ uel utilitatis cupiditas exagitauit. Sed tales sibi eligendos esse censuerunt, qui Canoni ab apostolis præscripto, responderent. Attamen inter hos Nicolaus censetur, quem ueteres uxorem publicauisse, & execrabilis Nicolaitarum sectæ (cuius opera Christus se odisse testatur, Apoc. 2.) authorem fuisse tradunt. Nec tamē, uel apostolorum exhortatione, uel sancto totius ecclesiæ studio, effici potuit, quò minus sanctißimo diaconorum ordini impurus & flagitiosus homo obreperet. Quod sanè admirabile simul & absurdum uideri poterat, nisi diuina prouidentia cum totius humani generis tum ecclesiæ Christi negocia omnia regi constaret. Et permisit hunc iusto suo iudicio dominus in ecclesia locum aliquem insignem obtinere, quod hæc ad nostram institutionem plurimum facere poterant. Primò etenim admonemur, bonorum & piorū cœtibus frequenter improbos obrepere. Nec enim cessat satan bono semini, dum dormiunt homines, zizania superseminare. Matth. 13. Sic Iudā inter apostolos recenseri uidemus, quem Christus diabolū & proditorem esse nouerat. Iohan. 6. Quapropter nemo offendi debet, si quid simile hodie contingat. Vult enim suos exerceri dominus. Et oportet hæreses esse, ut electi probentur. 1. Cor. 11. Præterea attentos nos reddit, tum in nobis ipsis, tum in alijs examinandis, ne uel ipsi nobis imponamus, uel ab alijs tum nobis tum ecclesiæ imponi patiamur. Quod in electionibus ante omnia obseruari conuenit. Si enim primitiua ecclesia suo iudicio falsa est, cum sancto Christi zelo ferueret, quid fore sperabimus, si corruptißimi carnis affectus in consilium admittantur, uel inconsultò præcipitentur iudicia? Docet insuper Nicolai exemplum, quanta cura & studio illis etiam opus sit, qui stare uidentur, ne quādo & ipsi cadant. 1. Corinth. 10. Nam ut natura ad omne uitiorum genus procliues sumus: ita non otiatur communis noster hostis diabolus, sed nunquam non rugientis leonis instar obambulat, quærens quem deuoret. 1. Pet. 5. Nec sibi securitatem polliceri debent, qui tot sanctißimorum hominum lapsus ob oculos habent, & qui iustum in die septies cadere non ignorant. Prouerb. 24. Postremò arguuntur exemplo hoc, qui nudo antecessorum suorum & succeßionis titulo gloriantur, cùm in dei leges palàm peccent. Nicolaitas enim, qui Gnosticis, turpißimo hominū generi, quo nihil unquam flagitiosius orbis terrarum habuit, initium dedisse uidentur, authorem habuisse cernimus Nicolaum, quem primitiua ecclesia, non modò fidelium numero dignum esse iudicauit, sed quasi reliquos excelleret, in diaconorum numerum accersiuit. Quid quòd Antichristum in ipsa ecclesia sedem habiturum esse Paulus docet, & abominationem in loco sancto fore ex prophetis Christus testatur? 2. Theß. 2. Matth. 24. Stultum ergo est succeßionem & ordinis sanctitatē iactare, & non potius in hoc incumbere, ut uocationi nostræ respondeamus.

III. Diaconi inaugurantur publicè.

Sed reuertamur ad diaconos, quos modò electos fuisse diximus, & quid præterea factum sit, uideamus. Nec enim illicò munus suum inuadunt, sed publica prius inauguratione confirmantur. Et primò quidem coram apostolis sistuntur, tanquam ijs, ad quos tum totius ecclesiæ tum pauperum cura cumprimis pertinebat. Quare admonebantur noui illi diaconi, ita ipsis in dispensationis suæ munere uersandum esse, ut apostolis, qui uerbi dei ministri erant, rationem possent reddere, quorum

cura

circa hoc negotium seueritas in Ananiæ & Sapphiræ exemplis non ita pridem eluxerat. Quo exemplo arguuntur nostri seculi homines, qui uerbi & ecclesiarum ministros ab inspectione & cura publicorum bonorum omnino arcendos esse censent, & indignum putant, si illi de ecclesiasticarum opum dispensatione ac earundem dispensatoribus uerba faciant. Atqui constat, pauperum curam non posse ab ijs negligi, quibus totius ecclesiæ curam Christus commendauit. Qua ratione enim partem negligent, qui totum curare debent? Vel ergo pauperes ad ecclesiam pertinere negabunt illi homines, uel ministris illorum curam permittere cogentur. At quomodo negabunt pauperes ecclesiæ partem esse, cùm hos Christus ita complectatur, ut in se collatum putet, quicquid illis fit? Cæterum non clam est, quid nostri illi uenentur: hoc nimirum, ut omni fræno abiecto, & uniuersæ disciplinæ atque correptionis metu soluti, pro suo arbitrio in ecclesiæ bonis libidinentur, quæ pauperum subuentioni destinari oportebat. Nec horum tyrannidi cedere debent, quicunq; in ecclesiæ ministerio fideliter & cum laude uersari uoluerint. ¶ Secundò precum mentionem Lucas facit. Fudit has unanimi consensu pro diaconis recens electis ecclesia, ut spiritus sancti dona impetraret, quibus illos quàm maximè opus habere nouerat. Nobis uerò suo exemplo religionis studium commendant, quod ut in omni alia re, ita in ijs maximè adhiberi debet, quæ ad communem ecclesiæ administrationem pertinent. Nec immeritò impij censentur, qui preces tum priuatas tum publicas prophano contemptu negligunt. Præterea docemur pro omnibus illis sedulò orandum esse, qui in publico aliquo munere uersantur. Vt enim isti non sibi solis laborant, sed publicæ saluti inuigilant: ita si quid ab ipsis peccatum fuerit, id ferè publici alicuius mali causam præbere solet. Ideò ecclesiam paulò antè pro apostolis publicas & communes preces habuisse uidimus. Et Paulus sese ecclesiarum publicis precibus commendat, ut aperto ore & liberè salutis uerbum prædicare posit. Ephes. 6. Idem pro magistratibus & omnibus in eminentia constitutis Christianos orare iubet, ut qui non alia re, saltem precibus publicam salutem adiuuent. Quod in ueteri ecclesia ita obseruatum fuisse ecclesiastici scriptores testantur, ut pro Romanis Imperatoribus à fide adhuc alienis, quotidianis precibus Christiani apud deum intercederent. Et sanè tum ingrati tum stupidi animi argumentum est, nulla eorum cura tangi, quibus publica rerum administratio commissa est. Tertium in horum inauguratione locum obtinet manuum impositio, quæ partim quidem consecrationis, partim uerò cõmißionis symbolum erat. Nam ut uictimis manus imponebant sacerdotes, & sic eas deo consecratas esse testabantur: ita ecclesiæ ministris manus imponi solebant, ut se deo consecratos esse scirent, & suæ vocationis certiores essent. Nec parum referebat illos eius rei publica ceremonia admoneri. Nisi enim quis certò intelligat, se diuinitus uocatum & ordinatum esse, munere quidem suo, dum felici successu omnia procedunt, fungetur, vt primùm uerò fortuna aduersa tonare cœperit, nulla diuini auxilij spe suffultus, stationem suam turpißimè deseret. Interim probè obseruemus, quòd manuum impositioni preces coniungunt. Ita enim docent, non externo symbolo spiritus gratiam alligatam esse, sed diuinitus obtingere, & pijs precibus esse impetrandam. Atqui hæc est simplicißima ministros ecclesiæ & diaconos inaugurandi ratio, qua primitiuam ecclesiam aliquot seculis usam fuisse constat. Cum qua, si conferas, quæ hodie à Papistis fiunt, ueterem simplicitatem omnino obsoleuisse, & frigidißimis ceremonijs omnia ea obliterata esse uidebis, quæ ad uerũ dei cultum spectant, & homines officij sui admonere poterant.

Cæterum ne quis diaconorum institutionem & erroris huius tam diligentem correctionem superuacaneam siue inutilem fuisse putaret, insignem & multiplicem fructum ex ea enatum esse Lucas docet. Creuit enim uerbum dei, tum quòd ad alios quoq; propagatum est, tùm quòd maiores in illorum animis fructus fecit, à quibus antea auditum & receptum fuerat. Deinde fidelium numerus, quem primates & antistites non modò imminutum, sed omnino sublatũ cupiebant, mirificè auctus est, idq; Hierosolymis, ubi maxima erat hostium potentia atq; authoritas. Præterea non modò uulgares & plebeij, sed iam sacerdotes quoq; obedientiæ fidei sese submittere, et Christo nomina dare incipiunt. Habent hæc multiplicem consolationem, si penitius paulò inspiciantur. Docent enim, quibus armis & studijs ecclesia Christi felicißimè propagetur & conseruetur. Non quidem humanæ siue carnalis prudentiæ consilijs & mundi machinationibus: sed doctrinæ puritate & disciplina sancta. Cuius hic finis esse debet, ut doctrinæ Christi externa omnia respondeant, & errores, si qui incidunt, studiosè emendentur: scopus uerò omnium sit Dei gloria & multorum salus. Hæc cùm sedulò

IIII. Fructus emendati erroris.

obseruantur, cordatiores quiq; (quos prius nouitas terrebat) aures & animos præbere incip... Nec dubium est, hodie etiam feliciores fore in ecclesia rerum successus, nisi in hac parte prof... surduissemus. Quasi enim inanis Christiani nominis professio ad salutem sufficiat, in illa ... subsistimus, nec publica morum corruptione & manifestis erroribus, nec iustißimis piorum ... lis excitamur, ut seriò emendemus, quæ emendari oportebat. Nostra igitur negligentia & ... ritate fit, ut minus feliciter hodie procedat euangelij negotium. Rursum euidenti exemplo doc... quàm irriti & uani sint impiorum aduersus Christi regnum conatus. Quò magis enim isti fur... eò magis illud propagatur, & iam in sacerdotum ordine Christiana fides locum inuenit, quam... in uulgo minimè tolerandam esse putabant. Simile quid Christo adhuc in terris agente conting... quando Nicodemus & Iosephus Arimathæus in illum crediderunt, quem reliqui omnes extin... volebant. Quid, quòd Nerone crudelibus edictis contra ecclesiam fulminante, in illius tamen a... reperti sunt, qui Christo nomen dederant, sicuti Paulus ad Philippenses testatur? Simul uerò sing... lare hoc est diuinæ bonitatis & mansuetudinis specimen, quòd ex eorum numero non paucos ... tatis cognitione illustrare dignatur, qui Christi sanguinem fuderant, primiq; mortis ipsius auth... habebantur. Quis ergo posthac in peccatis suis desperet, quando hos ueniam consecutos esse uidem... Christum potius audiamus, qui peccatoribus remißionẽ & pacem sponte pollicetur, & pro ijs, a qu... bus cruci affigebatur, orare dignatus est. Nec tamen consolationi tantum, uerumetiam institu... ni exemplum hoc seruire debet, ut nimirum ipsi quoque pari facilitate ijs condonemus, qui iniuri... nos afficiunt. Ita enim fiet, ut uero filiorum dei spiritu donati, & omni liberati nostrorum pecca... rum debito, cœlestis & æterni regni hæreditatem adeamus, cum filio dei unigenito, Iesu Christo ... debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA XLII.

Porrò Stephanus, plenus fide & potentia, edebat prodigia & signa magna in populo. Surrexerunt autem quidam ex Synagoga, quæ uocabatur Libertinorum, & Cyrenensium, & Alexandrinorũ, & eorum qui ex Cilicia erant & Asia, disputantes cum Stephano, & non poterant resistere sapientiæ & spiritui, quo loquebatur. Tunc subornarũt uiros, qui dicerent: Audiuimus hunc loquentem uerba blasphema in Mosen & deum. Cõmoueruntq; populum, & Seniores & scribas: & inuadentes corripuerunt eum, & adduxerunt in Concilium, statueruntq; falsos testes, qui dicerent: Homo iste non cessat loqui uerba blasphema aduersus locum hunc sanctum & legem. Audiuimus enim eum dicentem, quòd Iesus hic Nazarænus destruet locum hunc, & mutabit instituta, quæ nobis tradidit Moses. Et cùm omnes, qui sedebãt in Concilio, intuiti essent in eum, uiderunt faciem eius, tanquam faciem angeli.

QVum dominus & saluator noster, Iesus Christus, per acerbam crucis mortem in dei pa... sui regnum & gloriam ingressus sit: eadem sors omnibus sustinenda erit, quicunq; in illo ... uiuere & cœlestis regni consortes cum illo fieri cupiunt. At quia non alia re magis quàm cruce ... dimur, non præceptis modò, uerumetiam primitiuæ ecclesiæ exemplo nos instrui & cõfirmari ... dens, ne persecutionibus & aduersis, tanquam re noua & insolita offenderemur: quando olim la... successibus horribiles persecutiones intermixtas fuisse uidemus, crescente nihilominus ecclesia. Cu... rei exemplum præsens, quam modò tractabimus, historia exhibebit, si cum ijs, quæ proximè pr... runt, conferatur. Narrauit enim Lucas felicißimos euangelij progressus, & quod illi iam non ... uulgares homines, uerumetiam multi ex sacerdotum numero credere cœperint. Quare eccle... iam in portu tuto & pacato constitutæ uideri poterant, quando tantis patronis tamq; præclaris de... fendebantur. Ecce verò nouum certamen oboritur, quo nullum hucusq; atrocius & periculosius ... titit, & in quo Stephanus, per cuius latus tota Christi ecclesia petebatur, Christi causam non ... mod...

modo & cōstanti fidei confeßione, sed etiam sanguine tueri coactus fuit. Vsus historiæ præcipuus est, ne offendamur, si subitò graues motus surgant, quādo omnia in tuto uidentur, & ij iuuare uel nō possunt, uel etiam non uolunt, quos nobis fidißimos patronos fore sperauerarmus. Patitur enim hoc fieri Deus, ut nos à carnalium præsidiorum fiducia abstrahat, & reipsa discamus, Christi regnum neque per exercitum, neq; per uim (sicuti Zacharias ait) sed per spiritum Domini propagari. Quia uerò hîc multa alia concurrunt, quæ ad nostram institutionem & consolationē faciunt, historia tota cum suis partibus singulari studio à Luca describitur. Primò enim à personæ descriptione exorsus, quis & qualis Stephanus fuerit, docet. Deinde illius hostes & eorundem aduersus ipsum conatus describit. Tertiò qualem se in huius causæ certamine Stephanus gesserit, & eiusdem gloriosum martyrium cōmemorat. Nunc uerò de ijs dicemus, quæ ad præsentis loci tractationem pertinere uidebuntur.

Stephani descriptio.

Stephanum in diaconorum numero primum locum tenuisse supra ostendit Lucas. Nunc uerò ea adijcit, quæ ad præsentem historiam faciunt. Et primò quidem fide plenum fuisse docet, ut intelligamus ipsum non inani fidei gloriatione superbiuisse, sed uera fide animatum, zelo Christi & gloriæ ipsius flagrauisse. Fidei potentiam addit, cuius nomine miraculorum donum intelligimus, iuxta illud Pauli, quod de donorum diuisione in priori ad Corinth. cap. 12. habetur. Vt autem fidem zeli ardore declarauit, ita alterum illud spiritus sancti donum miraculis & prodigijs præclaris testatus est. Et quamuis de publicis concionibus nihil dicatur, constat tamen ex historiæ contextu, ipsum has & frequentes & efficaces maximeq; serias habuisse. Quapropter obiter & quasi in trāscursu hîc uidere licet, primitiuæ ecclesiæ diaconos, à uerbi ministerio non omnino alienos fuisse: sed licet circa bonorum ecclesiæ dispensationem præcipue occuparentur, suam tamen operam in reliquis quoq; ministerijs ecclesiæ, quoad fieri licuit, impenderunt, ut iuxta Pauli sententiam hoc pacto bonum gradum sibijpsis acquirerent. 1. Timoth. 3. Imprimis uerò obseruanda hîc est promißionum Christi ueritas, quibus ille fideles & industrios seruos instruit. Ait enim, super multa & magna constituendos esse, qui in paruis fideles fuerint. Idē eos qui habent, plura adhuc accepturos esse pollicetur. Matth. 25. Experitur hoc Stephanus, ut hic locus docet. Quia enim donis spiritus, quæ initiò habuit, bene usus est, & temporariorum bonorum dispensationem summa fide administrauit, pluribus donis augetur, & in altiorem gradum euectus, adeoq; ipsis apostolis par factus, æternos & cœlestes euangelij thesauros magna cum laude & fructu dispensare pergit: imò primus est, quem Christus martyrij corona ornari uoluit. Excitemur igitur huius exempli consyderatione, nec conditionis nostræ uilitate nos ab industria reuocari patiamur, quando fide & diligentia spiritus sancti incrementa assequi, & nobis ad præclariora ministeria gradum siue aditum præparare poßumus.

Stephani antagonistæ.

Cæterum mox inuenit fortis & strenuus Christi miles, qui ipsius studijs & sanctis conatibus sese opponerent. Insurgunt enim diuersarum nationum uiri ex schola siue collegio Libertinorum, qui ipsi negotium faciant. Nam cùm Hierosolymorum ciuitas tum cultui externo tum scholæ & legis studio destinata esset, diuersa in ea habebantur Iudæorum, qui ex diuersis gentibus uel religionis uel studiorum ergò illuc commeabant, collegia: è quorum numero hæc quoq; Libertinorum Synagoga fuit, qui cōiurationis contra Stephanum institutæ duces uel antesignani fuerunt. Vnde uerò isti Synagogæ nomen hoc obtigerit, uariæ sunt interpretum sententiæ. Mihi præ alijs eorum arridet, qui à libertis Romanis collegium quoddam extructum fuisse putant, in quo extranei instituebantur. Scimus enim magnam fuisse Libertorum eiusmodi potentiam: & eiusmodi officijs multos populi fauorem captauisse, Centurionis exemplo docemur, quem eo nomine sacerdotes Christo cōmendant, quòd ipsorum Synagogam ædificasset. At non temere factum est, quòd à diuersarum nationum hominibus, ijsq; doctis rerumq; peritis, Stephanus oppugnatur. Vt enim à sapientibus huius seculi abscondita ferè sunt regni Christi mysteria: ita maior eò est sanctorum gloria, quam ex congreßibus eiusmodi reportant. Tum etiam consolationi seruit, ne ignauo metu succumbamus, si quando à multis simul & instructißimis hostibus nos peti uideamus. Est autem operæprecium uidere, quo ordine & quibus artibus pugnam contra Stephanum coniurati illi instituant.

Disputatione oppugnatur Stephanus.

A disputatione initium factum esse, Lucas dicit, cuius finem & scopum non alium fuisse uerisimile est, quàm quòd ipsum suis sermonibus capere & irretire studuerunt, quod non semel in Christo quoq; scribæ tentauerunt. Ingenio enim & eruditione freti, facilem sibi ea in re uictoriam pollice-

bătur aduersus rudem & illiteratum hominem, uel saltem nullo adhuc eruditionis titulo insignem. At longè aliter cedit negotium, quàm ipsi instituerant. Quem enim illi rudem & imparatum putabant, cœlesti sapientia & spiritu suggestore siue consultore instructus, non modò ad propositas quæstiones respondet, sed tanta argumentorum copia & ui pugnat, ut ipsi nullo pacto resistere possint. Quo loco rursum cernimus, nunquam promissis suis deesse Christum, qui ipsissima est ueritas. Promisit is spiritum consolatorem & consultorem, qui in omnem ueritatem suos ducturus sit. Iohan. 14. Promisit os & sapientiam, cui homines resistere non possint. Luc. 21. Promissa autem fidelissimè præstitit hucusq, ut in apostolorum exemplis uidimus. Nec adhuc exhaustus est cœlestis sapientiæ thesaurus, sed ex eo Stephanus quoq haurit, quæ ipsi in hoc certamine necessaria erant. Neminem ergo mundi uel sapientia uel authoritas terreat, quando non nostra est causa quam agimus, sed Christi, qui nobis à patre sapientia factus est, & in quo omnes scientiæ & sapientiæ thesauri reconditi sunt. 1. Cor. 1. Col. 2. Cogitemus itē, maiorē esse illū, qui in nobis est, quàm q in mūdo tumultuatur. 1. Ioan. 4.

Falsi testes contra Stephanum sistuntur.

Num uerò disputatione uicti cedunt Libertini Sophistæ? Nequaquam. Imò ad malas artes conuersi, falsis testibus & mendacijs eum opprimere conantur, quem ueritate suffultum, & proinde inuictum esse cernebant. Subornant enim uenales linguæ utros, qui calumnijs toti populo inuisum & infamem reddant fidelissimum Christi præconem. Et de his quidem paulò post dicetur. Nunc uerò obseruemus, quousq progrediantur, qui ueritatis odium, quod semel animis conceperunt, pertinaciter alunt, & ne uicti quidem cedere uolunt. Traduntur tales in reprobum sensum, & eò cæcitatis deueniunt, ut sub zeli diuini prætextu, quo improbè gloriantur, quiduis sibi licere putent, & ne manifesta quidem & atrocissima flagitia exhorreant. Nec enim ignorare poterant Libertini isti, talionis legem falsis testibus diuinitus impositam esse. Deut. 19. Et si nullæ uspiam extarent leges, communis tamen sensus dictat, immani flagitio omnes eos pollui, quicunq uel ipsi falsum testimonium dicunt, uel falsos testes sistunt. At omnia hæc susq deq ferunt, qui ueritatis odio flagrant. Et iusto dei iudicio fieri solet, ut communi quoq sensu destituantur, & proinde immanibus flagitijs sese polluant, qui ueritatem, ubi illa animis ipsorum illuxit, improbè exibilant. Extant multa eius generis exempla, tum uetera tum recentia, inter quæ cumprimis memorabile est, quod Constantiensis Concilij antistites contra commune gentium ius in Iohannem Hussium designarunt, quem non ueriti sunt uiolata fide publica & Imperatoria, immanibus flammis tradere, nec alio prætextu tanti facinoris indignitatem excusarunt, quàm quòd hæreticis fidem seruandam esse negauerunt. Nemini ergo mirum uideri debet, si se quoq indignis & iniquis modis tractari sentiat. Interea discamus gliscentis contra ueritatem odij ignem in primis initijs restinguere, ne in similem cæcitatem & incurabilem pertinaciam ipsi quoq abripiamur.

Seditione opprimitur & capitur Stephanus.

Quia uerò paucorum improbitas contra ueritatis doctrinam parum aut nihil proficere poterat, in hoc incubuerunt callidissimi sophistæ, ut populum totum unà cum Senioribus & scribis aduersus Stephanum concitarent. Et quantum ex circumstantijs conijci potest, publico in urbe tumultu excitato, illum comprehendi, & in Concilium abripi curauerunt. Quod uetus satanæ stratagema est, ut seditionibus absorbeantur, quos ueritatis & legum patrocinio tutos esse uidet. Fit autem sæpè, ut per seditiones miserè pereant, qui ueritatem seditiosis artibus oppugnant, quod Iudæorū etiam genti accidisse constat. Insigne uerò hîc proponitur leuitatis & inconstantiæ uulgi exemplum. Supra enim indicatum est, apostolos & totam ecclesiam apud populum in summo pretio extitisse, tum propter miraculorum splendorem, tum propter diuinæ & cœlestis maiestatis speciem, qua fulgebant. At nunc Sophistarum artibus pleriq decepti, aduersus ueritatis doctrinam insurgunt. Eandem uulgi leuitatem Christus quoq expertus est, quem modò regem facere conantur, modò insanis clamoribus ad immane crucis supplicium deposcunt. Ita Paulum Lystrenses primò quidem deum esse clamant, mox uerò lapidibus obruunt. Actorum decimo quarto. Et multa huius generis passim in omnium gentium historijs leguntur, quorum omnium hic usus est, ne popularem auram moremur, nec mundo placere studeamus, sed deo potius, cuius uoluntas certa, stabilis & inconcussa manet.

Stephanus accusatur impietatis & pertinaciæ.

Videamus nunc quid nam criminis Stephano intentarint per falsos testes, quos in Concilium productos fuisse Lucas testatur. Summa accusationis est: Homo iste non cessat loqui uerba blasphema

ma aduersus locum hūc sanctum & legem. Impietatis ergo accusatur, nec eius tantummodo, uerum etiam incurabilis pertinaciæ, quæ nullis hucusq; rationibus emolliri potuerit. Nominatim uerò urbis sanctæ & templi meminerunt, eò quòd intolerabilis impietas Iudæis uidebatur, quicquam aduersus ista uel dicere uel instituere, cum tot diuinis promissionibus passim commendarentur. Ideo Ieremiæ etiam hoc cumprimis uitio datur, quod aduersus ciuitatem sanctam & templum prophetaret. Ierem. 26. ¶ Cæterum quia crimen testibus euinci oportebat, & apertius exponi quæ nam istæ essent blasphemiæ, addunt: Audiuimus enim eum dicentem, quod Iesus iste Nazarenus destruet locum hunc, & mutabit instituta, quæ tradidit nobis Moses. Quia ergo æternitatem sibi tum de templo & externo cultu, tum de ciuitate pollicebantur, impium putabāt, quicunq; de horum destructione aliquid diceret. ¶ Porrò unde huius accusationis ansam arripuerint, facilè ex apostolorum doctrina conijcere licet. Docebant enim illi, mera dei gratia propter meritum Iesu Christi iustificari & saluari homines, nec quicquam in salutis negotio uel hominum operibus uel externis ceremonijs tribui debere. Illa enim imperfecta & polluta esse, has uerò futuræ in Christo redemptionis umbras & figuras fuisse, quas sui corporis sacrificio Christus sustulerit, sicuti ex ueli scissione, in Christi morte facta, colligere liceat. ¶ Simul uero hortabantur omnes homines, ut abiecta inani iustitiæ legalis fiducia, dei iustitiam, quæ in Christo nobis offertur, firma fide amplecti dignarentur. Quod ut facilius persuaderent, imminentis excidij periculum, de quo non semel Christus admonuerat, ob oculos reuocabant. ¶ Ex his ergo accusandi occasionem arripiunt astutissimi impudentissimiq; calumniatores, de externi cultus abolitione & urbis excidio quidem Stephanum uerba fecisse clamant, astutè uerò & improbè causas reticent, quæ illum ista dicere coegerant. Quin ita causam hanc proponunt ut ipse Stephanus templo flammas minatus fuisse, uideri potuerit: & de Christo contemptim admodum loquendo, hunc cum templi splendore & magnificentia quasi conferunt, ut magis inuisam reddant doctrinam eius omnem. ¶ Est autem singulari diligentia obseruandus locus hic. Nam ut docet, mendacijs ferè ueritatem oppugnari: ita non obscurè admonet, illius doctrinam nunquam tam cordatè & modestè prædicari posse, quin calumniandi occasionem mundus infelix arripere possit. Experimur hoc nostro tam exulcerato seculo, quo iniquissimè carpitur, quicquid fidi ueritatis doctores proferunt. Nam cum docemus, mera dei gratia iustificari homines, & nullam in salutis causa laudem nostris uiribus siue operibus deberi: mox bonorum operum hostes, & carnalis licentiæ fautores esse dicimur. Rursum, si in uno Christo contineri dicamus quæcunq; saluti nostræ seruiunt, eò quòd ille nobis unicus inter deum & nos mediator, unicus aduocatus & intercessor constitutus sit: mox in Diuam uirginem & sanctos impij & blaspemi iudicamur. Item, si Christi ecclesiam humanarum traditionum intolerabili iugo liberare, abusus corrigere & ueterem primitiuæ ecclesiæ simplicitatem reducere conemur: illico prosiliunt, qui nos religionis & cultus diuini aduersarios, sacramentorum prophanatores, adeoq; sacrilegos esse, uociferentur. Quòd si mundo, impuris scelerum uorticibus immerso, imminentem dei iram & dignas iamq; olim commeritas pœnas denuntiamus: pro publicæ pacis hostibus & seditiosis rerumpub. turbatoribus damnamur et proscindimur. Deniq; nihil tam uerè, tam piè, tamq; modestè à ueritatis præconibus dici potest, quod Zoilorum iniquam censuram subterfugere possit. At nemo istis ita moueri debet, ut à domino sibi commissam prouinciam deserat. Cogitemus ueterem hunc mundi morem esse, cui nos constanter simul & prudenter obluctari decet. Animemur item scripturæ testimonijs, quæ piorum memoriam à deo conseruari, & iisdem in cœlis amplissimam mercedem repositam esse, pollicetur. Psalm. 34. Matth. 5. Interim nō inultam feret mundus impudentem calumniandi licentiam: sed ut Iudæi horrendum suæ urbis & gētis excidium, quod ab apostolis denuntiari nolebant, summa cum miseria subire coacti sunt: ita perpetuum hoc est, ut plagas sentiant, qui uerbis emendari nolunt, & minas audire dedignantur.

Quid uerò ad ista Stephanus, qui ut ouis in medio luporum ab omnibus iniquissimè petitur? Num metu consternatur? Num animi terrores pallore aut tremore prodit? Num supplex ueniam sibi dari petit, & culpam deprecatur? Imò potius insigni & intrepida libertate suæ fidei & doctrinæ rationem reddit, & illorum improbitatem, & incurabile deo reluctandi studium, acerrimè corripit, ut sequenti capite uidebimus. ¶ Ne quis uerò maledicentiæ id tribueret, animi intrepidi & lætæ in Christo conscientiæ indicium in illius uultu refulsisse dicitur. Cum enim Iudices (ut fieri solet) ipsum

Stephanus in mortis periculo intrepidus.

intentis oculis inspicerent, uiderunt illius faciem ut faciem angeli. Id de insolito & plus quàm humano splendore mihi exponendum esse uidetur, quo hostiũ oculos perstringere deus uoluit, ut se quàm minimè timeri intelligerent. Nec dubium est, incredibilem spiritus consolationem in animo Stephani interim obortam fuisse. Adhæc futuræ glorificationis gustum siue typum exhibet dominus, cuius spe aduersa omnia uincant, quoscunq; pro ipsius nomine periclitari contingit. Exempla huius rei in Martyrum historijs multa occurrunt: inter quæ æterna memoria dignum est, quod non procul à nobis ante annos triginta contigit. Ad ignis supplicium propter euangelij professionem ducebatur rusticus quidam: qui cum multa prius in carcere dedisset Christianæ fortitudinis specimina, tamen illa in eo efficacior elucebat, quò propius ad mortem accedebat. Nam machinæ alligatus, cum in ignem iam mittendus esset, præfectum suppliciorum postremò alloqui se uelle clamauit, & post multas tergiuersationes accedenti tandem sic dixit: Tu me hodie sub hæreseos crimine igni adiudicasti. At ego etsi me peccatorem esse fatear, hæreseos tamen crimen in me nullum agnosco. Eam enim fidem profiteor, & toto corde amplector, quæ Symbolo apostolico continetur. Et mox recitatis illius articulis, adiecit: Hoc nunc abs te postremum peto officium, mi domine, ut manum meo primùm pectori, hinc tuo admoueas: deinde astanti populo bona fide testeris, tuum ne an meum cor præ metu & angustia magis palpitet. Ego quidem læto corde nunc ad Christum contendo, cui credidi. Quis uerò tibi sit animus, ipse uideris. Non habuit præfectus quod responderet, sed supplicium maturari iussit: Ita tamen, ut maior in illius quàm in Martyris uultu tristitia conspiceretur. Est autem hæc ingens fidei nostræ gloria, quod tum maximè consolatur & exhilarat mentes hominũ, quando omnia terroris & consternationis plena esse uidentur. Hanc ergo retinere studeamus omni diligentia, ut huius uitæ curriculum & persecutionum pelagus lætis animis & hilari conscientia applausu emensi, promissæ nobis glorificationis gaudium in cœlis assequamur tandem in Christo Iesu, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

CAPVT VII.

HOMILIA XLIII.

DIxit autem summus Sacerdos: Num hæc ita habent? At ille ait: Viri fratres & patres, audite: Deus gloriæ apparuit patri nostro Abrahæ, cum esset in Mesopotamia, priusquam habitaret in Charran. Et dixit ad illum: Exi è terra tua & è cognatione tua, & ueni in terram, quamcunq; tibi monstrauero. Tunc egressus è terra Chaldæorum, habitauit in Charran. Et illinc, postquam mortuus est pater eius, transtulit eum in terram hanc, in qua nunc uos habitatis.

DIuum Stephanum ab hostibus suis per falsos testes accusatum fuisse audiuimus, qui tam in deum quàm in legem per Mosen latam blasphemus, urbi simul & templo exitium minitetur. Proponuntur hæc in eum finem, ut intelligamus, primum statim ecclesiæ apostolicæ martyrem, ut postea reliquos omnes, falsis criminibus obrutum fuisse: & hinc quoq; discamus, quæ in hoc mundo ministrorum ueritatis sors sit, adeoq; omnium eorum, qui gloriæ & publicæ hominum saluti consultum cupiunt. Tales enim impij diuinæ gloriæ ac communis pacis hostes censentur, sicuti Christus non semel monuit, & multorum exemplis iam olim demonstratum est. Neminem ergo iniqua nostri seculi hominum de ueritatis ministerio & ministris iudicia offendere debent, quò minus deum uocantem audiat. At quia de his tum proximo sermone, tum sæpe aliàs dictum est, modò omissis illis, præsentem locum tractabimus, in quo ut causa hæc in Concilio acta sit, Lucas commemorat.

Vt Christi causam in Cõcilijs agere permittant impij.

Et primò quidem à summo sacerdote exorsus, hunc interrogauisse dicit, num hæc ita se habeant, quemadmodum ab accusatoribus Stephani proposita erant. Vbi eximium nobis proponitur calliditatis & astutiæ exemplum, qua falsi antistites aduersus ueritatis ministros & sectatores pu-

guare solent. Ideo enim Stephanum interrogat & ad respondendum inuitat, ut simulato iustitiæ fuco incautioribus imponat, quasi liberum fecerit Stephano, causam suam dicere & eandem ingenue tueri: cum nihil minus illum uoluisse constet. Nam ratum adhuc erat apud illos homines impij decreti præiudicium, quo edixerant, ne quis in nomine Iesu prædicaret. Et modò non de iure facti, sed de solo facto simpliciter interrogat, quasi sufficiens crimen omnibus uideri debeat, si quid eorum Stephanus dixisse deprehendatur, quæ ab impijs accusatoribus illi obiecta erant. Obseruatur hoc ipsum nostro etiam seculo à persecutoribus nostris, nec aliter dicendi copiam faciunt fidis Christi cultoribus, quàm quod ex illorum ore cognoscere cupiunt, num quid ab ipsis contra receptam superstitionem & abusus siue errores papisticæ tyrannidis dictum sit. Quod ut primùm constiterit, mox capitalis sententia stringitur, nec ullæ rationes audiuntur, quibus illi causam suam defendere poterant. Ita si quis fateatur, se Diuorum intercessionem negauisse, & eorundem superstitiosos cultus impugnauisse, illicò hæreseos damnatur, nec permittitur, ut suæ doctrinæ rationem reddat. Simili ratione hæreticus censetur, quicunque Missæ sacrificium, purgatorium ignem, Romanæ sedis primatum, indulgentiarum nundinationem, & infinita alia eius generis oppugnare audet, nec facti uel doctrinæ ipsius rationes aliæ audiuntur. Notemus hæc diligenter, ne incautis fucum faciant, quando in Concilijs liberam nobis potestatem se facturos esse dicunt causam nostram dicendi. Nam latet anguis in herba: nec aliud ex nobis, quàm ueritatis confessionem elicere cupiunt, quæ ipsis plus quàm capitalis esse uidetur.

Sed Stephani responsionem audiamus, quæ continua narratione (cuius initium à prima gentis Iudaicæ origine ducitur) constat, & præcipua dei in patres olim collata beneficia comprehendit, unà cum ijs, quæ ab illis uel bene uel male facta sunt. Quis uerò narrationis totius finis & scopus sit, ex accusationis capitibus facilè colligi potest. Præcipua illic sunt, quod in deum & legem blasphema locutus sit. Impietatis ergo crimine seipsum purgare instituit, & ne uanis & inanibus argumentis alicui fucum facere uideretur, reipsa testari uult, se à dei et institutorum ipsius impio siue prophano contemptu alienissimum esse. Primùm quidem argumētum in eo consistit, quod illum ipsum deum agnoscit & prædicat, qui olim cum patribus multa gessit, & quem illi unicè coluerunt. Deinde nec propter legis & ceremoniarum abrogationem impium censeri debere probat, quando patres olim sine lege & ceremonijs per solam fidei obedientiam deo placuisse constet: multos uerò post legem latam & instituta sacra externa ille idem improbarit. Inde uerò non obscurè colligit, longè alium legis & ceremoniarum usum aut finem esse, quàm ut illis iustificari siue saluari possimus: imò ijs eam salutis rationem adumbrari, quæ in Christo demum completa sit: & proinde omissis illis, hunc uera fide recipiendum esse. Tandem uerò, ut inanem patrum fiduciam ipsis excuteret, illorum pertinacem & incurabilem impietatem ipsis ob oculos reuocat, hoc simul grauissimis uerbis accusans, quod horum potius imitatores sese præbeāt, quàm ueterum illorum & uerè sanctorum patrum, qui per fidem deo placuerunt. Et hæc quidem totius orationis Stephani summa est, qua docemur, quomodo & quàm fortiter ueritatis causa aduersus illius hostes asseri debeat. Elucet præterea hic admirabilis spiritus sancti uirtus, qui illum tam perfecta rerum diuinarum cognitione & tam imperterrita animi fortitudine instruere potuit, ut in medio luporum constitutus, doctrinæ & fidei suæ rationem tam prudenter reddere, & hostium minas tam constanter contemnere potuerit. Quod exemplum nos quoque consolari debet, ne impiorum audacia & proteruitate spiritus sancti uirtutē superari posse putemus. Videamus autem orationis initium, quod præsenti loco continetur.

Orationis Stephani argumentum.

Exordium breue est. Ait enim: Viri fratres & patres, audite. Et fratres quidem uocat propter cognationem, quo titulo frequenter se inuicem Israelitæ compellant: patres uerò dicit, propter loci & officij dignitatem, quam ex dei institutione tenebant, cuius authoritatem non inuitus agnoscit, quantumuis corruptos & impios esse sciret. Interim non ita ad illorum dignitatem obstupescit, ut nefas esse ducat, ab illis dissentire: quin potius ingenuè & liberè suam sententiam profert, & ipsos erroris accusat. Docemur hoc exemplo, Christianam fidem minimè abolere humanitatis & ciuilitatis officia, quæ cum honore & ueneratione illis debemus, qui nos aliquo dignitatis gradu præcedunt. Licet enim quoad salutis nostræ causam in Christo Iesu nulla sint personarum discrimina (sicuti Paulus admonet, Galat. 3. Col. 3. &c.) manent tamen dignitatis gradus, neque dei patris legem abo-

Attentionis & beneuolentiæ captatio.

leuit Christus, quæ parentes honorare, & coram cano capite assurgere iubet: & eodem apostolo teste, Christianæ modestiæ est, ut nos inuicem honore præueniamus. Rom. 12. Præcipua tamen habeatur diuinæ uoluntatis & officij, quo deo obstricti sumus, ratio, ne in hominum gratiam ueritatem dissimulemus, cuius confeßionem à nobis paßim Christus exigit. Nec unquam nobis apostolicum illud & uerè Christianum axioma excidere debet, quo admonemur, deo plus quàm hominibus obediendum esse. Vt ergo Stephani exemplo barbara fanaticorum quorundam inciuilitas arguitur, qui se satis Christianos præbeant, principes quoque & quosuis in eminentia constitutos, non alio quàm fratrum nomine compellant: ita illorum quoque tyrannis confutatur, qui iniquum putant, ut quisquam Romanæ sedis præsulibus contradicat, eò quod illorum authoritas tot seculorum præscriptione & plurimorum principum authoritate confirmetur. Atqui uana & ridicula est humana authoritatis gloriatio, quando apostolis licuit ab illis dissentire, quorum potestas diuinitus instituta erat, & quos propter diuinam institutionem pro patribus agnoscebant. Probatur ethnici philosophi ingenuitas, qui dixisse fertur: Amicus Socrates, sed magis amica ueritas. Quæ ergo iniquitas est à Christianis hominibus exigere, ut maiorem Antichristi Romani, quàm Christi & æternæ ueritatis rationem habeant?

Abraham sine legalibus ceremonijs deo placuit.

Sed ad Stephanum reuertamur, qui narrationem ab Abrahamo, Iudaicæ gentis patre, orditur, eò quod illo potißimum gloriarentur. Et illius quidem exemplo probat, legales cultus ad salutem non esse necessarios, nec impios siue blasphemos censeri debere, qui illorum abrogationem prædicant, quando constet, Abrahamum sine his olim deo placuisse. Ad amplificationem uerò argumenti faciunt circumstantiæ loci & temporis. Ne enim promissæ terræ aliquam apud deum rationem supputarent, in Chaldæa siue Mesopotamia adhuc agentem Abrahamum, diuinitus euocatum fuisse, & mortuo demum patre Thare (cuius senio uel morbo ipsum in Charris detentum fuisse uerisimile est) in terram Chanaan deuenisse ostendit, ubi Circumcisionis sigillum acceperit. Cæterum, quia ad nostram institutionem scripta sunt omnia, Abrahami exemplum, non præsenti modò causæ, uerumetiam nobis applicari debet: nec paruus inde ad nos fructus redibit, si dei uocationem & Abrahæ fidem siue obedientiam probè consyderemus.

Vocatio dei ad salutem.

In dei uocatione, qua Abraham ex Vr Chaldæorum in terrã Chanaan translatus est, duo cumprimis memorabilia habentur. Primum est, quod nullo præcedente merito uocatus est. Nam inter idololatras illum habitauisse, & dijs alienis seruiuisse, Iosue author est, Cap. 24. Imò Epiphanius ex ueterum traditione docet, patrem Abrahami Tharan primum ex luto statuas fecisse, & ideo diuinitus fuisse punitum, ut filij Haran mortem uideret, quem primum ex ueteribus patrem suum morte naturali præuenisse scribit. Nec circumcisione aut templo commendari potuit, cum illud aliquot post seculis demum extructum, hæc uerò fœderis cum illo initi signum fuerit, quo fidei iustitia quam iam assecutus erat, obsignabatur. Rom. 4. Alterum est, quod à nudo dei uerbo tota hæc uocatio dependet. Nam iubetur quidem patrium solum & cognatos deserere, nihil uerò oculis ipsius subijcitur, quod ipsum meliora & præstantiora sperare iubeat. Nec enim fideliores amicos aut terram fertiliorem deus pollicetur, sed indefinitè loquens: Veni (inquit) in terram, quamcunque tibi monstrauero. Sunt hæc diligenti obseruatione digna. Primò enim docent, nos ad salutem & cælestem patriam (cuius typum olim gessit terra Chanaan) ex mera dei gratia uocari, nec aliquem esse nostrorum operum siue meritorum in salutis causa respectũ. Quid enim meruimus, quando priusquam mundus hic conderetur, in Christo electi sumus? Ephes. 1. Vel quid iactare possunt, qui nihil habent, quod non acceperint? 1. Corinth. 4. Et sanè si nostræ naturæ ingenium consyderes, patebit nos de cælesti patria, priusquam diuinitus uocemur & trahamur, non magis solicitos esse, quàm Abraham de terra Chanaan fuerit, cuius nomen quoque ignorabat. Imò cum nos uocat dominus, improbum carnis, diuinæ uocationi reluctantis, ingenium experimur, quod nunquam, nisi efficaci spiritus tractu adiuti, superare possumus. Deinde admonemur uocationem nostram, quæ salutem nobis offert, à solo dei uerbo dependere, & proinde non carnis sensu aut humana ratione, sed sola fide (quæ & ipsa dei donum est. Ephes. 2.) percipi posse. Animalis enim homo non percipit, quæ sunt spiritus dei. 1. Cor. 2. Et ea diligentibus se præparauit deus, quæ nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt. Isa. 64. Atqui hic demum fidei uirtus præclara sese exerit, quod sola dei promissione

arripi-

arripit, & quæ sub sensum non cadunt, omnemq; humanæ rationis captum superant, firmissime complectitur: quapropter à Paulo eorum quæ sperantur substantia & infallibilis eorum, quæ non uidentur apprehensio dicitur. Heb. 11. Debebant hæc obseruare, quibus doctrina de iustificatione fidei leuicula uidetur, quasi salutis rationem nimis facilem indicet, & ita carnis securitatem atq; licentiam foueat. Quomodo enim leuiculum & facile nimium censeri potest, quod omnes hominis facultates excedit? Vel num maioris apud deum momenti erit, quod homines proprijs uiribus faciunt quàm quod non nisi spiritus sancti uirtute perfici potest? Conferamus fidem cum omnibus omnium monachorum operibus, & hæc quidem in gentium philosophis plura & perfectiora reperiemus: illam uerò in nullo mõstrare poteris, nisi qui ex dei uerbo per spiritum renatus fuerit. Meritò ergo rei omnium maximæ, & qua nihil præstantius homo in terris uiuens habere potest, salutis & iustificationis nostræ ratio tribuitur.

Admirabilis autem est Abrahami fides & obedientia, qua dei uocationem secutus est. Infinita enim erant, quæ ipsum impedire & remorari poterant. Nam ut alia omittamus, magna est natalis soli uis, quod (ut poeta inquit) mira dulcedine captos Attrahit, immemores nec sinit esse sui. Nec parua est cognatorum & affinium authoritas, quorũ amore tunc uehementiori corripimur, si quando deserendi sunt. Obstare etiam poterat patris senectus & imbecillitas, quæ mortem illi attulit, priusquam terræ promissæ fines attingeret. Et uerisimile est, honoribus quoq; claruisse inter suos Abrahamum, quos inter exteræ nationis homines non facilè sperare poterat. At nihil horum diuinum illud pectus remorari potuit, quin omni mora abiecta, deum uocantem sequitur, nec etiam curiosius de terræ promissæ conditione quicquam quærit. Hæc illa fidei obedientia est, quam toties Paulus commendat, & quam euangelij finem esse docet. 2. Corinth. 10. Rom. 1. & 16. Hanc Christus à nobis exigit, quando parentes, sorores & fratres, uxores & liberos nos relinquere, adeoq; nosmetipsos abnegare iubet, si ipsius discipuli effici uelimus. Matth. 10. & 16. Atq; huius quidem rei tam difficilis tamq; ardua est executio, ut nobis præstitu planè impoßibilis sit, nisi cœlesti spiritu regeneremur, quemadmodum Christus, cum Nicodemo disputans, admonet. Iohan. 3. Ad hanc ergo regulam seipsos examinent, qui Christianum nomen affectant, ne dum illo temere superbiunt, stultorum architectorum instar sint, qui priusquam sumptuum rationem subduxerint, ædificium ingens & arduum moliuntur. Luc. 14. Excitet nos hæc consyderatio, ut indefesso pietatis studio ardentes preces iungamus, quibus fidei augmenta impetremus, ut omnium huius mundi bonorum iactura facta, cœlestis patriæ hæreditatem adire poßimus cum Iesu Christo saluatore nostro: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Abraham obedientiæ fidei exemplum.

HOMILIA XLIIII.

Et non dedit illi hæreditatem in ea, ne uestigium quidem pedis: & promisit illi eam se daturum in possessionem, & semini eius post ipsum, cum illi non esset filius. Locutus est autem deus sic: Semen tuum inquilinum erit in terra aliena, & subijcient illud seruituti, & male tractabunt annis quadringentis. Et gentem, cui seruierint, ego iudicabo, dixit deus. Et post hæc exibunt, & seruient mihi in loco hoc.

QVoniam Diuus Stephanus propter doctrinam de legis & ceremoniarum abrogatione, ut publicus diuinæ gloriæ & totius religionis hostis, accusatus est, eum suæ respõsionis statum siue scopum constituit, ut euincat, se licet legalium ceremoniarum abrogationem doceat, non tamen idcircò impium & diuini cultus hostem censeri debere. Id uerò non inani uerborum strepitu, sed reipsa demonstrare instituit. Diligentem enim rerum olim à deo cum patribus gestarum narrationem contexit: partim quidem, ut probet, se uerum deum, quem patres olim coluerint, agnoscere: partim uerò, ut doceat iustificationem & salutem minimè legalibus ceremonijs esse alligatam, quando sine his patres deo seruiuisse, & eidem placuisse constet. Vnde colligit, se quoq; ueræ religionis aduersarium non esse, cum ea solummodo oppugnet, quibus olim patres feliciter caruerint, & quæ in eum duntaxat finem sint instituta, ut uerã salutis rationem, quæ in uno Christo continetur, figurarent.

Narrandi uerò initium ab Abrahamo sumit, cuius nomine illi maximè gloriabantur. Et primò quidem, illum cum adhuc trans fluuium inter alienorum deorum cultores uersaretur, ex mera gratia ad terræ Chananaicæ (quæ cœlestis patriæ typus est) euocatum esse ait, cum nec templum adhuc staret, nec institutæ essent legales ceremoniæ. Et in Abrahamo nihil præter fidei obedientiam in scripturis prædicari docet, qua deum uocantem secutus, & oblatam sibi gratiam amplexus sit. Quo exemplo Iudæorum proceres extimulare conatur, ut omissa superstitiosa ceremoniarum obseruatione, Christum Iesum, unicum ueræ salutis authorem firma fide recipiant. Cæterum quia carnis iudicio fides non tanti momenti res esse uidetur, quæ salutem nobis conciliare possit, in Abrahami fide illustranda diligenter uersatur Stephanus, ut ostendat, eam fidei uirtutem esse, quæ omnes hominis uires & humanæ rationis captum longè superet. Per hanc enim Abraham patriæ dulcis desyderium, cognatorum conuersationem, opum & honorum splendorem, itinerum labores & molestias, solicitudines, curas, deniq; omne id, quod carni nostræ uel iucundum uel aduersum est, ita superauit, ut absque omni mora & tergiuersatione deo uocanti obediret. Ad eandem uerò demonstrationem præsens quoque locus facit, quo insignis illa Abrahami fides plenius illustratur, si quo modo illius studium & amorem in illis possit accendere: quo cum nobis quoq; opus sit, diligenter singula considerare proderit.

Abrahami fides illustratur.

Vult autem exponere Stephanus, quid cum Abrahamo, postquam in terram promissam uenit, gestum sit, & sic ait: Et non dedit illi deus hæreditatem in ea, ne uestigium quidem pedis. Sed promisit illi eam se daturum in possessionem, & semini eius post ipsum, cum illi non esset filius. Quibus uerbis tria continentur, quæ ad fidei Abrahami amplificationem faciunt. Primò, ubi per multos labores & multa pericula in terram diuinitus promissam & monstratam uentum est, non uacuam inuenit, sed à Chananæis, ferocissima gente, occupatam. Et tam abfuit, ut illam possideret, ut ne pedis quidem uestigium posset suum dicere. Imò nouis subinde infortunijs excipitur. Nam uix territorijs fixis, fame compulsus in Aegyptum abit. Inde reuersus, propter pastorum iurgia à nepote suo Lot separatur, qui unicum inter infestas gentes solatium uideri poterat. Nec multò post periculoso bello contra Orientis reges implicatur. Et ut multa alia omittamus, Sara uxore mortua sepulturæ locum ab Ephrone Hethæo emit. Annon ergo spe sua falsus uideri poterat? Deinde, quid inter tot & tantas ærumnas Abrahamum sustentarit, docet: nimirum promissio, qua illi deus terram illam spoponderat. At quàm graue sit nudæ promissioni inniti, si nihil aliud sit quo confirmeris, experientia quotidiana discimus, maximè si rerum euentus cum promissionibus pugnare uideatur: quod hic euenisse, modò diximus. Sed tertium accedit longè grauissimum, quòd nimirum dei promissio humanæ sapientiæ ridicula uideri poterat. Promittebat enim terram hanc semini siue posteritati Abrahamicæ deus, cum ille filium non haberet aliquem, nec generationi propter ætatem posthac idoneus esset, utpote propè centenarius, & coniugem Saram hucusq; sterilem esse sensisset. Quis ergo uideat quàm multis quamq; ualidis arietibus Abrahami fides oppugnata & concussa sit, & quàm graues de dei promissis dubitandi causas habuerit? At nihil horum diuinũ illud pectus expugnare potuit. Nam præter spem sub spe credidit, nec consyderauit suum ipsius corpus iam emortuum, nec emortuam uuluam Saræ, uerùm ad promissionem dei non hæsitabat per incredulitatem, sed robustus factus est fide, tribuens gloriam deo, certa persuasione concepta, quòd is qui promiserat, idem posset etiam præstare. Rom. 4. Atqui hæc illa fides est, quam Moses illi ad iustitiam imputatam fuisse dicit. Gene. 12.

Deus suorum fidem & patientiam exercet.

Porrò ut Stephanus Abrahami exemplo Iudæos ad fidem excitare studet: ita nostræ etiam institutioni eiusdem exempli consyderatio seruire debet. Nam ut Paulus ait, non propter illum tantum, sed etiam propter nos hæc scripta sunt, quibus simili ratione fides ad iustitiam imputabitur, si Abrahami exemplum sedulò imitemur. Rom. 4. Plurimum uerò ad fidei confirmationem facit, si obseruemus, ut deus suos exercere soleat, dum ita res huius mundi moderatur, ut omnis harum euentus cum ipsius promissionibus pugnare uideatur, quod in Abrahami exemplo clarius est, quàm ut multis repeti debeat. Nec melior fuit filij Isaaci, & postea Iacobi sors. Hic certè, cum primogenituræ ius in ipsum deus transtulisset, & promissionibus amplissimis exornasset, Esaui fratris metu eò redire cogitur, unde auus Abraham uenerat, & ibi apud iniquum auunculum durissimam seruitutem

uitutem seruit, Esauo interim opibus affluente & regnum cõstituente, qui à Deo reiectus erat. Idem Dauidi accidisse legimus, qui cum regni Israelitici promißionem à deo accepisset, priusquàm ad regni solium perueniat, in exilium eiectus, publicus regni & communis patriæ hostis declaratur. Nec alia omnium nostrûm sors est, si salutis nostræ negotium & regni Christi, cui per fidem inserti sumus, conditionem expendamus. Promittitur in Christum credentibus pax, incolumitas, gaudium, salus, uictoria item contra mundum & satanam mundi principem. At si rerum huius seculi cursum consyderes, perpetuis turbis, aduersis & calamitatibus fideles exerceri, & tyrannorum libidini subiacere uidebis. Num uerò dum ista fiunt, dei ueritatem in dubium uocabimus, & falsis promißis nos lactatos esse conqueremur? Nequaquam. Imò discamus potius, non de hoc mundo esse Christi regnum, nec iuxta externam rerum faciem de illo iudicari debere. Discamus item longius extendere fidei oculos, & in dei promißiones respicere, quæ nunquam fallent, utut infelix hic mundus cœlum terris miscere conetur. Dei enim uox est: Non prophanabo fœdus meum, quodq; egressum est de labijs meis non mutabo: Psal. 89. Videt ille gentium & regum consilia, nec uidet modò, sed etiam dißipat, ipsius uerò consilium æternum stabit. Psal. 2. & 33. Atqui hoc maximè de salutis nostræ promißionibus intelligi debet, quarum ueritas inuiolabilis est, eò quòd Christo Iesu nituntur, contra quem nec inferorum portæ præualere possunt. Matth. 16. Huic quicunq; iuxta Abrahami exemplum constanter adhærent, experientur tandem, se & mundo & diabolo superiores fore, & pedibus suis eos substerni uidebunt, qui nunc immani insolentia illorum capitibus insultant. Vincunt enim in omnibus per eum qui dilexit nos, & filium suũ pro nobis tradidit: adeò ut cum Paulo exclamare poßint. Si deus pro nobis, quis contra nos? Quis nos separabit à dilectione dei? Rom. 8.

Pergit uerò in cœpta narratione Stephanus, & oraculum dei de Israeliticæ gentis seruitute in Aegypto recenset, quod Gen. 15. cap. habetur. Et quàmuis de hac infra quoque dicturus sit, huius tamen loci mentionem facere uoluit, ne fortuitò & nullo præfinito dei consilio ista accidisse putarent. Ad eundem uerò finem, quò & priora omnia, locus hic referri debet. Nam & Abrahami fides elucet ex eo, quòd nec tristi uaticinio succubuit, & simul docet olim in Aegypto ecclesiam fuisse, quam deus pro suo peculio agnouerit, & quam singulari beneficio in libertatẽ asseruerit, cùm nec templum haberent, nec Leuiticis ceremonijs uterentur. Vnde quiuis colliget, gratiam dei & salutem non externis sacris alligatam esse, sed à mera dei gratia pendere, quæ non alio modo, quàm fide uera, percipi poßit. Constabat enim hoc, Aegyptiacam liberationem futuræ salutis typum fuisse. Quòd si ergo corporum seruitus non nisi potenti manu dei depelli potuit, quis non uideat, sine dei ope & gratia in animarũ seruitute excutienda, humanis uiribus aut meritis nihil profici posse? SVNT autem hæc quoq; ad nostram institutionem transferenda, eò quòd ecclesiæ dei conditionem omnem ceu in speculo contemplandam nobis proponunt. Locus Gen. 15.

Primò enim obseruandum uenit, quòd de semine Abrahami loquens, cui Chananaicæ terra hæreditas promissa erat, dicit: Inquilinum erit in terra aliena, & subijcient illud seruituti, & malè tractabunt annis quadringentis. Docent hæc, quæ nam fidelium in terris sit conditio. Hos enim uerum illud Abrahami semen siue filios esse, tum Christus tum Paulus testantur. Iohan. 7. Rom. 9. Est his promissa cœlestis patriæ hæreditas, Christo teste, qui ait: Noli timere pusille grex, quia complacitum est patri uestro dare uobis regnum. Luc. 12. Item: Volo pater, ut ubi ego sum, etiam hi sint mecum. Iohan. 17. Et rursum: In domo patris mei mansiones multæ sunt. Vado uobis paraturus locum. Et iterum ueniam, & assumam uos ad meipsum, ut ubi sum ego, & uos sitis. Iohan. 14. Quò Paulus respexisse uidetur, cùm πολίτευμα nostrum in cœlis esse dicit, unde saluatorem Christum expectamus. Phil. 3. Quamuis uerò cœlestis patriæ hæredes simus, nondum tamen apparet mundo, nos tales aliquando fore, sed interea temporis in terra aliena, id est, mundo hoc peregrinamur, nec quicquam habemus proprij. Et peregrinationis instar esse uitam hanc, non scripturæ modò oraculis, sed experientia quotidiana docemur, cùm nudi mundum hunc ingrediamur, & nudi exeamus. 1. Tim. 6. Nec peregrini modò sumus, uerumetiam à seculi huius filijs, qui sibijpsis mundi dominiũ uendicant, oppreßi infinitis modis affligimur, ut non temere propheta ecclesiam saxo conferat, quo subleuando omnes populi uires suas exercere & ostentare soleant. Zach. 12. Et historiæ docent, ab ipsa mundi origine persecutionibus obnoxios fuisse, quotquot deo sese per ueram fidem consecraue- Ecclesia in mundo peregrinatur & affligitur.

r

runt. Quorum nos meminisse oportet, ne ijs, quæ nostro seculo contingunt, tanquam nouis & insolitis offendamur. 1. Pet. 4. Illud autem pro confesso habeamus, nihil nobis fortuitò accidere, sed certo & præfinito diuinæ prouidentiæ consilio, quæ res omnes iustissimè moderatur. Nec quicquam contra nos posset mũdus hic aut huius princeps satan, nisi dominus permitteret. Permittit uerò is, non quod nostris calamitatibus & eiulatibus gaudeat, tyrannorum instar, sed quòd ingenitam & adhærentem nobis carnis corruptionem hoc modo cohercendam esse nouit, qua fit, ut modò ad opum contemplationem, modò ad honorum splendorem, modò ad uoluptatum carnalium desyderia attoniti subsistamus, uel etiam à uia salutis declinemus. Tum ergo noxium illum stuporem excuti, & carnis desyderia per crucem restingui oportet, ut mũdum hunc odisse discamus, & flagranti cœlestis patriæ amore accendamur. Nec sortem nobis in mundo meliorem promittamus, quando & mundus suum ingenium, ueritatis impatiens, perpetuò retinebit, & nostræ carnis corruptio utcunq; corrigatur, leuissima quaq; occasione recurrit.

Ecclesia deo uindice defenditur.

Interim summæ consolationis loco nobis esse debet, quod hîc deus subijcit, dicens: Gentem, cui seruierint, ego iudicabo. Est enim deus iudex uniuersæ terræ, nec suo officio deest, licet interdum, nec impiorum feroces & impios conatus, nec piorum afflictiones cernere et audire uideatur. Quomodo enim non uideret, qui oculum finxit? & quomodo non audiret, qui aurem fecit? Psal. 94. Non enim, ut otiosi spectatores, mundi huius theatrum intuetur, sed ut iustus iudex res omnes mortalium spectat. Et quia nihil illi charius est quàm ecclesia, quam filij sui sanguine redemptam uoluit, neminem aduersus illam impunè grassari patitur: imò pupillam oculi ipsius tangere putantur, quicunq; fideles dei cultores audacius tangunt. Zach. 2. Extant passim horrenda in tales iudiciorum dei exempla, inter quæ primo loco numerari meretur, quod in Aegyptios, sicuti hîc minatus est, exercuit. Experti sunt idem Assyrij, qui grauissimas suæ in populum dei tyrannidis pœnas dederũt. Nec diu contra hunc impunè sæuijt Antiochus. Quid Herodi euenerit, notius est, quàm ut multis narrari debeat. Quòd si uerò ea, quæ Christi incarnationem secuta sunt, consyderes, neminem horrendas dei iudi-

Persecutiones ecclesiæ decem.

1. cis manus euasisse uidebis, qui ecclesiam persequi ausus fuit. Primus in horum numero est Nero, qui
cum Romanos ciues urbis incendium, cuius ipse author fuerat, iniquius ferre sentiret, Christianos
tanti flagitij insimulauit, & omni suppliciorum genere in illos grassatus est, sicuti Cornelius Ta-
citus de illo prodidit. Et eò usq; truculentissimi tyranni rabiem progredi passus est deus, ut apo-
lorum quoq; Petri & Pauli sanguinem fudisse legatur. Sed mox horribili iudicio suorum sangui-
nem uindicauit dominus. Secuta enim pestis est, quæ plus quàm triginta millia hominum absumpsit.
Accessit pesti Romani exercitus clades in Britannia accepta, & defecerunt in Armenia prouinciæ,
nec sine publica infamia Romanæ legiones sub iugum missæ sunt. Et tandem ipsum tyrannum di-
uina uindicta corripuit, qui à senatu hostis iudicatus, primò in turpi & ignobili fuga salutem quæ-
2. siuit, deinde uerò spe sua falsus, sibijpsi uiolentas manus intulit. Neronem imitatus Domitianus,
3. ipse quoq; deum iudicem sensit, dum à domesticis suis confossus obijt. Traianus uerò, licet crude-
lia aduersus Christianos edicta reuocasset, deum tamen iratum sensit. Nam aurea domus Romæ con-
flagrauit, fames & pestis immaniter sæuierunt, ac terræmotu non pauca Asiæ, Galatiæ & Græciæ
4. oppida euersa sunt. Quartus tamen à Nerone ex Imperatorum ordine contra ecclesiam M. Anto-
ninus Verus insurrexit: nec multò post Germanorum tumultus & immanis pestis inualuit, cuius
cõtagio aliquot Italiæ oppida & uillæ habitatoribus suis in uniuersum exhaustæ & euacuatæ sunt.
5. Quintam persecutionem L. Septimius Seuerus mouit, qui & bellis ciuilibus uexatus est, & in An-
6. glia prope Eboracum præmatura morte extinctus. Quorum exemplis cùm parum moueretur Iu-
lius Maximinus, sed impia audacia in ecclesiam fureret, iusto dei iudicio euenit, ut unà cum filio
militibus discerperetur, acclamantibus uniuersis, ne catulum quidem habendam esse à pessimo ge-
7. nere. Nec dissimilis multũ exitus Decium mansit, qui & ipse post effusum Christi martyrum san-
guinem, unà cum filio in solo barbarico perijt, adeò ut nec mortui cadauer ad sepulturã inueniri po-
8. tuerit. Quid de Licinio Valeriano dicemus, octauo Christianorum persecutore? qui à Sapore Per-
9. sarum rege captus, equum conscensuro tergum scabelli loco substernere coactus est. Val. Aurelianus
uerò, qui nonus in hoc ordine esse uoluit, primùm quidem fulmine ante pedes delapso territus, tandem
10. autem cùm nulla institutæ tyrannidis pœnitentia duceretur, suorum insidijs occisus est. Cùm uerò

post

post omnes hosce maiori conatu contra Christi ecclesiam sese armaret Diocletianus cum Maximiano & Galerio Maximino collegis, non obscurè dei ecclesiam suam uindicantis manum senserunt. Terraemotu enim multa millia hominum absumpta fuisse leguntur. Diocletianus autem & Maximianus uno die imperium uolentes deposuerunt: uel dolore, quod non perfici posse uiderent quod moliti fuerant, uel metu Constantini: Et ille quidem postea sibijpsi mortem consciuit, cùm Maxentium à Constantino uictum & occisum esse audiuisset: hic uerò cùm ad imperium redire cuperet, à Maxentio expulsus ad generum Constantinum confugit, cui cùm strueret insidias, filia maritũ patri praetulit, & insidias detexit: Itaq; Maßiliae occisus est. Et hic exitus fuit duorum saeuißimorum tyrannorum, qui decennio toto ecclesiam crudeliter afflixerant. Galerius uerò atrocißimis morbi incurabilis doloribus superatus, sanguinaria edicta, quibus Christianorum sanguis petebatur, reuocauit. Atqui omnia haec intra trecentos annos usq; ad Constantini magni Imperium euenisse constat. Nec ab illo tempore quieuit dominus. Sed cùm Iulianus apostata tum aperta ui, tum dolo & fraude ecclesiã infestaret, in acie uictus, & conto uulneratus, exclamauit: Vicisti Galilaee, uicisti. Ita enim Christum per contemptum nominare consueuerat. Possent his infiniti alij adnumerari, si opus esset. Nec recentiora desunt exempla, quibus nostro seculo iudiciorum suorum seueritatẽ deus in ecclesiae suae persecutores exercuit. Perpetuò igitur ratum erit, deum suo iudicio de illis uindictam sumpturum, qui suum populum impia tyrannide uexare ausi fuerint. Debent haec nostrae tum consolationi tum institutioni seruire. Consoletur enim nos, quòd deo uindice ecclesiam defendi audimus, ne nos ab illo inter afflictiones negligi putemus. Simul uerò admonemur, ut insanum priuatae uindictae studium deponamus, ac omne de hostibus nostris iudicium deo commendemus, dicenti: Mea est uindicta, ego retribuam. Deut. 32. Interim latius quoq; eadem doctrina extendi potest, ut à uiolenta quorumuis hominum oppreßione abstineamus, nec dubitemus, deum iniurias, quae infirmioribus inferuntur, ulcisci. Christi enim uox est: Qua mensura metimini, eadem uobis metientur alij. Matth. 7. Et propheta clamat: Vae qui praedaris, quoniam praeda fies, &c. Isa. 33. Item: Vae ei, qui aedificat ciuitatem in sanguine. Vae ei, qui adauget non sua. Habak. 2. Quò referri debent, quae uiduarum, orphanorum & peregrinorum oppressoribus in lege sua deus minitatur. Vide Exod. 22. In quorum consyderatione utinam frequentius uersarentur, qui hodie in mercenaria militia potißimam uiri laudem & rerumpub. salutem collocant.

Caeterum non oscitanter dißimulari debet, quod de liberationis fine dominus addit, dicens: Et posthac exibunt, & seruient mihi in hoc loco. Est hoc uniuersale praeceptum, ut qui deum liberatorem senserunt, illi seruiant, de quo etiam Psalmo 50. admonemur. Debet hoc ante omnia in salutis negotio consyderari. Liberati sumus è satanica tyrannide & horribili peccatorum seruitute singulari dei beneficio, qui filium suum pro nobis dare dignatus est. Exeamus ergo Aegyptum, & abiectis infelicis mundi studijs, deo seruiamus in sanctimonia, puritate, innocentia, fide & dilectione non ficta: qua de re uide quae paßim in Apostolorũ scriptis habentur. Rom. 6. Tit. 2. & 3. 1. Thes. 4. &c. Eadem eorum, qui ex alijs aerumnis liberati sunt, ratio sit. Qui ex morbis conualuerunt, sentiant sibi dictum esse, quod paralytico Christus dicit: Vide ne posthac peccaueris, ne quid tibi deterius accidat. Iohan. 5. Idem cogitent, qui ex egestate, fame, peste, bellorum tumultibus & quibuscũq; alijs calamitatibus erepti sunt. Admonebant de hoc olim sacrificia σωτήρια, quae Deus pro acceptis beneficijs sibi offerri uolebat: & quae gentibus quoq; in usu fuerunt, quàmuis à uero cultu alienae essent. Et in eum usum à Christo tradita est Coena mystica, quam ueteres Eucharistiã, id est, gratiarum actionem uocarunt, quòd illam in commemorationem mortis Christi scirent esse institutam. Nec potest non damnari illorum impietas, qui cum redemptionis beneficio glorientur, & quotidie Dei uindicis sui manum sentiant, illi tamen non seruiunt, sed se totos diaboli & peccati seruitio mancipant. Praecipue uerò animis nostris fixum inhaereat, quod unicum Stephanus urget, nos solius diuinae gratiae beneficio ex peccatorum & satanae tyrannide liberatos esse, nec quicquam hîc uel operibus nostris, uel frigidißimis ceremonijs tribui debere. Fide ergo amplectamur beneficium hoc, & deo liberatori seruiamus in spiritu & ueritate, ut cum eodem coelestis regni gaudio olim fruamur per Iesum Christũ, dominum nostrum: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in aeternum. Amen.

Liberati Deo seruiant.

HOMILIA XLV.

Et dedit illi testamentum Circumcisionis: atque hic genuit Isaacum, & circumcidit eum octauo die. Et Isaac genuit Iacobum, & Iacob duodecim patriarchas. Et patriarchæ inuidia extimulati, Iosephum uendiderunt in Aegyptum. Et erat deus cum illo, & eripuit eum ex omnibus afflictionibus eius: ac dedit illi gratiam & sapientiam coram Pharaone rege Aegypti: & constituit eum principem super Aegyptum & totam domum ipsius.

DIuus Stephanus accusatus fuit impietatis in deum, legem & locum sanctum totumq; cultum Leuiticum. Accusationis causam inde sumpserunt aduersarij, quòd doceret externa per Christum esse abrogata, nec illis homines iustificari posse, sed ex sola fide in Christum Iesum hominibus iustitiam & salutem obtingere, nec alium ceremoniarum legis fuisse usum, quàm ut salutis rationem, quæ in uno Christo continetur, adumbrarent, ac illi adducerent homines. Quapropter graui & seria defensione ipsi opus erat, maximè apud eos, qui toti ceremonijs nitebantur. Hanc ergo sic instituit, ut ipsis rebus testetur, se ab impietate esse alienissimum. Nam quæcunq; olim deus cum patribus egit, diligenter recenset: partim quidem ut ostendat se ueterem patrum fidem agnoscere ac tenere: partim uerò ut intelligant Iudæi, patres olim sine ceremonijs per solam fidem fuisse saluatos. Vnde quiuis facilè colliget, nihil obstare, quò minus hodie etiam sine ceremonijs Leuitici cultus per fidem in Christum homines saluari possint, & proinde non esse impietatis accusandos, qui de harum abrogatione disserunt. Ab Abrahamo autem exorsus, illius fidem, qua gratuitam dei uocationem (nullo præcedente operum merito) secutus est, diligentissimè illustrauit, ut Iudæos ad illius imitationem extimularet. Cæterum quia non ignorabat sanctus Christi martyr, Circumcisionis & patrum gloriatione contra gratiam dei, in Christo collatam, Iudæos cumprimis superbire, in cœpta narratione sic pergit, ut utranq; gloriationem ipsis excutiat.

Circumcisionis fiduciam oppugnat.

De Circumcisione paucis agit, dicens: Et dedit illi testamentum Circumcisionis, atq; hic genuit Isaacum, & circumcidit eum octauo die. Fatetur Circũcisionem à Deo institutam esse, sed dum illam præcedentibus connectit, illius fiduciam eo argumento demolitur, quòd hanc post omnia ea, quæ hucusq; exposita sunt, Abrahamo datam esse docet. Postquàm enim è Chaldæa euocatus, fidem suam multis & præclaris indicijs publicè declarauit, & per illum iustificatus est, deus illi testamentum Circumcisionis dedit, id est, fœdus siue testamentum cum illo constituit, quod circumcisione, tanquam sigillo, confirmatum & obsignatum est. Vnde sequitur, circumcisione non iustificatum fuisse Abrahamum, sed hanc iustitiæ, quam fide iam erat assecutus, fuisse signaculũ. Quo argumẽto Paulus etiam ad Rom. cap. 4. usus est. Et quemadmodum Abraham circumcisionis institutionem simplici fide à domino accepit: ita eandem simplici obseruatione posteris commendauit. Nam Isaacum octauo natiuitatis die, iuxta domini institutum, nullo alio superstitiosiore ritu adbibito, circumcidit. Quod & Isaacum in Iacobo filio, & hunc rursum in duodecim, filijs suis, qui Israeliticæ gentis patriarchæ sunt, obseruauisse nemo pius dubitauerit. Voluit autem spiritus sanctus paucula, & ferè nulla de hac re annotari, ut inde constaret, sanctissimos patres noluisse in externis hærere, sed diuini fœderis siue testamenti, quo salutis promissiones continebantur, maiorem, quàm externæ ceremoniæ, rationem habuisse. Faciunt ad horum explicationem, quæ Genes. 17. cap. leguntur. Interim non obscurè præposteram Iudæorum religionem reprehendit diuus Stephanus, qui circumcisionis gloriatione elati, fœderis illius salutiferi, quod Christi merito obsignatum & ratificatum est, nulla cura tangebantur.

De sacramentis & locutionibus sacramentalibus.

At simul docet nos locus iste iudicare de sacramentis & locutionibus sacramentalibus, ex quibus hodie superstitiosi & contentiosi quidam indesinenter rixandi ansam accipiunt: quando in illis τὸ ῥητὸν siue literam urgent, nec illarum mysteria altiori sensu inuestigant. Stephanus dicit, Abrahamo datum esse testamentum siue fœdus Circumcisionis: neq; illud ex se dicit, sed in Dei uerba respicit, qui olim Abrahamo dixerat: Hoc est fœdus meum, quod obseruabitis inter me & uos, deniq; inter semen tuum

tuum post te: Circumcidatur uobis omnis mas, &c. Quæ si iuxta literam accipias, Circũcisio ipsum fœdus fuisse dicetur: nec dubiũ est, quin hoc ipsum multis olim imposuerit, qui se omni pietatis officio defunctos putabant, quòd circũcisi essent. At aliter ista accipi debere, res ipsa probat. Primò enim circumcisionem cordis Deus in lege & prophetis requirit. Deut. 10. Iere. 4. Deinde apud Ieremiam eos in fœdere suo perstitisse negat, quos tamen circũcisos fuisse scimus. Iere. 31. Accedit his, quòd Abrahã priusquàm circũcideretur, iam ante habuit, quæ Deus in fœdere suo pollicetur. Iam ante enim deum uocantem secutus fuerat: iam ante promissiones eius fide apprehenderat: iam ante fidem illam deus ipsi ad iustitiam imputarat, & proinde Christo erat insitus, sine quo nec iustitia nec salus hominibus obtingit. Fœdus ergo dicitur Circũcisio, propter analogiam, quæ in sacramentis est inter signa & res signatas, & quòd hoc signaculo Deus testaretur, se pro confœderatis & hæredibus suis eos agnoscere, qui fœderis sui capita fideliter custodirent. Et ut per illam in populi Dei societatem recipiebantur, sic eadem in tentationibus fidem confirmabat, cui deus propter carnis ingeniũ externa quoq; fulcra adhibet. Eadem planè fuit ratio sacrificiorum, quæ in lege & peccata & expiatio peccatorum dici solent. At si quis illic τὸ ῥητὸν seu literam urgere uelit, apostolum contra clamantem audiet: Non potest sanguis taurorum & hircorum auferre peccata. Et Deum per prophetas pro immundis & sceleratis eos reijcere scimus, qui in sacrificando assidui, nullis uel impensis uel laboribus parcebant. Num ergo Deum alibi uanis promissis suos lusisse dicemus, quando tam magnificis titulis sacrificia ornauit? Nequaquam. Sed eorum ratio certa & uera fuit, quòd Christum adumbrarent, uerum illum agnum Dei, qui tollit peccata mundi: quem qui tunc fide non fucata apprehendebant, propter illum à peccatis suis omnibus liberabantur. Si qui uerò fide uacui sacrificarent, non magis gratas habebat Deus illorum uictimas, quàm si canem aut porcũ immolauissent, sicuti apud Isaiam ipse testatur. Quòd si ad noui Testamenti sacramenta transeamus, eandem horum quoq; rationem esse reperies. Baptismum etenim innouationis & regenerationis lauacrum uocat Apostolus. At quàm multos, proh dolor, reperias, qui cùm baptizati sint, nulla tamen præ se ferunt hominis innouati aut regenerati indicia? Nec tamen falsis elogijs baptismum spiritus sanctus commendat, sed ad illius usum respicit: quòd nimirum ex Dei instituto, regenerationem & innouationem, cuius nobis author est Christus, in electis uerè & efficaciter obsignat. Sic in Cœna mystica panis Christi corpus, uinum illius sanguis dicitur: Vnde nonnulli colligunt, in illis uerum Christi corpus & sanguinem realiter & substantialiter manducari atq; bibi cùm à pijs tum ab impijs. At nos ipsum Christum huius disceptationis arbitrum constituentes, ex re ipsa argumentamur ad hunc modum: Quisquis carnem Christi edit, & sanguinem eius bibit, in Christo manet, & Christus in illo. At multi, qui ex pane Cœnæ edunt, & eius poculo bibunt, neque in Christo manent ipsi, neque hunc in se manentem habent. Ergo in pane & uino hoc mystico Christi corpus & sanguis non realiter & substantialiter percipiuntur, neque externis hisce symbolis sunt alligata. Maiorem ipsius Christi esse nemo negabit. Minorem probat ipsa rerum experientia, & utinam non illorum exemplis probaretur, qui quàm alieni sint à Christo, hoc ipso abunde docent, quòd suis contentionibus horribilem ecclesiarum dissipationem inuehunt, & ueros Christi Iesu cultores hostiliter persequuntur. Quis ergo non uideat Cœnæ uerba sacramentaliter accipi debere? Imò ut olim sacrificia non nisi illis proderant, qui uera fide præditi, Christum ad illa ipsi adferebant: Ita nec ex Cœna aliquis ad nos fructus redibit, nisi ipsi illum fide uera apprehensum adferamus, & animis supra cœlos euectis per fidem illo uescamur: Qua quicunque destituuntur, à Christo alieni sunt, & Cœnam sua hypocrisi prophanant, & proinde sibijpsis iudicium edunt & bibunt. Sunt hæc nobis in eum finem obseruanda, ut discamus errorem esse perniciosum, si externis actionibus addicti, in illis quæramus, quod solius Christi est, & per solam fidem in illo inueniri potest. Ita ergo sacramentis uti conuenit, ut primò Dei bonitatem agnoscamus, qui externis quoque symbolis & actionibus fidem nostram fulcire dignatur: deinde uerò illorum usu excitati animos subuehamus ad ea, quæ his adumbrantur: imprimis autem ea præstemus, quæ Deus in illis præscribit. Facit huc D. Augustini regula, quæ in libris eius de Doct. Christiana hisce uerbis traditur: Pauca quædam pro multis, eademq; factu facillima, & intellectu augustissima, & obseruatione castissima, ipse Dominus & apostolica tra- Lib. 3. cap. 9.

didit disciplina: sicuti est Baptismi sacramentum, & celebratio corporis & sanguinis domini: quæ unusquisque percipit, quò referantur imbutus agnoscit: ut ea non carnali seruitute, sed spirituali potius libertate ueneretur. Vt autem literam sequi, & SIGNA PRO REBVS, quæ his significantur, accipere, seruilis infirmitatis est: ita inutiliter signa interpretari, malè uagantis erroris est, &c. Et sanè miserabilis est animarum seruitus, externis inhærere, nec animos in cœlum attollere posse, ut Christo Iesu ad dexteram patris in supernis regnante frui poßint.

Quod si uerò diuinitus institutæ ceremoniæ nos nec iustificare nec saluare possunt, imò noxius quoque illarum usus est, si absque fide administrentur: quanto detestabilior illorum error est, qui humanis constitutionibus & frigidißimis ceremonijs, hominum audaci curiositate inuentis, iustificationis & salutis gloriam tribuunt? Nam ut olim hominum traditiones in uniuersum omnes damnauit Dominus (Isaiæ 29. Matthæi 15.) ita luce clarius est, eiusmodi ceremonias cum fide administrari non posse, eò quòd hæc non alio fundamento, quàm Dei uerbo niti potest, sicuti Paulus ad Romanos cap. 10. admonet. Vnico igitur hoc ariete totus Papatus sternitur, quem unà cum omnibus suis ritibus, ineptißimis superstitiosorum hominum decretis stabiliri notius est, quàm ut longiori demonstratione opus habeat.

Patrum fiduciam & gloriationem oppugnat.

Pergit autem in instituta narratione Stephanus, & inanem patrum fiduciam oppugnat, quibus illi, ut supra diximus, mirum in modum superbiebant. Et ut probet, patres nec circumcisione iustificatos, uel aliqua ex parte meliores factos fuisse, nec ullis operibus salutem meruisse, sed mera & ineffabili Dei bonitate aut gratia esse saluatos, immane & exemplo carens illorum facinus, quod in Iosephum fratrem designarunt, commemorat: quod paucis quidem uerbis, sed talibus comprehendit, ut facilè pateat, quanta illius flagitij atrocitas fuerit. Dicit enim: Patriarchæ inuidia stimulati, Iosephum uendiderunt in Aegyptum. Extat historia apud Mosen Genes. 37. cap. Primò autem huius sceleris fontem indicat, inuidiam scilicet, qua aduersus innocentem fratrem æstuerunt, non aliam ob causam, quàm quòd illi diuinitus amplißimos honores & dignitatem destinatum esse uiderent. Eodem igitur uitio, quo Cainus olim, laborarunt. Nam & hic Abelem fratrem, inuidiæ & odij affectu excæcatus, occidit. Genes. 4. Nam licet hi sanguine abstinuerint, homicidij tamen reatu tenentur, tum propter destinatam animi uoluntatem, cuius executioni deus per Ruben obstitit, tum quòd uendiderunt fratrem alienigenis, quod scelus postea ex Dei instituto capitali pœna uindicari debuit. Vide Exod. 21. Coniunge his infinita alia, quæ in huius facinoris designatione concurrerunt, & constabit, illos uno hoc facto meruisse, ut in æternum abijcerentur: & proinde non ipsorum iustitiæ, sed diuinæ bonitati tribuendum esse, quòd gentem, quæ ex ipsis descendit, suum peculium Deus facere dignatus est. Nam audaci impietate cum Deo certamen susceperunt, cuius consilia hoc pacto impedire conati sunt. Impij quoque in patrem fuerunt, cui Iosephum in delitijs esse nouerant, & cuius senium consolari potius, quàm contristare debebant. De impietate in fratrem quid attinet dicere, quem, quantum in ipsis fuit, non corporis modò, uerumetiam animæ iacturam facere uoluerunt, dum illum Ismaelitis in Aegyptum uendunt, ut inter illos infelicem seruitutē seruiat, quos à ueri Dei cognitione & cultu alienißimos esse non ignorabant. Quæ ergo supplicia, qui inferi huic flagitio uindicando potuissent sufficere, si iustitiæ suæ rigorem potius quàm bonitatem suam & misericordiam Deus exercere uoluisset?

Vana est, quæ ex maiorũ uirtute quæritur gloria.

Simul uerò nostræ institutioni seruit locus hic, & uanam esse docet gloriationem, quæcunque ex patrum siue maiorum uirtute quæritur. Non quòd singulare Dei beneficium esse negemus, si maiores præclari & egregij contigerunt, sed non idcirco nos habere dicimus, quo coram deo possimus gloriari. Nam etsi optimi fuerint maiores nostri, hoc ipsum tamen ex Dei gratia fuerunt, ad nos uerò nihil ex illorum uirtute præsidij redit, nisi illam imitari studeamus, quod pluribus apud Ezechielem cap. 18. exponitur. Et constat nunquam grauioribus minis cum Iudæis concertasse deum, quàm quoties illi Abrahami uirtute gloriari cœperunt. Tunc enim & uiperarum soboles ab Iohanne, & à Christo diaboli filij dicuntur. Matthæi 3. Iohan. 8. Et quod in Iudæis Stephanus animaduertit, id in omnium nationum gentibus non publicè tum priuatim euidentißime cernitur. Nam sint licet inter maiores ipsorum aliquot, qui uirtutibus & egregijs factis aliquam inter homines laudem

laudem meruerunt, non deerunt tamen infiniti alij, quorum scelera non gentis modò excidium, sed æternam damnationem & totius posteritatis repudium mereri poterant, nisi peculiari & gratuito beneficio illos deus seruatos uoluisset. Humiliemur ergo omnes in conspectu domini, & qui gloriatur, in domino glorietur, qui misericors est & beneficus, patiens item & magnæ benignitatis, qui non tractat nos pro peccatis nostris, neq; rependit nobis, quod iniquitates nostræ merentur, &c. Vide Psalm. 103.

Quia uerò in Iosephi historiã incidit Stephanus, cuius castitas, prudentia, iustitia & pietas meruisse uidebatur, ut & ipse magnus fieret, & propter ipsum tota Iudæorum cognatio honoribus & beneficijs accumularetur, huic etiam errori occurrens, docet Iosepho quoq; ex dei gratia, non ullo suo merito, obtigisse quicquid habuit. Deus erat cum illo (inquit) & eripuit eum ex omnibus afflictionibus. Quòd igitur Iosephus aduersa constanter pertulit, quòd meretricijs impudicæ heræ blanditijs non fuit superatus, quòd fidem hero seruauit impollutam, quòd carceris & captiuitatis squalore non offensus fuit, illud omne dei beneficium fuit, qui ipsum sua gratia noluit destituere. Eiusdem quoq; gratia factum est, quòd Ioseph prophetico spiritu instructus, sana consilia regi proponere, & illius gratiam demereri potuit. Quapropter nec Iosephi ingenio, nec Pharaonis clementiæ, sed diuinæ bonitati tribuendum est, quòd ad totius Aegypti dominium ille conscendit. Adde his, quòd in prophana terra, cum nullum adhuc in populo dei templum extructum, nec legis ceremoniæ institutæ essent, omnia ista deus fieri uoluit. Vnde rursum colligitur, ceremonias, quæ longo post tempore demum secutæ sunt, non iustificationis ergò fuisse traditas, sed ut ueram iustificationis & salutis rationem, quæ à prima mundi origine primis promißionibus tradita erat, & præfinito correctionis tempore per Christum impleri debebat, nobis adumbrarent. Quid ergo propter illa tumultuari libet, sine quibus olim ueteres deo placuisse & saluatos esse constat? Restant autem in Iosephi exemplo, quæ singulorum hominum institutioni & consolationi seruire possunt, de quibus nonnihil dicendum est.

Ioseph quoque ex gratia saluatus est.

Primum inter hæc est, quòd deum Iosepho affuisse dicit. Non ergo uel fratrum perfidia, uel heræ impudens calumnia, uel inconsulta Putipharis iniquitas diuino præsidio Iosephum, fidum dei cultorem, priuare potuit. Et quod in illo accidit, id omnibus pijs cõmune est. Nam oculi domini intenti sunt super iustos, & aures eius illorum precibus patent. Psal. 34. Et singulis nobis cum Dauide dicere licet: Vbi pater meus et mater mea destituunt me, dominus colligit me. Psal. 27. Vt enim Christus se solum fore negat, etiamsi omnes discipuli illum deserant (Iohan. 16.) ita soli non possunt esse, quicunq; Christo per fidem insiti sunt: cum ad ipsos pertineant Christi promißiones, quales sunt: Non derelinquam uos orphanos. Ego uobiscum sum usq; ad mundi consummationem. Iohan. 14. Matth. 28. Interim obseruemus, Iosephum uarijs calamitatibus exercitatum fuisse, licet dei præsenti præsidio sustentaretur. Nam à fratribus uenditur, hera blanditijs tentatur, ab eadem improbè accusatus capitis periculum incurrit, & diuturnis carceris terroribus concutitur. Nemo igitur tunc modò deum sibi adesse putet, quando tutus & ab omni tribulatione liber agit. Nemo etiã sub dei præsidio carnis securitatem & tuta omnia sibi polliceatur. Sed intelligamus, ita nos à domino liberari & defendi, ut interim crux ferenda sit, nihilominus uerò nunquam nos deo magis curæ esse, quàm cum omni afflictionum genere tentamur. Tunc enim fugas nostras numerat, & in ipsius conspectu, ceu in urceolo quopiam, lachrymæ nostræ colliguntur. Psal. 56.

Deus suis adest cũ affliguntur.

Deinde notemus, Iosephum à deo sapientiam & gratiam habuisse. Dei ergo donum est quicquid boni & eximij habemus. Et eiusdem beneficium est, si donis, quæ in nobis sunt, cũ fructu aliquo uti, & reliquis grati uel accepti esse possumus. Nam si hominis naturam cõsyderes, corrupta in illo sunt omnia. Non percipit intellectus noster ea, quæ sunt spiritus dei. 1. Cor. 2. Voluntas nisi terrena sectatur, & carnis desyderijs regitur, cuius figmenta ab ineunte ætate praua sunt. Gen. 8. Vires ad benè agendum nullæ sunt. Nisi ergo dominus nos regeneret, & suo spiritu instruat, nihil in nobis sanum erit & integrum. Rursum nisi ille nos & nostra omnia alijs placere faciat, nihil proficiemus. Quid enim in alijs efficias, qui teipsum docere & gubernare nescis? Vt ergo dei beneficium fuit, quòd Iosephi consilia Pharaoni grata fuerunt: ita nisi deus hominũ mentes inclinet, inutilia et inania erunt, quæ nos instituimus, omnia. Quod in uerbi ministerio Paulus obseruauit, quando ait: Nihil est quò

Dei donum est quicquid eximij habemus

rigat, nihil qui plantat, sed deus qui dat incrementum. Admonet autem huius rei consyderatio, ut dei donis superbiamus, & ut ijsdem rectè utamur. Quid enim habes, quod non acceperis? Quòd si accepisti, quid gloriaris ac si non acceperis? 1. Cor. 4. Quòd si accepisti, utiq; accepti & dati ratio olim reddenda erit, sicut in talentorum parabola Christus docuit. Matth. 25.

Ioseph typus Christi.

Postremò non abs re fuerit, si Christi typum, quem Iosephus gessit, consyderemus, cum hic totius orationis, à Stephano institutæ, scopus sit, ut Christo Iudæos adducat. Vt enim Iosephum fratres dominum & regem suum agnoscere noluerunt: ita cum Christus in sua ueniret, sui illum recipere dedignati sunt. Iohan. 1. Vt Ioseph à fratribus: ita Christus à Iuda uenditus, & postea à Iudæis, qui ipsius iuxta carnem fratres erant, gentibus traditus est. Vt Iosephus cum pistore & pincerna aduersa multa pertulit, quorum ille quidem perijt, hic uerò seruatus est: ita Christum in medio duorum latronum passum esse legimus, quorum alter dei gratia seruatus est, alter à salute excidit. Vt Iosephus per multa pericula & horribiles casus ad summos regiæ dignitatis honores ascendit: ita Christus per acerbam & diram mortem crucis patris gloriam ingressus, nomen accepit, quod est super omne nomen, & in quo omne genu flecti conuenit. Philip. 2. Omitto multa alia, quæ suo loco & tempore commodius tractari poterunt. Nostrum est, Christum Iesum, cuius typum Iosephus gessit, uera fide amplecti, & per uarios huius uitæ casus ad cœlestis regni hæreditatem eniti, quæ credentibus ab æterno præparata, & precioso Christi sanguine acquisita est: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA XLVI.

Venit autem fames super uniuersam terram Aegypti & Chanaan, & afflictio magna, nec inueniebant frumenta patres nostri. Cum uerò audiuisset Iacob, esse frumenta in Aegypto, misit illuc patres nostros primùm. Secundo autem aduentu agnitus fuit Ioseph à fratribus suis. Et innotuit Pharaoni genus Iosephi. Misit ergo Ioseph, & euocauit patrem suum Iacob, & uniuersam cognationem suam in animabus septuaginta quinque. Descendit autem Iacob in Aegyptum, & mortuus est ipse & patres nostri, & translati sunt in Sichem, & positi sunt in sepulchro, quod emerat Abraham pretio argēti à filijs Hemor, filij Sichem.

PErgit in cœpta narratione rerum, cum patribus olim gestarum, Stephanus: cuius hic præcipuus finis est, ut euincat, se ueterem patrum religionem firmiter tenere, quos sine templo & suis ceremonijs deo placuisse, & saluatos esse, constet. Vnde colligit templum ne nunc quidem ad salutem necessarium esse, sed in eum potius debere respici, qui hoc præfiguratus sit. Inter alia uerò singulari diligentia Iosephi historiam tractat, eò quòd is (ut præcedēti Sermone diximus) Christi Iesu typum gessit. Et in ijs quidem, quæ præcesserunt, ut Ioseph in Aegyptum uenditus & ibidem ex gratia dei non modò seruatus, uerumetiam Aegypti dominus factus sit, exposuit. Subiungitur his in præsenti totius Israeliticæ gentis descensus in Aegyptum, cuius author idem ille Ioseph fuit. Ad eundem uerò scopum hæc narrationis pars referri debet, ad quem præcedentia referre docuimus. Vult enim docere Stephanus, religionem ueram & salutis humanæ rationem adeò non alligatam esse ei cultui, qui per Mosem institutus, & in terra Chanaan aliquot seculis obseruatus fuit, ut olim patres famis necessitate è terra illa excedere coacti, in Aegyptum uenerint, ubi annis circiter ducentis & decem (totidem enim à descensu Aegypti usq; ad exitum filiorum Israelis numerantur) dei populus fuerint, licet nec templo nec legalibus ceremonijs uterentur. Nihil ergo obstare, quò minus hodie quoq; sine templo seruentur, imò hoc cum toto Leuitico cultu necessariò abrogari debere, quando illum exhibitum esse constet, cuius typum ista olim gesserunt. Extat historia Gene. 42. 43. & deinceps, ubi prolixè narrantur, quæ paucis Stephanus perstringit. Ne uerò inutilis nobis sit illius narratio, summa rerum capita distinguere, & ea ad nostram institutionem transferre conuenit. Videamus ergo causam, quæ Israelem in Aegyptum descendere compulit: deinde ipsum descensum: postremò autem quæ de patriarcharum morte simul & sepultura dicuntur.

Causam in Aegyptum descendendi Iacobo fames præbuit, qua in terra Chanaan uexatus est, & quam non alia commodiori ratione effugere potuit, cum in sola Aegypto frumenta, ex Iosephi consilio reposita, inuenirentur. Hic uerò diligenti obseruatione dignum est, quòd Iacobum, fidelissimum suum cultorem & sanctissimum uirum, deus cum fame conflictari patitur. Poterat hoc filiorum improbitati acceptum ferri, nisi idem Abrahamo & Isaaco euenisse legeremus. Gen. 12. & 26. Nec exempla desunt, quibus docemur alijs quoq; ærumnis & aduersis fidos sanctosq; dei cultores obnoxios fuisse. Vnde colligimus, aduersa & afflictiones non semper irati numinis argumenta esse, nec propter has nobis esse desperandum, quasi à dei gratia in uniuersum exciderimus. Nam uel paterna cura lapsus nostros deus præuenit, & ne quando turpiter peccemus, carnis feroces spiritus coërcet: uel delicta nostra paternè castigat, & castigando in uiam reducit: uel occulta & nobis ignota adhuc iudicia hoc modo exequitur: quod in præsenti historia factum fuisse constat. Fame enim in Aegyptum abire Iacob cogitur cum omni sua familia, ut oraculo locus sit, quo Abrahamo prædixerat deus, semẽ ipsius peregrinum fore in aliena terra, unde post multas afflictiones diuina ope sint educendi. Gene. 15. Et quotidiani afflictionum nostrarum euentus abunde docent, multa per has iusto & salutari iudicio facere deum, quæ prius ignorabamus. Cæterum haud uulgarem consolationem affert, quòd ut Iacobum fame uexari noluit: ita Iosephum in Aegyptum præmisit & totius regni dominum constituit, ut illius consilio & ope cum uniuersa familia sua aleretur. Prædicatur hæc dei bonitas & fides in Psal. 105. ubi sic scribitur: Vocauit deus famem super terram, & omnem baculum panis contriuit. Misit ante illos uirum, Ioseph uenditus est in seruitutem, &c. Hinc igitur præcipua salus Iacobo contigit, unde is præcipuam doloris causam se habere putabat. Iosephum enim, ut uita defunctum, summa animi acerbitate luxerat, cuius beneficentia & liberalitate modò alitur. Agnoscit hoc dei consilium Ioseph, quando fratres, sceleris conscientia perterritos, hoc argumento consolatur, quòd non sine dei prouidentia, publicæ & communis salutis ergò, in Aegyptum præmissus sit. Gene. 45. Et frequenter fieri solet, ut quæ ab hostibus nostris summa cum inhumanitate & iniquitate contra nos instituuntur, nostro commodo & saluti inseruiant. Nec ideo illorum improbitas excusatur, quando illi non ut dei consilia exequantur, ista faciunt, sed ut effræni affectuum suorum libidini indulgeant: qua de re iam sæpe dictum est. I. Causa descẽsus in Aegyptum.

Simul uerò Pharaonem & Iosephum hic obseruare conuenit. Ille enim non exiguam prudentiæ & gratitudinis laudem meretur, quòd Iosephum, quem præ cæteris sapientia & consilijs instructum uidebat, regni gubernaculis præficit, etiamsi peregrinum & seruilis conditionis hominem esse nouisset: & quòd illius consilijs feliciter usus, non Iosepho modò, uerumetiam toti ipsius cognationi gratias liberalissimè referre studet. Quo exemplo non tantum gratitudinem discunt qui in magistratu uersantur, uerumetiam admonentur, quàm referat, pios & sanctos dei cultores publicis officijs adhibere: eò quòd tales dei benedictio sequitur, & quod illis fit, sibi factum esse deus reputat. Sensit hoc antea Putiphar, quamuis parum gratus, quem in omnibus negotijs fortunauit deus, quando Iosephum domus suæ gubernatorem habebat. Idem nunc Pharao experitur, quando Iosephi studio seipsum opibus immensis augeri, totamq; simul Aegyptum & finitimas nationes conseruari uidet. Sic infra propter Paulum è naufragio seruantur, quotquot cum illo nauigabant. Vt uerò ex pijs ad multos alios magna utilitas redire solet: ita frequenter paucos impios, si honoribus & potentia sublimes fiant, uel saltem impunè grassentur, publicorum malorum authores fieri constat. Vnus Achan certè sacrilegio suo, quamuis occulto, publicæ cladis causam præbuit. Iosu. 7. Et Ionas, à dei conspectu fugiens, non seipsum modò, uerumetiam nautas & quotquot in ea naui cum ipso uehebantur, in capitis periculum adducit. Adeò periculosa & noxia est impiorum consuetudo siue societas. Quid ergo sperandum erit, si publicis officijs & rerum gubernaculis tales præficiantur? Non aliud certè, quàm quòd publici alicuius mali, adeoq; uniuersalis excidij, authores futuri sint. Cuius rei exemplum in Manasse habetur, cuius sanguinaria tyrannide & impietate factum est, ut implacabili aduersus Iudæorum gentem deus ira excandescens, in Babylonem abducendos traderet, templo & urbe prius ferro & igne uastatis. Prima ergo in rerumpublicarum & ecclesiarum præsidibus deligendis pietatis cura esse debet, nisi uastatores potius quàm conseruatores regnare uelimus. Et sanè huius loci consyderatio uel sola docere potest, quæ potissima malorum nostri seculi causa Pharaonis prudentia & gratitudo.

sit, quando paßim rebuspublicis ij præficiuntur, quorum animi à religione & pietatis studio alienißimi sunt.

Iosephi charitas iustitia temperata.

In Iosepho autem fraternæ charitatis ingenium, æquitatis & iustitiæ regula temperatum, considerandum uenit. Nam fratres, à quibus indignißimè inhumanißimeq́ tractatus fuerat, agnoscit, & ijsdem alimenta præbet liberalißimè: interim tamen illorum animos simulata quadam austeritate & uerborum duritia explorat, nec prius sese illis cognoscendum præbet, quàm emendatos uideret. Exprimit ea in re dei patris & filij ipsius, Iesu Christi, ingenium: qui cum nullum non à nobis iniuriarum genus olim perpessus sit, & quotidie patiatur, nihilominus tamen charitatis suæ & beneficentiæ obliuisci non potest, uerùm etiam pro fratribus nos agnoscit, & illis benefacit, qui mille cruces & mortes meruerunt. Imitemur hoc dei patris ingenium, siquidem illius filij dici & haberi uolumus. Matth. 5. Interim nihil obstat, quò minus illorum peccata argui & accusari debeant, quos præter officium multa indignè facere et fecisse uidemus. Nec ita condonandum ijs, qui in nos iniurij fuerunt, ut nimia indulgentia corrumpantur, sed hoc præcipuum charitatis officium esse intelligamus, si à peccatis & interitu reuocentur, qui à pœnitentiæ studio adhuc alieni sunt.

II.
Descensus Israelis in Aegyptũ.

Sed alteram huius loci partem uideamus, qua Iacobus cum uniuersa familia & cognatione sua in Aegyptum descendisse dicitur. Vnde constat neminem in terra Chanaan remansisse ex illorum numero, qui populus dei esse censebantur: sed simul omnes in Aegypto exulauerunt, & illic absq; illis ceremonijs & absq; omni cultu legali, mera dei gratia conseruati sunt. Non temere autem factum putabimus, quòd numerum animarum tam diligenter Stephanus recenset. Eius enim consideratio ineffabilem & inuictam dei potentiam nobis ob oculos ponit, qui tantillam gentem intra ducentos & decem annos innumerabilem efficere potuit. Nam, ut Moses testatur, cum Aegyptum exirent, in censu Israelis sexcenta & triginta millia, quingenti & quinquaginta ad militiam instructorum reperti sunt. Cum quo si tyrannicos Pharaonis conatus conferas, qui populum hunc omni modo delere & extirpare instituit, facilè patebit, dei promißionem, Abrahamo olim factam (Gen. 15. & 17.) humanis consilijs & uiribus nequaquam impediri potuisse. Debet hoc omnium nostrum institutioni & consolationi seruire, ne mundi minis & conatibus perterreamur, quando huius uires aduersus deum irritas omnino & nullius momenti esse constat. Transferamus hoc ad Christum & ecclesiam eius. Promisit illi regnum deus, quod inuitis hostibus ille obtinet & in æternum tenebit. Promisit porrò ecclesiam fore numerosißimam: quod ipsum quoque impleri uidemus, ut non uno Pharao illam extinctam cupiat. Singuli item hoc obseruent in tentationibus, ne fidem suam cum patiantur, cum Paulo teste, nihil sit, quod nos separare poßit à dilectione dei, &c. Rom. 8. cap.

Postremo huius loci membro, patres in Aegypto mortuos, & postea in Sichem translatos esse, Stephanus docet. Atqui de Iacobo disertè Moses scribit, illius funus in Chanaan fuisse delatum. Gen. 50. Et Iosephi ossa ex Aegypto ab Israelitis, quemadmodũ ipse mandauerat, translata fuisse, similiter scriptura admonet. Exod. 13. Ios. 24. De reliquis patriarchis, licet nihil tradat Moses, uerisimile tamen est, illorum quoq; ossa à suis posteris simul asportata fuisse, cum id tam liberè Stephanus asserat coram ijs, quos uerborum suorum intẽtißimos iudices esse nouerat. Porrò in Abrahami nomine librariorum incuria erratum esse, notius est, quàm ut multis demonstrari oporteat. Vide sis tem quæ de hoc agro, quem Iacob à filijs Emor emit, habẽtur Gen. 33. & Ios. 24. In Aegypto autem mortuos esse patriarchas ideo asserit, ut constet, illos in ea religione diem obijsse, quæ nullis externis ceremonijs nitebatur, sed in sola fide, qua dei promißiones amplectebantur, consistebat. Vnde colligitur, illos per fidem, ex mera dei gratia, non Leuitico cultu iustificatos & saluatos esse. Interim admonemur, fideles ubiuis terrarum feliciter mori, nec miseros censendos esse, qui extra patriæ fines in exilio uita hac defunguntur. Quia enim uita hæc, ubicunq; agatur, peregrinatio est, & patriam siue ciuitatem permanentem in cælis habemus: in exilio mori non potest, qui peregrinationis cursu per fidem consummato in cœlestis patriæ portum recipitur. Beati enim dicuntur ab angelo mortui, qui in domino moriuntur. Apoc. 14. Et Christus eos, qui in se credunt, ex morte in uitam transire testatur. Iohan. 5. Præterea ubiq; locorum deus suis morituris adest: & in nouißimo die omnis terra, imò & mare, adeoq́ omnes mundi partes reddere cogentur, quoscunq; absumpserunt. Vide Apoc. 20. Ridicula ergo & stulta est illorum hominum superstitio, qui locorum religione beatitudinem metiuntur,

tiuntur, nec parum referre putant, quo loco quis sepeliatur: cum omnem terram domini esse constet, cuius potentia & gratia certo loco nec concludi nec alligari potest. Nec mihi patriarchas obijcient illi homines, qui ossa sua in terram Chanaan ex Aegypto transferri uoluerunt. Nec enim hoc ideo fecêre, quod salutis spem in sepulturæ loco haberent repositam: sed fidei hoc opus fuit, quam nec mortis terror illis excutere potuit. Et ut omnibus testatum facerent, se dei promissionibus firmiter credere, quibus ipsorum posteris huius terræ hæreditatem erat pollicitus, & nepotes suos in huius terræ amorem raperent, in ea sepeliri uoluerunt: adeò ut in ipsa morte fidem & spem retinuisse dici possint. Nec id temerè factum esse ex posterorum moribus patet, qui cum non sine maximis miraculis essent liberati, subinde tamen in Aegyptum respexerunt, & terram illam aspernati sunt, in qua patres sepeliri uoluerant. Quid uerò non facturi erant illi, si patres sibi in Aegypto sepulturæ locum delegissent? Nihil ergo horum exempla illorum superstitioni patrocinantur, qui in sepulchris non postremam salutis spem & hominis gloriã consistere arbitrantur. Nos potius loci huius & totius orationis, à Stephano institutæ caput teneamus, & omissis ceremoniarum obseruationibus, fidem & spẽ seruemus inconcussam, ut cum sanctissimis patriarchis in regno cœlorum discumbere nobis liceat sicuti promisit Iesus Christus: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA XLVII.

Vt autem appropinquauit tempus promissionis, quam iurauerat deus Abrahamo, creuit populus & multiplicatus est in Aegypto, donec surrexit rex alius, qui non nouerat Iosephum. Hic dolose circumueniens genus nostrum, afflixit patres nostros, ut exponerent infantes suos, ne sobole augerentur. Quo tempore Moses natus est, qui deo gratus fuit: & nutritus est per tres menses in domo patris. Expositum uerò illum sustulit filia Pharaonis, & educauit eum sibi in filium. Et institutus est Moses in omni sapientia Aegyptiorum, eratq; potens in factis & in dictis.

Etsi deus fidem & salutis rationem, quæ solius Iesu Christi merito nititur, primos parentes docuerit, & eius doctrina ideo sola & uetustissima & ueracissima sit, passim tamen nouitatis & falsi accusatur. Causa est, quòd homines non in dei uerbum, sed externa respiciunt, & quidem in ea plerunq; quæ ipsi ex suo cerebro finxerunt. Fit ergo, ut illis solis intenti, pro nouorum dogmatum autoribus & cultus diuini hostibus eos habeant, qui diuersum quid docent, & à deo traditam salutis nostræ cultusq; diuini rationem reducere student. Accidit hoc Stephano: qui cum Ierosolymæ euangelium Iesu Christi prædicaret, & populum à legalibus ceremonijs ad Christum remitteret, mox accusatur, quasi templum & dei cultũ hostiliter oderit. Excusat se ille non uerbis nudis, sed reipsa. Nam patrum historiam contexens, illos quoq; non aliam fidei & salutis rationem secutos fuisse docet, quam quæ in Christo habetur. Deduxit uerò narrationem hanc ab ipsa gentis origine usq; ad descensum Israelis in Aegyptum & patriarcharum mortem. Nunc ergo eiusdem populi incrementa & liberationem narrare incipit: ubi singulari diligẽtia utitur, eò quòd Aegyptiaca liberatio redemptionis per Christum factæ typus fuit, quo simul admonemur, quæ omnibus seculis ecclesiæ in hoc mũdo sors fuerit, atq; semper futura sit. Idem uerò huius partis, qui & superiorum omnium scopus est, nimirum Iudæis liberationem hanc non aliquo operum ipsorum aut legalis iustitiæ merito, sed singulari gratiæ dei beneficio iuxta promissiones ueteres contigisse. Vnde colligit, ueræ religionis & salutis rationem non in externis ceremonijs, sed potius in fide, qua dei gratiam & promissiones apprehendimus, consistere. At quia de singulis suo loco dicetur, in præsenti de populi multiplicatione & eiusdem assertore, Mose, agemus, quæ utraq; in ijs, quæ modo prælecta sunt, Stephanus tractat.

I. Populus in Aegypto dei gratia seruatus & multiplicatus est.

Populi multiplicationem in Aegypto, non ullis hominum consilijs, sed dei gratiæ transcribi debere duobus argumentis probat. Primum à causa efficienti, alterum à temporum illorum conditione deducit. Vt enim (inquit) tempus promissionis appropinquauit, quam deus iurauerat Abrahamo, multiplicatus est populus in Aegypto. At promissionem gratuitam fuisse nemo negauerit, cum

nondum natis Iudæis facta sit, & ipsum Abrahamum mera gratia electum & ex Chaldæa vocatum fuisse constet. Vnde colligitur, populum hunc dei gratia conseruatum fuisse, & in tantam multitudinem excreuisse, quanta à Mose alibi recensetur. Numer. 1. cap.

Dei prouidētia temporum articulos comprehendit.

Est autem obseruatione dignißimum, quòd diuinæ promißioni certum tempus tribuit diuinus martyr, cuius mentionem in ipsius dei uerbis fieri non ignorabat, ut uidere est Gen. 15. cap. ubi quarta generatione è seruitutis iugo asserendi dicuntur Abrahami posteri. Promißioni autem historia pulchre conuenit, quæ docet Mosem, populi uindicem, à Iacobo quartum fuisse. Hic enim genuit Leui, Leui genuit Cabad, ex Cabad natus est Amram, qui Mosis & Aaronis pater fuisse perhibetur. Docemur hoc loco, dei prouidentia non modò summam rerum, quæ inter mortales fiunt, uerum etiam rerum causas unà cum reliquis circumstantijs comprehendi. Quid enim negligere posset æterna illa mens, quæ & capitis pilos numerat, & florum agri atq; uolatilium cœli rationem habet exactißimam? Matth. 10. & 6. Eandem uerò temporum articulos complecti, ipse Christus fatetur, quando apostolos hoc nomine reprehendit, quòd de ijs inquirerent, qui in solius patris potestate sunt repositi. Acto. 1. Debet horum consyderatio nostræ consolationi seruire, quando in grauißimis angustijs constituti, diuinam opem eòusq; differri sentimus, ut nostri simul & promißionum suarum deus oblitus esse uideri poßit. Tunc enim meminerimus, dei promißionibus certum tempus constitutum esse, quod nunquam elabi patietur deus, quin in se sperantes adiuuet. Nostrum uerò est interea expectare dei opem, nec illi rerum agendarum formam aut tempus præscribere. Expecta dominũ (inquit Dauid,) forte sit & roboretur cor tuum, & expecta dominum. Psal. 27. Quid? quòd alibi deum tentauisse dicuntur, qui terminos certos diuinæ uel potētiæ, uel uoluntati præscripserũt, quales fuerunt, qui carnes in deserto postulare ausi sunt & Bethuliani proceres, qui quinq; duntaxat dierum spacio dei opem expectare statuerant. Num. 11. Psal. 78. Iudith. 8. Vtamur igitur hoc contra carnis impatientiam antidoto, ut deum certis locis & temporibus res omnes agere cogitemus, nec interim in se sperantes deserere. Vide Habak. 2.

Alterum argumentum à temporum illorum, quo populus multiplicatus est, conditione sumitur. Nec enim magnum uideri poterat, si inter eos creuisset populus, qui Iosephi & beneficiorum ipsius memores, illum tuebantur & omni officiorum genere prosequebantur, quod primos Aegypti reges fecisse constat. At inuitis & multum reluctantibus ijs, quorum arbitrio omnia regebantur, multiplicata est Iudæorum gens. Nam surrexit rex alius, qui non nouerat Iosephum, nec aliqua ueterum beneficiorum cura tangebatur. Is non modò neglexit Israelem, & aliorum libidini uexandum permisit, sed ipse dolo malo populum illum aggressus, toti Aegypto suspectum & inuisum reddidit, & eòusq; tyrannidis suæ sæuitiam extendit, ut non contentus libertatem abstulisse & turpi seruitute oppreßisse, fœtus quoq; illorum tum in ipso partu occidi, tum recens natos à parentibus exponi, aut per crudelitatis suæ ministros inuestigari, & immanißimè extingui curauit. Vide Exod. 1. Nihilominus tamen creuit in immensum populus, & palmæ instar urgentis tyrannidis ponderi reluctatus est. Quis ergo hoc non agnoscat singulare quoddam diuinæ bonitatis opus fuisse, nec ullis ceremonijs, quæ tunc nullæ erant, acceptum ferri debere?

Deus lætis tristia miscet.

Primò autem hic obseruemus, quòd cum tempus promißionis instaret, eiusmodi regem excitauit deus, qui iniusta tyrãnide populum opprimeret, & eòusq; grassaretur, ut uix aliqua liberationis spes reliqua esset. Est hic uetus dei mos, ut lætis tristia permisceat, et impios tunc maximè ferocire sinat, quando illorum interitus præ foribus adest. Ita enim suorum fidem exercet, & cauet ne securitate nimis insolescant, & libertate abutantur. Sunt huius generis exempla paßim obuia, in Dauide, Ezechia & infinitis alijs. Pertinet huc etiam quod post reditum è Babylone circa urbis restaurationem contigit, quando nec Cyri regis authoritas improbos hostium conatus reprimere potuit, & hunc secutus Cambyses filius ecclesiæ hostes suo fauore armauit: adeò ut qui in urbis ædificatione laborabant, altera manu opus facere, altera pugnare cogerentur. Nehem. 4. Prodest uerò nobis, ut diligenter in horum meditatione uersemur, ne prosperis succeßibus nimium confisi, securitatis laqueo circumueniamur, sed potius cogitemus, nobis sub cruce triumphandum esse, & proinde ad hanc, cum maximè tuta uidentur omnia, præparari debere.

Deinde

Ecclesia militans: in hac cruce sub [illegible]

Deinde obseruandum uenit, quòd rex exortus esse dicitur, qui Iosephum non nouerit. At si historiam excutiamus, uix quinquaginta annorum spatium inter Iosephi mortem & tyrannidis huius initium intercessisse patebit. Iosephus enim trigesimo ætatis anno Aegypti dominus factus est. Secuti sunt septem anni fertiles, & secundo sterilitatis anno patrem Iacobum ad sese euocauit. Quare si quid temporis præparationi ad iter & ipsi itineri tribuamus, non ultra quadragesimum Iosephi annum Israelis in Aegyptum descensus extrahetur. Vixit ab eo tempore Iosephus annis adhuc septuaginta, nam centesimo decimo demum anno illum obdormiuisse, Moses testatur. Fuerunt autem in Aegypto Israelitæ annis ducentis & decem, à quibus si septuaginta Iosephi annos & octuaginta, quibus Moses uixit, priusquàm populum educeret, subtrahas, soli sexaginta anni restabunt, qui inter Iosephi mortem & Mosis natiuitatem intercurrunt. A quibus tamen auferendi erunt anni, ad unius decem, quibus Amram in matrimonio (quod feruente iam persecutione demum ab illo contractum fuit) priusquàm illi Moses nasceretur, uixit. Tribus enim annis ante Mosen Aaronem natum esse constat, & cùm Moses in fluuio reperiretur, eius soror Maria ea ætate fuit, ut cum regis filia colloqui, & non omnino inepta de seruando puero consilia suggerere posset. Docet horum consyderatio, quàm fluxa sit apud potentes & principes huius seculi beneficiorum memoria, quando Iosephum Aegypti reges, tam breui tempore secuti, ignorant, cuius consiliis & Aegyptus seruata, & regum potestas in immensum aucta fuerat. Ebrij enim fortuna facilè insolescunt, & nefas esse ducunt, ut se alicui mortalium debitores esse agnoscant. Rectè ergo & prudenter David clamat: Nolite confidere principibus, nec filijs hominum, in quibus non est salus. Psal.146. Item: Spem habere in domino melius est, quàm fidere principibus. Psal.118. Simul uerò admonemur quàm noxia sit regnis & rebuspublicis ueterum actorum, legum & priuilegiorũ ignorantia siue obliuio. Hanc enim crudelissimæ tyrannidis & tandem horribilis interitus causam fuisse, hic locus disertè testatur. Memorabilis ergo est Persarum & Medorum mos, quorum reges in annalium lectione frequenter uersatos fuisse, historici docent. Quantum enim inde commodi enatum sit, unius Mardochæi historia abundè monet. Vide Hest.6.cap.

Breuis apud reges beneficiorum acceptorũ memoria.

Tertiò tyrannorum artes, quibus in alijs opprimendis utuntur, consydera. Nec enim absoluta potentia uti uidetur Pharao, sed callidè & miro dolo Israeliticum populum circumuenit, & in hoc est, ut cùm publicæ paci quàm maximè consulere, tum æquitatis summam rationem habere uideatur, quando gentem auita libertate exutam tanta immanitate persequitur. Nam haud dubiè conquestus est, rem iniquam & absurdam esse, homines peregrinos immunitate gaudere, & ipsis Aegyptijs esse liberiores. Præterea periculum imminere ostendit, ne si bellum ab exteris inferatur, hostibus coniuncti, Aegypti tyrannidem affectent. At si exitum rei consyderes, omnium consiliorum & argumentorum finis fuit auaritia, quæ Aegyptios aliorum oppressione & gratuitis seruitijs ditescere docuit. Hinc exemplo carens tyrannis secuta est, cuius sæuitiem ne infantibus quidem recens natis effugere licuit. Adeò sibi quiduis licere putant, qui iuris & æqui leges semel uiolare ausi sunt, & aliquem inde priuati commodi gustum perceperunt. Agnoscamus eiusmodi artes, quò facilius agnitas cauere possimus. Interim non despondeamus animos, quando plerunq; fit, ut tyrannorum conatus dei gloriam & uirtutem illustrent, quibus facillimum est gentium consilia euertere, sicuti diuinus Psaltes admonet, & hoc loco euenisse patet.

Tyrannorum artes.

Cæterum pergens in cœpta narratione Stephanus, Mosen producit, quo assertore uel uindice & legislatore Iudæi maximè gloriabantur. Docet autem, hunc quoq; singulari dei beneficio seruatum & ad tam altum functionis gradum euectum esse, nec habere, quo glorietur. Vnde cuiuis facile est concludere, multò magis eos diuinæ gratiæ omnia debere, quos illius ministerio deus liberari & legem accipere uoluit. Sunt uerò tria potissimum, quibus probat, quod modò diximus. Primò à temporis conditione argumentari pergens, illo ipso tempore natum fuisse dicit, quando maximè feruebat tyrannis, & quando non alia ratione quàm occulta dei potentia & gratia seruari poterat. Addit & aliud, quòd in recens nato infante non obscura diuinæ gratiæ indicia apparuerint, quæ certè ad nullum Mosis meritum referri possunt. Interim probè tenendum, quòd eo tempore uindex & assertor populi nascitur, quo uix aliqua liberationis spes supererat, & quando ipsum prius periclitari oportebat, quàm ullum futuræ magnanimitatis aut liberationis specimen edere posset. Solet ita

II. Moses gratia dei seruatus & exaltatus est.

A tempore.

deus præter omnem ſpem ſuis adeſſe, & (ut Iſaias inquit) opus ſuum alienum facere, eiusq; quodammodo obliuiſci, quò maiori cum gloria illud poſtea exequatur. Iſa.28. Proprium enim dei opus eſt, ſaluare homines: quod tum facit, quando cum ſalute ſpes quoq; omnis intercidiſſe uidetur. Simile quid in Christi natiuitate contigit. Quando enim Iudæi libertate amiſſa, extero principi, eoq; ethnico, cenſum ſiue tributum exoluere coguntur, & uiritim omnes cenſentur à Cyrenio, promiſſus ille & tanto tempore expectatus orbis ſaluator naſcitur. Imò ex Dauidis familia naſcitur, cùm illa ex omni dignitate decidiſſet, & iam truncus aliquis putris & inutilis uideri poſſet, ſicuti olim Iſaias prædixerat. Iſa.11. Nemo igitur propter imminentes afflictiones de dei ope deſperet, &c.

A cauſa efficiente quæ parentes mouit.

Secundum argumentum, quo Moſes ex gratia ſeruatus eſſe docetur, à parentibus deducit, qui illum contra regis edictum tribus menſibus occultatum domi ſuæ aluerunt. Id enim (Paulo ipſo interprete, Hebr.11.) fidei opus fuit, qua in dei gratiam & promiſsiones reſpicientes, ita confirmati ſunt, ut regis mandato ſeſe opponere auderent. At fidem animiq; conſtantiam, dei dona eſſe, notius eſt, quàm ut multis demonſtrari debeat. Ita tamen parentum Moſis fides conſyderari debet, ut eius imitatione accenſi, impia tyrannorum edicta, quibus nemo ſalua pietate obedire poteſt, contemnere diſcamus. In talibus enim Petri regula audiri debet, qui nos deo potius, quàm hominibus, obedire oportere, diſertè teſtatur.

A modo & ordine liberationis.

Tertiò liberationis modum & ordinem, quo Moſes ſeruatus eſt, recenſet, ut dei gratia & uirtus magis illuſtretur. Nam expoſitum ſuſtulit filia Pharaonis, & educauit eum ſibi in filium. Ad hæc in aula tyranni omni Aegyptiorum ſapientia inſtitutus, omnibus animi facultatibus, quæ rebus agendis neceſſariæ ſunt, inſtructiſsimus euaſit. Vide Exod.2. Quis uerò hîc humanis conſilijs ſiue meritis quicquam tribuat? Quis non dei gratiam ſingularem agnoſcat? Eſt autem memorabilis hoc loco dei potentia, qua tyrannorum conatus ridere & ludere conſueuit. In aula, adeoq; ſumptu ſuo eius populi uindicem alit fouetq; Pharao, quem maximè oppreſſum cupiebat. Sic Achabo prophetas & eccleſiam perſequente, in aula honore & authoritate excellit Abdias, fideliſsimus prophetarũ & purioris doctrinæ patronus. Sic ſub Romanis Imperatoribus olim militarunt Christiani & ueræ fidei propugnatores: cùm illi hanc extinctam uellent. Et multa alia exempla extant, quæ acerrimos Christi hoſtes eccleſiæ ſalutem adiuuiſſe docent. Quis ergo illorum conatibus exhorreſcat, quos diuinæ potentiæ & prouidentiæ fræno gubernari nouit? Simul uerò obſeruemus, quòd Moſen omni Aegyptiorum ſapientia inſtitutum fuiſſe tradit. Licet ergo pijs gentilium quoque libros & philoſophiam attingere, quod Paulum etiam feciſſe, illius ſcripta & ſermones teſtantur, quibus ethnicorum ſententias aliquando non ineptè nec ſine gratia inſeruit. Interim modus ſeruetur, ne gentilitia philoſophia turgidis uerbi dei myſteria ſordere incipiant, néue in philoſophorum ſcriptis ea admiremur, quæ cæleſtis ſapientiæ oraculis palàm repugnant. Solet hoc aſtrologis & nimium anxijs naturalium cauſarum indagatoribus contingere, quos interim non pudet ſuam impietatem Moſis exemplo tueri. At huius potius modeſtiam imitari debebant, qui cùm in opificij mundi deſcriptione ampliſsimam haberet Aegyptiacam ſapientiam oſtentandi occaſionem, mira breuitate & ſimplicitate omnia ea complexus eſt, quæ iam ſeculis aliquot mathematicorum & philoſophaſtrorum curioſa ingenia inutiliter fatigauerunt. Quia enim rerum cauſas ad unum deum refert (quod paſsim ſcripturæ faciunt) facilè uidit, impiam eſſe eam ingenij oſtentationem, quæ deum aliqua ſuæ gloriæ parte ſpoliat, & mundi gubernationem creaturarum ſtatis legibus ſubijcit. Deteſtabilis ergo eſt illorum ſtultitia & ueſania, qui aſtrologiæ iudiciariæ impietatem ad Abrahamum & Moſen authores referunt. Nos potius ab unius dei nutu pendeamus, qui tum Abrahamum tum Moſen ex gratia elegit, nobisq; filium ſuum ſaluatorem & Regem per hos pollicitus eſt. Cui cùm omnis poteſtas data ſit in cœlo & in terra, debetur eidem benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA XLVIII.

Vt uerò illi impletum fuit quadraginta annorũ tempus, ſubijt in cor eius, ut inuiſeret fratres ſuos, filios Iſrael. Et cùm uidiſſet quendam iniuria affectũ, defendit, & uindicauit eum qui affligebatur, cæſo Aegyptio.

Existimabat autem intelligere fratres suos, quod deus per manum ipsius daret illis salutem. At illi non intellexerunt. Et sequenti die conspectus est illis litigantibus, & reduxit eos in concordiam, dicens: Viri, uos estis fratres, cur uos inuicem læditis? Cæterum is, qui iniuriam faciebat proximo, repulit eum, dicens: Quis te constituit principem & iudicem super nos? Nunquid me interficere tu uis, quemadmodum heri interfecisti Aegyptium? Fugit autem Moses ad dictum hoc, & factus est aduena in terra Madian, ubi generauit filios duos.

CVm Diuus Stephanus, ueteris patrum historiæ filum & ordinem secutus, in Mosis mentionem incidisset, quo liberatore & legislatore Iudæi quàm maximè gloriari solebant, illius historiam singulari diligentia tractat: partim quidem, quia Moses hic, quoad Aegyptiacam liberationem, Christi Iesu typum gessit, & eidem testimonium tulit: partim uerò, ut seipsum contempti Mosis crimine liberet, cuius illum accusabant, eò quòd contra templum & Leuitici cultus ceremonias esset concionatus. Vt uerò inanem & uanam rerum externarum fiduciam illis penitus auferat, ostendit has ad hominis iustificationem & salutem adeò nihil conferre, ut nec ipse Moses aliquid habeat, quo coram domino glorietur, cum nulla humana ope, sed solius dei gratia seruatus, & in tantum honoris fastigium euectus sit. Vnde sequitur, diuinæ gratiæ ascribi debere, quicquid ab illo postea præclarè & & bene gestum est. Id uerò præsenti loco plenius illustratur, quo recenset, ut Moses officium, cui illum deus destinauerat, obire cœperit, & ut oblatum liberationis beneficium patres indignissimè fastidierint, Mosenq; uindicem reiecerint plusquam inhumaniter.

Orditur autem à Mosis ætate & causa, quæ illum, ut populi afflictissimi curam susciperet, impulit. Quadragenarium enim factum fuisse dicit, priusquam aliquod liberationis specimen exhiberet. Interea uerò temporis in aula regis inter regni proceres uitam ducens, non magnam populi sui rationem habuisse uidetur. Quod non obscurè monet Stephanus, quando post quadraginta demum annos, eas cogitationes animum ipsius subijsse dicit, quæ illum ut fratres suos inuiseret, solicitauerunt. Quis uerò eas suggessit? Vel num sponte enasci potuère in eo homine, qui à pueris inter aulæ delitias educatus, & Aegyptiaca sapientia imbutus fuerat? Nequaquam. Diuinus ergo & arcanus spiritus sancti hic motus fuit, qui Mosis quasi stertentis aures uellicauit, & ueterum promissionum meditatione animum illius expergefecit, ut ei populo sese adiungere cuperet, è cuius stirpe promissum humani generis saluatorem enasciturum esse intelligebat. Consentit his Paulus, qui Mosis factum fidei tribuit, quam diuinæ gratiæ donum esse uniuersa scriptura docet. Ait enim: Per fidem Moses, iam grandis, renuit uocari filius filiæ Pharaonis, potius eligens simul malis affici cum populo dei, quàm temporarijs peccati cōmodis frui, maiores arbitratus diuitias probrum Christi, quàm Aegyptiorum thesauros. Heb. 11. cap. Simul uerò ex his luce clarius patet, liberationis laudem omnem uni deo deberi, qui Mosen non uiribus modò instruxit, sed animum quoq; & uoluntatem inseruit. *Moses à deo excitatus liberatoris officiũ suscepit.*

Interim ad nostram quoq; institutionem transferri debet, quòd Moses non prius, quàm à domino excitetur, fratrum suorum curam suscipit. Generalis hinc doctrina colligitur, eos qui mundo & carnis studijs adhuc immersi hærent, & mundi sapientia reguntur, in ijs quæ ad Dei gloriam & salutem faciunt, nihil boni aut præclari facere, nisi diuini spiritus motu trahantur: quando ex nobis ipsis (sicuti Paulus monet) non sumus idonei ad cogitandum. 2. Corinth. 3. Et Christus neminem, nisi qui à patre trahitur, ad se uenire docet, Iohā. 6. Quare sponsa apud Solomonem nō immeritò clamat: Trahe me post te. Cant. 1. Vnde rursum sequitur, nullam meriti laudem nostris operibus deberi, sed unius gratiæ esse quicquid bene agimus. *Nisi diuinitus trahamur, nil boni facimus.*

Simul uerò officij nos admonet Mosis exemplum, ut deo nos excitanti & trahenti accommodemus, & illi nos obsequentes præbeamus. Ea enim diuinæ uocationis apud fideles uis est, ut effectu carere non possit: quando hoc ouibus suis proprium esse dicit Christus, quòd uocem suam agnoscant, & auditam sequantur. Iohan. 10. Quod tanto ardore & zelo ab ipsis fieri consueuit, ut omnia simul fastidiant & ceu noxia quædam excrementa abijciant, quæcunque ipsos in uocatione sua remora- *Vocanti & trahenti deo obedire decet.*

ri possunt: nec uicißim illis quicquam intolerabile uidetur, quod cum dei uocatione coniunctum uident. Vtrunque in Mosis exemplo cernitur. Nam mox, ut domini uocem in animo suo loquentem audit, omni mora abrupta, aulæ lautitias, regni splendorem, officiorum publicorum dignitatem, procerum amicitias, opes, otium, & quicquid eius generis in aulis habetur, procul reijcit. In horum uerò locum eligit ærumnas, inopiam, infamiam, labores & infinita pericula, quibus populum sub immanißimis hostibus quotidie uexari uidebat. Et quod Mosen fecisse dicimus, idem in apostolis cernitur, qui etsi non tantas opes reliquerint, non minori tamen zelo & studio sua illa pa tulacu deseruerunt. Quibus Zachæus & infiniti alij adnumerari debent. Ad quorum exempla si nostrum torporem & socordiam conferamus, quibus intolerabile & iniquum uidetur, quicquam propter Christum uel amittere uel pati, non obscurè patebit, quàm procul adhuc à Christiana perfectione absimus. Hæc enim abnegatio illa est, quam à suis discipulis Christus exigit. Hæc fidei obedientia est, quam Paulus ubiq; urget, & sine qua inutilis est Christiani nominis professio.

Liberatio Aegyptiaca patribus ex gratia obtigit.

Cæterum obijciat aliquis: Fatemur equidem, quæ de Mose dicta sunt, omnia. At credibile est, patres suorum operum meritis hoc assecutos esse, ut hic illis assertor & uindex à domino dar Huic ergo obiectioni prudenter occurrit Stephanus, & ostendit, patres Iudæorum in liberatione Aegypto adeò nullam laudem & gloriam meruisse, ut potius digni fuerint, qui perpetuò seruirent, eò quòd Mosen & diuinitus oblatum redemptionis beneficium iniquis & indignis modis rint. Et demonstrationis loco historiam, quæ Exodi 2. cap. habetur, recenset: unde plura pu breuiora uidentur, quæ Lucas scribit. Finis uerò omnium est, patres & dei beneficium & Mosen uindicem spreuisse, quare uniuersum Aegyptiacæ liberationis negotium ad solius dei gratiam ferri debeat. Simul uerò non obscurè Stephanus Mosis contemptum, cuius accusabatur, in ipsos patres retorquet, & illis ipsis auitam improbitatem & ingratitudinem exprobrat: non quidem uitiandi libidine, sed ut ostendat, ipsos patrum uestigia probe sectari, quando Christum simili contumacia reijciant, quem Moses olim obseruare & audire iusserit.

Magistratus officium.

Sed ut ea, quæ nostræ institutioni seruire possunt, non omittamus, primò omnium Mosi, in hoc boni principis siue magistratus officium, consyderari debet. Non pudet illum populi, cuius & uindex à deo constitutus erat. Ita populi diuinitus commißi neminem pudere debet, quantumuis coram mundo gloria excellat. Nam ut cõtemptißima sit plebecula mundi iudicio, in dei tamen lis pretiosißima habetur, qui illam sanguine filij sui redimere dignatus est. Deinde contra iniuriam & tyrannidem illos armata quoq; manu, nec sine uitæ periculo tuetur. Decet hoc omnes, cum laude in magistratu uersari uoluerint. Ita enim principes officium Solomon describit: Liberabit pauperem clamantem, & afflictum: cui deest adiutor. Beneficus erit in attritos & inopes, & animas pauperum seruabit. Redimet animas eorum à fænore & uiolentia, & pretiosus erit sanguis illorum in oculis suis. Psal. 72. Et Paulus magistratui in eum finem gladium diuinitus datum docet, ut improborum petulantiam coherceat, probos uerò & bonos tueatur. Rom. 13. Quare ter errant, qui inani titulo & uano splendore turgidi, nulla populi cura tanguntur, sed illum rum tyrannidi uexandum permittunt. At hæc potißimum in religione locum habent, quam in populo suo conseruare debent principes ne superstitiosis hominum traditionibus à Deo abstrahantur, huic consecrati esse debent. Ideò reges ecclesiæ nutritios uocat Isaias, cuius tituli gloriam die agnoscerent, qui suæ fidei commißum populum immani Pontificum tyrannidi & impijs Conciliorum decretis subijci patiuntur. Accedit his, quòd fratribus concordiæ author est: cuius stu inter suos ante omnia cõseruare decet eos, qui respublicas suas saluas esse uoluerint. Multorum regnorum & populorum exemplis illud Romani historici dictum comprobatum est: Concordia p uæ res crescunt, discordia magnæ dilabuntur. Nec dubium est, infelicem semper fore illorum tum, qui dißidijs mutuis scinduntur. Quòd si uerò Mosis animum & mores cum ijs conferamus, hodie inter Christianos rerum potiuntur, infelicem nostri seculi statum minus mirabimur: quando passim regnant, quos & sui populi pudet, & illum uel supina quadam oscitantia negligunt, uel ectionibus immodicis totum exhauriunt, adhæc lites in illo fouent, deniq; in temere susceptis bellis minimè necessaria sanguinis effusione, potißimam laudem sibi esse ducunt.

Simul

Simul uerò, quam gratiam tam pio officio apud Iudæos Moses inierit, uideamus. Pessimam hanc fuisse, Stephanus ait. Nam improbus ille, qui fratri iniuriam facere non dubitarat, sceleris conscientia efferatus, petulantis linguæ habenas in conuitia & probra laxat, dicens: Quis te constituit principem & iudicem super nos? Nunquid me interficere tu uis, quemadmodum heri interfecisti Aegyptium? Quibus uerbis affectati regni accusat eum, qui regni honores & opes ipsorum causa reliquerat. Homicidij item, imò latrocinij reum agit eum, qui cum sui capitis periculo populi salutem tueri studebat. Et quamuis unius duntaxat improbitas notetur, multorum tamen similes fuisse animos hinc patet, quòd & huius petulantiam nemo cohercuit, & Pharaoni tyranno Mosis facinus paulò post innotuit, cuius nemo Aegyptius spectator fuerat. Israelitam ergo delatorem fuisse oportet. Nec meliores sunt, cùm ex Aegypto liberati, infinitis signis & prodigijs didicissent, illum ipsis à deo uindicem & ducem datum esse. Quoties enim non pro uoto omnia ipsis succedunt, toties Mosem proditionis & perfidiæ accusant. Est autem hoc mundi ingenium, qui hoc pacto summos benefactores suos remunerare consueuit. Et quod Mosi accidit, hoc ipsum Dauidi, Ezechiæ, Iosiæ, prophetis omnibus, & inter ethnicos Miltiadi, Phocioni, Camillo, Scipionibus & infinitis alijs euenisse legimus. Quorum consyderatio eum usum habere debet, ne mundi ingratitudine offendamur, nec eius causa uocationem nostram & officium deseramus. Meminerimus potius nos dei seruos esse. Ab illo igitur mercedem expectemus, qui remunerator est liberalissimus. Cogitemus iam nunc nobis in cœlo amplissimam mercedem repositam esse, & super multa olim constituendos fore, qui hic in paucis & exiguis fideles fuerint. Vide Matthæi quinto & uigesimo quinto capite. Populi ingratitudo neminem offendat.

Præterea redemptionis nostræ mysteria Mosis exemplum comprehendit, & nostram ingratitudinem, qua in Christum peccamus, nobis exprobrat. Nam ut Moses relicta Pharaonis aula & Aegypti opibus fratres inuisit & illorum causam suscepit: ita Iesus Christus, cùm esset in gloria patris, propter nos humiliari & exinaniri, adeoq; per incarnationem frater noster fieri uoluit, ut nostram causam suscipere & tueri posset. Phil. 2. Rursum, ut Moses cæso Aegyptio Israelitam uindicauit & defendit: ita Iesus Christus cæso & deuicto satana, nos in libertatem asseruit. Est enim promissum illud mulieris semen, cuius merito serpentis caput debebat conteri. Et ut Moses charitatis & concordiæ author suasorq; inter fratres fuit: ita Iesus Christus ijs, quos mortis suæ merito liberatos, sui corporis membra & dei filios fecit, non alia quàm charitatis præcepta præscribit, adeoq; hanc tesseram esse uult, ex qua pro discipulis ipsius agnosci possint. Iohan. 13. & 15. Cæterum ut Mosi obmurmurare non ueriti sunt Israelitæ: ita plerique hominum Christi legibus indignissimè & iniquissimè obmurmurare non uerentur, & paucos uidere est, qui ipsum principem & uindicem suum agnoscant, cùm maxima hominum pars gloriam, quam solus meruit, uel in creaturas transferant, uel sacrilego ausu sibijpsis & suorum operum meritis uendicent. Impudenter ergo nimis Iudæis ingratitudinis crimen exprobramus, qui maiori multò ingratitudine in dei filium delinquimus. Christi & redemptionis nostræ typus.

Prodest uerò pœnam, qua in ingratissimos homines animaduertit Deus, inspicere. Fugatur Moses, & in Madian ab Iethrone receptus, illius filiam uxorem ducit, ex qua liberos duos, exilij solatium, suscipit. Interim uindice & liberatore suo destituuntur Israelitæ, & quadraginta adhuc annis tyrannidem sustinent, qua iam primo liberari poterant, nisi Mosen abs sese repulissent. Ita frequenter fieri solet, ut nostra improbitas obstet, quò minus deus pro sui ingenij bonitate nos iuuare possit. Simile huic est, quòd ad terminos terræ Chanaan perducti, suo murmure merentur, ut in desertum denuo reducantur, & quadraginta annis omni malorum genere afflicti corruant. Numeri decimo quarto. Immerito igitur Dei uoluntatem accusant, qui ipsi sibi malorum authores esse consueuerunt. Obseruent hoc qui de morbis conqueruntur, quos ipsi sibi sua intemperantia accersunt. Item qui egestatem impatienter ferunt, quam luxus immodicus ipsis peperit. Idem hoc in salutis causa locum habet. Quia enim iustitiam Dei, quam is in suo filio nobis offert, multi amplecti dedignantur, & propriam iustitiam statuere audent, meritò fit, ut nec suam illam in dei conspectu constituere, nec per Christum iustificari & saluari possint. Rom. 10. Pœnæ ingratorum.

Fugæ sanctorum.

Postremò fuga Mosis consyderanda uenit, cuius exemplo admonemur, licere aliquando, ut fuga nobis consulamus, nosq; melioribus temporibus reseruemus. Hoc enim Christum quoq; non solum fecisse, & apostolis præcepisse legimus. Matth. 10. Hic uerò diligenti cura & circumspectione opus est, ne sub Christi præcepto nostræ pusillanimitati & ignauo timori prætextum quæramus, & turpi fuga stationem à domino nobis commendatam deseramus. Fugit Moses, nec alicuius peccati accusatur, quia ex indignißima illa, quam passus est, repulsa facilè intelligebat nondum instare liberationis tempus: nec fieri poterat, ut eos educeret, à quibus tanta improbitate reijciebatur. At ubi illum uindicem à deo datum agnoscere, & dei uocationi sese accommodare cœperunt, nullis tyranni minis sese consternari patitur, ut denuò fugiat, nec perfidiæ notam effugisset, si tunc sibi potius consuluisset, quàm dei mandatis obedire, uoluisset. Ita Christus tunc fugisse dicitur, quando horam suam nondum instare nouerat. At ubi illa uenit, mortem patienter & intrepidè adit. Hanc ergo regulam sibi proponant quicunq; in publico aliquo officio uersantur, nec sibi licere putant eos deserere, quorum animos ita affectos uident, ut diuinæ uocationi insistere cupiant. Quòd si uerò eòusq; euadat populi improbitas, ut ipse prior officium detrectet, & antistites suos (siue illi magistratus siue uerbi præcones fuerint) officio suo fideliter fungentes, improbè reijciat, nihil obstabit, quò minus illi iuxta Christi præceptum fuga sibi consulant, seq; melioribus temporibus & locis reseruent. Multùm hîc proderit filialis obedientia, dei & proximi charitate temperata. Ea enim faciet ne priuatis affectibus excæcati seducamur. Faxit deus, ut ipsius gratiæ & uoluntatis memores, uocationem nostram singuli fideliter tueamur, ut bono cursu ad felicitatis metã delati, in cœlis uiuamus cum Iesu Christo domino nostro, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA XLIX.

Et expletis annis quadraginta, uisus est illi in deserto montis Sina angelus domini in flammeo incendio rubi. Moses autem ut uidit, admiratus est uisionem. Porrò cùm accederet ad consyderandum, facta est ad eum uox domini: Ego sum deus patrum tuorum, deus Abrahami, deus Isaaci, & deus Iacobi. Tremefactus autem Moses, non audebat attendere. Dixit autem illi dominus: Solue calceamentum pedum tuorum. Locus enim, in quo stas, terra sancta est. Videns uidi afflictionem populi mei in Aegypto, & gemitum eorum audiui, & descendi ad eos liberandos. Et nunc ueni, & mittam te in Aegyptum.

QVoniam Diuus Stephanus ab aduersarijs suis accusatus erat, quòd impia & blasphema aduersus Mosen totumq; cultum dei, per Mosen traditum, esset locutus: uniuersam Mosis historiam paucis quidem, sed sufficienti expositione comprehendit: partim quidem, ut ostendat, se de Mose honorificè sentire: partim uerò ut euincat salutem hominum non ullis ceremonijs tribui debere, quando Mosi quoq; nullo suo merito, sed mera dei gratia obtigerit, quicquid in illo præclarum fuit & eximium. Omnium ergo principalis scopus & finis est, ut Iudæos ab inani cultus Leuitici fiducia auocet, & in sola dei gratia per Christum confidere doceat. Et in hunc finem Mosis natales, educationem & primam cum Israelitis conuersationem exposuit, ostendens simul quàm indignos tanto liberatore sese præbuerint illorum patres, quando summa iniquitate & ingratitudine ipsum repulerunt, adeò ut inter Madianitas exulare coactus sit. Sequitur solennis uocatio Mosis, qua officio suo restitutus est: in qua ut euidentiora sint diuinæ gratiæ argumenta, singulas illius partes ordine consyderabimus.

I. Tempus uocationis Mosis.

Primò tempus, quo Moses uocatus est, notatur. Fuit autem quadragesimus exilij Madianitici annus, qui in octuagesimum ætatis annum incidit. Simul uerò locus & uitæ conditio cõcurrunt. Nam in deserto fuisse dicitur, ubi Iethronis soceri sui oues pauit, sicuti uidere est, Exod. 3. At si totum hunc quadraginta annorum cursum consyderes, sine templo & legalibus ceremonijs Mosen deo placuisse patebit, quando constat, has postea demum institutas fuisse: & quia à conuersatione

simul

simul & repub. Israelis interea exclusus fuit, nihil præter solam & meram dei gratiam restat, ad quam uocatio hæc referri debet. Interim non oscitanter nobis Moses hic consyderandus est, qui ut primùm ecclesiæ dei coniungi uoluit, diutini exilij labores sensit, & ex principe ouium pastor factus est. Hinc enim generalis doctrina colligi potest, qua admonemur, quid omnes eos maneat, qui mundo relicto ecclesiæ dei coniunguntur. Excipit hos uaria afflictio, eò quòd mũdus hic nec defectionem illam, nec ueritatis lucem ferre potest. Et sicuti Moses Iethronem quidem hospitem & socerum inuenit, apud illum uerò non maioris fit, quàm quòd pastoritio muneri destinatur: Ita ferè fieri solet, ut pij apud eos quoq; inglorij & contempti uiuant, qui illis hospitium præbent, & ipsorum causæ egregiè fauere uidentur. Est hæc omnium grauissima tentatio, quæ interdum animos magis uulnerat, quàm quæ hostes aperti contra nos crudeliter designant. Ideo Christus monet, ne temere nominis sui professionem suscipiamus, sed uires prius exploremus, num ipsius nomine (si ita necessitas ferat) exilij ærumnas, egestatem, infamiam, persecutiones, & si quæ alia sunt eius generis, ferre possimus. Luc. 14. Vbi uero ista incidunt, Mosis modestiam & constantem fidem imitemur: quàm uariè tentatam fuisse nemo dubitauerit. Vincit tamen fide, quæ illum ut Christi probrum Aegypti diuitijs præferret, antea impulerat. Eadem ergo & nos uincamus tentationum assultus, nec pudeat nos crucis Christi, quam ipse prior propter nos ferre dignatus est. Ita enim fiet, ut nec illum nostri pudeat, quando in gloria patris ueniet ad iudicandum uiuos & mortuos. Marc. 8.

Secundò, quis Mosem uocarit, indicat Stephanus: nimirum angelus domini, quem ipsi in deserto apparuisse dicit. Atqui idem ille paulò post dicit: Ego sum deus Abrahami, deus Isaaci & Iacobi. Et rursum is ipse fuisse dicetur, cuius operatione & uirtute Moses in Aegypto prodigia & signa edidit, quiq; populo per desertum uiæ dux fuit: quem Paulus apostolus Iesum Christum, promissum humani generis saluatorem fuisse testatur. 1. Cor. 10. Hunc ergo Stephanus angelum domini uocat, nõ quòd nihil in illo diuinius aut excellentius agnouerit, sed Isaiam imitatus esse uidetur, qui illum olim angelum magni consilij nominauit: non quod angelicã naturam assumpserit (id quod Paulus ad Heb. cap. 2. disertè negat) sed quòd à deo patre in mundum missus, magnum illud & æternum dei consilium de humani generis redemptione executus est. In illo enim nos electos fuisse Paulus docet, priusquam mundi fundamenta iacerentur. Ephes. 1. Et Petrus illum ab æterno prædestinatum fuisse dicit, ut illius merito redimeremur. 1. Pet. 1. Non autem temere factum putabimus, quod is Mosi apparuisse dicitur. Hinc enim constat, Christum non tunc demum, quando ex Maria homo natus est cœpisse, sed ab æterno fuisse, imò cum patribus olim egisse, quæcunq; ad illorum salutem pertinebant. Etsi enim nondum incarnatus esset, non potuit tamen diuina sua bonitate & potentia illis deesse ex quibus præfinito tempore hominem erat assumpturus. Ideo se Abrahamo priorem esse, & Abrahamo uisum fuisse dicit. Iohan. 8. Et Daniel in nubibus cœli iudicem, similem filio hominis, uidit, qui usque ad prouectum ætate pertingebat. Dan. 7. cap. Adhæc Christi spiritu prophetas olim animatos fuisse & futura prædixisse, Petrus ingenuè fatetur. 1. Petri. 1. Magna igitur est illorum temeritas, qui ueteres in uniuersum omnes abijciunt, & illorum libros nihil ad nos pertinere clamãt, cum & Christi spiritu donati fuerint, & de eodem multiuariam testati sint. Vide Iohan. 5. Luc. 24. Dei bonitatem potius agnoscamus, qui olim ueteribus sese reuelare, & nobis fidei nostræ uetustatem & certitudinem hoc pacto cognoscendam proponere dignatus est.

II. Angelus domini uocat Mosem.

Porrò qua forma aut specie Christus Mosi apparuerit, Stephanus diligenter docet. Nam angelum domini, qui Christus erat, in rubo ardente Mosi apparuisse dicit. Est enim hic uetus dei mos, ut uisibili aliqua specie cum hominibus olim egerit, qui essentiæ diuinæ maiestatem sustinere non poterant. Exempla sunt passim obuia in patriarcharum & prophetarum historijs. Facit hoc ad attentionem, & ut in dei admirationem rapiantur homines, qui alioqui supino contemptu diuina omnia negligunt. Interim eas species & formas ferè assumpsit deus, quæ præsentibus negotijs, temporibus & personis maximè conueniebant. Quod & hoc loco factum fuisse uidemus. Voluit enim per rubum ardentẽ populi sui, qui in Aegypto affligebatur, conditionẽ Mosi ob oculos statuere. Ardebat ille immani Pharaonis tyrannide succensus, nõ aũt consumebatur, eò quòd in eius medio dei filius erat, qui ex illorum posteritate constituto tẽpore homo nasci debebat. Eadem uerò est omnibus seculis ecclesiæ Christi conditio, in cuius consyderatione nos frequenter uersari, uehementer prodest. Est hæc

Rubus ardens.

rubi instar, imbellis nimirum & infirmus grex: sed quem non facilè dissipes, eò quòd per fidem in Christo capite arctissimè coniungitur. Vt ergo rubis et spinetis inter se indiuulsè cohærentibus ignem subijciunt agricolæ, ut illa simul exurant: Ita ecclesiæ persecutionum faces mundus hic subijcit, & uno incendio totam simul uastare conatur. Et ignem hunc suscitari Christus permittit: quia suorum fidem hoc pacto probari & carnis ingenium coherceri necesse est. Idem tamē ecclesiam suam in uniuersum consumi non patitur, in cuius medio uersari solet. Ipsius enim uox est: Non relinquam uos orphanos. Ego uobiscum sum usque in consummationem seculi. Iohan.14. Matth.28. Pertinent huc quæcunque ab ipsa mūdi origine pro ecclesiæ suæ defensione deus egit. Primus illi faces subiecit Cain, qui licet Abelum fratrem sustulerit, fidem tamen illius tollere non potuit, & multò minus obstare, quò minus in Setho nouum suæ ecclesiæ seminarium deus excitaret. Nec id postea potuerunt Nephilim, qui diluuium proximè præcesserunt, quin illis malè pereuntibus ecclesiæ suæ reliquias deus arcæ beneficio mirificè seruauit. Arsit item sæpenumero Iudicum tempore rubus hic, sed præsenti dei auxilio semper conseruatus est. Arsit in Babylone, unde tamen reduxit & liberauit dominus. Arsit post reditum è Babylone non semel, & tandem Antiocho regnante, iam exitio proxima uideri poterat ecclesia, quando deus Machabæos excitauit, qui & cultum suum repurgarunt, & populum in libertatem asseruerunt. Arsit post Christum natum totis ferè trecentis annis usque ad Magni Constantini tempora. Nunquam tamen illi deus defuit, qui ut olim Danielis socios, in medijs ardoribus tueri potest. Ardet hodie, & passim sunt, qui funestas faces subijciant, & potentissimos monarchas ecclesiæ odio inflamment. Nunquam tamen proficient illi quantum uolūt, sed dei uindicis iram sentient, in cuius oculis suorum mors preciosa est, quique suorum sanguinem inultum nō feret. Psal.116. Imò dum ecclesiæ ignem subijciunt tyranni persecutores, ipsi lignorum instar ab igne diuini iudicij consumuntur, manente interim in medijs persecutionum ardoribus ecclesia catini instar, in quo metallici aurum & argentum conflare atque purgare solent. Vide quæ de his similibus habentur Zachariæ 12. & 13. cap.

III. Ipsa Mosis uocatio.

Sed ipsam uocationem uideamus, qua officio, quod ante annos quadraginta exequi cœperat, Moses restituitur. Constat hæc suis partibus, quarū consyderatio utilissima est. Primò enim seipsum declarat dominus, ne de uocationis suæ certitudine Moses quicquam dubitet. Nam rubi ardentis spectaculo obstupefacto dicit: Ego sum deus patrum tuorum, deus Abrahami, deus Isaaci & deus Iacobi. Deus patrum &c. *Voluit uerò ex multis titulis hunc potissimum usurpare dominus, ut Mosi fœdus cum Abrahamo initum, & promissiones patribus olim factas in memoriam reuocaret: ostendens simul se non patrum nec promissionum aut fœderis sui oblitum esse, licet populum huc usque affligi passus sit. Quo exemplo admonemur, in aduersis ad dei promissiones ante omnia respici debere, quarum deus non obliuisci potest, nec fidei suæ deesse. Imò tam infallibilem esse cernimus diuinarum promissionum ueritatem, ut deus ne mortuos quidem deserat, quos semel in tutelam suam suscepit. Est enim mortis simul & uitæ dominus. Quare nec uita nec mors nos à dilectione dei separare poterit. Rom. 8. capite. Nam siue uiuamus siue moriamur, domini sumus. Et huc facit, quod hic Abrahami, Isaaci & Iacobi deum esse profitetur, qui tamen iam olim uita defuncti erant, cum hæc deus loqueretur. Et Christus eadem ratione Lazarum & mortuum & sepultum, amicum suum uocare dignatur. Iohan. 11. Quò cumprimis pertinet, quod idem ex hoc loco generalem doctrinam desumit, qua mortuorum resurrectionem & uitæ cœlestis certitudinem contra Sadducæorum cauillationes asserit. Matth. 22. Versemur igitur in huius tituli meditatione, quoties mortis metus nobis obuersatur, & omni solicitudine nos statim liberari sentiemus.*

Calcei solui debent.

Cæterum cum Moses tam rubi ardentis spectaculo quàm subita dei uoce territus, propius accedere non auderet, mox quid facere debeat, audit. Subijcit enim dominus: Solue calceamentum pedum tuorum. Locus enim in quo stas, terra sancta est. Ita uerò dicitur propter dei præsentiam, & quòd illam legis promulgationi destinasset. Non temere autem huius præcepti mentionem fecit Stephanus. Sic enim Iudæos admonere uoluit, quid tum olim ab ipso Mose deus requisierit, et quid idem à nobis hodie requirat: nempe non templum, non legalem cultum, non frigidas ceremonias siue hircorum taurorúmue sanguinem: sed ut animos nostros pecuinis affectibus (qui per calceos figurantur) liberemus, & ipsi syncera fide & animorum integritate toti uniamur. Hic enim uerus ille dei cultus est,

tus est, quem alibi in spiritu & ueritate consistere Christus testatur. Iohan. 4. Et huc eiusdem præceptum de pedibus abluendis pertinet, cuius multò maior, quàm omnium externorum, ratio à nobis haberi debet. Iohan. 13. Paßim quoq; obseruari conuenit, cum deum nobis ubiq; locorum præsentem esse scripturæ omnes testentur, & exempla quotidiana abunde probent.

Postremò mentem & uoluntatem suam reuelat Mosi dominus: Videns uidi (inquit) afflictionem populi mei in Aegypto, & gemitum eorum audiui, & descendi ad eos liberandos, &c. Quæ uerba instituto Stephani proprijßimè seruiunt. Docent enim in Israelitis nullum fuisse meritum, propter quod liberari debuerint, nec quicquam in illis respexisse dominum præter afflictiones, quibus miserrimè uexabantur. Vnde sequitur totum liberationis beneficium ad dei meram gratiam pertinere. Simul uero docemur, deum suos nequaquam negligere, licet interdum dißimulet. Videt illorum lachrymas, quas coram ipso in lagenulam colligi Dauid testatur. Psal. 56. Audit non modò clamores illorum, uerumetiam gemitus, eò quòd renes & corda scrutatur. Et paßim occurrunt historias legentibus exempla, quibus id probari potest. Seruiat ergo hoc nobis ad consolationem, quando ab hominibus perfidis & immitibus deserimur. Seruiat item institutioni, ne eos temere affligamus, quos deo tam curæ esse constat. Pertinet huc quod Exo. 22. de uiduis, pupillis & peregrinis, ad ipsum clamantibus habetur. Et quòd Zachariæ 2. cap. dicitur: Qui uos tangit, tangit pupillam oculi mei. Præcipua uerò nobis cura sit, ut huic deo nos totos consecremus, qui communi humani generis afflictione perspecta, nobis assertorem & uindicem dedit filium suum, Iesum Christum: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Deus uidet afflictiones suorum.

HOMILIA L.

Hunc Mosem, quem negauerant, dicentes: Quis te constituit principem & iudicem? Hunc, inquam, deus principem & redemptorem misit in manu angeli, qui illi apparuerat in rubo. Hic eduxit eos, edens prodigia & signa in Aegypto, & in mari rubro, & in deserto annis quadraginta. Hic est Moses, qui dixit filijs Israel: Prophetam uobis suscitabit dominus deus uester, ex fratribus uestris, sicut me: Ipsum audite.

ETsi Diuus Stephanus non aliam fidei & salutis rationem tradiderit, quam quæ promißi saluatoris, Iesu Christi merito nititur, cui Moses & prophetæ testimonium tulêre: accusatur tamen, quòd fidem doceat nouam atq; erroneam, imò quod in Mosem & patres contumeliosus, fidem ab illis traditam & obseruatam abolere conetur. Eadem ergo fuit illius seculi ratio, quæ hodie est, quando qui ab apostolis traditam, & martyrum sanguine obsignatam fidem sectantur, paßim audiunt, quod ueteres cultus euertant, diuos uiolent & priscos patres ignominiosè damnent. Quid uerò hic nobis agendum sit, Stephani exemplo docemur. Is de patrum fide diligenter & prolixè disserit, imprimis uerò Mosis historiam ex ordine recenset, ut ea commemoratione partim ostendat, se de illo magnificè sentire, partim uerò euincat, se ueteris patrum religionis hostem minimè esse, quàmuis eos ritus iam abrogãdos esse doceat, sine quibus ipsi olim deo seruierint, imò sine quibus Moses quoq; deo placuerit, & in tam sublime honoris fastigium sit euectus. Ita hodie quoq; edocendi sunt imperitiores, quæ olim Martyrum fides & doctrina fuerit, & illi sine istis seruati sint, de quibus hodie tanta cum animorum exacerbatione contẽditur. Cæterum postquam Stephanus narrationem suam usq; ad solennem Mosis uocationem deduxit, nunc eandem liberiori cursu & plenis uelis, quod aiũt, in illius laudes digreditur: & primò testatur, se in Mose omnia ea agnoscere, quæ in illum deus contulerit: Deinde suam de Christo doctrinam ipsius Mosis testimonio probat, cuius non eam sententiã fuisse docet, ut in lege & ceremonijs per se traditis Israelitæ acquiescant, sed ut in prophetam illum eximium respiciant, quem olim deus missurus sit, & cuius typum ipse modò sustineat. Est autem insignis hic locus, quo docemur, ita nobis de sanctorum uirtutibus & ministerio magnificè sentiendum atq; loquendum esse, ut interim Christo Iesu suus honor saluus maneat, qui solus in omnibus ijs eminere debet, quæ ad dei cultum & salutis nostræ rationem faciunt.

I. Moses princeps & redemptor Israelis.

Primò autem à Mosis officio exorditur, quo nihil excellentius dici uel cogitari poterat. Nam illum à deo Israeliticæ genti principem simul & redemptorem datum fuisse, dicit. Illud uerò sic proponit, ut simul patrum ingratitudinem, qua illi Mosem indignissimè reiecerunt, illis denuò exprobret, & contempti Mosis crimen in illorum maiores, quibus ipsi cumprimis gloriabantur, retorqueat. Ait enim: Hunc Mosem, quem negauerant, dicentes: Quis te constituit principem & iudicem? Hunc, inquam, deus principem & redemptorem misit, in manu angeli, &c. Quia uerò principem & redemptorem populi dei Mosem agnoscit, unum hoc sufficientis excusationis loco esse poterat contra aduersarios, qui illum in Mosem impia quædam dixisse quiritabantur.

Deus abiectos & contemptos euehit.

Nobis autem hic ante omnia obseruandum uenit, quòd eum sui populi principem & uindicem constituit deus, qui iam Aegyptijs exosus, & ab Israelitis fratribus suis reiectus, longo tempore exulauerat. Quo exemplo admonemur tam de nostris quàm aliorum fortunis nequaquam secundum mundi sententiam iudicandum esse: cum frequenter fieri soleat, ut deo acceptissimi sint, quos mundus maximè contemptim fastidit & abominatur. Nam proprius hic dei mos est, ut humilia eligat, & per illa mundi fastum confundat. Et in Psalmo 113. legimus: Deus erigit tenuem ex puluere & pauperem è stercore euehit. Vt collocet eum cum principibus, cum principibus inquam sui populi. Cui non dissimile est, quod Diua uirgo canit: Detraxit potentes de sedibus, & euexit humiles. Luc. 1. Exempla huius rei non modò in Mose, uerumetiam multis alijs habentur. Ita Saulem ex agasone regem fecit, & Dauidem ex caula extractum regali solio imposuit. Quò etiam quod in apostolis factum est, referri poterat: qui cum piscatores maxima ex parte, & nullius in mundo authoritatis essent, eò euecti sunt, ut totius orbis uictores dici possint, quem uerbi prædicatione intra paucos annos Christo subiugauerunt. Debent hinc consolationem petere qui abiecti & inglorij habentur. Simul uerò huius memores qui in sublimi aliquo gradu constituti sunt, humilitatem sectari studeant, ne exaltatio (ut Solomon inquit) ruinam præcedere uideatur. Prouerb. 16.

Vt Moses redemptor dicatur.

Præterea qua ratione Moses populi dei redemptor dicatur, uidendum est. Nec enim hoc ita intelligi debet, quasi priuata & propria authoritate siue potentia quicquam effecerit: cum non obscurè Stephanus testetur, illum in manu angeli, qui ipsi in rubo apparuerat, redemptorem missum esse: id est, Iesu Christi (quem angelum illum fuisse proximo Sermone demonstrauimus) auspicijs & imperio omnia ea obiuisse, quæ ad populi redemptionem pertinebant. Mosem ergo ministrum fuisse, & omnem redemptionis gloriam uni & soli Christo deberi constat. Quo sensu omnes scripturæ loci exponi & accipi debent, in quibus quod dei proprium est hominibus tribuitur. Id enim non alia quàm ministerij ratione fit, quod ex dei mandato obeunt. Ita ministri ecclesias plantare & ædificare, homines item deo lucrifacere, peccata remittere & retinere dicuntur: non quòd illa ab ipsorum arbitrio et potestate dependeant: sed quòd illorum ministerio in istis rebus conficiendis deus uti dignatur, qui etiam sine his pro suo arbitrio res omnes uersare & gubernare potest.

II. Moses redemptoris officio functus est.

Cæterum, quia Mosem populi dei principem & redemptorem factum fuisse dixerat, ut hoc suo officio functus sit, docet: Hic eduxit eos, edens prodigia & signa in Aegypto, & in mari rubro, & in deserto annis quadraginta. Non ergo nudum redemptoris titulum in Mose agnoscit Stephanus, sed illum suo officio fideliter functum esse, ingenuè fatetur. Et ne quid reticere uideatur, quod ad illius gloriam facere poterat, prodigiorum quoq; & signorum meminit, quæ diuina uirtute per illum edita fuerunt. Distinguuntur hæc tribus ordinibus, & in scriptis Mosis diligentius recensentur. Primus ordo ea habet, quæ in Aegypto contigerunt. Inter quæ primus locus ijs dari potest, quibus suæ legationi fidem facere debuit, quale fuit uirgæ in serpentem conuersio, qui Magorum uirgas, incantationum præstigijs transformatas, deuorauit. Secutæ sunt mox plagæ prodigiosæ & horribiles, quibus Pharaonem & Aegyptios deus mirificè exercuit. Nam omnes Aegypti aquæ in sanguinem conuersæ, non modò usui inutiles fiunt, uerumetiam cruentam tyrannidem & infanticidia Aegyptijs exprobrant. Immittuntur mox ranæ, quæ non agris modò, uerumetiam domibus oberrantes, molesta coaxatione sceleris conscientiam exagitant. Has pediculi excipiunt, eò his molestiores, quòd ipsis corporibus fœdo cruciatu inhærerent. Accedunt mox uaria insectorum genera quæ magnis examinibus improbè tum homines tum pecora molestant. Et quia hæc leuiora uideri poterant, grauioribus petuntur. Horribilis enim & contagiosa lues armenta & greges depopulatur. Enascuntur in homi-

Miracula Mosis in Aegypto.

num corporibus fœda ulcera,& horribili tabe membra depascens scabies. Grandine prodigiosa anni spes tota obruitur. Et quod à grandine intactum mansit, uel post hanc è terra enatum fuit, à locustis agros longè lateq; uastantibus deuoratur. Et quia scientes & uolentes in cæca dei ignorantia perseuerant, terrificas & palpabiles tenebras immittit deus. Tandem uerò per angelum uastatorem omnium primogenitorum cædibus tota Aegyptus turbatur, ut nulla domus funesti luctus expers fuerit. Quorum omnium consyderatio docet, quàm facilè deo sit potentißimos tyrannos cohercere & uincere. Est enim reuera dominus exercituum, qui tam angelis bonis quàm dæmonibus, adeoq; omnibus in uniuersum creaturis contra hostes suos uti consueuit. Nec ullum animal tam uile & imbelle habetur, quod non hominibus excruciandis & enecandis sufficiat, si illud armare uelit deus. Huius iudicio fit, quòd ranis infestatur Pharao, et pediculorum insectorumq; examinibus excruciatur, qui paulò ante deum Hebræorum superbè reiecerat. Ita per mures impium sui nominis contemptum inter Palestinos ultus est, cum illi arcam, quæ suæ præsentiæ sacramentum erat, in suam potestatem redegissent. Et Antiochum, Syllam, Herodem & infinitos alios à pediculis & uermibus ex propria ipsorum carne enatis, depastos fuisse legimus. Humiliemur ergo in conspectu domini, nec insani rerum temporariarum fiducia nos dementari patiamur. Secundus miraculorum, quæ per Mosem edita sunt, ordo, quæ in mari rubro acciderunt, continet. Cum enim Israelitæ Aegyptiorum curribus & equitatu inclusi, sibi uel hostili ense, uel maris uorticibus pereundum esse putarent, subitò mare ex dei mandato Mosis uirga percussum, latè diductum instar murorum duorum utrinq; constitit, & uentus uehementiori flatu spirãs cœnosi uadi uoragines exiccauit, ut siccus Israelitis per medium mare transitus daretur: quos cũ hostili animo Aegyptij insectarentur, repentè corruentibus utrinq; aquarum cumulis oppreßi et absorpti sunt. Quo miraculo non obscurè docuit deus, quòd suos per ea quoq; iuuare & saluare poßit, quæ ipsis cumprimis noxia & aduersa uidentur, & per quæuis obstacula effugij uiam aperire ijs, qui in sua uocatione ambulant. Rursum uerò idem hostes suos ijs rebus punire & ulcisci solet, in quibus illi non postremam salutis suæ spem collocant: imò eosdem excæcare & spiritu uertiginis impellere potest, ut sponte ruant in exitium, & ne oculis quidem exposita pericula declinent. Nam Aegyptios rubrum mare firmißimi propugnaculi loco habuisse constat, & in hoc Israelitæ omnes simul cum uxoribus & liberis perituri uidebantur. Ita uerò rem omnem diuina prouidẽtia administrat, ut hi quidem corporibus simul & rebus suis saluis transeant, illi uerò submergantur: & quidem sponte in profundum maris uadum inter utrinq; erectos aquarum cumulos descendant, cum dei ultricem manum iam toties essent experti. Vnde discimus, nec ullis aduersis nos à fide deijci, nec in externis fiduciam aut spem aliquam collocare debere, quando rerum uices tam facilè immutat dominus. Tertio ordine ea comprehendit Stephanus, quæ in deserto facta sunt, ubi Manna datum, quod annis quadraginta populũ aluit: ubi coturnices castris illatæ sunt, ubi è duris petris uiuorum fontium uenas Moses aperuit: ubi pijs precibus ab Amelekitis uictoriam gloriosam retulit: ubi Balaami præstigia mirificè elusit dominus: ubi prodigiosis plagis impij murmuratores prostrati perierunt: ubi illorum uestes per annos quadraginta nec usu attritæ sunt, nec uetustate computruerunt. Taceo infinita alia, quæ ab ipso Mose diligentius commemorantur. At cum omnia illa Stephanus tam ingenuè agnoscat, tamq; magnificè prædicet, abunde satis demonstrauit, sibi haud uulgarem iniuriam fieri, dum contempti Mosis accusatur. Quia tamen Israelitas à Mose ad Christum remittit, non obscurè docet, signa hæc omnia ad confirmandam Mosis doctrinam seruiuisse, nec eò debere detorqueri, ut illi inhærendum esse putent. Et confutantur hoc loco, qui signis per Diuos olim editis abutuntur, dum superstitiosam illorum inuocationem & cultum per illa probant, quæ doctrinæ potius ipsorum testimonium tulerunt, qua ad unum Christum relegamur.

Miraculum maris rubri.

Miracula Mosis in deserto.

Quoniam uerò non ignorabat, aduersarios hoc potißimum argumento niti, quòd à sacris legalibus ad Christum & fidem in hunc sua doctrina auditores relegaret, illud abs se non in Mosis contemptum, sed iuxta illius exemplum & mandatum fieri probat. Nam hic ipse Moses est (inquit) qui dixit filijs Israelis: Prophetam uobis suscitabit dominus deus uester ex fratribus uestris sicut me: ipsum audite. Vnde colligit, nec ipsi Mosi eum animum fuisse, ut in ceremonijs per ipsum traditis hærerent Iudæi, sed alium prophetam promisisse, cuius dictis omnes attendere debeant, nisi corpo

ribus simul & animabus interire uelint. Est is Christus, quem prophetarum omnium principem esse, & cuius spiritu reliquos omnes animatos fuisse, scriptura docet. 1.Pet.1.&c. Simul uero contempti Mosis crimen in ipsos retorquet, dum Christum Iesum ab illis reijci ostendit, quem tanta authoritate tamq; seriò Moses commendauit. Extat locus Deuteron. 18. cap. in cuius explicationem plura diximus Sermone 24. ubi Petri concionem, eundem locum adducentis exposuimus. Nos discamus, dei patris uoluntatem esse, ut Christum audiamus, eiq; subijciamur uera fidei obedientia, & in illo salutem consequamur: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in aeternum. Amen.

HOMILIA LI.

Hic est, qui fuit in ecclesia in deserto cum angelo, qui loquebatur ei in monte Sina, & cum patribus nostris, qui suscepit sermonem uiuum, ut daret nobis. Cui noluerunt obedire patres nostri, sed repulerunt, & auersi sunt corde suo in Aegyptum, dicentes Aaroni: Fac nobis deos, qui nos praecedant. Nam huic Mosi, qui eduxit nos de terra Aegypti, nescimus quid acciderit. Et uitulum fecerunt in diebus illis, & obtulerunt hostiam idolo, & laetati sunt super operibus manuum suarum.

QVoniam Iudaei omnem salutis suae fiduciam in externis ceremonijs repositam habebant, seq; priscorum patrum fidem tenere gloriabantur: omnes eos, qui salutem in uno Christo quaerere docebant, summae impietatis tum in deum ipsum, tum in Mosem & patres accusare consueuerant. Idipsum ergo Stephanus quoq;, ut supra uidimus, expertus est: qui ut se facilius purget, inter multa alia in Mosis laudes digreditur, quem magnificè praedicat, exponens simul quàm indignè ab illorum patribus habitus sit. Finis uerò omnium est, ut crimen, quod ipsi intentabatur, cum illorum patres, quibus mirificè gloriari solebant, tum in illos ipsos retorqueat, qui simili pertinacia Christum reijciebant, cui Mosem testimonium dedisse ostendit. Simul uerò inde colligitur, patribus nullo suo merito, sed ex mera dei gratia salutem contigisse, nec aliunde hanc ipsos sperare debere. Idem praesentis quoq; loci finis & scopus est, quo primùm quidem legis promulgationem, cuius minister fuit Moses, commemorat: inde uerò immane maiorum facinus, quo in Mosem & legem dei peccauerunt, exponit.

I. Per Mosem lex data.

Atqui de legis promulgatione loquens, duo alia praemittit, quae Mosi haud uulgarem authoritatem conciliare poterant. Primò illum in deserto cum patribus in ecclesia dei uersatum fuisse dicit. Comprehendit his quadraginta annorum spatium, quo Israeliticam gentem tanta fide & patientia sustinuit, ut nemo ex omnium seculorum historijs inueniatur, qui cum illo conferri possit. Est hoc singularis fidei argumentum, quae nec periculorum terroribus, nec continuis laborum uicibus, nec populi ingratitudine superari potuit, quin à domino mandatam prouinciam strenuè tueretur. Alterum est, quòd cum angelo illum collocutum fuisse, ait, qui & antea ipsi apparuerat, & postea ipsi familiariter conuersatus est, quando illum dei interpretem apud populum constituit. Exod. 20. & 24. Angelum uerò hunc Christum fuisse supra ex Paulo docuimus. Quare hic ea Mosis dignitas indicatur, qua is omnes omnium seculorum prophetas longè superauit. Ita enim deum dixisse legimus: Si fuerit propheta domini inter uos, per uisionem ei apparebo, & per somnium loquar ei. At non sic seruo meo Mosi, qui in tota domo mea fidelis est. Ore ad os loquar ei, &c. Nume. 12. Haec itaq; in memoriam reuocat Stephanus, ut intelligant, quanta olim apud patres meritò esse debuerit, & nunc apud ipsos esse debeat, Mosis simul & oraculorum, quae per hunc deus tradidit, authoritas. Et in eum finem subijcit: Hic suscepit sermonem uiuum, ut daret nobis. Nec temere legem uiuum sermonem uocat. Ita enim sese à contemptae legis crimine liberat, & huius effectum uno uerbo comprehendit. Verè enim lex sermo uiuus, uel etiam uiuificus dicitur, licet alicubi Paulus illam potentiam peccati & mortis ministerium uocet. 1. Cor. 15. 2. Cor. 3. Nam sanctè uiuendi regulam praescribit, & uitam omnibus, qui hanc obseruant, pollicetur. Leuit. 18. Deinde ad Christum ducit, in quo uniuersa salutis ratio, adeoq; ipsa uita continetur. Quo nomine Paulus illam paedagogo confer-

fert. Gal.3. Et Moses ideò se Iudæis uitam proposuisse dicit, quòd in lege ueram uitæ consequendæ rationem monstrauisset. Et hæc quidem in lege agnoscere nos decet, si illius ingenium rectè æstimemus. At si cum hac nostræ naturæ corruptionem conferas, non ineptè potentia peccati & mortis ministerium dicetur. Nam peccatum, quod alioqui latet & ignoratur, arguit, & nos mortem meruisse testatur. Adhæc infirmiores nos esse docet, quàm qui legis iustitiam implere, & proprijs uiribus siue meritis dei iram declinare possimus. Sed plura de his Paulus habet, Rom.7.& 8.cap.

Obseruemus autem, quòd Mosen non sui ingenij figmenta aut placita, sed sermonem uiuum, à deo acceptum, Israelitis tradidisse dicit. Quod tanta diligentia illum præstitisse constat, ut sine certo & expresso dei mandato in dubijs rebus nihil unquam statuere aut decernere ausus sit: ut uidere est in causa blasphemi, & eius qui sabbati religionem uiolarat, illorum item, qui morticini tactu polluti, paschale epulum cum ecclesia non potuerant accedere. Vide Leuit.24. Num.15. & 9. Quod autem Moses obseruauit, hoc ipsum prophetis & apostolis diuinitus mandatum fuit olim, ne quid ex proprio cerebro sub diuini nominis prætextu docerent, sed dei per scripturas loquentis uerbum sedulò proponerent. Ita Ieremiæ uerba sua in os ponit dominus, & Ezechielem ex suo ore uerbum, quod annunciet populo, sumere iubet. Ierem.1. Ezech.3. Et apostoli ea docere iubentur omnes gentes, quæ Christo docente prius didicerint. Matth.28. Hoc si simili studio obseruauissent, qui apostolorum successione postea gloriati sunt, plus in ecclesia pietatis & ueræ fidei, minus autem erroris & superstitionis haberemus. Et si Mosen cum prophetis & apostolis inspicias, detestabilem esse deprehendes Romanorum Pontificum audaciam, qua sibi potestatem uendicant nouas leges & nouos fidei articulos condendi: quorum licentia & libidine factum est, ut Christianorum iugum Iudaico grauius & molestius fuerit.

Moses à deo accepta tradidit.

Deinde obseruandum uenit, quòd legem non patribus modò, qui Mosis seculo uixerunt, uerumetiam posteris latam fuisse, Stephanus testatur, adeoq; seipsum cum reliquis omnibus, qui iam Christo nomen dederant, illorum numero includit, quibus illa data sit. Quo loco apertè confutatur illorũ error, qui ad patres solummodo pertinere putant, quæcunq; olim per Mosen & prophetas ex dei instituto gesta sunt. Atqui deum æternum esse constat & immutabilem. Aeterna ergo sit oportet illius uoluntas. Nec obstat, quòd multa abrogata sunt, quæ olim ueteribus tradita fuerunt. Ea enim in tempus correctionis duntaxat durare debuerunt, & illorum umbram referre, quorũ ueritas in Christo debebat impleri. Nec in illis consistebat dei cultus, quem spiritualem esse oportet, cùm ipse deus spiritus sit. Iohan.4. Interim uerò salua & rata manent uera fidei & religionis capita, quæ in mundi exordio primùm exposita, deinde uerò per Mosen & prophetas plenius illustrata sunt. Quò respiciens propheta, uerbum dei in æternum manere dicit. Isa.40. Et Christus mundum quidem interiturum fatetur, nullum uerò apicem legis irritum fore testatur. Matth.5. Nemo igitur falsa spe sibijpsi imponat, quasi non nobis quoq; dicta sint, quæ patribus olim deus tradidit, quando ad ueteris legis regulam nostram quoq; fidem & totius uitæ nostræ actiones examinari oportet, &c.

Lex posteris quoq; data.

Sed ad Stephanum reuertamur, qui diuinæ legis promulgationi patrum ingratitudinem & improbitatem opponit, qua illi & Mosen & legem iniquissimè reiecerunt. Et quamuis innumera proferre posset flagitia, unicum tamen idololatriæ facinus adducit, quo satis patet, quàm exigua apud illos fuerit diuinæ legis authoritas, quando contra illius edictum dei imaginem fingere, & nouos cultus instituere ausi sunt, cùm paucis diebus ante terribilem diuinæ maiestatis uocẽ auribus suis hausissent. Extat historia Exod.32.cap. Finis uerò & scopus is Stephano propositus est, ut euincat, patres semper Mosis contemptores fuisse, & ipsos illorum peruicaciam egregiè imitari: quare ut mera gratia patres olim saluati sint, ita ipsis quoq; non aliam salutis spem restare, quàm quæ in dei gratia sit fundata. Prodest autem paucula hæc, quibus atrox inobedientiæ facinus comprehenditur, diligenter inspicere, eò quòd idololatriæ fontem & progressum nobis eleganter depingunt.

II. Idololatriæ scelus, Exod.32.

Primò omnis mali originem indicans, patres uiuo sermoni diuinæ legis noluisse obedire dicit, sed corde suo in Aegyptum auersos fuisse. Et Aegypti nomine abominabilem superstitionem, quæ in illa gente regnauit, complectitur, cui illos animum denuo adiecisse affirmat. Hic uerò execrabilem animorum leuitatem notat, qua factum est, ut tum grauissimæ seruitutis, tum miraculosa liberationis tam citò obliuiscerentur, & eos sibi imitandos putarent, ad quorum mentionem totis animis hor-

Idololatriæ fons & progressus.

1.Contemptus uerbi.

rere debuissent. Est autem hîc omnis impietatis fons, si dei uerbo contempto & reiecto, ad hominum commenta & exempla animis nostris conuersi, illis potius quàm deo placere studeamus. Hinc etiam detestabilis illa leuitas initium sumit, quæ nos non modò diuinæ legis obliuisci facit, sed infelicis tyrannidis & seruitutis, quam aliquando sustinuimus, memoriam omnẽ animo excutere solet. Exempla huius rei hodie passim extant in illis, qui ut mundo probentur, illius superstitionem sibi imitandam proponunt, & horrenda Antichristianismi grauamina, quibus olim oppreßi fuerunt, mirifice extenuant, ne quid nimis impiè designare uideantur.

2.Contemptus ministri.

At diuinæ legis contemptum Mosis contemptus sequitur, quem non obscuris uerbis exprimunt, cùm aiunt: Huic Mosi, qui nos eduxit de terra Aegypti, nescimus quid acciderit. Fatentur beneficium, quod ipsis per Mosen contigerat, interim quid illi acciderit, incertũ esse dicunt. Atqui à domino uocante in montem ascendisse uiderant. Ab eodem mandatum acceperant, quo illius aduentum iußi erant expectare. Habebant præterea à Mose constitutos uicarios, Hur & Aaronem. Adhuc tamen quasi omnium rerum dubij & incerti relicti sint, conqueri audent. Vnde facilè colligitur, perquàm exilem fuisse apud illos homines Mosis authoritatem, qui dei legem tanta improbitate abijcere instituerant. Ita uerò semper uerbi contemptus, ubi is semel animo conceptus fuerit, ministrorum dei contemptum & fastidium parere consueuit. Quia enim hos nobis ceu ἐργοδιώκτας & speculatores à deo constitutos esse, satan nouit, quorum admonitionibus, uel in officio retineamur, uel in uiam reuocemur, si quando exorbitauimus, hoc unum effectum cupit, ut illorum intercidat in animis nostris authoritas. Et docet locus hic, quid de illis iudicemus, qui uerbi ministros scurriliter contemnere & maledictis incessere audent. Eo certè argumento probant, se ipsius dei & uerbi ipsius contemptores esse, licet id constanter pernegent. Nam ut legatum contemnere non solet, qui principem à quo ille missus est, magnifacit: ita nisi illi deum parui facere didicissent, illius ministros & legatos contemnere non possent.

3.Noui dij.

Ex istis fontibus idololatriæ peccatum promanare cœpit. Dum enim se nescire dicunt, quid Mosi acciderit, mox addunt: Fac nobis deos, qui nos præcedant. Num uerò eò dementiæ ipsos progressos fuisse putabimus, ut putarent hominum manibus deos fieri posse? Minimè gentium. Sed uisibile aliquod præsentiæ dei signum sibi dari uolunt, quo de præsenti dei auxilio certiores fieri, & ad quod externi cultus ceremonias dirigere poßint. Et quia semel à dei uerbo ad humanæ rationis figmenta exorbitare cœperant, uitulum aureum conflant, Aegyptios imitati, quos Apim suum sub uituli figura coluisse constat. Vbi multiplex error sese exerit. Primò enim de dei præsentia dubitant, cuius tam multa & insignia argumenta hucusq; uiderant. Et iam nec prodigiorum, quæ in Aegypto & mari rubro uiderant, meminere: nec ad columnam nubis & ignis, quæ castra præcedebat, respiciunt: nec tremendæ maiestatis, quæ in monte Sinai apparuerat, recordantur. Deinde contra dei præceptum imaginem fusilem faciunt, qua dei formam exprimere conantur, & (ut propheta inquit) permutant maiestatem dei sui effigie bouis comedentis fœnum. Psal.106. Deum ergo extrema ignominia afficiunt, & nouos deos fingunt, dum longè alium imaginantur, quàm reuera sit. Est autẽ hic proximus ad idololatriam gradus, quando non ijs medijs contenti sunt homines, quibus sese deus reuelare dignatur, sed noua ex semetipsis fingere audent. Reuelat autem sese per uerbum & sacramenta sua, item per mundi huius machinam & creaturas, in quibus singulis non obscura diuinæ sapientiæ, bonitatis, iustitiæ & omnipotentiæ indicia apparent. Et ut ijs uisis in dei & cultus ueri consyderationem excitemur, nihil ferè totus hic orbis continet, è quo non parabolas desumpserit spiritus sanctus, quibus dei & salutis nostræ mysteria adumbrat. Vndiq; ergo in oculos nostros incurrunt per dei uerbum consecratæ imagines, quæ nos officij admonere poßunt. Ista quicunq; negligunt, & carnis rationi indulgent, non poßunt non idololatriæ uitio pollui. Nam quod Iudæis hoc loco accidisse uidemus, idem gentibus quoq; euenisse legimus. Rom.1. Nec aliam inter Christianos idololatriæ originẽ fuisse notius est, quàm ut multis demonstrari debeat. Præterea admonemur, quàm referat, à pueris recte circa religionem institui, quando post tot uisa prodigia & post auditam dei uocem ad illud idololatriæ genus relabuntur Israelitæ, cui in Aegypto assueuerant.

4.Idolorum cultus.

Nouum deum cultus sequitur. Quare illos uitulo immolauisse dicit. Atqui deo uero, qui ipsos de terra Aegypti eduxerat, immolare uideri uolebant. Veri enim dei mentionem faciunt, & Aaron

festum

festum diem domino indixisse legitur. Quia tamen uitulus hic nec uerus deus erat, nec dei imago (quis enim deum uitulo similem dixerit?) uerissimè uitulo immolauisse dicuntur. Habes ergo quod ijs respondeas, qui imaginum cultum boni zeli prætextu excusari putant, & deo acceptum esse dicunt, quicquid in illius honorem fit, etiamsi à uerbi ipsius regula interdum deuiemus. At longe alia est spiritus sancti mens, qui per Stephanum loquitur. In imaginibus enim omnis iste cultus hæret, nec ad deum usque extenditur, cuius similitudinem minimè referunt. Quomodo enim deum, qui ipsa ueritas est, idola repræsentarent, quæ mendaces magistri à propheta dicuntur? Hab.2. Quòd si cultum hunc longius extendi dixeris, diabolo illum impendi fatebor, qui & mendacij pater est, & mendacijs unicè delectatur. Vidit hoc Paulus, quando in priori ad Corinth.cap.10. scribebat: Quæ immolant gentes, dæmonijs immolant, & non Deo.

Accedit omnibus his, quòd læti sunt super operibus manuum suarum. Exprimitur his partim animi fiducia & quod inde enascitur gaudium, quæ utraque in uno deo quæri & collocari debebant: partim externum gaudium, in quod omnes modestiæ terminos transgressi, idololatræ effundi solent. Vtrunque hîc accidisse, historia sacra docet. Nam uitulo primùm conflato & exsculpto ingenti cum applausu acclamant: Isti sunt dij tui ô Israel, qui te eduxerunt ex Aegypto. Deinde idolothytorum carnibus saturi, surgunt ad ludendum. Est autem hoc idololatris proprium. Auferunt enim idola cor hominis, ut propheta inquit. Hos.4. Vnde fit, ut illis gaudeant, qui in uno deo exultare debebāt: & immodicis intempestiuisque ludis insaniant, quos dei spiritu regi decebat. Quòd si uerò quæcunque hactenus dicta sunt, cum ijs, quæ in Papatu contigerunt, conferas, planè eadem esse uidebis. Quem enim alium idololatriæ fontem dabis, quàm quòd homines dei uerbo abiecto ad gentiū Iudæorumque abominationes, unde diuino beneficio liberati fuerant, cordibus suis denuo conuersi sunt? Patet hoc inde, quod pleraque cum gentilium sacris & Iudaicis ritibus conueniunt. Verbi dei contemptum mox ministerij contemptus subsecutus est, quem uehementer promouit sacrificulorum stoliditas, qui rudes homines ad mutas statuas relegarunt, ut inde discerent quæ saluti seruiunt. Ex his fontibus noui dij prodierunt, quorum alij uirili, alij muliebri forma expressi sunt, alij rursum senili, alij iuuenili specie sese commendarunt. Quid quòd humanis formis, quadrupedum, uolatilium, reptilium & aquatilium imagines intermixtæ sunt? Taceo deformes militum habitus, & meretricium mundum, quo exornatæ sunt imagines, quæ diuorum & dei ipsius formam repræsentare debebant. At noui dij nouos cultus exigebant. In illorum ergo honorem extructa sunt templa, consecratæ aræ, suspensa anathemata, instituta passagia, accensæ lampades, indictæ feriæ, oblatæ uictimæ, nihil denique omissum est, quod olim in gentium sacris usurpatum fuit. Et quasi peccatorum sarcina in uniuersum liberati essent homines, hisce manuum suarum operibus mirificè gloriati sunt. Nec defuit carnalis gaudij licentia, quæ nunquam magis quàm in deorum istorum festis & dedicationibus regnauit. Tam grauis & atrox fuit cæcitas, è qua per euangelij lucem nos liberauit dominus. Vitemus ergo in posterum nostri ingenij adinuentiones & nostrarum manuum opera. Seruiamus autem in spiritu & ueritate deo patri Iesu Christi, domini nostri: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

5. Exultatio idololatrarum.

HOMILIA LII.

Conuertit autem se deus, & tradidit eos, ut colerent militiam cœli quemadmodum scriptum est in libro prophetarum: Nunquid uictimas & hostias obtulistis mihi per annos quadraginta in deserto, domus Israel? Et suscepistis tabernaculū Moloch, & sydus dei uestri Remphan, figuras quas fecistis ad colendū eas. Ideò transferā uos ultra Babylonē.

INter multa alia, quæ Christus Iesus fidis euangelij sui præconibus euentura prædixit, non postremum est, quòd mundus illos tanquā publicos ueræ religionis hostes persecuturus sit. Illud circa initium nascentis ecclesiæ apostolos expertos fuisse uidimus, & inter hos Stephanus imprimis, qui dum Christo homines lucrifacere studet, hoc nomine accusatur, quòd aduersus deum, Mosen, legem totumque legalem cultum impia & blasphema locutus sit. Prudenter uerò & fortiter tam im-

pudentibus calumnijs respondet, dum ueterem patrum religionem, qua illi seruati sunt, repetit, & quæ per Mosen gesta sunt, diligentissimè exponit & ingenuè fatetur, hunc uiuum sermonem, à deo acceptum, patribus tradidisse. Simul uerò ostendit, patres nunquam diuinis præceptis fuisse morigeros, sed externis duntaxat ceremonijs addictos, multa ex semetipsis finxisse ueræ religioni contraria. Et hoc modo inanem patrum & auitæ religionis fiduciam animis illorum excutere conatur, qua non alia perniciosior est remora in salutis negotio uersantibus. In eum ergo finem aurei uituli historiam produxit, qua summæ impietatis patres illorum conuicit, eosq; mera dei gratia seruatos esse demonstrauit, quando unico illo facinore excidium meruissent. Commodè uerò his præsentem locum connectit, quo non simplici scelere ab illis modò peccatum fuisse, sed posteros quoq; patrum impiorum uestigijs institisse docet.

Israelitarum idololatria pertinax.

Videtur autem præoccupationis speciem habere, quòd posterorum quoq; idololatriam recenset. Ita enim cauere uult, ne quis erecti uituli scelus uel extenuaret, uel posterorum pietate iam olim expiatum esse diceret. Nec enim aliquis excusationi locus superest, quando primus ille lapsus adeò non meliores reddidit, ut potius sequentis impietatis fœcundissimum seminarium fuerit. Quia enim dei uerbum semel abiecerant & deuotis ad impietatem animis in exitium ruebant, deus, qui antea illis benignè fauebat, tergum obuertens, ipsos in reprobum sensum tradidit, ut uniuersam cœli militiam sibi colendam putarent, omnemq; gentium superstitionem sedulò imitarentur. Atque paucis hisce uerbis comprehendit Stephanus, quicquid postea in religione ab ipsis contra dei leges designatum fuit. Primus enim omnis mali author Solomon in uxorum alienigenarum gratiam diuersis Sidoniorum, Moabitarum, Ammonitarum & aliarum gentium dijs templa condidit. 1. Reg. 11. Vitulorum superstitionem Ieroboam postliminiò reuocauit. 1. Reg. 12. & 13. Baalis cultus per Achabum inuectus est. 1. Reg. 16. Amasias Idumæorum deos, abs se deuictos, insano consilio adorandos proposuit. 2. Paral. 25. Syrorum dijs & religione captus est Achaz. 2. Paral. 28. Tandem Manasses secutus, qui omnem maiorum impietatem longè supergressus, quicquid uspiam inter gentes superstitionis & idololatriæ fuit, in Iudæam intulit, & impios cultus iniusta ui contra fidos dei cultores defendit, adeò ut Hierosolymam sanctorum sanguine repleuisse legatur. 2. Reg. 21. Cuius impietas tam profundè radices egit, ut ne Iosiæ quidem temporibus tota excindi & deleri potuerit, quemadmodum Ieremiæ & Sophoniæ Sermones abundè testantur. Ne uerò alicui mirum uideretur, hæc post latam à deo legem facta esse, non temere à deo derelictos & in reprobum sensum traditos, adeoq; excæcatos fuisse, dixit. Id autem iusto dei iudicio factum esse ex ijs, quæ proximè præcesserunt, facile colligitur. Hoc enim merebatur illorum impietas & ingratitudo, quos nec dei uerbum, nec infinita alia, quibus deus illis se reuelare dignatus erat, in officio retinere potuerant. Digni ergo erant, qui uidentibus oculis cæcutirent, & auribus audientibus obsurdescerent, animisq; totis indurarentur, ut apud Isaiam cap. 6. minatur dominus. AT similia iudiciorum dei exempla in alijs quoque gentibus inuenire licet. Idem certè de ethnicorum superstitione Paulus affirmat. Rom. 1. Et utinā non similia inter eos cerneremus, qui Christi nomine gloriantur. Postquàm enim apud illos uerbi dei authoritas euanuit, & ex imaginibus mutis potius quàm uiuo dei sermone discere uoluerunt, eòusq; superstitionis licentia progressa est, ut Iudæis simul & Turcis sese deridendos præbuerint. Atque hîc mihi succurrit memorabile Turcici legati dictum, qui in magni inter Christianos regis aula interrogatus, cur Christianam religionem tam infestis animis Turcæ persequantur, nec ut illi nomen dent adduci possint? Respondit, nemini sanæ mentis eam religionem probari posse; quæ deos colat, qui suis ipsorum cultoribus inferiores & impotentiores sint. Id uerò paulò post de Christo impanato & idolis, quæ in templis adorantur, exposuit, quæ cùm illorum opera fiunt, à quibus coluntur, satis constat præposterum hunc cultum esse, & communi sensui contrarium. Norunt hæc Christiani principes, norunt antistites, norunt plebeij: nemini tamen dolet tam atrox, quæ inde infertur Christiano nomini iniuria: ut non temere cordati quiuis metuant multos nostro quoq; seculo in reprobū sensum traditos, uertiginis spiritu agitari.

Admonet præterea nos locus hic, neminem in religionis causa rectam uiam tenere posse, nisi qui dei manu & spiritu regatur. Animalis enim homo non capit ea, quæ sunt spiritus dei. 1. Cor. 2. Nec quisquam uenit ad Christum, nisi quem pater traxerit. Iohan. 6. Quia uerò is per uerbum suum du-

cit &

cit & trahit, illius studio opus est. Quicunq; enim illud parui faciunt & abijciunt, dei gratia sese indignos reddunt. Quare illis tergum obuertit deus, & omni ueritatis luce spoliatos tenebris inuoluit. Solicita ergo uerbi cura nos teneri conuenit, & ab illo ita pendere, ut recta uia ingreßi, nec ad dextram nec ad sinistram declinemus. Deut.4.& 12.

Cæterum ne quis tam perfrictæ frontis esset, ut ista à patribus facta esse negaret, propheticum testimonium Stephanus producit, quod Amos 5.cap. habetur. Accusat ibi Israeliticam gentem dominus cùm propter alia uitia, tum propter hoc, quòd parum syncerè in ipsius cultu uersarentur. Et ut maior appareat peccati atrocitas, & omnibus constet, deum non immerito hanc cum ipsis expostulationem suscepisse, ostendit uetus hoc malum esse, quod olim in deserto incœptum, temporis progressu maiores uires sumpserit, adeò ut iucurabile factum, non aliter quàm excidio totius gentis tolli poßit. Non parum autem ad nostram institutionem faciet, si singula quæ dicuntur, penitius inspiciamus. — Locus Amoz 5.cap.

Primò de patrum, qui in deserto fuerunt, inobedientia & impietate disserit his uerbis: Nunquid uictimas & hostias obtulistis mihi per annos quadraginta in deserto, domus Israel? Interrogatione sermonem intendit, & patres totis quadraginta annis deo sacrificauisse negat. At constat illos ex dei mandato tabernaculum construxisse & altaria, in quibus omnis generis sacrificia deo obtulerunt, qui ipsos de terra Aegypti eduxerat. At deus in suum honorem impensum fuisse negat, quod alio fine, quàm ipse præscripserat, fuit factum. Eum enim omnis externi cultus finem esse uoluit deus, ut promißi saluatoris typos præferret, & ipsos sui officij tam in fide & religione, quàm totius uitæ conuersatione admoneret. Illi autem horum immemores, nudis ceremonijs occupabantur, & his deo satisfieri atq; peccata expiari putabant. Qua ratione fiebat, ut toto Leuitico cultu in licentiæ & scelerum prætextum abuterentur. Meritò igitur cultum hunc omnem deus reijcit, & ad se pertinere negat. Et alia quoq; extant scripturæ loca, quibus idem constanter urget, & inutilē esse docet eorum administrationē, quæ tanta diligentia in lege præscripserat. Vide Psal.50. Isa.1.& 43. Mich.6. Hos.6. Imò Circumcisionem quoq; inutilem esse clamat, cùm illos hac insolentius gloriari uideret, nulla interim spiritualis circumcisionis ratione habita. Iere.4. Docemur igitur hoc loco, uanum esse omnem eum cultū, qui non ad illum finem destinatur, qui à deo præscriptus est. Fieri enim nequit, ut absq; fidei obedientia aliquis cultus deo placeat. Hebr.11. At ubi dei uerbum negligitur, ibi nec fidei nec obedientiæ locus est reliquus: quare pro impuris & prophanis habentur, quæcunque fiunt, etiamsi quoad externam speciem cum uerbo dei conuenire uideantur. Quid ergo de ijs ceremonijs dicemus, quæ sola hominū authoritate & humanis traditionibus nituntur? Iugulauit has olim una sententia dominus, dicens: Frustra me colunt docentes doctrinas hominum. Omnis plantatio, quam non plantauit pater meus, eradicabitur. Isa.29. Matth.15.

Pergens autem in recensendis Israelitarum peccatis deus, quid posteri occupata iam terra Chanaan fecerint cōmemorat. Suscepistis (inquit) tabernaculū Moloch, & sydus dei uestri Remphan, figuras quas fecistis ad colendū eas. Tribus autem speciebus omnem idololatriā comprehendit. Prima cultum Moloch habuit, quem Ammonitarū deum fuisse ex rebus Solomonis constat, qui illi primus templum constituisse legitur. Videtur autem deus genitalis fuisse, cuius honori infantes igne lustrati consecrabantur, quod à Manasse factum est, qui filium suum per ignē traduxit. Statuerat huic impietati capitalem pœnā deus, quæ Leuit.20.cap. his uerbis continetur: Quicunq; è filijs Israel aut ex incolis, qui cōmorantur in Israele, de semine suo dederit ipsi Molech, morte mulctabitur, populus terræ lapidibus eum obruet. Et ego statuam faciem meam contra uirum eiusmodi, eumq; de medio populi sui excindam, eò quòd dederit de semine suo ipsi Molech, ut contaminaret sanctuariū meum, & prophanaret nomen meum sanctum. Et si omnino populus regionis oculos suos absconderit à uiro isto, qui de semine suo dederit ipsi Molech, & eum non interfecerint, statuam ego faciem meam contra uirū eiusmodi, & contra cognationē eius, & excindam eum, & omnes qui scortantur post eum, ut scortentur post Molech, è medio populi sui. At non potuit tanta esse tam seueri edicti authoritas, quin uulgare esset nefandū hoc turpißimæ lustrationis flagitium, ut ex Ieremiæ oraculo, quod cap.32. extat, facilè liquet. Altera idololatriæ species sideris cultū habuit, quod deo Remphan (de quo nihil certi traditur) sacrum fuisse perhibet. Sunt qui Saturni sydus interpretentur, alij Ve- — Cultus Moloch. — Deus Remphan.

nerem, quidam uerò Martem fuisse existimant. Fuit autem apud omnes gentes admodum frequens syderum cultus, eò quòd mirabilis illorum motus, splendor item & forma illis diuini quiddā inesse simplicioribus facilè persuaderet. Et huc referri debent scripturæ loci, in quibus militiam cœli adorauisse Iudæi dicuntur. Nobis uerò obseruandū est, syderū cultum non adoratione modò & sacrificijs constare, quæ olim apud gentes in usu fuêre: uerumetiā ab ijs illa coli, qui rerum euentus, bella, pacem, famem, anni prouentum, morbos, tempestates, & si quæ alia sunt eius generis, ab illis pendere putant. Constat enim omnia hæc diuinæ prouidentiæ legibus gubernari, cuius iudicia non astris alligata sunt, sed uerbi dei & æternæ illius uoluntatis regula diriguntur. Quicunq; ergo ista astris tribuunt, deo honorē suum negant, & hominem, quæ præstantissima dei creatura est, stellarum motibus subijciunt. Quare deploranda est nostri seculi cæcitas, quæ eòusq; progressa est, ut maximarū rerum auspicia è stellis petantur, & inde uel felices rerum euentus pleriq; sperent, uel infelices & tristes metuant. Quin potius prophetam dicentem audimus: Viam gentium ne discatis, & à signis cœli ne formidetis. Nam gentes ab illis sibi metuunt. Ierem. 10. Tertio loco figuras reprehendit, quas ipsi cultus gratia fecerint. Et mitiori uocabulo utitur deus, ut non modò ea sibi improbari doceat, quæ notoria impietate in alienorū deorum cultum fiunt, uerùm ea quoq;, quibus ipsum honorare uoluut homines. Quales sunt, qui dei operumq; illius memoriā imaginibus conseruare student, uel qui earudium & illiteratorum institutioni seruire clamant. Peccant hi, quia suopte ingenio & consilio instituunt, quod à deo nuspiam traditum legitur. Beneficiorū suorum memoriam sacramentis paucis, ijsq; obseruatu facillimis, consecrauit. Institutioni nostræ uerbum destinauit, & cùm ipse concionaretur, solam uocem audiri, imaginē uerò nullam apparere uoluit. Deut. 4. His ergo contenti, immoderatæ carnis sapientiæ frænum inijciamus, ne dum plus æquò sapere uolumus, stulti reddamur, quemadmodum de gentium philosophis Paulus admonet. Rom. 1.

Cultus imaginum.

Postremò incurabili & subinde in deterius ruenti impietati pœnā minatur, dicens: Transferam uos ultra Babylonē. Amoz Damascum habet, ut decem tribubus inanem Syriaci fœderis fiduciam auferat. At Stephanus sensum potius respiciens, ultra Babylonē transferendos fuisse dicit. Id enim reuera factū esse constat. Nam Salmanazar Assyriorum tyrannus capta Samaria decem tribuum regnum euertit, & captiuos in Assyriā transtulit. Nec multò post Iudæam grauissimè afflixit Sanherib. At quia Ezechia authore ad dominum conuersi idola deiecerant, è tyranni manu per angeli auxilium liberati sunt. Vbi uerò sub Manasse ad uomitum reuersi, superstitiones nefandas, & idololatriam reduxerunt, nec reformationem, quam Iosias cœperat, admiserunt, quin clancularia in ædibus superstitionem exercerent, ut ex Sophoniæ sermonibus colligitur, Nabuchodonozorem induxit deus, qui urbem excidit, templum exussit, & infelicis populi reliquias ultra Babylonē abductas per omnia Babylonicæ monarchiæ regna dispersit. Ita deus incurabilem idololatriā & prophanū sui nominis contemptum ultus est. Idem postea euenisse legimus. Cùm enim è Babylone reuersi, templū & religionem omnem quæstum fecissent & speluncam latronū, nec Christum reformatorem admittere, nec apostolos audire uellent, Vespasianum & Titum reformatores adduxit deus, qui urbe & templo excisis, Iudæos superstites per omnes orbis terrarum prouincias dissiparunt. In horum consideratione nos hodie uersari decebat. Inualuit inter Christianos infelix idololatriæ malum. Nec deest Molech, qui inter Monachorum ordines delitescens, Christo per baptismum initiatos sibi uendicat & impiè urit. Superstitiosa syderū obseruatione multi seducuntur. Prostat passim ad cultum & ad doctrinam factæ imagines. Reformationem iam annis aliquot per euangelij sui præconium deus nequicquam flagitauit. Quare periculū est, ne excidium sentiant qui reformari nolunt, ne hactenus errauisse uideantur. Nec uanus certè illorum metus est, qui Turcarum manibus hæc tolli oportere suspicantur. Constat enim propter imagines Orientis imperium ab Occidente diuisum esse, & ea diuisione Saracenorū & Turcarū uires in immensum creuisse, ut nō obscurè deus innuisse uideri possit, quos nam & quales idololatriæ extirpatores iam olim constituerit. Et experientia docet, quàm dira quotidie per Turcas in pertinaces imaginum cultores exempla deus edat. Nec sine numine factum putemus, quòd Solimannus Turcarū Imperator non multis ab hinc annis Buda Hungarorū regum sede, potitus præcipuū illius urbis templum, quod Virgini matri sacrum erat, cōfestim altarium & imaginum sordibus purgari uoluit, priusquàm in eo pro uictoria sibi concessa deo optimo maximo gratias

Vide Paulum Iouium hist. sui temporis libro 40.

gratias ageret. Eo enim facto deus apertè testari uoluit, idololatriam, quæ sub Christi & sanctorum ipsius prætextu exercetur, potissimam Turcicarum cladium causam esse. Quare expergisci nos tandem tempus iubet, & abiectis uanissimis hominum adinuentionibus deum patrum secundum ipsius præscriptum in ueritate & spiritu adorare per Iesum Christum dominum nostrum: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA LIII.

Tabernaculum testimonij fuit patribus nostris in deserto, quemadmodum ordinauerat is, qui cum Mose loquebatur, ut faceret illud secundum formam quam uiderat. Quod etiam qui successerunt patres nostri, induxerunt cum Iesu in possessionem gentium, quas expulit deus à facie patrum nostrorum, usque ad dies Dauid: qui inuenit gratiam coram deo, & petijt, ut inueniret habitaculum deo Iacobi. Solomon autem ædificauit illi domum. Sed altissimus ille non in manufactis templis habitat, quemadmodum propheta dicit: Cœlum mihi sedes est, terra uero scabellum pedum meorum. Qualem domum ædificabitis mihi? dicit dominus: aut quis locus requietionis meæ? An non manus mea fecit hæc omnia?

Accusationis contra Stephanum institutæ duo præcipua capita fuerunt: alterum, quòd legem abrogare conetur: alterum uerò, quòd in templum adeoq; omnem cultum externum blasphemus fuerit. Ad primum hucusq; respondit, diligenter simul & magnificè de lege & huius ministro, Mose, disserens. Ostendit enim diuinitus per Mosem datam esse, & uerbum uiuificum esse fatetur, eò quòd feliciter uiuendi regulam comprehendit, & pædagogi instar Christo adducit. Simul uerò, quia illi patrum titulo potissimum gloriabantur, illos semper inobedientes fuisse docuit, ut ipsos non legalis iustitiæ merito, sed diuinæ gratiæ beneficio seruatos esse, constaret. His uerò absolutis, ad alterum accusationis caput transitum faciens, de loco sancto siue templo disputat, in quo præcipuam salutis spem repositam habebãt. Omnium uerò, quæ à Stephano dicũtur, finis est, ut euincat, deum & cultum dei nequaquam templo alligatum esse. Unde sequitur, non statim blasphemos & in deum contumeliosos censeri debere, qui de huius abrogatione disserunt. Primò autem de tabernaculo, deinde de templo post annos circiter quadringentos & octuaginta ab exitu Aegypti extructo agit.

Fuit tabernaculum locus sacris destinatus, tabulis cedrinis & cortinis maxima ex parte constans, quarum illæ circulis aureis & per hos traiectis uectibus, hæ uerò fibulis & ansulis connectebantur. In hoc erant arca fœderis, mensa aurea, candelabrum, ara thymiamatis, altare holocaustorum, labrum æneum, unà cum reliquis instrumentis ad sacra pertinentibus: de quibus uide Exod. 25.26.27.30. &c. Hæc omnia patres in deserto ex Mosis qui dei interpres erat, traditione habuisse, ingenuè fatetur. Et testimonij tabernaculum uocat, eò quòd per hoc deus suam præsentiam testaretur, & ibi in rebus dubijs responsa daret. Tria uerò addit, quibus probat, cultum dei deumq; ipsum minimè loco isti alligatum fuisse. Primò secundum formam siue exemplar, quod Mosi in monte exhibitum erat, illud extructum fuisse dicit. Unde constat typicum fuisse, & cœlestium rerum mysteria adumbrauisse: quod Paulus quoq; ad Hebræos cap. 8. & 9. annotauit. Figurabat enim scena hæc ecclesiam, quam unam esse uult deus, licet ex uarijs ijsq; diuersis hominum ordinibus constet. Habet enim doctores, qui columnarum instar sunt, quales Paulus Iacobum, Petrum & Iohannem uocat, Gal. 2. Habet tabulas cedrinas & deauratas, quibus singuli fideles significantur, quos fides incorruptos simul & cœlesti fulgore illustres reddit. Coniunguntur omnes isti tum doctrinæ, tum fidei & charitatis uinculo, & Christo innituntur, qui totius ecclesiæ unica basis & fundamentum est. Idem in hac arca est, ueros cœlestium mysteriorum thesauros continens. Idem mensam nobis instruit, è qua æternæ uitæ panem petamus. Idem ille candelabri locum tenet, & ecclesiam sui uerbi lumine illustrat. In hoc etiam oblatæ preces grati thymiamatis instar sunt apud deum patrem. Et hic altare uerum est, in quo nos ipsos & totam uitæ conuersationem deo immolari oportet. Poterant

I. Tabernaculo non fuit alligatus cultus dei.

Tabernaculum typus fuit cœlestium rerum.

hæc copiosius tractari, sed summa rerum capita adumbramus, ut cuiuis pateat, cur Stephanus tabernaculum ad cœleste exemplar extructum fuisse dicat: ut nimirum hinc intelligamus, neminem olim tabernaculo inhærere, sed per fidem in Christi & ecclesiæ ipsius consyderatione uersari debuisse, cuius mysteria per hoc adumbrabantur. Nam ueteres quoq; tunc demum deo placuisse, quando animis in cœlum sublatis illum in spiritu & ueritate adorabant. Iohan. 4. Et multi extant scripturæ loci, in quibus grauissimè increpantur, qui externis ceremonijs occupati, spiritualem cultum negligebant. Vide Psalm. 50. Isa. 1. 43. Mich. 6. Ierem. 7. &c. Interim admonemur, nihil in cultu dei & religione ex hominum placito statui debere. Si enim olim, quando plurimus externorum usus erat, formam diuinitus præscriptam Moses obseruare debuit, & horrenda in illos exempla extant, qui aliquid secus agere ausi sunt: maiori utiq; diligentia nobis hodie opus est in ijs obseruandis, quæ filius dei in ecclesia perpetua esse uult, donec nouissimi aduentus ipsius tempore in cœlestia tabernacula cum illo transferamur.

Tabernaculum in terram gentium delatum.

Secundò tabernaculum à patribus duce Iosua in possessionem gentium, id est, in terram prophanam translatum fuisse, dicit. Vnde rursum patet, cultum dei & salutis rationem illi non potuisse alligari. Hic uerò obiter docemur, dei instituta sancta, non pollui ex loco, modò usus uerus & legitimus obseruetur. Vbiq; enim præsens est deus, & sua præsentia tum ipsos cultores suos, tum abs se traditos ritus, sanctificat. Ideo in prophana terra, cuius incolæ paulò ante idolorum cultores fuerant, tabernaculum collocari & totus ille cultus exerceri potuit. ¶ Quod de externis ritibus dicitur, idipsum de precibus intelligi debet: quæ si ex fide promanent, deo gratæ & acceptæ erunt, quocunq; tandem in loco fundantur. Iohan. 4. Ita Ionam in uentre ceti orantem exaudiuit deus, & Danielis socij ex fornace clamantes deum liberatorem senserunt, nec leonum rugitus obstare potuit, quò minus Danielis preces in domini conspectum ascenderent.

Tabernaculi sedes incerta.

Additur his alterum argumentum à loco desumptum, quo dei cultum tabernaculo minimè alligatum fuisse probat. Nam incertis sedibus illud per annos quadringentos hinc inde translatum fuisse dicit, usq; ad Dauidis tempora, qui primus hoc singularis beneficij loco à deo accepit, ut ipsi per angelum locus certus, in quo templum extrui deberet, reuelaretur: quod illum ardentissimis precibus impetrauisse legimus, cum ait: Malè sit mihi, si tabernaculum domus meæ subiero, si conscendero spondam lecti mei. Si concessero oculis meis somnum, & palpebris meis dormitionem. Donec inueniam locum domino, et habitacula potenti deo Iacob, &c. Psal. 132. Historiam uide 2. Samuel. 24. Item 1. Paral. 21. Ante illa uerò tempora uariam fuisse tabernaculi sedem scriptura non obscurè docet. Primò enim in Silo collocatum fuit, ubi usq; ad Heli tempora hæsisse uidetur. Ios. 18. 1. Sam. 1. &c. Regnante Saule, in Gilgal, deinde etiam in Nobe, sacerdotali urbe sedem habuit. 1. Sam. 11. & 20. Sub Dauide autem in Gabaon constitit: 1. Paral. 21. Tandem omnia quæ ad hoc pertinebãt, à Solomone, ut thesaurus aliquis, in templum recondita fuêre. Quis uerò sanæ mentis tabernaculo dei cultum & salutis rationem alligatam fuisse dicet, cum ipsum certam sedem nunquam habuerit? ¶ Est autem obseruatione dignum, quòd singulari diuinæ gratiæ beneficio hoc Dauidi obtigisse dicitur, ut certum locum cognosceret, in quo deus cultum suum usq; ad tempus correctionis peragi uolebat. Faciebat hoc ad regni confirmationem & stabilitatem, quod non obscurè Ieroboam obseruauit, qui regnum suum sine certa religionis sede infirmum & instabile fore uidebat. 1. Reg. 12. Interim admonemur, præcipuum hoc in terris dei donum esse, si externa religio firmiter constituta sit, & hanc tutò homines exercere possint. Est hoc firmissimum ecclesiasticæ unitatis conseruandæ uinculum, & inæstimabile diuini fauoris argumentum. Agnoscunt hoc & anxiè desyderant, qui sub tyrannis ecclesiæ persecutoribus agunt. Agnoscamus & nos, qui ocio & pace abundamus, ne enormi ingratitudine dei iram prouocemus, & in ærumnis cõstituti intelligamus, quantum illud bonum sit, quod nunc pleriq; nihili facere consueuerunt.

II. Templo non alligatus est cultus dei.

Expositis autem ijs, quæ ad tabernaculum spectabant, de templo quoq; disserit, quod in huius locum successerat, & cuius idem omninò erat usus. Illud, cum nondum certo constituto religionis loco nullum fuisset, à Solomone extructum fuisse, scriptura tradit. 1. Reg. 6. At quia huius locum diuina reuelatione Dauid cognouerat, non ineptè facere uidebãtur Iudæi, quòd illi cultum alligatum esse putarent. Quare illorum stoliditatem grauiter arguit Stephanus. Nam ut templum ex dei mandato

dato extructum fuisse concedit: ita mox subijcit: Sed altißimus ille non in manufactis templis habitat. Et ne temeritatis accusaretur, dei uerba, apud Isaiam cap. 66. in hunc modum loquentis producit: Cælum mihi sedes est, terra uerò scabellum pedum meorum. Qualem domum ædificabitis mihi? dicit dominus. Aut quis locus requietionis meæ? Annon manus mea fecit hæc omnia? Argumentis ex natura sua sumptis probat se nec loco certo concludi, nec externis hisce, quæ ab hominibus fiunt, indigere: Qui enim immensus & infinitus est, quemq; cœli cœlorum non capiunt (sicuti ipse Solomon fatetur. 1. Reg. 8.) eum domo aliqua contineri impoßibile est. Rursum, qui omnium creator est & dominus, nostris officijs indigere non potest, quemadmodum pluribus docet Psal. 50. Ista uerò consolationi simul & institutioni seruiunt. Quia enim ubiq; præsens est deus, ubiq; etiam à nobis coli poterit, ut nec sumptibus immodicis, nec superuacaneis laboribus nos uexari opus sit. Et quia nostri non indiget, externis hisce uera cultus ratio & illius gratia non potest esse alligata. Turpis ergo & fœdus hypocritarum error est, qui dum illa peregerunt, se omni erga deum officio defunctos esse putant. Quapropter quis uerus & legitimus externorum omnium usus sit, nos potius obseruare conuenit. Poßunt hæc tempore, loco, & ceremonijs comprehendi. Tempus & locus ordini seruiunt. Nam ut dies certos religionis officijs consecrari oportet, ita hæc ipsa absq; loco certo peragi non possunt. Sed ut dierum obseruationi non alligatur salus, ita nec locorum spacijs. Habent tamen hæc suum in religione usum. Nam cœtibus sacris seruiunt, quos propter uerbi sui prædicationem, publicas preces & sacramentorum administrationem crebrò conuenire prodest. Et quia istis studijs templa consecrata sunt, illa ab omni prophano usu separata esse conuenit, ne de diuinis parum honorificè sentire uideamur. Quæ causa est, quòd templi extructionem tantopere Haggeus propheta urget. Interim absit luxuriosa superstitio, quæ immodicam loci obseruationem in hominum animis excitare solet. Ceremoniarum uerò, diuinitus traditarum (nam de humanis constitutionibus nullus hic nobis sermo est) quæ recepto uocabulo Sacramenta dicuntur, usus est, quòd dei beneficia obsignant, & proinde animos per fidei contemplationem in cœlos subuehunt, nosq; nostri cum erga deum, tum erga fratres officij admonent. Hæc nos obseruare & ijsdem contentos esse conuenit: ne dum externis occupati, uetusto Iudæorum errore inuoluimur, cœlestium bonorũ iacturam faciamus. Colamus ergo in spiritu & ueritate deum patrem, qui quæ olim patribus templi & ceremoniarum typis figurauit, nobis uerè & plenè exhibuit in filio suo & unico Sacerdote nostro Iesu Christo: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA LIIII.

Duri ceruice & incircumcisi corde & auribus: Vos semper spiritui sancto resistitis. Sicut patres uestri, ita & uos. Quem prophetarum non persecuti sunt patres uestri? & occiderunt eos, qui prænuntiarunt de aduentu Iusti illius: cuius uos nunc proditores & occisores facti estis. Qui accepistis legem per dispositiones angelorum, nec seruastis. Porrò hæc audientes, dissecabantur cordibus suis, & stridebant dentibus suis in ipsum.

Respondit hucusq; ad obiecta sibi crimina Diuus Stephanus, & prolixa narratione demonstrauit, se nec in deum, nec in legem dei, nec item in templum unquam contumeliosum fuisse. Nam ab ipso Abrahamo exorsus, se ueri illius et unici dei cultorem esse testatur, qui patribus sese olim reuelare ijsq; gratiam suam offerre dignatus sit. Deinde de Mose & lege splendidè disseruit, & in hac Christum non obscurè patribus promissum fuisse docuit. Tandem de templo & externo cultu agẽs, his nec dei gratiam, nec uerum cultum, nec item salutis humanæ rationem alligari, fortißimis argumentis euicit. ¶ At quia nec ipse Stephanus ignorare poterat, quales causæ suæ Iudices haberet: nec illi animorum suorum rabiem diutius dißimulabant, sicuti quiuis ex circumstantijs facilè colliget, graui & uehementi increpatione in illos inuehens, orationi finem imponit. Vbi hũc finem Stephano propositum fuisse patet, quòd ecclesiæ titulo superbè turgentibus et potestate sua turpiter abutentibus laruam hanc detrahere conatur, ne diutius hoc fuco rudes & imperitos terreant. Est hoc factu

perquam necessarium, quando cum ijs nobis rem esse uidemus, apud quos uerbi doctrina nihil proficitur. Et sanè nostro seculo non aliud ueritati magis officit, quàm quòd eos hostes habet, qui ecclesiæ titulum & gubernacula sibi iam annis aliquot uendicarunt. Quare necesse erit, ut hodie quoq; Stephani exemplum sibi imitandum proponant, quibus ecclesiarum cura commissa est. Sed ut ad præsentis loci tractationem accedamus, tria præcipuè erant, quæ illos insolentiores faciebant: Circumcisio nimirum, Patrum gloria & dignitas, Lex item, quæ illis peculiari quodam dei beneficio obtigerat. De omnibus uerò hisce sic loquitur diuinus Christi martyr, ut perspicuè doceat, uanam esse omnem ipsorum fiduciam, quam in his collocatam habebant.

I. Circumcisionis fiduciam oppugnat.

A Circumcisione autem exorsus, ipsos hac frustra gloriari monet, quando illos duræ ceruicis homines & tam corde quàm auribus incircumcisos uocat. Videtur autem ad Mosis & dei uerba, quæ Deut. 10. & Ierem. 4. extant respicere, quasi dicat: Scio uos in circumcisione non exiguam salutis fiduciam repositam habere: sed hæc uanissima est, quando spiritualis circumcisio à uobis negligitur. Voluit quidem deus uos externo symbolo fœdus suum profiteri: sed idem uos corda gladio spiritus circumcidere, & ceruices nimium antehac intractabiles obedientiæ iugo submittere iussit. At nihil horum à uobis factum esse res ipsa loquitur. Indesinenter enim spiritui sancto, per scripturas & prophetas uobis loquenti resistitis. Ita uerò Stephanus non uulgaris tantum inobedientiæ, uerumetiam atrocis perfidiæ ipsos accusat, ut qui circumcisione, quæ fœderis diuini symbolum erat, deo turpiter illudere conentur. ¶ Admonet autem locus hic, nihil externis symbolis iuuari homines, nisi ijs studeant, quæ per hæc adumbrantur. Quia enim spiritus est deus, non inanibus ceremonijs, sed spiritu & ueritate coli uult. Has uerò propter nos instituit, ut animos in fidei contemplationem abreptos, officij admoneant. Quod si à nobis negligatur, perfidiam nostram symbola arguunt, non excusant. Quæ causa est, quòd immodicos externorum rituum obseruatores tanta seueritate prophetæ accusant, & spiritualis cultus curam ijsdem anxiè commendant. Idem nostræ quoq; institutioni seruit, ne Baptismo & Cœnæ intenti, fidem in Christum, innocentiæ & charitatis studium negligamus, sine quibus Christiana religio consistere nequit. At si frigida rituum diuinitus traditorum obseruatio saluare nequit, quid de humanarum traditionum obseruatoribus dicemus, quas diuinæ sententia gladio (ut alibi quoq; monuimus) iam olim iugulatas esse constat? Isa. 29. Matth. 15. ¶ Docemur præterea, quales dei iudicio censeantur qui uerbo dei, per homines prædicato, improbè resistunt, quod Iudæos fecisse constat. Hos enim Stephanus, non prophetis, sed spiritui sancto restitisse dicit. Nec temere hoc dictum illi excidisse putabimus. Quia enim spiritu sancto authore ministri loquuntur, & idem hominum animis sese insinuans, obedientiam suadet, & frequentes de uita emendanda cogitationes suggerit, reuera spiritui resistunt, quicunq; uerbo parere recusant. Et hoc quidem infallibile incircumcisorum cordium & induratæ ceruicis hominum argumentum est. Habes ergo, unde nostri seculi homines æstimes, qui eo sibi mirificè placent, quòd ministrorum uerbi sermones audacter contemnere, & scurriliter insectari audeant.

II. Patrum fiduciam euertit.

Sed ad Stephanum redeamus, qui eam, quæ ex maiorum dignitate ab ipsis quærebatur, gloriam simili ratione euertit. Iudæos enim his quàm maximè confisos fuisse, uel ex eo constat, quòd Baptistæ & ipsi Christo, de uita emendatione cum ipsis agentibus, Abrahamum patrem & generis sui prærogatiuam obijcere audent. Matth. 3. Iohan. 8. At inter illorum maiores discrimen facit Stephanus. Erant in his boni aliquot & eximij dei cultores, Abraham nimirum, Isaac, Iacob et horum similes: quibus ipsi gloriari non poterant, cum horũ essent dissimillimi, utpote degeneres & spurij filij. Rursum uerò alij erant, impietate & sanguinaria aduersus prophetas tyrannide infames. Istis ipsos similes esse dicit, eò quòd illorum ingenium & mores egregiè referrent, imò etiam superarent. Sicut patres uestri: ita & uos. Quem prophetarum non sunt persecuti patres uestri? & occiderunt eos, qui prænuntiarunt de aduētu Iusti illius. Ita uerò Christum Iesum uocat, qui & ipse absolutè iustus est, in cuius ore dolus inueniri non potuit (Isa. 53.) & nobis iustitia à deo patre factus est. 1. Corinth. 1. Quare apud Ieremiam ipsi nomen inditur, Dominus iustitia nostra. Ierem. 23. ¶ Porrò ut huius prænuntios, prophetas, patres uestri occiderunt, quemadmodum monumenta in illorum honorem ubiq; extantia testantur: ita uos ipsum Christum prodidistis Romano præsidi, & eundem immanibus ausis diro crucis supplicio sustulistis. Patrum ergo mensuram non impleuistis modò, sed longè superauistis.

uistit. ¶ Vt uerò non sine arcano spiritus sancti motu hæc à Stephano dicta sunt, ita non sine numine factum putabimus, quod eadem scriptis mandata & ad posteritatem transmissa sunt. Docent enim, ut cum illis agi debeat, qui maiorum uirtutibus & legitimæ successionis titulo, gloriantur, & temere sibi uendicata potestate rudibus imponunt. Quo in numero Romanos Pontifices hodie uidemus, qui cum apostolorum doctrinam ferro & igne persequantur, corruptissimæ uitæ exemplo uniuersum terrarum orbem inficiant, sacra omnia sibi quæstum faciant, adhuc tamen se Christi uicarios, Petri & Pauli successores esse uenditant, & Romanam ecclesiam errare posse constantissimè negant. Et horum quidem artibus aliquot seculis orbem circumuentum esse constat. Detrahenda ergo est illis larua hæc, nec permittere debent fideles ecclesiæ ministri, ut Cumanus ille asinus asciti tio leoninæ prætextu simplices hominum conscientias terrere pergat. ¶ Nec hic audiendi sunt, qui hæc uel taceri uolunt, uel modestiæ & mansuetudinis leges præscribũt. Vbi enim Christi gloria oppugnatur, & animarum salus periclitatur, nullus ignauiæ aut mansuetudini locus superest. Vidit hoc Christus, quo cum nemo opinor mansuetudinis aut modestiæ certamen facilè susceperit. Idem uerò summa seueritate potius quàm ignaua aut præpostera lenitate, falsos antistites oppugnandos esse putauit. Cuius exemplũ tum Stephanus, tum reliqui apostoli rectissimè imitati sunt. ¶ Priusquam uerò hinc discedamus, obiter notabis, prophetas Christi prænuntios fuisse. Fatetur hoc ipse Christus, Lucæ 24. cap. Et Petrus hoc ipsum illis tribuit. 1. Petri 1. capite. Facit hoc ad fidei nostræ dignitatem & certitudinem, ne illam uel nuper inuentam, uel incertam pauculorum hominum persuasionem esse putemus.

Pergit autem in suo instituto Stephanus, & legis inanem fiduciam illis eximit, quæ inter dei beneficia primum quodammodo locum tenere uidebatur, Dauide teste, qui deum in nulla alia gente simili argumento suæ bonitatis usum fuisse, dicit. Psal. 147. Fatetur autem, hanc illis diuinitus datam esse per angelorum ministerium, quorum præsentia maiestatis suæ gloriam deus illis testari uoluit. At inanem esse gloriationem, quam illi inde petebant, docet, eò quòd legi nunquam obedientes fuerint. Nam peccatorum desyderijs abrepti illam negligebant, & insuper Christum, cui illa adducit, improbè persequebantur. Vnde colligimus uanam esse eam quoq;, quæ ex uerbo dei & euangelij doctrina sumitur, gloriationem, nisi factis exequamur, quæ per hanc præscribuntur. Beati enim (inquit Christus) qui audiunt uerbum meum, & faciunt illud. Luc. 11. Et alibi procul abs se relegat iniquitatis operarios, qui patris sui uoluntatem facere negligunt. Matth. 7. In quorum consyderatione nos hodie diligentius uersari oportebat. Si enim legis, per Mosem latæ, transgressores grauissimè puniti sunt, quid eos manebit, qui euangelij uerbum, Christo authore nobis traditum, improbè contempserint? Christus certè hos grauiori iudicio, quàm Sodomeos & Gomorrheos puniendos dicit. Matth. 10. Vide item Heb. 10.

III. Legis fiduciam eripit.

Et hæc quidẽ grauissima simul & iustissima est Stephani protomartyris apologia, quæ ut apud pios maximum pondus habuisset, ita apud professos Christi hostes non modò profectu caruit, uerùm etiam illorum animos maiori & acutiori impietatis stimulo exacerbauit. Scribit enim Lucas: His auditis dissecabantur cordibus suis, & stridebant dentibus suis in eum. Cordium dissectio furentis animi & æstuãtis dolorem notat, quo acerrimè compuncti sunt. Tantus enim is fuit, ut illum in loco iustitiæ & religioni sacro dissimulare nequiuerint. Nam dentium stridore, rabidorum canum instar, illum testati sunt. ¶ Exprimitur his impiorum ingenium, qui quò magis urgentur uerbo dei, eò intolerabilius furiunt, & in eos armantur, quos deus uerbi sui præcones apud ipsos constituit. Ita Cainum diuinis admonitionibus magis exasperatum fuisse legimus. Et extant infinita istorum hominum exempla, quibus recensendis immorari non est opus, quando similia quotidie experimur. ¶ Discamus autem hanc infallibilem esse extremæ impietatis notam. Quid enim de eo speres, qui uerbo dei non melior, sed deterior efficitur? Reprimamus ergo affectum hunc, ut primùm illius sensu tangimur. Interim discamus, non ideo tacendũ esse uerbi ministris, quia illorum increpationibus impij efferantur. Hos enim Paulus opportunè simul & importunè instare iubet. 2. Tim. 4. Nec quenquam offendat, quòd uerbo nihil apud tales proficitur. Nam si nullus alius sequatur uerbi effectus, suam saltem animam fidelis uerbi minister liberabit. Ezech. 3. Nec interea deerunt electi Christi serui, quorum institutioni seruiet, quod impijs in iustæ damnationis testimonium prædicatur. Faxit

Vt Stephani oratio ab hostibus accepta sit.

deus pater misericordiæ, ut oracula uerbi sui ritè audiamus, & in illa transformati ipsius maiestati nulla ex parte displiceamus, per Christum Iesum dominum nostrum: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA LV.

Cum autem esset plenus spiritu sancto, intentis in cœlum oculis, uidit gloriam dei, & Iesum stantem à dextris dei, & dixit: Ecce, uideo cœlos apertos, & filium hominis stantem à dextris dei. Clamantes autem uoce magna, continuerunt aures suas, & impetum fecerunt unanimiter in eum, & eiectum extra urbem lapidarunt. Et testes deposuerunt uestimenta ad pedes adolescentis, qui uocabatur Saulus. Et lapidarunt Stephanum inuocantem & dicentem: Domine Iesu, suscipe spiritum meũ. Positis autẽ genibus clamauit uoce magna: Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Et cum hoc dixisset, obdormiuit. Saulus autem consentiebat in necem eius.

QVamuis dei uerbum frugiferum & salutare sit, apud eos tamen solos fructificat, qui animis rectè dispositis illud audiunt. Impijs uerò adeò non prodest, ut hoc exacerbentur potius & peiores fiant. Quia enim horum animi ut mare æstuant, quò magis urgentur, eò magis furere consueuerunt. Extant eius rei exempla passim: inter quæ cumprimis memorabile est, quod in Concilio aduersus Stephanum congregati assessoribus proponitur. Cum enim Stephanus & innocentiã suam grauissimis argumentis asseruisset, & illorum inueteratam malitiã dignis uerbis corripuisset, tam abest, ut pœnitentiæ stimulis ad uitæ emendationem excitentur, ut potius totis animis implacabilem furorem concipiant, & eundem (quod in Iudice turpissimum est) non modò uultus mutatione, uerumetiam canino dentium stridore testentur. Atqui tolerari hoc aliquo modo poterat, si ulterius cohibuissent. Sed quasi parum adhuc insanierint, sanctissimi uiri necem et indignum supplicium adijciunt: in cuius descriptione diligens omnino est Lucas, eò quòd de martyrum supplicijs nos instruit, & multa alia, quæ nostræ tum consolationi tum institutioni seruiunt, complectitur.

I. Deus Stephanum moriturũ consolatur.

Ab ijs uerò narrandi initiũ sumit, quæ deus cum suo martyre, tantis periculis implicito, gessit. Cum enim is se in medio luporum uersari uideret, nec ulla appareret alicuius auxilij spes, oculis in cælum eleuatis diuinam opem requirere cæpit. Nec hãc illi diu negauit deus, sed illico uisionem cælis ipsius obijcit, qua & ipse confirmetur, & hostes terrefiant. ¶ Quo loco admonemur, deum suos, dum periclitantur, nequaquã deserere. Videt enim hos & audit, quod passim scriptura testatur. Et quia pater est, illorum ærumnis tangitur, periclitantium miseretur, & se uindicem præbet fidelissimum. Et quamuis non semper præsentibus malis eripiat, animos tamen consolatur, ut malis sustinendis possint sufficere. ¶ Discamus ergo, non ad hominum auxilia, quæ uanissima sunt, respicere, sed animi oculos in cælum attollere, nec spe nostra frustrabimur. Omnium enim piorum uox est, qua Dauid utitur, dicens: Leuo meos oculos ad montes, unde nam ueniat auxilium meum. Auxilium meum uenit à domino, conditore cæli & terræ. Psalm. 121. Et propheta felicem pronuntiat eum, cuius spes & fiducia est in domino. Execrabilem uerò eum uocat, qui confidit in homine, & carnem ponit brachium suum, &c. Ierem. 17.

Consolationis diuinæ modus & ratio.

Prodest autem modum & rationem diuinæ consolationis, qua Stephanus subleuatus est, inspicere. In hac primum locum tenet spiritus sanctus, quo Stephanum repletum fuisse, Lucas dicit. Præstitit hic dominus, quod promittit, ubi nos non orphanos fore, sed spiritum consolatorem habituros dicit. Iohan. 14. Eo autem nobis propter carnis infirmitatem omnino opus est, & hunc à deo iubente Christo petimus, dicentes: Adueniat regnum tuum. Hoc animati fideles, mundi conatus facilè contemnunt. De hoc enim illud Iohannis intelligi debet: Maior est, qui in uobis est, quàm qui in mundo. 1. Iohan. 4. ¶ At quia undiq; instabant, quæ terrorem incutere possent etiam fortissimo martyri, externam quoq; consolationem illi deus adhibere uoluit. Visionem ergo exhibet, uniuersam salutis rationem continentem. Videt etenim apertos esse cælos, quod ipsum in Christi baptismo contigisse legimus.

gitur. Apparet item Christus in gloria, ad patris dextram stans. Quæ cum uisionis nomine commemorentur, & antea oculos in cœlum ab illo sublatos esse dictum sit, ego hæc illi reuera uisibiliter apparuisse, nec mentis duntaxat contemplationi obiecta fuisse intelligo. Nec opus puto, ut de naturali uisu multa disputemus, quando hæc soli Stephano apparere debuerunt, cuius oculos insolita acie donare, deo facillimum fuit. ¶Atqui opus erat ista à primo martyre conspici, ut quid reliqui omnes sperare debeant, intelligamus. Significant enim, patere nobis iam Christi merito cœlos, & in his iuxta ipsius promißionem nobis locum paratum esse: adhæc Christum in cœlis regnare, nec inertem & otiosum causam suorum negligere, sed in procinctu stare, ut ipsos liberet & conseruet, utpote fidelis ille pastor, qui oues suas manibus suis eripi non patitur. Iohan. 10. Et huc mihi uidentur referendæ sanctorum preces, quibus petunt, ut dominus exurgat ad saluandū ipsos. Psal. 3. 35. 44. &c. ¶Quanquam autem soli Stephano hæc uidere licuerit, illum tamen, ut eadem iniquis Iudicibus nunciaret, suo spiritu impulit dominus. Quod magna libertate factum est. Inde uerò intelligere debebant: irritos fore omnes ipsorum aduersus Christum conatus: quando iam in cœlis gloriose regnet, quem ipsi paulò ante infami crucis supplicio extinctum putabant. ¶Generalis autem hinc doctrina desumi debet, qua admoneamur, Christi uires inuictas esse, & perpetuò hunc regnaturum, utut contra illum infelix hic mundus tumultuetur. Illius enim proprium hoc fore olim Dauides prædixit, ut dominetur in medio hostium suorum. Psal. 110.

¶Quid uerò inter hæc Stephani hostes egere? Num uel horum denunciatione moti impios furores remiserunt? Minime gentium. Primò enim uesanis clamoribus uiro sanctißimo obstrepunt, & aures obturant, ne dei uerbum uel inuiti audire cogantur. ¶Est hoc impijs omnibus proprium, quod nihil perinde ut dei uerbum auersantur, nec illud audire uel ferre possunt, cùm nihil ipsorum desyderijs aut conatibus magis contrarium sit. Quare Dauid illos aspidibus confert, quæ aures, ne incantatorum carmina audiant, obturare solent. Psalm. 58. At meretur ista impietas, ut & ipsi aliquando clament, nec audiantur à domino, sicut propheta admonet. Mich. 3. Tandem uerò ultimam & atrocem Christi iudicis sententiam audire cogentur, qua illos cum satana, principe ipsorum, ad æterni ignis cruciatus relegabit. ¶AT non contenti clamoribus obstrepuisse Stephano, de Christi gloria concionanti, ad iniustam uim conuertuntur. Nam unanimi consensu in illum ruunt, & urbe eiectum lapidant. Vbi apparet, quibus argumentis contra ueritatem ab impijs disputetur: Clamoribus nimirum seditiosis, iniusta ui, lapidibus, gladijs, facibus, & quæcunque alia potestatis tenebrarum instrumenta sunt. His olim prophetas oppugnatos fuisse legimus. Iisdem contra Christum disputatum est. Et apostolos similia esse expertos sequens historia docebit. At quia de his non semel nos Christus admonuit, minimè nos offendi decet. Præparemur potius, ne hæc inopinantibus accidant.

II. Stephani hostium rabies incurabilis.

Singulari autem obseruatione dignum est, quòd dum maximè iniusta ui furiunt, iuris tamen speciem obseruare possunt. Nam quia blasphemiæ in deum & falsæ doctrinæ accusarunt, eam pœnā de illo sumunt, quæ blasphemis & seductoribus à deo constituta erat. Leuit. 24. Deut. 13. & 17. Et testes, sicuti in lege præscribebatur, primos lapides iaciunt, quod ut expeditius faciant, uestes deponūt, quas Saulo (qui postea ad Christum conuersus Pauli nomen accepit) custodiendas tradunt. Nihil ergo quoad iuris formulam, desyderare poßis. Et Stephanus iure & legibus pœnas dedisse uideri potest. Sed non semper iure fit, quod iuris speciem refert, & penitius causæ suppliciorum excutiendæ sunt, nisi grauiter offendere uolumus. ¶Interim obserua quantum impijs interdum permittat deus, quorum furoribus suos exerceri, illos autem impietatis mensuram implere uult. ¶Et testium exemplo docemur, quòusque tandem procedat impietas, nisi initijs obstare studeamus. Peccarunt illi falso testimonio, cùm nec dei legem, nec pœnam, quæ falsis testibus constituta est, ignorare possent. Nec illos terret, quòd Solomon falsum testem deo exosum & abominabilem esse pronunciat. Prouerb. 6. Non tamen tam horribile peccatum designauisse contenti sunt: sed ulterius progreßi, sanguine innoxio manus polluunt, cùm nec ea ignorare possent, quæ de iniustis homicidis in lege habentur. Num. 35. Adeò uerum est, quod Solomon impios, cùm in profundum delapsi sunt, nullam rerum rationem habere dicit. Prouerb. 18. Horreamus ergo peccatorum blanda initia, ne dum hæc uerbi diuini odium nobis instillant, tenaci illorum luto detenti, tandem immani impietatis barathro toti absorbeamur. ¶QVAE de Saulo dicuntur, qui in sanctißimi uiri necem consensisse & haud uulgarem ex ea uolu-

Impij iuris speciem seruant.

ptatem hausisse dicitur, sequentis historiæ parasceuen habent, & ad dei gratiam illustrandam faciunt. Sed plura de his suo loco dicentur.

III. Quid Stephanus moriturus egerit.

Restat, ut qualem Stephanus, cùm tam atroci supplicio mulctaretur, sese gesserit, consyderemus: ubi tria de illo dicuntur. Primò dominum inuocauit, quod illum indesinenter fecisse credimus. Et exprimitur orationis summa: Domine Iesu, suscipe spiritum meum. Habet hæc & ueræ fidei confessionem, & ingentis inuictæq; spei argumentum. Nam mortis terroribus undiq; oppugnatus, Christu adhuc saluatorem agnoscit & fatetur, latronis cum Christo crucifixi exemplum imitatus. Adhæc animas ne in morte quidem interire, sed in uitæ melioris conditionem transire, credit, imò nouit, in ipsa morte uitam per fidem in Christum inueniri. Est hæc ingens fidei laus, quod tunc quoq; inuicta manet, & animorum solatium affert, quando omnia alia fallunt. Simul uerò docet Stephani exemplum, cui animas iam morituri cõmendemus. Non utiq; diuis, ut superstitiosi solent. Sed Christo domino, qui ut illas sanguinis sui precio redemit: ita resurrectione sua mortem uicit, & ascensione in cælos subuectus, ibi locum nobis præparauit, in quo ad ipsum colligamur. Iohan. 14. Secundò charitatis speciem edit Stephanus, quæ à fide separari nequit. Nam Christi præceptum & exemplum imitatus, pro hostibus suis orat, ne peccati huius dignas pœnas ab illis exigat deus. Arguit hoc hostium iniquitatem, qui ut salutis publicæ hostem occidunt, qui ultimo uoto testatur, non alium publicæ omnium incolumitatis studiosiorem fuisse. Sed est hæc piorum sors in hoc mundo, qui potißimam suæ infelicitatis causam habet, quòd nec benefactores agnoscere, nec publicæ salutis nocentißimos hostes cauere potest. Discamus autem, uel ingratis digna charitatis officia exhibere, & eorum salutem, qui summa in nos iniquitate peccant, pijs precibus deo commendare. Matth. 5. Nec nos hominum impietate absterreri patiamur: quando nobis ignota sunt dei iudicia, nec facilè cuiuis reuelat dominus, qui nam inter homines incurabiles sunt, ut olim Ieremiæ fecisse legitur. Ierem. 7. 14. 15. Excitemur etiam huius precationis euentu, quam uel unius Sauli conuersio non infrugiferã fuisse, docere potest.

Stephanus obdormit.

Vltimò, Stephanus his dictis obdormiuisse dicitur, quem hostes iam cum sua doctrina extinctum esse sperabant. Frequenter autem dormiendi uocabulo scriptura utitur, de piorum morte loquens. Ita enim mortis conditio exprimitur. Est hæc hominis, ex anima & corpore constantis, resolutio. In hac uerò anima nec extinguitur, nec obdormit, sed transit in uitam æternam, sicuti Christus Iohan. 5. admonet. Vnde non ineptè mors transitus in cœlos dici cõsueuit. Corpus uerò obdormire dicitur, quia terræ mandatũ quasi ad somnum cõponitur, è quo nouißimo die per Christum excitabitur, ut ipsum quoq; cœlestis uitæ gaudia percipiat. Extant paßim de his scripturæ testimonia, & crebrò hæc tractandi occasio incidit: quare nunc breuitati studemus. Stephanum uerò nobis imitandum proponamus, ut è uita migraturi, animabus ad beatorum sedes transmißis, & tandem corporibus quoq; gloriose excitatis, regni cœlorum hæreditate fruamur per Christum Iesum dominum nostrum: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

CAPVT VIII.

HOMILIA LVI.

FActa est autem illo die persecutio magna aduersus ecclesiã, quæ erat Hierosolymis: & omnes dispersi sunt per regiones Iudææ & Samariæ, præter Apostolos. Curauerũt autem unà Stephanum uiri religiosi, feceruntq; planctum magnum super eum. Saulus uerò uastabat ecclesiã, singulas domus inuadens, trahensq; uiros & mulieres, tradebat in custodiam. Illi autem dispersi peragrabant annunciantes uerbum dei.



Iui Stephani indignam necem magna diligentia per Lucam spiritus sanctus describi uoluit, non quidem propter ipsum Stephanũ, modò ut illius nomen iuxta Dauidis oraculum æternæ memoriæ consecraretur, uerumetiam propter nos, quorum institutioni & consolationi historia illa uehemeter seruit. Docemur enim sanctißimi uiri primiq; martyris exemplo,

exemplo, ut nos quoq; extrema quæq; pro Christo & ueritate obire, nec mortis quantumuis diræ periculum subterfugere debeamus, quando Christum uindicem habemus, qui amplißimam nobis mercedem in cœlis reposuit. Rursum magnæ consolationis plenum est, quòd Christi regnum sanctorum cædibus & impiorum tyrannide non euerti, sed potius propagari uidemus. Hoc enim ut sæpe aliàs exemplis declaratum est, ita hoc etiam tempore, quo Stephanus martyrij coronam meruit, factum esse, sequens historia abundè docet: ad cuius expositionem præsenti loco commodè transitum facit Lucas, & tria præmittit, quibus quod modò diximus comprobatur: quæ singula ordine tractabimus.

Primò uniuersalis & sæua persecutio Hierosolymis aduersus ecclesiam excitata fuisse dicitur. Antea quidem multa à sacerdotibus tentata fuisse uidimus: sed apostoli potißimum petiti sunt, & uulgi metu repreßi hostes, minus feruidi fuêre. Nunc uerò ubi aduersus Stephanum rem sibi ex animi sententia succeßisse, nec aliquem in populo motum obortum fuisse uident, belluarum instar, quæ gustato sanguine nouam rabiem concipiunt, truculentiores & audaciores facti, totum ecclesiæ corpus aggredi & oppugnare instituunt. Qua in re tanto furore feruntur, ut breui ecclesia tota dißipetur, & in omnia tum Iudææ tum Samariæ loca dispergantur, qui hucusque Hierosolymis cohabitarant. Prodest uerò hanc primitiuæ ecclesiæ faciem non oscitanter inspicere. In hac enim singula secundum Christi regulam rectißimè instituta fuisse uidimus. Et sæpe illustrem retulerunt uictoriam apostoli, quando uel capti uel in Concilijs causam dicere coacti sunt. Vnde quis summam rerum tranquillitatem pacemq; stabilem, facilè sperare potuisset. Sed ecce, horribiles turbæ quasi momento temporis exurgunt, & unius Stephani morte animati hostes tam immani audacia aduersus totam ecclesiam bellum suscipiunt. Quid ergo nobis hodie sperandum est, quorum ignauia & multiplices defectus seueriorem castigationem merentur? Si enim hæc in uiridi fieri permisit deus, quid fiet in arido? Simul uerò illorum præpostera iudicia locus hic arguit, qui ex temporarijs rerum succeßibus de fide fideiq; doctrina pronunciare solent. Si enim hos audire uelis, sacerdotum causam iustißimam fuisse, ecclesiam uerò primitiuam toto cœlo errauisse, fateberis. Sed altius scrutari conuenit iudiciorũ dei causas, & uidebis è salute nostra esse, ut impiorum furoribus exerceamur, qui interim iniquitatis mensuram implent, & Christo ecclesiæ uindici dignas suæ tyrannidis pœnas tandem exoluunt.

I. Vniuersalis persecutio ecclesiæ.

Cæterum hoc loco cumprimis obseruandum est, quòd reliquis ferè omnibus fuga dilapsis, apostoli in urbe mansisse dicuntur. Atqui illos antea præcipuè infestatos fuisse audiuimus. Quare illos in communi hac tempestate diuino auxilio miraculosè seruatos fuisse oportet. Voluit enim deus in cruenta Hierosolymorum urbe euangelium diutißimè prædicari, ut euidentius eluceret ipsius tum misericordia tum iustitia. Misericordia quidem & bonitas, quòd filij sui sanguine madentibus gratiæ & salutis doctrinam tam diu prædicari passus est. Iustitia uerò, quòd incurabiles & pœnitere nescios horribili excidio deleuit. Interim duo nobis obseruanda ueniunt. Primum, impijs uerbi & ecclesiæ persecutoribus certos limites præscriptos esse, quos ipsis transgredi non licet. Qui enim mari terminum posuit, intra quem uasta illa aquarum moles sese continet, & qui satanam legibus astringit: idem impios frænat, ne pro sua libidine quiduis poßint, aut in quosuis temere grassentur. In hoc autem eximia habetur animorum consolatio, quando impiorum furoribus diuinæ prouidentiæ leges nequaquam perrumpi posse cogitamus. Deinde apostoli exemplum fidelium uerbi & ecclesiæ antistitum nobis exhibent. Quàmuis enim à Christo dictum esse scirent: Quando uos persequuntur in ciuitate aliqua, fugite in aliam: quia tamen certa uocatione astringebantur, & omnes ecclesiæ reliquias corruituras uidebant, si ipsi quoque urbe discederent, extremum potius uitæ periculum subire malunt, quàm ecclesiam turpi fuga deserere. Et sanè diligenti cautione in hac causa ministris opus est. Vt enim non temere damnari debent quotquot fuga sibi consulunt: ita nequaquam putemus, id omnibus quouis loco aut tempore licere. Quòd si ea sit rerum conditio, ut uel solus minister petatur ab hostium tyrannide, uel ipse deseratur ab ijs, qui hactenus ecclesiæ titulum sibipsis uendicarunt, aut certè nulla ex ipsius discessu sequatur ecclesiæ ruina siue dißipatio: nihil obstat, quò minus melioribus temporibus sese reseruet. At qui publicam ecclesiæ causam deserunt, & ab ecclesijs fidei confeßionem firmiter retinentibus discedunt, atq; suo discessu lupis ecclesias dißipandi potestatem faciunt: hi reuera desertores sunt & mercenarij, quos Christus ad lupi conspectum fugere dicit. Iohan. 10. cap. Vtinam uerò hæc diligentius expendissent, qui hodie ecclesias nimis festinanter

Apostoli manent Hierosolymis.

deseruerunt: quos Ambrosij potius exemplum imitari oportebat, qui uel inuito Imperatore basilicas Arianis negare ausus est. Vide epistolam ad Marcellam sororem, quæ trigesima tertia numeratur.

II. Quid Stephano impenderint fideles.

Pergens autem in instituta narratione Lucas, quid Stephano lapidibus obruto in tantis turbis & terroribus fideles, qui in urbe remanserunt, impenderint, docet. Primò autem hos illum curauisse, id est, sepulturæ mandauisse dicit. Est hîc uetustissimus mos, qui & primæ dei sententiæ respondet, qua è terra sumptos in terram redituros pronunciauit: & resurrectionis mysterium continet, dum corpora telluri, ut semina sulcis mandantur, olim nimirum maiori cum honore resuscitanda. Caeterum aliò etiam uiros sanctos respexisse uerisimile est. Nam dum eum honorificè sepeliunt, qui Concilij sententia damnatus erat, non obscurè aduersariorum iniquitatē arguunt, & constantem edunt fidei per Stephanum prædicatæ confessionem. Adhæc se illum piè reuereri testantur, quem tam præclarum Christi organum fuisse uiderant. Nec eorum similes sunt, qui nostro seculo in uerbi ministerio impotentis & temerariæ linguæ habenas laxant, quorum liberiori doctrina aduersarios exacerbatos esse uident: adeoq; à fidis Christi ministris sanguinis iudicium expetunt, & eorum fortitudini insultant, quorum gloriæ & honori studere debebant. Interim quid defunctorum corporibus debeatur hoc exemplo docemur. Sepultura nimirum, quam honorificam esse decet, quando corpora nostra spiritus sancti templa Paulus esse dicit. A sepulturis autem fastum simul & superstitionem abesse conuenit, quibus hodie uariè peccatur. Sunt enim, qui stolidè elati, mortalis suæ conditionis ita obliuiscuntur, ut post mortem quoq; superbire uelint, dum arma & uanæ gloriæ insignia sepulchris affigunt. Sunt rursum, qui uel exequijs & sacrificijs defunctorum peccata expiare satagunt, uel defunctos peculiari quadam Ceremonia canonizare, uel inter diuos referre solent: quorum alterum & ineptum est & exemplo caret, alterum uerò Christi merito derogat, & doctrinæ Christianæ repugnat, quæ credentes ex morte in uitam transire, nec ullis nouis expiationibus indigere tradit. Ioha. 5. Deinde magnum planctum super Stephanum fecerunt. Nec id contra Pauli regulam fit, qui Christianos defunctos gentilitio planctu prosequi uetat. 1. Thess. 4. Non enim ideò dolent, quòd de Stephani conditione incerti sint aut dubij, sed quòd impijs tantum licuisse, & ecclesiā tanto ministro orbatam esse uident, cuius adhuc plurimus in propagando regno Christi usus esse poterat. Nec statim peccant, quos humanitatis sensus & peractæ cum amicis uitæ recordatio ad lachrymas impellit: quando nos non truncos deus fecit, & ἀστόργους passim scriptura damnat. Ita Abrahamus Saram coniugem, Ioseph cum fratribus Iacobum patrem, Israelitæ Aaronem, Mosen & Samuelem pio officio defleuisse leguntur. Quid quòd Christus Lazarum suum, cùm sorores mœrentes uideret, lachrymis prosecutus est? Iohan. 11. Modus uerò adhiberi debet, ne uel defunctis cœlestem felicitatē inuidere, uel de huius hæreditate dubij & in fide parum firmi esse, censeri poßimus.

III. Saulus singulare tyrannidis exemplum.

Vltimò singulare tyranndis aduersus ecclesiam institutæ, exemplum in Saulo Lucas proponit, in quo primùm immanis tyranni crudelitas, deinde irritus tanti instituti euentus consyderari debent. Atqui de Saulo antea dictum est, quòd & consenserit in necem Stephani, & lapidantium uestes custodierit: quibus significatur illum innoxij sanguinis reum factum fuisse. Nunc uerò uniuersalis persecutionis tyrannide exaturari nequit, sed peculiare quid instituit, & totam quidem ecclesiam funditus extirpare conatur. Nec eos tantum oppugnat, qui ipsi fidem profitebantur publicè, sed domos priuatas inuadit, & non uiros modò, uerumetiam mulieres (quas sexus infirmitas defendere poterat) protrahit & carceribus includit: ut non ineptè Iacobi oraculum de lupo è Beniamin proditurо quidam in Saulum referri debere putarint. Genes. 49. Reuera enim lupus rapax fuit, qui tandem conuersus spolia salutifera euangelicæ prædicationis per totum ferè terrarum orbem distribuit. Et quæ hîc de illo Lucas commemorat, ipse non semel fatetur, imò sæpius de ijsdem cōqueritur. Vide Acto. 26. 1. Cor. 15. Gal. 1. Vsus uerò omnium est, ut dei bonitatem agnoscamus, qua tantum hostem in gratiam recipere dignatus est. Nā ut ipse interpretatur, in illo primo Iesus Christus omnem clementiam ostendere uoluit, ad exprimendum exemplar ijs, qui credituri essent in ipso in uitā æternam. 1. Tim. 1. Quid uerò tantus Sauli conatus profecit? Num ecclesiam uastare potuit? Nihil minus. Imò author fuit, ut hinc inde dispersi credentes uerbum salutis & Christi regnum latius propagarent. Ita deus per ea filij sui gloriam illustrare nouit, quæ huic cumprimis officere uidebantur.

Qui

Quò etiam referri potest, quòd in euangelio dæmones uel inuiti eos Christo adduxêre, & coram illo prostrauêre, quos totos in suam potestatem redactos esse putabant. Ridiculus ergo illorum timor est, qui tyrannorum conatibus sese absterreri patiuntur. Interim officij admonemur, ne persecutionibus fracti, stationem deseramus illicò. Quod hodie multi faciũt, qui ubi semel & iterum periclitati sunt, ipsi sibi ferias indicunt, quasi erga Christum omni officio plenißimè defuncti sint. Rectius autem hi faciunt, quorum hîc Lucas meminit: qui Hierosolymis pulsi, exilio demum feruentiores facti, Christũ paßim prædicant: nimirum eius memores, quòd salui fore dicuntur, non qui bene cœperint, sed qui in finem usq; perseuerarint. Matth. 24. Imitemur ergo horum zelum, ut uitæ huius curriculum constanti studio emensi, cœlestis brauij coronam assequamur in Christo Iesu: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA LVII.

Philippus autem cùm uenisset in urbem Samariæ, prædicauit illis Christum. Attendebant autem turbæ unanimiter his quæ dicebantur à Philippo, cùm audirẽt & uiderent signa, quæ edebat. Nam cùm multos immundi spiritus detinerent, clamantes uoce magna exibant. Multi itẽ paralytici & claudi sanati sunt. Et factum est gaudium magnum in illa ciuitate. Vir autem quidam, nomine Simon, prius in urbe fuerat, artem magicam exercens & dementans gentem Samariæ, dicens se esse aliquẽ magnum: cui adhærebant omnes à paruo usq; ad magnũ, dicentes: Hîc est magna illa uirtus dei. Adhærebant autem ei, eò quòd multo tempore magicis ipsius artibus dementati fuissent.

QVamuis Christi regnum & ecclesia perpetuis mundi impij conatibus oppugnari soleat, expugnari tamen non potest, eò quòd æterna & inuicta sit oraculorum & promißionum dei ueritas, qui Christo filio suo regnum æternum destinauit. Id uerò multis exemplis hucusq; illustratum fuisse uidimus. Sæpe enim in Senatu & Concilio acerrimè concertatũ est cum apostolis: semper autem uictrix discessit Veritas. Tandem lapidatus fuit Stephanus, eoq; successu ferociores facti hostes, extremos conatus proferunt, inter quos Sauli rabies maximè elucet. Sed adeò non extinguitur inter furores hosce Christi regnum, ut potius in Iudæam omnem, adeoq; in Samariam usq; extendatur, quod hucusq; nimium angustis Hierosolymorum mœnijs inclusum uideri poterat. Hinc uerò occasione sumpta, Lucas diligentius narrat, quo successu extra Iudæam euangelium prædicari cœperit. Et primùm de Samariæ conuersione, quam prophetarum oraculis prædictã fuisse legimus, agit: in cuius historia eò maiori studio nobis uersandum est, quòd multum nostræ tum consolationi tum institutioni seruire possunt, quæ in hac diligentißimè descripta proponuntur.

Primò, cuius ministerio deus in conuertenda Samaria usus sit, docet. Fuit is Philippus, non quidem apostolus, sed qui supra inter Diaconos numeratus fuit, quemadmodum unanimi consensu ueteres ecclesiæ scriptores testantur, Epiphanius maximè de Simone & Simoniacis scribens. Licet enim diaconorum partes essent, communium ecclesiæ opum & pauperum curam gerere, simul tamen illis permissum erat euangelij prædicationem suscipere, si quando necessitas ita postularet, quod in Stephani exemplo hucusq; uidimus. Et fortaßis non adeò magnus diaconorum usus erat Hierosolymæ, cùm ecclesia persecutionis tempestate dispersa esset: & ideò ad uerbi ministerium se totos contulerunt, qui prius publica ecclesiæ bona dispensabant. Sed & Paulus postea monuit, ut diaconi bene ministrando gradum sibi ad maiorem functionem acquirant. 1. Timoth. 3. Duo autem Philippus Samariæ fecisse dicitur. Primò Christum illis prædicauit. Et quod hîc breuiusculè proponit Lucas, idipsum infra clarius exponit, ubi illum mysteria regni dei & nominis Iesu Christi prædicauisse dicit. In præsenti autem solius Christi meminit, eò quòd huius nomine euangelium totum comprehenditur. Huius enim partes ipse Christus constituit, pœnitentiam & remißionem peccatorum. At utranq; Christus Iesus confert, sicuti supra Petrus disertè monuit. Acto. 5. Solus enim hic regenerationis spiritum donat & corruptæ naturæ succurrit. Idem etiam solus peccata remittit, & illa sangui-

I. Philippus Samariæ apostolus.

nis sui precio expiauit. Quare qui Christum prædicat, idem pœnitentiam ueram & peccatorum remissionem necessariò prædicabit. Et est hæc infallibilis nota, qua ueri euangelistæ à falsis discerni possunt. Quicunq; enim Christum Iesum in carnem uenisse docent, & ea peregisse, quæ corrigendæ simul & saluandæ humanæ naturæ necessaria erant, pro ueris Christi ministris agnosci debent. 1. Iohan. 4. Quisquis uerò hæc alibi, quàm in Christo, monstrauerit, & noua finxerit salutis acquirendæ media, falsus doctor dicetur, etiamsi angelus de cœlo fuerit. Galat. 1. Ideò Paulus se solũ Iesum Christum nouisse, & in illius duntaxat cruce gloriari, ingenuè testatur. 1. Corinth. 2. Galat. 6. Prædicationi uerò signa accessêre, quæ per Philippum iuxta Christi promissiones edita sunt. Nam & spiritus immundos ab hominibus expulit, & paralyticos, quorum iam desperata salus erat, curauit. Nec superuacanea fuit hæc spiritus Christi operatio. Licet enim per uerbũ omnia ea nobis offerantur, quæ saluti seruiunt, animos tamen nostros ingenito quodam ueterno aggrauatos externis signis excitari, & ad uerbum excipiendum præparari necesse est. Præterea, cùm multa extrinsecus accidant, quibus fides nostra tentatur, uehementer prodest, eam externis quoque signis fulciri. Interim eiusmodi ferè signa per apostolos edita fuisse legimus, quæ beneficiorum Christi nos admonere possunt. Is enim diaboli uires attriuit, regnum illius euertit, & nos ex eius tyrannide fortiter asseruit. Idem corruptæ naturæ uires instaurauit, ut qui ex nobis ipsis nulli rei bonæ exequendæ sufficimus, in illo possimus omnia. 2. Corinth. 3. Philip. 4. Et sine illo nos nihil posse, ipse in euangelio testatur. Iohan. 15. Cæterum obseruatione dignissimum est, quòd immundi spiritus non sine clamore emigrauisse dicuntur. Idem alibi quoq; illos fecisse constat. Nam apud Christum, se ante tempus eijci queruntur, & miserè laniatos relinquunt eos, ex quibus inuiti discedunt. Hæc uerò satanæ ingenium nobis ob oculos ponunt, perdendis hominibus per omnia addictum. Vt enim ab initio homicida fuit, ita nũquam non rugientis leonis instar obambulat, & quærit quem deuoret. Iohan. 8. 1. Pet. 5. Quæ causa est, quòd inuitus eos deserit, quorum animos semel occupauit. Imò eiectus etiam, denuò sese insinuare & amissam possessionem recuperare studet, ut Christus in Euangelio monuit. Matth. 12. Hæc uerò ut nos ad ardens pugnandi studium excitant, ne tam noxij hostis dolo circumuenti, salutis iacturam faciamus: ita Christi potentiam nobis declarant, qui diabolum quantumuis renitentem & inuitum, suo spiritu & uerbo tam facilè expellit.

Miracula per Philippum edita.

II. Samaritani euangeliũ amplectuntur.

Videamus autem, ut Samaritani Iesum Christum, quem Philippus prædicabat, exceperint. Attendebant (inquit Lucas) turbæ unanimiter his, quæ dicebantur, à Philippo, cùm audirent, & uiderent signa quæ edebat. Et paulò post: Factum est gaudium magnum in illa ciuitate. His autem duo præcipuè comprehendit euangelista. Primò illos Christum recepisse, & quo ordine ad huius cognitionem fidemq; peruenerint, docet. Deinde studij fideiq; huius fructum indicat. Ad prius pertinet, quòd illos Philippi conciones audiuisse, miracula item uidisse, omnibus uerò hisce animos applicuisse & attendisse, dicit. Ex hoc itaq; studio fides enata est, quam (ut infra audiemus) baptismo obsignarunt. Nobis uerò in his ordo salutis considerandus uenit. Nam licet unicum huius authorem deum esse agnoscamus, qui pro suo arbitrio in hominibus operatur, plerunq; tamen legitimo & certo ordine ac modo ad salutem nos perducere consueuit. In hoc primus locus uerbi studio debetur. Quia enim per hoc salutem nobis deus offert, adeoq; (ut Dauides inquit, Psal. 107.) misso uerbo suo sanat nos, illud à nobis negligi non potest, siquidem saluari uolumus. At quia audiuisse non satis est (cùm illud interdum impij & ipsi dæmones faciant) animos permoueri & excitari oportet. Fit hoc partim externis rebus, ut hîc per signa: partim interna spiritus sancti suggestione, quæ nisi accedat, nihil uel externa uerbi prædicatione uel lectione proficietur, sicuti diligenter & ingenuè Paulus docuit. 1. Corinth. 3. Cæterũ quãdo uerbum suum nobis deus reuelat, & mentes nostras tum externis rebus, tum spiritus sui suggestione extimulat, à nobis attentionẽ & studium ardens requirit: ne uel patula mente infernales aues admittamus, quæ semen deuorent, uel illud inter spinas suffocari, aut etiam à prauissimis affectibus conculcari patiamur. De qua re fideliter Christus admonuit, Luc. 8. & Matth. 13. Quicunq; ergo hoc ordine in salutis negotio procedunt, quod hîc Samaritanos fecisse legimus, magnum breui profectum sentiunt. Hæc uerò si ad nostros mores transferas, quid illis responderi debeat, uidebis, quibus mirum & insolens uidetur, quòd rarissimi ex uerbi prædicatione, ut par erat, proficiant. Quotus enim quisq; est, qui non in ipso limine (quod aiunt) impingat? Rari in templis

Ordo salutis assequendæ.

uerbi auditores conspiciuntur, & egregiè se pietatis officio functos putant, qui dominicis diebus concionem sacram audiunt. Rariores tamen sunt, qui attentis animis & discendi cupidis audiant. Rarissimi uerò, qui quod audiuerunt, sedulò meditentur. Interim dominantur passim improbissimi carnis affectus, qui nos in cæca mundi studia transuersos abripiunt. Quid ergo hic fiat aliud, quàm quod in agro sentibus & silicibus obsito, si nulla culturæ diligentia accedat, fieri consueuit? Excutiamus noxiam hanc animorum oscitantiam, & Samaritanos imitemur, nec deerit fructus, quem hos breui assecutos fuisse, Lucas docet.

Dicit enim: Factum est gaudium magnum in illa ciuitate. Est hic fidei fructus, qui ex sensu reconciliati nobis dei enasci consueuit. Vt enim irati dei uultus animos scelerum conscientia perterritos, horribili metu et solicitudine diuexat: ita euangelij doctrina, quæ credentibus deum in filio suo Iesu Christo reconciliatum esse docet: noua & mira lætitia mentes perfundit. Ideo angeli, quando Christi natiuitatem pastoribus nuntiant, se illis gaudium ingens prædicare dicunt. Luc. 2. Et Simeon senex, huius gaudij sensu abreptus, dimitti, & corporis huius carcere liberari cupit. Paulus item Christianos perpetuò gaudere iubet, eò quòd gaudium hoc nullis quantumuis aduersæ fortunæ casibus restingui potest, cum in afflictionibus quoq; pij gloriari soleant, ut supra in apostolis uidimus, qui eo nomine gaudent, quòd digni habiti sint, qui propter Christi nomen uirgis cæderentur. Impij ergo & ingratissimi hominum sunt, qui euangelium infortuniorum & publicarum calamitatũ causam esse dicunt, cum has propter hominum peccata & inobedientiam immitti constet. Sed illorum similes sunt, qui Ieremiæ hoc unum obijciebant, quòd omnis generis ærumnas sensissent ab eo tẽpore quo ipse prædicare cœperat. Vide Iere. 44. — *Fructus euangelij & fidei.*

Porrò, ut ad Lucam reuertamur, feliciter succedente apud Samaritanos Christi regno, ingens remora obijcitur: Simon Magus nimirum, qui longo tempore in ea ciuitate dominatus fuerat, & infelices magicis artibus dementarat. Voluit hunc cum Philippo & apostolis committi deus, partim ut sciremus semper in ecclesia hypocritas fore, quorum leuitate & perfidia nemo offendi debeat: partim uerò, ut euidenti & infallibili argumento omnibus notum fieret, per apostolos non magicis artibus, sed diuina uirtute, miracula edi, quando ab his celeberrimus Magus gloriosa uictoria superatus, maiorem in ipsis uirtutem agnouit, quam pecunia redimi posse putauit. Eadem ratione cum Mose etiam Aegyptiacos Magos congredi uoluit deus. Hic uerò singulas personas diligentius inspicere prodest. — *III. Euãgelico cursui remora obijcitur Simon Magus.*

Et primò quidem Philippus haud uulgare fortitudinis fidei exemplũ nobis exhibet. Erat enim ingens sanioris doctrinæ remora Simon hic, quando error Samaritanorum tum uetustate, tum superstitione confirmatus erat. Nam non diuina modò uirtute Simonem instructum, sed hunc ipsam dei uirtutem esse credebãt. At nec magicorum incantamentorum præstigijs, nec stolidi populi pertinaci errore Philippus absterretur: quin potius Christi præceptum respicit, qui in Samaria quoq; euangelium prædicare iusserat. Hunc animum imitentur, quicunq; munus aliquod diuinitus sibi commissum esse uident, siue illi publicæ siue priuatæ personæ fuerint. Nec enim leuibus terriculamentis eos impediri decet, qui Christo nomen dederunt, cuius potentiam inuictam esse tot tantisq; argumentis probatum est. Cogitemus fortiorem & maiorem esse eum, qui in nobis agit, quàm qui in mundo temere ferocire solet. 1. Ioban. 4. — *Philippus fortitudinis Christianæ exemplum.*

Simon autem memorabile impostoris exemplum est, quem non ineptè cum Balaamo pseudopropheta conferre possis. Dicitur is longo tempore infelicem Samariæ populum dementauisse. Nam magia instructus stupenda opera edebat, & diuinos sibi uendicabat honores, cum seipsum quidem nõ modò magnam dei uirtutem, uerumetiam deum patrem & filium (ut Epiphanius, diligentissimus ueterum hæreseon indagator, memoriæ prodidit) scortillum uero Helenam, spiritum sanctum esse diceret. Huius autem exemplo admonemur, posse aliquid per suos ministros diabolum, non quidem propria & libera potestate, sed dei permissione. Hac enim factum uidemus, quòd Aegyptiorum Magi quædam Mosis miracula non omnino infeliciter imitati sunt. Et malefica, Saule tyranno postulante, Samuelis imaginem è sepulchro excitauisse uisa est. 1. Sam. 28. Quibus meritò adnumerari debent oracula olim apud Delphos aut Pythios edita, quàmuis ea plerunq; ambigua & ancipitis significationis fuerint. Eiusdem generis sunt, quæ de imaginibus traduntur, quarum aliæ qui- — *Simon Magus. Euseb. lib. 2. cap. 13. Ireneus lib. 1. cap. 20.*

dem locutæ sunt, aliæ è sedibus suis migrauerunt, infinitæ autem aliæ uarijs miraculis olim celebres fuêre: ut interim de ijs nihil dicam, quæ sub Antichristi regno euenerunt, sicuti olim Christus & apostoli prædixerunt. Permittit autem hæc iusto iudicio deus: partim quidem propter impios, qui decipi merentur, cum ueritatem amplecti nolint, ut Pharaonis & Saulis exempla non obscurè docent: partim uerò propter electos, quorum fidem ita probari oportet, ut nudo dei uerbo adhærere discant, nec aliquid contra illud admittant, utcunque authoritatem summam mereri uideatur. Et huius quidem ipse dominus nos admonet, quãdo in lege pseudoprophetis credere uetat, etiamsi doctrinam suam miraculis confirmauerint. Nam tentat uos (inquit Moses) dominus deus uester, num diligatis dominum deum uestrum in toto corde uestro, &c. Deut. 13. Frustra ergo miracula nobis obijciunt, qui diuersa à dei uerbo obtrudere conantur. Vide 2. Thess. 2. Matth. 24.

Impostorum nota. *Simul uerò euidens impostorum nota, ex qua illi agnosci possint, in Simone proponitur. Diuinos enim sibi honores uendicat, quod imprimis affectat satan, ut suo honore deum spoliet. Qua in re à bonis angelis longè differt, qui honores ab hominibus sponte oblatos respuunt, & ad unum deum relegant. Vide Apocal. 19. & 22. Et fideles dei serui, cum ingenitæ corruptionis probè memores sint, à sacrilega diuini honoris ambitione alienißimi, in unum deum referre solent quicquid ab ipsis recti & laude dignum fit. Exemplum eius supra in Iohanne & Petro uidimus, simile infra in Paulo etiam uisuri. Acto. 14. Procul ergo facessant & ut impijßimi impostores explodantur, quicunque uel minimam diuini honoris portionem sibi uendicare audent. Nec enim fidelis seruus esse potest, quisquis herilis gloriæ splendorem in se transferre uoluerit, &c.*

Mundi leuitas. *Postremò in Samaritanis leuitatis uulgi exemplum habemus, quando impostori impurißimo se decipiendos & seducendos præbent. Est hoc proprium mundo, quòd deceptoribus gaudet, & nouorum dolorum fabricatoribus mirificè delectatur. Quòd si uerò uel leuißima emolumenti spes accedat, mox furere senties, quos ab unius dei uerbo dependere oportebat. Exempla huius insaniæ nobis hodie præbent, qui ariolos & diuinos sequuntur, ut ab illis res amissas recipiant, uel quis illas abstulerit, resciscant. Quibus deteriores sunt, qui incantationibus et conceptorum uerborum murmure morbos depelli putant, & eos sumptuosa superstitione conducunt, qui id genus ueneficij profitentur. Laudem uerò meretur Samaritanorũ obedientia, quam meliora edocti, Christo præstiterunt. Hanc nos imitari decet, nec curiosis artibus operam nauare, quas iam olim dei sententia damnatas esse constat. Vide Exod. 22. Leuit. 20. Deute. 18. Mich. 5. Christum Iesum doctorem & saluatorem destinauit deus pater. Hunc nos audire & illius iussa capessere conuenit. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.*

HOMILIA LVIII.

Porrò cum credidissent Philippo euangelizanti de regno dei, & de nomine Iesu Christi, baptizati sunt, uiri simul & mulieres. Sed & ipse quoque Simon credidit, & baptizatus adhærebat Philippo, uidensque uirtutes & signa, quæ fiebant, obstupebat. Cum autem audiuissent apostoli, qui erant Hierosolymis, quòd Samaria recepisset uerbum dei, miserunt ad eos Petrum & Iohannem. Qui cum descendissent, orauerunt pro eis, ut reciperent spiritum sanctum. Nondũ enim super quenquam illorum illapsus fuerat: sed baptizati tantum fuerant in nomine Christi Iesu. Tunc imposuerunt manus super illos, & receperunt spiritum sanctum.

QVoniam Saluatoris nostri Iesu Christi regnum per totum terrarum orbem extendi debuit, euangelium quoque, cuius doctrina homines Christo adducuntur, in omnibus gentibus prædicari necesse fuit. Cuius rei mandatum ab ipso Christo, iam cœlos conscensuro, apostolos accepisse uidimus. Occasionem autem huic negotio exequendo immanis persecutio præbuit, quam Hierosolymis excitatam fuisse, Lucas docuit. Cum enim ante hanc apostolorum conciones in sola Hierosolymorum urbe sonarent, inde dispersi, alijs quoque in locis prædicare cœperunt fideles Christi ministri,

& eo successu usi sunt, ut breui temporis spacio Philippus, Samariam ingressus, illius urbis populum, quem Magicis artibus antea Simon dementauerat, assidua euangelij prædicatione Christo lucrifaceret. Neglectis enim Magicis præstigijs, uni Christo aures præbere & credere cœperunt. Quã feliciter autem hoc ab illis cœptum sit, præsens locus perspicuè docet, qui pleniorem illius ecclesiæ constitutionem, & amplissimos illorum hominum in fide & reliquis spiritualibus donis progressus diligentissimè exponit.

Primò autem, ut in unum ecclesiæ corpus publicè coaluerint, ostenditur, cum dicit: Porrò cum credidissent Philippo, euãgelizanti de regno dei, et de nomine Iesu Christi, baptizati sunt, uiri simul & mulieres. Præcipuus ergo hic locus fidei tribuitur, quam Philippo euangelizanti adhibuerunt, & ita quidem, ut illius doctrinam nulla maiori authoritate confirmandam putarent, quàm quæ in miraculis, per ipsum editis, elucebat. Per fidem ergo ecclesias ritè coalescere & interno uinculo firmissimè constringi discimus. Hæc enim sola nos Christo Iesu inserit, & in illo eiusdem corporis membra facit, sicuti Paulus multis in locis testatur. Vnde rursum non obscurè colligimus, ecclesiam dei esse non posse, ubi fide in Christum destituuntur homines: quia tales diuersissimis studijs & maximè contrarijs sensibus distrahi oportet. Admonemur autem Samaritanorum exemplo, uerbo dei, quod per homines prædicatur, credendum esse, nec illud ad humanæ rationis calculum reuocari debere, ut noua illi aliunde accedat authoritas. Nam ut scripturas sacras diuinitus inspiratas esse Paulus testatur: ita uerbi ministerium à Christo in ecclesia institutum esse, idem disertè monet. Ephes. 4. Quisquis ergo ministris, Christi uocem & uerba afferentibus, crediderit, is non hominibus, sed Christo credidisse dicetur. Ad omnes enim hos uox illa Christi pertinet: Qui uos audit, me audit. Et qui recipit quem ego misero, me recipit. Luc. 10. Iohan. 13. Quare Paulus Thessalonicenses hoc nomine laudandos putat, quòd ipsius doctrinam, non ut hominis sermonem, sed ut uocem angeli receperint. 1. Thessal. 2. cap. Et eandem laudem Samaritani merentur, & quotquot alij horum exemplo euangelio credere consueuerunt.

I. Ecclesiæ Samaritanæ pub. constitutio.

Porrò internæ coniunctioni, quæ fide constat, externum quoq; communionis uinculum accedit. Omnes enim simul, tam uiros quàm mulieres, in nomen Iesu Christi baptizatos fuisse dicitur. Vt enim suos è mundo selegit Christus, Iohan. 15. ita eosdem à mundo separatos & sibi soli consecratos esse uult. In quem finem ingenuam ab ipsis fidei confessionem requirit, & sacramentis instruit, quibus à reliquis discernantur. Licet enim sacramenta beneficiorum Christi & diuinæ gratiæ non uulgaria symbola & sigilla sint, hic tamen non exiguus illorum quoq; usus est, quod dei populum à mundo secernunt, & externo communionis Christianæ uinculo constringunt. Quæ causa est, quòd Petrus supra, ubi baptizari uoluit credentes, mox etiam admonet, ut à generatione praua Iudæorum sese conseruent. Et Paulus simili argumento indignum esse docet, ut idolorum sacris communicent, qui dominicæ mensæ consortes facti sunt. Arguitur hic obiter illorum error, qui fidei confessionem inter indifferentia numerant, nec aliqua exteriori nota fideles à mundo discernendos esse arbitrantur.

Baptismus externũ ecclesiæ uinculum.

Simul etiam Anabaptistarum delirium hic excutiendum est, qui hoc loco & similibus, ubi fidem baptismo priorem fuisse uident, paruulorum baptismum damnari contendunt. Atqui hic de adultis sermo est, qui hactenus à dei populo prorsus alieni fuerunt: quos absq; fidei confessione in ecclesiæ & sacramentorum communionem recipere nefas fuisset, ne canibus & porcis margaritas proiecisse uiderentur. Longè alia uerò infantium ratio est, qui cum ex Christianis parentibus progeniti sint, ad dei regnum non ambiguo iure pertinent. In fœdere enim deus, se seminis quoq; nostri deum fore pollicetur. Gen. 17. Et Christus regnum cœlorum ad pueros pertinere, & eosdem fidem habere, palàm testatur. Matth. 19. & 18. Quid, quòd Paulus eos liberos, qui ex alterutro tantum parente Christiano enati sunt, sanctos esse dicit? 1. Corinth. 7.

Contra Anabaptistas.

Porrò ad Simonem redit Lucas, ut quid ille fecerit intelligamus, ubi populum abs se deficere, & Christo certatim nomina dare uidit. Et primò quidem illum credidisse dicit. Id non de mera simulatione mihi exponendum esse uidetur. Nam animum eius aliquo fidei sensu tactum & perculsum fuisse, inde patet, quòd indiuulsus Philippo comes factus, uisis miraculis & eximijs spiritus sancti operibus, obstupuit. Quia tamen seipsum abnegare & carni renunciare non studuit, quod uerũ Chri-

II. Simon credit et baptizatur.

stianismi initium est, fides hæc πρόσκαιρος fuit (sicuti Christus illam uocat, Mar. 5.) & proinde in tentationis æstu non potuit subsistere. Admiranda autem hic elucet Christi Iesu potentia, qui tam grauem remoram, quæ euangelico cursui per Simonem obiecta uidebatur, tam facilè tollit: & improbum præstigiatorem, satanicis artibus instructissimum, ita subiugat, ut Philippo, peregrino & ignobili homini, addictus hæreat, qui paulò ante se magnam dei potentiam esse dixerat. Eodem pertinet, quòd alibi absque negotio ipsum satanam expellit, ut planè constet ipsum satanæ uictorem & fortissimum humani generis uindicem esse. Adhæc euangelij hæc maxima laus est, cuius simplici prædicatione, uersuta & subdola cum mundi tum diaboli sapientia nimium ridiculè confunditur. Vide 1. Corinth. 1. Deinde baptizatur quoque Simon, & assiduè Philippo adhæret. Cuius studij non postrema causa fuisse uidetur, quòd se quoque simili edendorum miraculorum facultate instrui cupiuit, ut sequentia docebunt. Hic uerò admonemur, semper in ecclesia falsos fratres fore, qui aut fidem falsò simulent, aut momentanea tantum præditi denuò deficiant. Verriculo enim confertur euangelium, quo tam mali quàm boni pisces trahuntur. Neminem igitur offendat, si quando sibi à similibus imponi sentiat: quando Christum in suo comitatu Iudam habuisse legimus, & Paulus non uerò de falsis fratribus conqueritur. Nimium enim inepti & impatientes sunt, qui ab uno et altero decepti, omnes promiscuè fastidiunt, nec aliquem ueri Christiani aut fratris nomine dignantur. Præterea docemur Simonis exemplo, dei gratiam Sacramentis minimè alligatam esse, quando signum gratiæ sine fructu Simon accipit. Et Paulus, licet ueteres ijsdem nobiscum Sacramentis usos fuisse fateatur, eos tamen deo minimè placuisse dicit, quia fide caruerint. Nec Iudæ profuit, quòd mensæ dominicæ accumbens, de manu domini panem sumpsit. Sola ergo fides est, quæ & Christo nos inserit, & donorum dei consortes facit, quæ per Sacramenta repræsentari & adumbrari solent.

III. Fidei progressus et incrementa spiritus san.

Quia autem in Hierosolymitana ecclesia admirabiles spiritus sancti effectus floruisse, supra uidimus, Lucas apud Samaritanos quoque eandem spiritus efficaciam fuisse docet, ne quis gentium ecclesias Iudaicis inferiores putaret. Dona autem hæc per apostolos administrata fuisse scribit: quod ideo factum est, ut fortius coalesceret inter populos totis animis antehac disiunctos, ecclesiæ unitas. Quanta enim animorum dissensio inter Iudæos & Samaritanos fuerit, ex Iohan. 4. cap. & aliunde patet. Et Iudæi nimium arroganti præiudicio reliquas gentes fastidire solebant. Non temere igitur apostolorum ministerio hic quoque deus uti uoluit: ut clarissimè constaret, unam & eandem esse apud omnes ecclesias Christi fidem, et uno eodemque spiritu fideles omnes animari, adeoque nullum in Christo gentis discrimen esse. Rom. 10. Galat. 3. Coloss. 3.

Apostoli Samaritanis spiritū sanctum conferunt.

Dicit autem Lucas, ab Hierosolymis Petrum & Iohannem missos fuisse, qui Samariam profecti, pro ijs qui Christo nomen dederant, orauerint, ut etiam ipsis spiritus sanctus conferretur. Causa uerò huius instituti assignatur, eò quòd super neminem adhuc spiritus sanctus incidisset, sed in Christi tantummodo nomine essent baptizati. Qui locus non ita accipi debet, quasi spiritu sancto in uniuersum caruerint Samaritani fideles. Quia enim fidem habuerunt, quæ spiritus donum atque effectus est, & baptismo non indignè Christo initiati fuerunt, ijs omnino carere non potuerunt, quæ per hunc nobis obsignantur Christi beneficia. Sunt hæc peccatorum ablutio, regeneratio, mortificatio ueteris hominis, adoptio item in filiorum dei numerum. At hæc non aliunde quàm ex spiritus operatione nobis contingere, omnis scriptura testatur. Et sunt hæc uulgaria spiritus sancti dona, sine quibus nemo Christianus uerè dici poterit. Quare his Samaritanos caruisse, uerisimile non est. Spiritus autem nomine hoc loco excellentiora illa dona significantur, quibus uetus ecclesia floruit, quæque uisibili modo credentibus conferebantur, ut apostolos in Pentecoste spiritu sancto repentè donatos fuisse, supra uidimus. Potest id exemplis probari, ijs maximè, quæ alibi de Cornelij familiarib. & Ephesijs quibusdam leguntur, super quos uisibili specie spiritus incidit, cum ab apostolis baptizarentur. Acto. 10. & 19. Hæc tam luculenta spiritus dona primitiuæ ecclesiæ, tam Samariæ quàm alibi conferri necesse fuit, ut maiori felicitate Christi regnum propagaretur. Hodie uerò, licet hæc maxima ex parte cessarint, is tamen inde ad nos fructus redit, quòd spiritum sanctum ecclesiæ Christi præsidem & gubernatorem esse discimus, sicuti ille pollicitus est. Iohan. 14.

Apostolorum industria & modestia.

Nobis autem apostolorum industria hoc loco consyderanda uenit. Vt primùm enim Samaritæ Philippum in opere domini laborare audiunt, è suis mittunt etiam non rogati, qui laboranti operam ferant.

ferant. Nec aliqua apparet stolidæ ambitionis species. Nam Petrum & Iohannem mittunt, quorum opera huc usq; præ alijs conspicua fuerat. Et illi se ab alijs mitti patiuntur, nec superbè sibi solis legatos à latere mittendi potestatem usurpant. Philippus uerò ad se uenientes non ambitiosè reijcit, ut qui in alienam messem falces mittere, & ipsum aliqua gloriæ et honoris parte spoliare uelint. Sed humaniter illis quoq; in ea ecclesia locum concedit, cuius fundamentum ipse primus iecerat. Vnde docemur, animorum coniunctionem & operas mutuas in Christi regno propagando cumprimis requiri. At quia his inter ambitiosos locus nullus est, humilitatis non temere Christus suos toties admonet. Quibus studijs si hodie intenti essent, qui ecclesijs præsunt, maiori certè profectu commissas sibi prouincias administrarent.

Cæterum quoad ritum & ordinem, non alia ceremonia, quàm manuum impositione, quæ à Christo tradita fuerat, utuntur, ne quis sibi aliquid mutandi potestatem temere arrogaret. Preces autem præmittunt, ne quis spiritum sanctum externæ ceremoniæ alligatum putaret, sed hunc diuinitus conferri, & precibus à deo impetrari, omnes intelligerent. Nec defuit felix rei euentus. Scimus ex hoc loco Confirmationis sacramentum Papistas inuexisse: sed tam ridiculum est horum commentum, tamq; manifesta temeritas, ut multis refutari non mereatur. Nostrum erit Samaritanorum exemplo fidei unitati studere, ut ipsi quoq; feliciter coalescamus in Christo Iesu, capite & saluatore nostro: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas. Amen.

Manuum impositioni preces iunguntur.

Confirmatio Pontificiorum

HOMILIA LIX.

Cum uidisset autem Simon, quòd per impositionem manuum apostolorum daretur spiritus sanctus, obtulit illis pecunias dicens: Date & mihi potestatem hanc, ut cuicunq; imposuero manus, accipiat spiritum sanctum. Petrus autem illi dixit: Pecunia tua tecum sit in perditionem: quia donum dei existimauisti pecunijs parari. Non est tibi pars neque sors in ratione hac. Cor enim tuũ non est rectum coram deo. Resipisce igitur ab hac tua malitia, & ora deum, si fortè remittatur tibi cogitatio cordis tui. Nam in felle amaritudinis & colligatione iniquitatis uideo te esse. Respondens autem Simon dixit: Orate uos pro me apud dominum, ne quid eorum, quæ dixistis, mihi eueniat.

Diuus Lucas communi scripturarum more, non modò felices primitiuæ ecclesiæ progressus, & illustria uerè fidelium exempla describit: uerumetiam pseudochristianorum et hypocritarum mores unà cum uitijs, quæ illi in ecclesiam inuexerunt, commemorat. Ita superius Ananiæ historiã, & obortum in ecclesia murmur exposuit. Et eadem ratione nunc horribile Simonis exemplum narrat, qui sacrilega ambitione & auaritia fidei professionem contaminauit. Vsus omnium horum est, ut intelligamus, semper in ecclesia hypocritas fore, qui grauissimorum offendiculorum authores sint: quibus tamen fideles non ita offendi debent, ut uel omnes promiscuè damnandos esse censeant, uel ab ecclesia secessionem faciant, quod ab Anabaptistis nostro seculo factum fuisse uidimus. Diligenter uerò præsens locus inspici meretur, qui primò quidem Simonis peccatum, deinde acerrimam increpationem, qua contra illum Petrus inuectus est, commemorat: tandem uerò, ut hac affectus sit Simon, docet.

Simonis peccatum paucis comprehendit Lucas. Cum uidisset (inquit) quòd per impositionem manuum apostolorum daretur spiritus sanctus, obtulit illis pecunias, dicens: Date & mihi potestatem hanc, ut cuicunq; imposuero manus, accipiat spiritum sanctum. Ante quidem credidisse Simonem dictum est, & miraculorum nouitate attonitum baptismum cum reliquis accepisse. Sed ex eorum numero fuit, qui licet carnis suæ studijs ualedicere nolint, aliquo tamen dei timore perculsi, cum illo palàm contendere nolunt: & hi utcunq; animi corruptionem ad tempus dissimulent, non tamen semper latere possunt. Et horum exemplo Simon etiam sese prodit, & bifariam peccat. Primò enim ambitionis malo inflatus, apostolis ministerij dignitate similis esse cupit, adeoq; diuinos honores sibi arrogat, dum sibi eam potestatem dari cupit, ut pro suo arbitrio spiritum sanctum hominibus con-

I. Simonis peccatum.

ferre possit. Ambitioni autem auaritia comes est, qua excæcatus, religionem quæstum ducit, & spiritus sancti donis negotiationem institui posse arbitratur. Ideo enim potestatem hanc pecunijs redimere uoluit, ut ex ea maius lucrum aliquando faceret. Quæ nimis prophana fuit de deo & donis illius cogitatio, & à Christi mente alienissima, qui cum apostolos donis hisce instrueret, dixit: Gratis accepistis, gratis date. Matth. 10. Docet autem Simonis exemplum, superbiam omnis mali causam, adeoq; (ut sapiens ille monuit) peccati initium esse. Eccli. 10. Hæc angelis ruinæ causam præbuit. Et illius tumore inflammatus Adam, diuini præcepti transgressor factus est, dum deo similis fieri cupit. Deniq; quotidiana exempla docent, à superbis & ambitiosis nihil rectè fieri, & tales plerunq; perniciosissimos rerumpub. turbatores esse. Sed cum ubiq; locorum pestilens sit ambitionis malum, ecclesijs pestilentissimum est. Vbi enim has inuasit, dissidiorum semina inter eos spargit, quorum concordibus studijs ecclesiæ pax & incolumitas conseruari debebat. Cuius rei exempla nobis in Core, Mosis æmulo, & crebris apostolorum contentionibus proponuntur, quas toties tamq; grauiter Christus repressit. Num. 16. Matth. 18. & 20. Luc. 22. At leue uideri poterat dissensionis malum, utcunq; ecclesijs ferè exitiale sit, nisi maior pestis accederet, impia nimirum & sacrilega sacrorum nundinatio, quæ religionem omnem euertit, & hominum mentes ab hac in uniuersum alienare consueuit. Euidentius hoc est in Simonis exemplo, quàm ut multis demonstrari opus sit. Vt primum enim is in religionis causa ambitionem & auaritiam, consultores pessimos, admisit, ad sacrilegum illud spiritualis nundinationis consilium descendit. Sed utinam solus Simon hac infamia teneretur, & non hodie passim eos uideremus, qui maiori impietate peccant. Postquam enim religionis studium ecclesias diuitijs maximis instruxit, & in honore ac pretio esse cœperũt harum antistites, illicò malis artibus ad illarum gubernacula contenderunt parum synceri Simones, quos ambitionis & auaritiæ spiritus exagitauit. Hi postea primatu potiti, uias excogitarunt, quibus ea recuperarent, quæ in coemendis suffragijs erogarant, & mox infamis nundinatio sacrorum instituta est. Hisce initijs debemus sacramenta uenalia, indulgentiarum contractus, conductitias preces, supererogationis merita, dispensationes quæstuosas, uenales sepulturæ honores, & quæcunq; alia eius generis excogitata uidimus. Vt mirum sit eò impudẽtiæ progressos esse præcipuos ecclesiarum antistites, ut Simonis Petri successione gloriari uoluerint, qui tam luculentis indicijs prodebant, se Simonis Magi potius successores esse. Regnauerunt isti homines iam seculis aliquot in ecclesia, donec uerbi sui flagello illos eijcere cœpit dominus. Sed ne sic quidem resipiscunt, quin potius in scelere deprehensi, se ueros & legitimos ecclesiarum antistites esse, uociferantur. Nec tamen solos illos accusamus, uerùm dolemus inter euangelij professores eiusmodi pestes non rarò inueniri. Plerosq; enim non alijs animis ad euangelium contendere uidemus, quàm quòd hoc tã plausibili prætextu muniti, ecclesiarum bona auidissimè inuadunt, ijsq; turpissimè abutuntur. Et inueniunt illi nonnunquam sui similes ministros, qui cum & ipsi malis artibus ecclesiarum gubernacula inuadant, raptores hosce nec arguere nec cohercere possunt. Lõgè ergo lateq; imperij sui ditiones Simonis spiritus hodie extendit, quæ mihi maxima ecclesiarum pestis esse uidetur, qua fit, ut parum proficiant euangelij prædicatione, qui eodem cum Antichristianis crimine tenentur.

principes rapi-
tes bona Eccles.

II. Expostulatio Petri cum Simone.

Sed Petri orationem uideamus, qua cum Simone expostulat. Est hæc grauissima simul & acerrima, & duabus partibus constat. Prima peccatum illius accusat, & pœnam meritam denunciat. Figuratur autem imprecatione, à qua dicendi initium facit. Pecunia tua (inquit) tecum sit in perditionem: id est, Malè pereas cum tua pecunia maledicta & execrabili. Ita uerò orditur apostolus, non impotenti iræ affectu abreptus, sed spiritu sancto motus, qui & sceleris et pœnæ atrocitatem hac loquendi formula illustrare uoluit. Quare ad uaticiniorum species eiusmodi imprecationes referri debent, quales non paucæ in Psalmis & prophetarum scriptis extant. Magis autem alia adiecta sententia pœnæ atrocitas amplificatur, cum addit: Non est tibi pars neq; hæreditas in ratione hac. Quibus uerbis illum ab omni spiritualium donorum communione omnino exclusum, adeoq; ab ecclesia domini excommunicatum esse testatur. Et ne temere debacchari uideretur, causam tam diris comminationibus interserit: Quia donum dei existimauisti pecunijs parari. Quæ una res abundè docet, animum tuum non esse rectum siue syncerum coram deo, quando hunc auaris mercatoribus & nundinatoribus usurarijs similẽ esse suspicaris. Generalis autem hinc sententia colligitur, qua docemur,

mur, omnium illorum animos deo probari non posse, quicunq; religionem quæstū ducunt, & sub huius prætextu priuatis commodis consulunt. Simul uerò Petri exemplo admonemur, quo zelo & ardore spiritus ministri eos arguere debeant, qui turpis quæstus studio dei gloriæ derogant. Ita enim cum illis agendum est, ut se horribiliter peccauisse, & atrocem damnationis æternæ pœnam meruisse, intelligant. Nec enim aliquis modestiæ & mansuetudinis locus superest, ubi dei gloria apertis armis petitur, & diuinæ gratiæ dona auarissimorum hominum quæstuosæ libidini subiacent. Simili ergo zelo Elisæum quoq; aduersus nequam seruum Giezi usum esse legimus, quem subita lepræ plaga percussit, quòd ab Naamano Syro sanitatis diuinitus concessæ præmium postulauisset. 2. Reg. cap. 5. Et Christus Iesus, perfectissimum mansuetudinis exemplar, impia sacrorum nundinatione ita irritatus fuisse legitur, ut manus quoque tanti facinoris authoribus inijcere, & eosdem flagello, tanquam canes impudentes, templo eijcere uoluerit. Vide Iohan. 2. Matth. 21. Marci 11. Meritò igitur de illorum iniquitate hodie conquerimur, qui nos contra Christianæ modestiæ & charitatis leges peccare dicunt, quando Romanū Antichristum & huius creaturas, Cardinales, episcopos, monachos & sacrificulos accusamus, qui impia & prophana nundinatione iam seculis aliquot religionem Christianam Iudæis & Turcis deridendam exposuerunt, necdum hodie, quàmuis passim reprehendantur, de reformatione & emendatione seriò cogitant. Atqui perpetuum & æternum dei decretū est, quo per prophetam statuit, ne in sua domo Chananæis siue nundinatoribus locus aliquis relinquatur. Zachar. 14.

Adhæc obseruatione dignum est, quòd non Simonem modò, uerumetiam Simonis pecuniam hac tam graui sententia Petrus mulctat. Execrabile ergo unà cum impijs est, quicquid illis ad gloriæ dei derogationem seruit. Ita merces iniquitatis dicitur ea pecunia, qua Balaamum rex Balak aduersus dei populum ad impediendum dei decretum conduxerat. 2. Pet. 2. Et Iudæ pecuniam, qua is Christum prodidit, maledictioni obnoxiam fuisse, uel ex eo constat, quòd nec Iudas illa diu frui potuit, nec in alium usum sacerdotibus seruiuit, quàm quòd ex ea perpetuam sanguinariæ suæ impietatis memoriam sibi compararunt. Quid uerò de monasteriorum bonis & redditibus dicere attinet, quos ex parte Simoniacis artibus collectos fuisse constat, ab ijs hominibus, qui sacra omnia uenalia habuerunt? Nam luce clarius constat, tam infelicem horum sortem esse, ut euangelij luce illustratis ferè offendiculi lapis sint, dum horum potius direptioni, quàm Christi gloriæ propagandæ student. Adeò infelix est Simoniæ malum. At quod de his opibus dicitur, hoc ipsum de omnibus iniustè partis diuitijs debet intelligi, quibus hoc proprium est, quòd maledictionem & execrationem horribilem suis possessoribus afferunt. Nota enim est domini sententia: Væ ei, qui adauget non sua. Habakuk 2. cap.

Impiorum opes maledictæ.

Altera orationis parte, illum ad pœnitentiam hortatur, qua non obscurè illi ueniæ spem facit. Cur enim pœniteret & resipisceret, qui studiū hoc inutile & superuacaneum esse crederet? Patet autem hic, quis in ecclesia increpationum omnium finis & scopus esse debeat: is nimirum, ut homines à peccatis conuersi, deo reconcilientur. Qui scopus nisi obseruetur, corripiendi libertas à scurrili maledicentia nihil differet. Quare ne Petri uerba eo nomine Simon suspecta habere posset, subijcitur: Resipisce ab hac tua malitia, & ora deū, si fortè remittatur tibi cogitatio cordis tui. Cogitationis meminit, ut maior eluceat facti atrocitas, cuius cogitatio à Christiani hominis mente alienissima esse debebat. Et obiter admonemur, non operibus modò, uerumetiā cogitationibus & desyderijs peccari. Quia enim homines animo simul & corpore deo addicti esse debent, peccati nomen meretur, si uel minimam sui partem à dei obedientia subtraxerint. Pertinent huc quæ Christus in legis expositionem dicit apud Matthæum 5. cap. Porrò ut fortius feriret Simonis animū, quem non leuiter à satana tentatum uidebat, peccati fontes & radices perstringit, ita ostendens, ipsi serio planè pœnitentiæ studio opus esse: in quem finem id quoq; referri debet, quòd quasi dubitabūdus dixit, Si fortè remittatur tibi, &c. At nūc addit: Nam in felle amaritudinis, & in colligatione siue uinculo iniquitatis uideo te esse. Priori membro ad Mosaicum illud alludit, quo Israelitæ sibijpsis cauere iubentur, ne in ipsis locum habeat radix germinans fel & absynthium. Deut. 29. Notatur autem interna animi malitia siue corruptio, qua fit, ut coram deo amara & ingrata sint, quæcunq; homines faciunt. Nam ut è bono cordis thesauro bonum profert pius dei cultor: ita nihil nisi malum ex malo cordis thesauro impij proferūt,

Finis increpationum in ecclesia, &c.

ea nimirum quibus hominem reuera pollui Christus testatur. Matth. 12. & 15. Ac per colligationem iniquitatis eorum conditio exprimitur, qui peccatorum laqueis prorsus impediti, se ex illis non nisi summo studio & flagranti pœnitentiæ zelo extricare possunt. Eam Simonis conditionem esse docet, ne frigidam & superuacaneam pœnitentiæ simulationem sufficere putaret, &c.

Peccatores ad deum remitti debent.

Admonet nos locus hic, quo nam peccatores relegari debeant. Ad deum nimirum, quo cum nisi in gratiam redeant, nulla de salute ipsorum spes esse potest. Ideò apud prophetas hoc unum inculcari uidemus, ut ad deum conuertantur, qui peccando ab hoc secessionem fecerunt. At ut id commodè fiat, duo obseruare conuenit, quæ utraque Petrus Simoni præscribit. Primum, resipiscentia quæ est, quæ ut alibi monuimus, peccati agnitionem, cordis contritionem & totius uitæ emendationem complectitur. Alterum in pijs precibus uersatur, quibus peccatorum remißio peti debet, eò quòd illa gratuita est, nec ullis nostrorum operum meritis obtingit. At utrunque unus Christus operatur, qui & spiritu suo credentes regenerat, & suæ mortis merito peccata diluit, patremque nobis reconciliat. In fide ergo, qua is à nobis apprehenditur, uniuersa salutis ratio uersatur. Fidem itaque ante omnia urgeri conuenit, non mortuam illam, qua hypocritæ gloriantur, sed uiuam & efficacē spiritus uirtute, qua fit, ut & ipsi in Christo uiuamus, & ille in nobis suo spiritu operetur. Hæc enim sola de dei gratia hominis fluctuantem conscientiam certiorem reddit, & uberrimos in nobis ueræ pietatis fructus gignere consueuit.

III.
Vt Simon expostulatione Petri afficiatur.

Vt uerò Simon hac tam graui & salutari expostulatione affectus est? Perculsum animo fuisse, uerba illius declarant. Nam ait: Orate uos pro me apud dominum, ne quid eorum, quæ dixistis mihi eueniat. Videtur se ecclesiæ precibus cōmendare, sed non obscurum diffidentiæ argumentum est, quòd nihil de seipso dicit, sed aliorum dūtaxat precibus se iuuari posse putat. Atqui irritæ & inanes pro nobis sunt aliorum preces, nisi ipsi ad dominū reuertamur. Docent hoc prophetarum loci, in quibus ipsi prophetæ pro impijs & pœnitere nescijs orare prohibentur. Vide Ierem. 7. 14. 15. Ezech. 14. Ridiculus ergo & noxius illorum error est, qui conductitijs & redemptis monachorū sacrificorumque preculis se iuuari sperant, cùm & ipsi in impietate sua pergant, & precatiunculæ aliena lingua demurmuratæ, plerunque ne ab ipsis quidem monachis demurmuratoribus intelligantur. Scimus quidem non inefficaces esse fidelium preces, quibus confratrum suorum labores deo cōmendant, cùm ijs Paulus quoque subleuari uoluerit. Rom. 15. Ephes. 6. Sed hæ in illis locum habent, qui ipsi quoque sui officij meminerunt, & constanti fide pro sua salute inuigilant. Horum itaque memores, uigilemus & oremus sedulò, ne ambitionis & auaritiæ affectibus excæcati, salutis iacturam faciamus, sed syncero corde deo seruientes salutem consequamur in Christo Iesu domino nostro: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA LX.

Porrò illi testificati, & locuti sermonem domini, redierunt Hierosolymam, & multis pagis euangelizauerūt. Angelus autem domini locutus est Philippo, dicens: Surge, & uade meridiem uersus, ad uiam, quæ descendit ab Hierusalem ad Gazam: hæc est deserta. Et surgens, profectus est. Et ecce uir Aethyops, eunuchus, præfectus Candaces reginæ Aethyopum, qui præerat toti eius gazæ: qui uenerat adoraturus Hierosolymam, reuertens & sedens in curru suo, legebat prophetam Esaiam. Dixit autem spiritus Philippo: Accede, & adiungere ad hunc currum. Accurrens autem Philippus, audiuit eum legentem prophetam Esaiam, & dixit: Intelligis ne quæ legis? At ille ait: Quomodo possem, nisi aliquis mihi dux uiæ fuerit? Et rogauit Philippum, ut ascēderet ac sederet secū.

QVoniam deus filium suum, Iesum Christum, uniuersalem totius orbis saluatorem cōstituit, euangelium quoque, quo salutis per illum partæ ratio continetur, in omnibus gentibus prædicari oportuit. Id quomodo fieri cœperit, hoc Capite Lucas commemorat. Orditur autem à Samaria conuer-

conuersione, quam ipse Christus disertè apostolis cõmendauerat, sicuti in Ascensionis ipsius historia uidimus. Et illuc quidem Philippus uenit, primusq; euangelicæ doctrinæ & fidei semina sparsit. Mox uerò eòdem missi apostoli, ijs qui iam ante per baptismum Christo nomen dederant, spiritus sancti dona contulerunt: quæ res actioni cum Simone Mago institutæ, occasionem præbuit. Ad conuersæ autem Samariæ historiam præsentis quoq; loci initiũ pertinet, cui deinde noua narratio subtexitur, quæ ut Christi cognitio ad Aethyopes usq; penetrauerit, docet.

Et initiò quidem superiorem narrationẽ conclusurus Lucas, quid apostoli præterea Samariæ fecerint, paucis cõprehendit, dicens: Illi testificati, & locuti sermonem dei, redierunt Hierosolymam, & multis pagis euangelizarunt. Quibus uerbis tria apostolis tribuuntur. Primò testificati sunt de Christo, quẽ Philippus prædicarat. Suo igitur officio functi sunt, cui illos Christus destinauit, quando testes suos esse iubet. Ioh. 15. Act. 1. Deinde annunciarunt uerbum dei, non suæ rationis commenta. Et hîc quoq; ad Christi præceptum respiciunt, qui illos ea prædicare iussit, quæ ipse tradiderat. Matth. 28. Tertiò, in reditu ne obscuriores quidem locos negligunt, uerumetiam passim in pagis euangelium Iesu Christi prædicant. Est hoc magni & feruentis zeli argumentum, quo inflammati, nullam occasionẽ sibi prætermittendam esse putarunt, quæ propagando Christi regno inseruire posset. His uerò ministrorum uerbi & ecclesiæ officiũ plenissimè continetur. Meminerint illi, se non modò præcones uerumetiam testes Christi esse. At testium est ueritati studere, & intrepidè ingenueq; proferre, quæ ipsis comperta fuerint. Nec fidus testis dicetur, quisquis in hominum gratiam, quocunque tandem affectu superatus, ueritatẽ obscurare audet. Præterea, dei uerbũ sibi cõmissum esse intelligãt, cuius præcones, non autem nouorum dogmatũ authores, illos dominus constituit. Quare sibi dictum putent, quòd Ezechieli dicitur, qui ex ore domini uerbum sumere iubetur. Ezech. 3. Nec sibi concessum putent, dei uerbo sua cõmenta admiscere. Quid enim paleæ cum tritico? Ierem. 23. Cæterum in omnibus hisce zelus requiritur, quo nisi inflammati fuerint, haud magnum fructum facient. Christũ ergo imitentur, quem undiquaq; docendi & prædicandi occasionem arripuisse uidemus. Et Paulus se omnia omnibus factum fuisse testatur, ut quàm plurimos Christo lucrifaceret. 1. Corinth. 9.

I. Quid porrò Samariæ fecerint apostoli?

Cæterum his nouam (ut initio monuimus) historiam subijcit Lucas, qua euangelij doctrinam ad Aethyopes usq; peruenisse docet, unius quidem ministerio, sed quem non frustra laborauisse putabimus, cum summa illius esset apud eam gentẽ authoritas. Atqui hîc luculentissimè impletur, quod de Aethyopibus Christi regno subijciendis olim prædictum fuit. Vide Psal. 72. 68. & 87. Quia autẽ ueræ conuersionis exemplum historia hæc comprehendit, non piguit diuinum scriptorem omnes illius circumstantias exponere. Et in præsenti quidem, primùm de Philippo agit, cuius ministerio hac in re deus uti uoluit. Mox uerò diligenti prosopopœia Aethyopem, qui ad Christi fidem conuersus est, depingit. Tandem modum actionis, quæ inter hunc & Philippum intercessit, narrare incipit.

II. Aethyopis conuersi historia.

In Philippo, cuius opera Aethyops Eunuchus conuersus est, duo nobis obseruanda proponuntur, Vocatio nimirum specialis, qua illum præsenti negotio deus destinauit, & eiusdem obedientia, qua deum uocantem secutus est. Fuit autem ualde illustris uocatio, cùm non parui momenti res esset, quæ ex dei ordinatione peragi debebat. Apparet enim Philippo angelus domini, & quid illi agendũ sit, magna diligentia monet. Surge (inquit) & uade meridiem uersus, ad uiam, quæ descendit ab Hierusalem ad Gazam, &c. Et licet nondum disertè exprimat angelus, quid illic loci fieri debeat, facilè tamen fuit Philippo conijcere, se ad magnum aliquod & diuinum opus uocari. Obiter autem de euangelij dignitate nos locus hic admonet, quando Philippum ad huius prædicationem per angelum uocari audimus. Cùm enim angelos ceu maiestatis suæ apparitores constituerit deus, quos in electorum suorum salutem (teste Paulo ad Hebr. 1. cap.) emittit, magnum & excellens esse oportet, quodcũq; illorum ministerio peragitur. Simul etiam salutis nostræ originem ad meram dei gratiam referri debere discimus. Vt enim is in præsenti Eunucho nihil tale cogitanti, salutis præconem destinat: ita nobis quoq; salutis doctrinam plerunq; inopinantibus offerre consueuit. Quam dei gratiam ita nos agnoscere conuenit, ne quid nobis ipsis in salutis negotio insolentius tribuamus, quod diuinæ gratiæ maiestatem obscuret.

Vocatio Philippi specialis.

Singularem uerò laudem meretur Philippi obedientia, qui nec responsat angelo, nec diuini præcepti rationes curiosius inuestigat: sed omni mora abrupta eò pergit, quò iussus erat, deo iubenti om-

Philippi obedientia.

uem rei euentum permittens. Eandem à nobis etiam requiri credamus, ne dum dei præcepta ad nostræ rationis calculum reuocamus, primò quidem inepti cunctatores, mox uerò etiã temerarij transgressores efficiamur. Et quoties aliquid simpliciter mandat dominus, nec aliquam sui mandati rationem reddit, toties illum nostram obedientiam probare cogitemus, & ad illius studium generalibus promißionibus accendamur, quibus felices rerum successus in suis præceptis ambulantibus pollicetur. Huius studij exemplum in Abrahamo cernitur, qui patrio solo exire iussus, diuinæ uocationi obediendum esse putauit, quàmuis rerum suarum per omnia incertus esset. Gen.12. Quod ut feliciter illi cesßit: ita horrendis calamitatibus Saulem implicitum fuisse legimus, qui suæ potius rationis placita, quàm dei præcepta obseruanda esse putabat. Vide 1. Sam.13. & 15.

Aethyopis Eunuchi descriptio.

Sed Aethyopem uideamus, cuius diligens descriptio proponitur. Primò autem illius conditionem exprimit, quando Eunuchum fuisse ait, quo nomine Orientalium regum & reginarum aulici & cumprimis, qui illis à cubiculo fuerunt, uocatos fuisse constat, etiamsi non omnes castrati essent. Quare ad huius nominis expositionem facere uidetur, quòd illum Δυνάστην, id est, principem, & totius regiæ gazæ præfectum fuisse dicit, quem nos supremum regni Quæstorem siue thesaurarium appellare possemus. Quibus satis patet, non uulgarem aliquem aulicum, sed è principum numero illum fuisse.

Princeps.

Docet autem locus hic, principes uiros propter magistratum, quem gerunt, nequaquam à Christi regno excludi, sicuti Anabaptistæ seditiosi uociferantur. Tales enim Paulus dei ministros esse, diserte fatetur. Rom.13. Et multorũ exempla extant, qui cùm in magistratu essent, Christi cognitione illuminati, nec tamen magistratu sese abdicare iussi sunt. Ex horum numero Iosephus Hierosolymytanus Senator fuit, quem & Christi discipulum fuisse, & Christo sepulturæ bonorem pio officio impendisse, euangelistæ tradunt. Ita Cornelio Centurionis officio minimè interdicit Petrus. Act. 10. Et Sergio Paulo ad fidẽ cõuerso Cypri proconsulatu fungi licuit. Act.13. Vanißimi ergo sunt Anabaptistarũ clamores, quibus illi magistratũ à Christianis hominibus geri posse, pertinaciter negant.

Studia & mores.

Deinde Eunuchi huius mores & studia duobus argumentis exponit. Nam illum Hierosolymã ad adorandum ascendisse, & in itinere scripturæ sacræ lectioni intentum fuisse dicit. Licet ergo alienigena esset, aliquam tamen ueri illius dei cognitionem habuit, qui in Iudæa potißimùm priscis temporibus uoluit innotescere, ut Psal.76. testatur. Nec illum inepta superstitione deceptum, religionem locis certis inclusisse, dicemus. Quia enim scripturarum studiosus fuit, externum cultum ad uerbi diuini regulam reuocauit, quæ unica est ueræ religionis ratio: & haud dubiè dei promißionem respexit, qui tum Iudæorum tum alienigenarum preces se in templo hoc exauditurum esse, olim pollicitus fuerat. 1. Reg.8. cap. Cuius promißionis ratio in Christo Iesu fundata erat, cuius typum gerebat tam templum ipsum, quàm sacra, quæ in hoc peragebantur. Admonet nos autem Eunuchi exemplum, quæ principum studia esse debeant. Religionem sibi ante omnia curandam esse meminerint. Eam uerò non ex suo cerebro (ut olim Ieroboamum stabiliendæ tyrannidis studio fecisse legimus. 1. Reg.12.) sed ex dei uerbo instituant, cuius auditores simul & lectores diligentißimos esse illos conuenit. Dei enim ministros hos esse, supra dictum est. Idem illos suæ ecclesiæ nutritios constituit, ut propheta monet. Isa.49. Is ipse illorum iudicijs & consessibus medius interest. Psal.82. Et huic olim suæ administrationis rationem reddent: quæ ipsis nunquam solida & salua constare poterit, nisi religionis studio incensi, dei uerbum sibi ante omnia obseruandum esse statuant. Ideò legis epitomen olim rex penes se habere, & in eius lectione frequenter uersari, iussus est. Deut.17. Et horum quidem studiosißimos fuisse constat omnes eos principes, qui laudẽ aliquam coram deo meruerunt, quales fuêre Dauid, Solomon, Asa, Ezechias, Iosias, & post apostolorum tempora Constantinus, Theodosius, Carolus, & plures alij, quorum pietatem ecclesiarum & collegiorum fundationes paßim hodie testantur. Iisdem studijs si hodie etiam occuparentur reges, & quotquot in magistratu sunt, felicius res Christianæ cederent. At quia in horum locum cæca libido, insanum aleæ studium, Sybariticæ mensæ, uenationes immodicæ, uerbi dei & sacrorum omnium cõtemptus, & insatiabilis bellandi rabies successit, nihil ab eiusmodi principibus sperare licebit, quod uel publicæ saluti uel ecclesiarum reformationi & gloriæ dei seruire poßit.

Philippus Eunucho doctor datur.

His ipsam actionem, quæ Philippo cum Aethyope intercesßit, Lucas subiungit. Iubetur enim Philippus ad currum propius accedere, iamq; spiritus domini bene agendi occasionem offert, quàm

nis nullam hucusq; Philippus uiderit. Nam ut propius accessit, eunuchum Isaiæ prophetæ illustrem de Christo locum alta uoce legentem audiuit, moxq; spiritu extimulatus, num locum hunc intelligat quærit. Vbi parum ciuilis quibusdam uideri poterat Philippus, qui & principis currui non uocatus appropinquat, & ignotum quæstione eiusmodi cõpellat, qua non obscurè ignorantiam exprobrabat. Sed quia deo se totum addixerat, contemptis stolidæ carnis rationibus, quicquid deus iubet, sedulò exequitur. Nec infeliciter cedit, quod ex dei mandato facit. Nam insignia summæ modestiæ & humanitatis argumenta in peregrino principe deprehendit. Qui cùm maximam occasionem haberet Philippum pro communi diuitum & principum more contumeliosis dictis propulsandi, modestissimè tamen & ignorantiam propriam fatetur, & quia arcano spiritus motu de Philippo præclarius sentire incipit, illum ad sese inuitat, & scripturæ interpretem adiungit. Enimuero insignem laudem hic princeps meretur, dum nec proprij ingenij fiducia inflatus, interpretem alienum respuit, nec scripturas fastidit, quarum maximam partem abstrusiorem sentiebat, quàm ut abs se intelligi posset. Atqui tales uerbi sui auditores deus probat, qui humili mente præditi, ad uerbum suum reuerenter contremiscunt. Isa. 66. Interim docemur, scripturas interpretationibus illustrari oportere. Eas autem per homines deus profert, qui spiritu illuminati, mutua illarum collatione & obseruata fidei analogia, sensus ueros eruunt. Quod donum inter præcipua Paulus numerat. 1. Corinth. 12. & 14. Ephes. 4. Vehementer ergo ineptiunt, qui reuelationes cælitus expectant, & ecclesiæ ministerium stolidè & impiè aspernantur. Imitemur nos eunuchi huius pietatem, modestiam, humilitatem & ardens salutis studium. Ita enim fiet, ut & ipsi salutis cognitionem ueram assequamur, in Christo Iesu: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA LXI.

Porrò argumentũ scripturæ, quam legebat, erat hoc: Tanquam ouis ad mactationem ductus est, & tanquam agnus coram tondente se mutus: sic non aperuit os suum. In humilitate eius iudicium eius sublatum est. Generationem uerò eius quis enarrabit? Quoniam tollitur de terra uita eius. Respondens autem Eunuchus Philippo, dixit: Quæso te, de quo hoc dicit propheta? de seipso, an de alio quopiam? Aperiens autem Philippus os suum, & exorsus à scriptura hac, prædicauit illi Iesum.

DIuus Lucas Aethyopis ad Christum conuersi historiam diligentissimè describit, tum ob multas alias causas, tum quòd ueræ conuersionis exemplum continet, quo docemur, ut nobiscum deus agat, quando in salutis consortium nos assumere instituit. Primò enim conuersionis huius causa efficiens deus fuisse indicatur, qui ex mera gratia Philippum, cuius ministerio Aethyops Eunuchus conuerteretur, submisit. Idem ille, ut omnes credentes, nullo nostrorum operum respectu habito elegit priusquàm mundi fundamenta iacerentur: ita per gratiam suam omnia ea subministrat, & sæpe nihil tale cogitantibus submittit, quæ saluti nostræ inseruiunt. Deinde instrumentum conuersionis Philippus est, cuius opera hîc pro suo more deus utitur. Quia enim maiestatem dei nostra infirmitas ferre non potest, hominum ministerio nos doceri & duci uult, quod præcipuum est diuinæ erga nos bonitatis argumentum, & proinde passim inter dei beneficia primo loco numeratur. Organum uerò, quo Philippus utitur, Verbum dei est, non quidem imaginarium quoddam & ineffabile (quale Seraphici quidam & fanatici Theologastri fingunt) sed illud ipsum, quod scripturis continetur. Ex ijs enim conciones sacræ & uniuersa salutis doctrina peti debent, nec nouum aliquod & inauditum hactenus doctrinæ genus expectandum est. Inter omnia uerò hæc Eunuchi animus, ad ueritatem & salutis doctrinam dignè percipiendam rectè dispositus, elucet. Religionis enim studiosum fuisse, longinqua peregrinatio, laboris & periculi plena, abundè docet. Discendi cupiditatem diligens scripturæ lectio arguit, & quod hominem ignotum sibi comitem iungit, ex quo ueritatis uberiorem cognitionem sperabat. Quæ omnia illi ex diuina gratia obtigisse constat, cùm in nemine mortalium hæc appareant, nisi singulari spiritus illuminatione aliquis illustretur. Sed ipsam actionem uideamus,

quam in præsenti Lucas describit, uerbotim locum Isaiæ recensens, qui Philippo occasionem præbuit cum Aethyope de salutis & Christi negotio disputandi.

LOCVS ISAIAE LIII.

Extat is capite 53. nec ullus est alius, qui Christi Iesu mysteria euidentius comprehendat, unde non temere D. Hieronymus Isaiam Euangelistis potius quàm prophetis adnumerandum esse iudicauit. Interim obseruanda est dei prouidentia, quæ res mortalium administrat, nec quicquam temere fieri sinit: cuius argumentũ euidens est, quòd eo ipso temporis articulo, quo Philippus cum Aethyope colloqui incipit, in huius loci lectionem hîc incidisse dicitur. Hoc ethnicus aliquis fortunæ casum aut contingentiam fuisse diceret. Sed nos dei prouidentiam agnoscimus, quæ non modò rerum euentus, sed reliqua quoq; omnia moderatur, quæ ad hos spectant. Cur enim hominum res, quantumuis minutas, negligeret, qui capitis nostri pilos numeratos habet, quiq; cæli uolucres pascit, & flores agri tam mirificè uestit? Porrò quoad Isaiæ locum, uniuersam nostræ redemptionis rationem cõprehendit. Explicat enim mortis Christi mysterium, & uictoriam, qua in patris gloriam ingressus, regnum immortale & æternum acquisiuit. Præstat autem singula eo, quo dicuntur, ordine inspicere.

1. Mors Christi uoluntaria.

Primò mortem Christi exponit, his uerbis: Tanquam ouis ad mactationem ductus est, & tanquam agnus coram tondente se mutus. His autem non modò patientiam Christi exprimit, quæ ut sæpe aliàs, ita in paßione & morte eluxit perfectißima: uerumetiã illum sua sponte mortem subiturum esse docet, adeò ut nihil hîc hostium consilijs aut uiribus tribuendum sit. Consultarunt quidẽ aduersus illum sacerdotes & scribæ. Prodendi illum occasionem solicitè captauit Iudas. Mortis reum pronunciauerunt Pontifices in Concilio. Pilatus damnatum uirgis cædi, & in crucem affigi curauit. Quid uerò omnes isti efficere potuissent, si diuinæ suæ potentiæ & maiestatis uires proferre & exerere uoluisset? Quis item illum è patris sinu in terras detraxerat? Quorum consilijs factum est, ut in uirginis utero incarnaretur? Quis illis resurgendi uires dedit, qui ad ipsum capiendum emissi, ad unicam illius uocem supini conciderant? Docent ergo hæc, ideò mortuum esse, quia mori uoluit: quando non aliam ob causam in mundum uenerat, quàm ut animam suam daret pro mundi uita. Matthæi 20. cap. Quare cum hostium conatibus fortißimè resistere posset, instar ouis & agni duci uoluit, ut ne uerbo quidem aliquod impatientis animi & mortem detrectantis argumentum præbere uideretur. Pertinet huc quòd in euangelio dicit: Propterea me pater diligit, quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à meipso. Potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo rursus sumendi eam, &c. Iohan. 10. Et Paulus hæc exponens, patri obedientem factum fuisse dicit usq; in mortem crucis, & serui formam assumpsisse, cùm esset in forma dei. Phil. 2. Porrò ista partim redemptioni & saluti nostræ, partim nostræ institutioni seruierunt. Ita enim nostræ inobedientiæ culpam expiari oportuit, quæ nos æternæ damnationi subiecerat. Præterea suo exemplo patientiam & obedientiam in ferenda cruce nos docuit Christus, quemadmodum ipse frequenter in Euangelio admonet. Et Petrus in eandem sententiam scribit: Christus afflictus est pro nobis, relinquens nobis exemplum, ut insequamur uestigia ipsius, qui peccatum non fecerat, nec inuentus est dolus in ore illius: qui cum maledictis incesseretur, non regeßit maledicta, cùm malis afficeretur, non minabatur. 1. Pet. 2.

2. Christus per mortem uicit.

Cæterum morti Christi uictoriam eiusdem, quam moriendo obtinuit, subijcit propheta, dicens: In humilitate eius iudicium sublatũ est. Humilitatis nomine crucis & mortis cõditio intelligitur, qua extremè humiliatum fuisse constat. Sensus ergo uerborũ est: Cùm omnino oppressus, adeoq; desperatus uideretur, deus iusto suo iudicio illius causam asseruit, et mortis satanæq; uictorẽ hũc declarauit, qui iam uictus esse putabatur. Conuenit hoc cũ prima promißione, qua serpens Christi calcaneo insidiaturus esse dicitur, ita tamen, ut hic illius caput conterat. Gen. 3. Idẽ Dauid fore prædixit, quando ait: De torrente in uia bibet, ac propterea caput attollet. Psal. 110. Quia enim mortis suæ merito peccatũ expiauit et sustulit, ipsam quoq; mortẽ exarmauit, quæ propter peccatum in nos grassabatur, adeoq; omnẽ diaboli tyrannidẽ euertit. Mox uerò à mortuis resuscitatus, palàm ostẽdit, nihil iuris fuisse diabolo et morti, quapropter de omni aduersaria potestate gloriosißimè triũphauit. Qua de re uide 1. Cor. 15. Col. 2. Atqui hæc illa gloria est, quam toties sibi à patre tribui postulat. Ioã. 12. 13. 17. &c. Est aũt cumprimis necessaria hæc cõsyderatio. Nã fidei cõfirmandæ seruit, ne uel Christi uel nostra cruce offendamur. Vt enim Christus per crucẽ in gloriã patris ingressus est, & propter nos mortuus

tus & à mortuis resuscitatus est, ut se tam mortuorum quàm uiuentium saluatorem & dominum esse testaretur: ita nos quoq; per mortem uincimus, & siue uiuamus, siue moriamur, domini sumus. Rom.14. Et ut Christi causam deus asseruit, licet omnino oppressus uideretur: sic idem ille suorum memoriam asserere & tueri consueuit, ut posteris illorum pietas testata sit, qui modò ut scelerati & malefici infamibus supplicijs excruciātur. Psal.34. Quò cum prophetarum tum apostolorum exempla referri debent.

Porro uictoriam regnum sequitur, cui & æternitatem & ineffabilem potentiam tribuit, dicens: Generationem uerò eius quis enarrabit? Generationis enim uocabulum, Hebræorum more, tum pro seculo alicuius hominis, tum pro posteritate sumi potest. Vtrunq; uerò durabilem regni perpetuitatem notat. Nam Christi & regni ipsius seculum æternum esse angelus testatur, cùm Mariæ ait: Regni ipsius non erit finis. Luc.1. Similiter æterna quoq; est Christi posteritas. Qui enim per ipsum filij dei facti sunt, nunquam deficient. Et ut in terris semper erunt, quos ille pro dei filijs & cohæredibus agnoscit: ita ijdem hoc seculo exempti cum illo æternum uiuent & regnabunt. Hæc enim extremæ ipsius uoluntatis summa est, quam moriturus iam coram patre ratam esse uoluit: Pater, quos dedisti mihi, uolo ut ubi sum ego, & illi sint mecum: ut uideant gloriam meam, quam dedisti mihi, &c. Iohan.17. & 14. De utroq; uerò nos spiritus sanctus per prophetam admonet, dicens: Semen Dauidis in æternum erit, solium eius coram me ut Sol perstabit. Firmum ut Luna manebit, quæ est perpetuus in æthere testis. Psalm.89. Atqui hoc illud est, quo Christi regnum ab omnibus mundi regnis differt. Hæc enim omnia intereunt, nec ullum ex priscis illis ac opulentiss. saluum restat, & quæ hodie florent, non obscuris argumentis excidia sua & ruinas præsagiunt. Possunt autem hinc duo colligi, quorum cognitio utilissima est. Primò, ecclesiæ Christi perpetuitas, quæ ab ipsa mundi origine oppugnata, in hunc usq; diem durat, & durabit usq; in consummationem seculorum, sicuti ille pollicitus est. Matth.28. Quo argumento nos aduersus omnes tyrannorum conatus consolari possumus. Deinde uita æternæ certitudo hinc patet, sine qua uanissimum est, quicquid de fide & religione traditur, sicuti Paulus de mortuorum resurrectione disserens admonuit. 1. Cor.15. Si enim Christi posteritas ineffabilis, & proinde æterna est, huius uitæ cursum alia uita, cœlesti nimirum & æterna, excipi oportet. Atq; sic ratum firmumq; manet, quòd Paulus nec uita nec morte nos à dei dilectione separari posse, dicit. Rom.8. *3. Christi regnum æternum & inuictum.*

At quia maximi momenti sunt, quæ de Christi uictoria & regno dixit, causam illorum denuò repetit, quæ est: Quia tollitur de terra uita eius. Quid uerò, si carnis iudicium audias, absurdius dici poterat? Christum uictorem fore & perpetuò regnaturum dixit. Causam uero uictoriæ & regni acquisiti hāc subijcit, quòd illius uita de terra tolli & excindi debeat. Sed hoc cum prima promissione conuenire, supra diximus. Et Paulus loci huius fidelissimus interpres est, quando ait: Christus Iesus, cum esset in forma dei, non rapinam arbitratus est, ut esset æqualis deo, sed semetipsum exinaniuit, forma serui sumpta, in similitudine hominum constitutus, & figura repertus ut homo, humiliauit semetipsum, factus obediens usq; ad mortem, mortem (inquam) crucis. Quapropter & deus illum in summam extulit sublimitatem, ac donauit illi nomen, quod est supra omne nomen, ut in nomine Iesu flectatur omne genu cœlestium ac terrestrium & infernorum, omnisq; lingua confiteatur, quòd dominus sit Iesus Christus, ad gloriā dei patris. Phil.2. Seruiunt uerò hæc nostræ consolationi, ne morte offendamur. Vt enim Christum de terra excindi oportuit, ut uictoriam & regnum in cœlis obtineret: ita in cœlis nos uiuere & regnare impossibile est, nisi ipsi quoq; præsentem hanc uitam cum æterna permutemus. Oportet enim (ut Paulus ait) corruptibile hoc induere incorruptibilitatem, & mortale hoc immortalitatem sumere necesse est. 1. Cor.15. Ea deniq; est nostræ cum Christo societatis ratio & ius, ut non alia uia quàm per mortem, qua ipse ingressus est, uitā consequamur. Vnde apostolus dicit: Si commorimur, etiam conuiuemus. Si sufferimus, etiam conregnabimus. 2. Tim.2. Nam filij sui conformes nos esse uult deus, ut qui cum illo patiuntur, unà cum illo glorificentur. Roman. octauo. Et hæc quidem in prophetici loci, quem Aethyops in manibus habuit, expositionem dicta sint. *4. Mors ingressus ad Christi regnum.*

Videamus nunc, ut inde occasione sumpta, Aethyops Christi cognitionē sit assecutus. Cùm enim ignorantiam suam paulò ante confessus esset, nunc de uero loci huius sensu seriò interrogat. Quæso te *Eunuchi zelus, multa tamē adhuc ignorātis.*

(inquit) de quo hæc dicit propheta? Est hoc magni zeli argumentum, quòd qui principis dignitate suspiciendus erat, uili & ignoto ante hac homuncioni quadammodo supplex fit, ut scripturæ sensum uerũ discat. Interim non oscitanter præteriri debet, quòd tanto religionis studio flagrans eunuchus, hucusq; ea ignorauit, quæ salutis nostræ rationem omnem comprehendunt. Permittit hoc frequenter deus, non quòd uel promißionum suarum immemor sit, uel nobis sui uerbi notitiam inuideat: sed quòd dilatione eiusmodi maius discendi desyderium in nobis accẽdit, fidem nostram exercet, & suæ sapientiæ mysteria sublimiora esse docet, quàm ut humani ingenij captu atq; solertia apprehendi possint. Neminem ergo mora hæc offendat: quin potius pergamus flagranti ueritatis studio, & inuestigemus salutaria diuinæ sapientiæ mysteria, nec deerit promißis suis Christus, qui à quærentibus inueniri cupit. Matth. 7.

Philippi facilitas. *Simul uerò Philippi facilitas obseruari debet, qui mox os aperit, id est, diligentem orditur de prophetæ loco orationem, qua ex hoc loco exorsus, quærenti Aethyopi Christum Iesum prædicauit. Et uerisimile est, ipsum omnia quoq; alia, quæ eodem capite de Christo habentur, copiosè exposuisse, & demonstrauisse, ea de solo Iesu Christo, dei & Mariæ filio, intelligi debere. Hic autem duo obseruanda ueniunt. Primum, quid prædicari debeat? Iesus Christus, & is quidem solus. Non quòd huius nomen solum inepta iteratione subinde repeti & inculcari debeat: sed in uno hoc monstrari debent, quæcunq; ad nostram salutem faciunt. Quia hunc solum dedit pater, in quo nobis uera pœnitentia & peccatorum remißio obtingit, quemadmodum supra Petrus docuit. Acto. 5. Et in illo solo uita salusq; inuenitur. Acto. 4. Quare inepti simul & falsi doctores sunt, quicunq; hæc sine Christo docent, uel extra illum monstrant. Alterum est, quo admonemur, doctrinam & prædicationem Christi ex prophetarum libris desumi & disci posse. Imò inter externa omnia nihil aliud extat, quo illa probari poßit. Fatetur hoc Christus, dum in Mose & prophetis ea contineri dicit, quæ ipse nostræ salutis causa fecit & passus est. Luc. 24. Idem in schola Nazarethana ueræ salutis & suijpsius cognitionem traditurus, Isaiæ locum, qui cap. 61. habetur, interpretandum sumit. Luc. 4. Impia ergo & execrabilis illorum ingratitudo est, qui ueteris testamenti libros improbè contemnunt. Agnoscamus potius dei gratiam, qui filij sui cognitionem tot tamq; luculentis testimonijs fulcire uoluit, eandem uerò inquiramus ardenti zelo, ut iuxta eunuchi exemplum, illa imbuti cum Christo regnemus: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.*

HOMILIA LXII.

Cum autem pergerent in uia, uenerunt ad quandam aquam. Et dixit Eunuchus: Ecce aqua, quid obstat, quò minus baptizer? Dixit autem Philippus: Si credis ex toto corde, licet. Et respondens ille, dixit: Credo filium dei esse Iesum Christum. Et iussit sisti currum, ac descenderunt ambo in aquam, Philippus simul & Eunuchus, & baptizauit eum. Cum autem ascendissent ex aqua, spiritus domini rapuit Philippum, nec uidit eum amplius Eunuchus. Pergebat enim per uiam suam gaudens. Philippus autem repertus est Azoti, & pertransiens euangelizabat omnibus ciuitatibus, donec ueniret Cæsaream.

AVdiuit heri charitas uestra Diui Philippi concionem, qua Aethyopem Eunuchum cõuertit. Desumpsit hanc ex Isaiæ scriptis. Argumentum fuit, Iesus Christus: cuius mysteria haud dubiè diligenter exposuit, docens, hunc esse promissum humani generis saluatorem, in quo nobis deus pater (ut Petrus supra admonuit) pœnitentiam simul & remißionem peccatorum conferat. Sequitur nunc concionis huius effectus, qui in eo apparet, quòd Eunuchus, Christi cognitione imbutus, publicè illi in baptismo nomen dare, & externæ ecclesiæ uisibili signo inseri & accenseri cupit. Quod nunquam fecisset, nisi mirificè in illius animo uim suam exeruisset dei spiritus, quem electis suis ille promisit. Videamus ergo Eunuchi huius baptismum, cuius descriptionem diligentißimam Lucas proponit, eò quòd singulæ circumstantiæ cum institutioni tum consolationi nostræ seruiunt.

Primus

Primus uerò hic ipse Eunuchus prodit, qui cum Philippum de Christi mysterijs prolixè disserentem audiuisset, & spiritus uirtute animum suum illuminari trahiq; sentiret, mox aqua conspecta, baptismum sibi conferri cupit. Est enim hæc ardentis desyderij uox: Ecce aqua, quid obstat, quò minus baptizer? Vnde colligi potest, Philippum inter alia de baptismo quoque ex Christi institutione disseruisse, quo ille in se credentes sibi consecrari, & in unum ecclesiæ corpus cooptari uult: quo item beneficia sua nobis obsignat, ut olim in Circumcisione fieri consueuerat, sicuti Paulus tradidit. Roman. 4. cap. Quare cum Christum toto animo hausisset Eunuchus, sibi temperare non potest, quin ipse quoque fidem suam publicè profiteri, & Christi ecclesiæ solenni ceremonia adscribi uelit. Atqui hic nobis fidei ingenium obseruandum uenit, in quo duo notabis. Primum, quòd illa nequaquam latere cupit: sed potius, postquam Christum animo concepit, & hominem totum Christi cognitione uera imbuit, palàm quoque sese exerere, & externa nominis professione ab alijs seiungi, Christo autem inseri & consecrari desyderat. Scit enim deum zelotem esse, qui in suis alterius religionis commercium non ferat. Scit Christum Iesum sibiipsi peculiarem populum è mundo selegisse, quem etiam sibi soli consecratum esse uelit. Huius igitur ingenio sese accommodat, nec aliud perinde cupit, quàm ut omnibus conspicua sit, cum in solo Christo sibi gloriandum esse putet. Arguunt hæc ignauos nostri seculi hominum animos, quos Christi pudet, & qui fidem dißimulandam esse dicunt, sicubi ex illius confeßione periculum aliquod oriri poßit. Atqui multa erãt, quæ Aethyopem, quò minus baptismo initiaretur, absterrere poterant, cum & reginam Candacem, & omnes suæ gentis homines à Christi cognitione alienißimos esse sciret, quæ res euidens illi cum famæ tum fortunarum omnium periculum minabatur. Sed omnes remoras uincit & perrumpit uiua Christi fide flagrans animus: cui iam haud dubiè per spiritus suggestionem inscripta erat Christi sententia: Quencunq; mei & sermonum meorum puduerit in generatione hac adultera & peccatrice, illius pudebit etiam filium hominis, ubi uenerit in gloria patris sui cum angelis sanctis. Marc. 8. Deinde ad fidei ingenium illud quoq; pertinet, quòd licet se in Christo omnes diuinæ gratiæ thesauros & infallibilem salutis certitudinem habere intelligat Eunuchus, non tamen idcirco baptismi usum inutilem aut superuacaneum esse putat. Nouit enim fides, nihil à Christo temere & inutiliter institui, cum hunc æternam dei patris sapientiam esse agnoscat, in quo omnes scientiæ thesauri reconditi sunt. Coloss. 1. & 2. cap. Nouit præterea nostræ carnis corruptionem multis indigere, & uix multis stimulis ad capessendã salutis uiam satis impelli posse. Vnde constat tam à Christi quàm suijpsius cognitione alienißimos adhuc esse, qui cunque sacramenta aspernari & fastidire solent. Nam licet in Christo per fidem consequamur, quæcunque nobis ad salutem necessaria sunt, prodest tamen propter carnis ingenium, ut dei beneficia externis quoq; signaculis obsignentur, & ut ijsdem nostri officij admoneamur, cuius alioqui frequenter obliuiscimur.

1. Eunuchus baptismũ expetit

Sed alteram quoque huius actus personam Lucas producit, Philippum nimirum, qui Eunucho non statim morem gerit, ne quid uel splendori uel humanitati ipsius tribuisse uideatur: sed fidei ueræ Confeßionem ab illo requirit, dicens: Si credis ex toto corde, licet tibi baptismum recipere. Fidei ergo rationem habet, eamq; omnis fuci & subdolæ simulationis expertem esse uult. Quo exemplo admonemur, sacramenta non temere prophanari debere, sic nimirum, ut infidelibus communicentur. Quia enim fidei tesseræ & ecclesiæ Christi Symbola sunt, minimè decet, ut illis temere committantur, qui à fide & ecclesia sunt alieni: eò quòd tales ferè canes & porci sint, quibus margaritas proijcere Christus uetat. Matth. 7. Et si Christi mandatum inspiciamus, patebit apostolos prius docere debuisse, & tunc demum baptizandos fuisse eos, qui doctrinæ fidem adhibebant. Ait enim: Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, &c. Matth. 28. Nemo tamen nos Anabaptistarum furoribus patrocinari putet. Errant enim illi & perniciosè tumultuantur, dũ quod in alienis & adultis obseruari debet, ad Christianorum infantes restringunt, eosq; à baptismo temere arcent. Etenim eos, qui antehac ab ecclesia Christi alieni fuerunt (quales olim Iudæi & gentes erant, hodie uerò Iudæi & Turcæ alijq; eius farinæ homines sunt) minimè baptizandos esse dicimus, nisi baptismum nimis crassa impietate prophanare libeat, donec fidei suæ profeßionem edant. At longè alia infantium, qui ex Christianis nascuntur, ratio est. Hi enim fœderis lege inter ecclesiæ filios siue domesticos censentur. Iidem sancti sunt, & illos Christus sibi adduci uult. Eosdem quoq; deo pla

2. Philippus fidei confeßionem requirit.

cere constat, quandoquidem illorum angeli semper uident faciem patris. Et quàmuis illorum traditionem noster captus assequi nequeat, Christus tamen illos fidem habere testatur, & eosdem spiritus sancti capaces esse, cum Iohannis Baptistæ, tum aliorum etiam exempla docent. Quare talibus baptismum negare, non uulgaris impietatis & audaciæ plusquam Cyclopicæ facinus est. Quia tamen de his alibi plura diximus, in præsenti paucula hæc sufficiant.

3. Aethyopis Confeßio.

Porrò audiamus Eunuchi confeßionem, quæ mira breuitate res maximas comprehendit. Credo (inquit) filium dei esse Iesum Christum. Similis est hæc confeßio ei, quam Petrus omnium apostolorum nomine fecisse legitur. Matth. 16. Iohan. 6. Tribuit autem Christo, quæcunque de hoc sacris literis traduntur. Imò, si penitius rem inspicias, omnes fidei nostræ siue Symboli apostolici articulos comprehendit. Nam deum agnoscit, eum haud dubiè, quem cœli et terræ creatorem scripturæ esse docent. Non autem eiusmodi fatetur, qualem Iudæi & Turcæ somniāt, sed talem agnoscit, qui filium habeat ex se genitum, sibi coæternum & consubstantialē. Filij huius incarnationem credit, ut ex ijs, quæ apud Isaiam legerat, colligere licet. Adhæc filium dei, Christum, id est, unctum esse fatetur. Quo nomine & sacerdotium & regnum illius comprehendit. Ad sacerdotium uerò tota Christi paßio pertinet, qua corporis & sanguinis sui hostiam pro totius mundi peccatis immolauit. Regni autem titulo gloriosa eiusdem resurrectio continetur, qua mortem deuicit: ascensio item, qua ceu triumpho splendidißimo cœlos ingressus est: & seßio ad dextram patris, quæ illum regem potentißimum declarat, cui omnis potestas data sit in cœlo & in terris, quique olim ad iudicium uniuersæ carnis sit uenturus. At qui regem agnoscit Christum, idem hunc ecclesiam habere fateatur oportet, in qua regnet. Est hæc omnium sanctorum cōmunio, cui inæstimabiles thesauros suos Christus concredidit, remißionem scilicet peccatorum, carnis resurrectionem & æternæ uitæ consortium. Hæc (inquam) mysteria breuis hæc Eunuchi confeßio comprehendit. Qua docemur, qualem nos quoque Christum agnoscere & fateri debeamus. Imprimis uerò obseruandum, quòd fidei cordis confeßionem oris coniungi demus. Duo enim hæc necessariò coniungi oportere, supra quoque monuimus, & Paulus diserte monet, cum inquit: Hoc est uerbum fidei, quod prædicamus. Nempe si confessus fueris ore tuo dominū Iesum, & credideris in corde tuo, quòd deus illum excitauit à mortuis, saluus eris. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confeßio fit ad salutem. Rom. 10.

4. Eunuchus baptizatur.

Vbi uerò Philippus, quod unicum cupiebat, ab Eunucho elicuit, mox omni mora abrupta, cum illo in aquam descendit, & ibi illum baptizat. Quo loco obseruare conuenit, quòd aqua communi baptismus confertur, siue ille fluuius, siue fons (ut Hieronymo placuit) fuerit. Nec aliqua fit uel nouæ consecrationis, uel aspersi salis & chrismatis, uel exorcismi mentio, qualia multa posterioribus seculis Pontificum superstitio inuexit. Nouerat enim Philippus Iohannis exemplum, qui in Iordanis flumine baptizarat. Sciebat item Christi institutione omnem aquam ad baptismi usum consecratam esse, nec nouis expiationibus siue exorcismis indigere. Procul ergo facessant impiæ simul & ineptæ audacißimorum hominum adinuentiones, qui religionem honoris priuati & quæstus aucupium esse uoluerunt. Interim nemo ex huiusmodi exemplis occasionem sumat, paßim in fontibus aut fluminibus baptizandi. Nam ut hoc piè fieri scimus, si ita suadeat rei neceßitas: ita ubi ecclesiæ constitutæ sunt, omnia decenter & legitimo ordine administrari debent, ne in effrænem licentiam erumpens libertas, ecclesiarum cum disciplinam tum unitatem dißipet. 1. Corinth. 14.

Raptus Philippi.

Restat totius historiæ Catastrophe, quæ Philippi ab Eunucho discessum comprehendit, quem miraculosum fuisse, Lucas docet. Nam cum ex aqua ascenderent, spiritus domini rapuit Philippum, nec uidit illum amplius Eunuchus. Voluit autem illius fidem hoc miraculo confirmare dominus. Ita enim intelligere poterat, nihil in tota actione hac fortuitò contigisse, sed diuina prouidentia esse omnia administrata. Interim quid uterque, postquam disiuncti fuerunt, fecerit, uideamus.

Eunuchus non queritur de Philippi absentia.

Eunuchus (inquit Lucas) pergebat per uiam suam gaudens. Non ergo de Philippi repentino discessu improbè conquestus est, nec eundem anxiè quæsiuit, & multò minus illum ut præstigiatorem aliquem detestatus est. Id uerò nec ingrati nec leuis animi argumentum putari debet. Sed quia fide donatus, spiritu sancto doctore iam utebatur, qui illi iuxta Christi promißionem suggerebat omnia, suoque testimonio fidei doctrinam, à Philippo traditam, confirmabat, animo suo facile conquiescere potest. Quo exemplo docemur, non ita ministris inhærendum esse, ut illis sublatis de fidei

fidei causa desperemus. Agnoscamus hos dei cooperarios esse, per quos ille fidem nobis largitur, & mysteriorum dei dispensatores. 1. Corinth. 3. & 4. Rursum intelligamus, spiritum Christi doctoris officio uerissimè fungi, nec nobis defuturum Christum, etiamsi eos interdum auferat, quibus nos quàm plurimum debere scimus. Nec enim personis aut locis alligari potest dei spiritus, qui ubicunq; uoluerit, spirat. Iohan. 3.

Simul uerò fidei fructus, quem Eunuchus retulit, indicatur, quando illum lætum & gaudio perfusum in cœpto itinere perrexisse, dicit Lucas. Ita supra Samariæ ingens gaudium obortum fuisse scripsit, quãdo in ea urbe euangelium Philippus prædicauit. Intelligi uerò debet fidelis mentis gaudium, quod ex conscientiarum pace enasci consueuit. Postquam enim Christus per fidem receptus est, deum patrem sibi reconciliatũ esse, homo intelligit, cuius iram & horribile iudicium antea pertimescebat. Vt uerò pax illa dei (Paulo teste, Phil. 4.) uincit omnem intellectum: ita omnes quoq; tristitiæ nebulas pellit, animum totum serenat, & in medijs afflictionibus intrepidum reddit. Omnium enim fidelium uox est: Si deus pro nobis, quis contra nos? Quis intentabit crimina aduersus electos dei? Deus est qui iustificat, quis ille qui condemnet? Rom. 8. Norunt enim nec inferorum portas Christo, petræ uiuenti, cui illi innituntur, præualere posse. Hanc ergo tranquillæ mentis fiduciam quia Eunuchus assecutus est, maiori lætitia perfusus domum properat, quàm si maximos regum thesauros acquisiuisset, aut superatis Aethyopici regni hostibus, triumphans ad Candacem fuisset reuersus. Quæ enim diuitiæ cum cœlestis regni thesauris conferri merentur? Aut quæ tam præclara uictoria est, quàm ea, quæ fidelibus cum Christo Iesu aduersus satanam & inferos communis est? Hanc si tanto desyderio affectarent principes, quanto ardore pro mundi regnis & inani gloria hodie belligerantur, & ipsi maiori gaudio exultarent, & melius haberent uniuersæ res mortaliũ.

Fructus fidei, gaudium conscientiæ.

Sed ad Philippum redeamus, qui repertus est Azoti, & inde maritimam oram obambulans uniuersis in eo tractu ciuitatibus euangelium prædicauit, Cæsaream usq;, ubi domicilium collocasse uidetur, cùm apud eum Paulus illic diuerterit, sicuti Cap. 21. uidebimus. Obseruabis uerò diligenter ardens & indefessum primitiuæ ecclesiæ hominum in propagando Christi regno studium. Quàmuis enim Philippus in conuertenda Samaria multum laborauisset, & iam de conuerso Aethyope principe gloriari posset, nondum tamen suo se officio defunctum putat, sed nouos labores ipse sibi imponit nec noua detrectat pro Christo subire pericula. Idem studium in Paulo cernitur, qui cum plus omnibus apostolis laborasset, indesinenti tamen ardore pergit. Vide 1. Cor. 15. 2. Cor. 11. Rom. 15. Arguunt hæc nostri seculi ignauiam, quando omnes hominum ordines, ut primum paucula quædam perpessi sunt, ipsi sibi ferias indicunt: quasi uerò nostri arbitrij & iuris sit, à dei uocatione & commisso nobis officio discedere. Præterea docent hæc quàm irriti impiorum aduersus Christi doctrinam conatus sint. Quò magis enim illi furiunt, eò magis gliscit & uincit ueritas. Imò in persecutionibus eorum opera ferè omnibus conspicua fit, qui antea ignaui & ignobiles habebantur. Exemplum huius in Philippo habetur, cuius nulla ferè mentio facta fuit, cum Hierosolymis tutò ageret ecclesia: nisi quòd inter diaconos adnumeratum fuisse audiuimus. At idem nunc extorris & exul factus, Samariam Christo lucrifacit, Aethyopiæ apostolum emittit Eunuchum, quem ipse conuerterat, & totam Palestinam euangelij prædicatione percurrit. Ita hostium suorum conatus eludere solet deus. Quare neminem tyrannorum minæ offendere debent, quibus illi hodie euangelio & ecclesijs nostris excidium denunciant. Quin potius in deo speremus, qui electos suos tum in hoc seculo seruare, tum in altero Christi sui cohæredes efficere potest: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Philippi laboriosa industria.

CAPVT IX.

HOMILIA LXIII.

SAulus autem adhuc spirans minas & cædem aduersus discipulos domini, ueniens ad summum Sacerdotem, petijt ab eo epistolas Damascum ad synagogas, ut si quos inuenirет huius sectæ, seu uiros seu

mulieres, uinctos duceret Hierosolymam. Cum autem iter faceret, accidit ut appropinquaret Damasco: & repentè circumfulgurauit illum lux è cœlo, & collapsus in terram, audiuit uocem, dicentem sibi: Saul, Saul, quid me persequeris? Dixit autem: Quis es domine? Dominus autem dixit: Ego sum Iesus, quem tu persequeris. Durum est tibi contra stimulum calcitrare.



Emorabilis illa Iesu Christi uox est: Nemo uenit ad me, nisi pater meus traxerit eum. Iohan. 6. Nec illi absimilis est, qua alibi discipulis dicit: Non uos me elegistis, sed ego elegi uos. Iohan. 15. Docet enim utraq; salutem & quæcunq; ad hanc faciunt, ex mera dei gratia hominibus contingere, nec quicquam nostris operibus siue meritis esse tribuendum. Sunt autem eius rei multa exempla, inter quæ cum primis insigne, quod nuper in Aethyope uidimus, cui Philippus, ueræ salutis præco, ne cogitanti quidem nedum quærenti, mero dei beneficio submittitur. Quia tamen præclaris aliquot uirtutibus illum floruisse dictum est, ne quis illarum merito illi salutem obtigisse putaret, commodè illius conuersioni, Sauli ad Christum conuersi historia subijcitur, quem inuitum & reluctantem, imò acerrimum fidei hostem, Christus Iesus ad salutem non modò inuitat et trahit sed (ut in parabola de quibusdam dicitur, Luc. 14.) intrare compellit. Et sanè historiam hanc omnem ita narrat Lucas, ut nihil hic hominis merito, sed solius gratiæ dei beneficio Sauli salutem tribuendam esse, quiuis uideat. Sed & ipse Paulus disertè monet, ad hunc finem exemplum hoc potissimùm referri debere, cum se ideo in medijs institutæ contra ecclesiam tyrannidis conatibus interceptum & uocatum esse scribit, ut in ipso primo ostenderet Iesus Christus omnem clementiam, ad exprimendum exemplar ijs, qui credituri sunt. 1. Tim. 1. Et aliàs se apostoli nomine indignum esse fatetur, si ipsius meritum spectes, dei autem gratia esse quicquid est. 1. Cor. 15. Cæterum cum multa huic historiæ insint scitu & consyderatu dignissima, singulas eius partes inspicere potest. Et in præsenti, primo quidem Sauli descriptionem proponit Lucas, deinde conuersionis ipsius historiam orditur.

I. *Sauli persecutoris descriptio.*

Diligens autem est in Saulo describendo Lucas, eò quòd ex illius descriptione dei tum potentia tum bonitas euidentius cognoscitur. Primùm enim ingenium eius & naturam exprimit, cum illum minas & cædem spirauisse dicit. Animo igitur in ecclesiam infenso & inflammato fuit, cuius specimen iam ante in Stephani lapidatione dederat, & cum Hierosolymis ecclesiam omnem uastaret, ut supra dictum est. Nunc tamen, ubi se nihil proficere, ecclesiam uerò quotidie latius propagari uidet, immanem toto animo furorem concipit, ut iam nihil aliud quàm atroces minas, sanguinarias cædes & excidia spirare & somniare possit. Ea enim (ut supra quoq; monuimus) tyrannorum & hostium ecclesiæ natura est, ut postquam semel gustarunt piorum sanguinem, magis furiant, adeoq; belluarum instar omnem humanitatis sensum exuant, nec ponere possint semel conceptam animorum rabiem, nisi potenti dei manu cicurentur. Exempla huius sæuitiæ passim in historijs occurrunt. Eò autem nobis seruire debet illorum consyderatio, ut quid de nostri seculi tyrannis sperari debeat, intelligamus, quos sanctorum sanguini ita iam assueuisse uidemus, ut hunc maiori truculentia quàm ullæ tygrides sitiant. Quos certè, nisi dominus cicurauerit, nullæ humanæ aut uires aut rationes mansuefacere poterunt.

Saulo potestas data à Sacerdotibus.

At quia animi furorem armis instructum esse oportebat, de his quoq; sibi Saulus prospexit. Summum enim sacerdotem accessisse dicitur, à quo literas accepit ad Damasci synagogas, quibus illi plena potestas dabatur, quosuis uinciendi, quos Christiani nominis cultores esse inuenisset. Unde colligimus, religionis causam à Romanis præsidibus illo tempore summis sacerdotibus commissam fuisse. Quia enim illi gentilitia superstitione excæcati erant, credibile est, illos quotidianis de religione controuersijs statim fatigatos fuisse, & uias omnes quæsiuisse, quibus & molestijs eiusmodi sese liberarent, & inuidiam odiumq; plebis in alios deriuarent. Fuit autem occasio hæc sacerdotibus exoptatissima, quorum quæstus & honor euangelij prædicatione in periculum uocabatur. Horum ergo authoritate munitus Saulus, adhibitis etiam satellitibus sceleris ministris, Damascum pergit, ea nimirum ob causam, quòd illic Christi regnum mirificè surgere & florere sciret. Admonet autem

loco

locus hic acerrimos semper ueræ religionis & doctrinæ Christianæ hostes fore antistites, quorum studio & diligentia hanc prouehi oportebat. Ut primùm enim isti religionem quæstum faciunt, ueritatis lucem, qua ipsorum arguitur nequitia, ferre non possunt. Tales verò istos fuisse, ex euangelica historia notius est, quàm ut multis demonstrari oporteat. Quid ergo de nostri seculi præsulibus speremus, facilè uidebit, qui illorum auaritiam & ambitionem obseruauerit. Interim principum & magistratuum prophana ignauia obseruanda venit, qui cùm religionem non magni faciant, eius nomine inuidiam uel odium sibi conflare nolunt. Ne verò pro impijs & alienis à religione uideantur, illius causam episcopis & Cardinalibus committunt, eo prætextu & summam pietatis existimationē captantes, & excusationem quærentes, si quis illos ueritatis persecutores esse dicat. Nec enim ad se pertinere dicunt eiusmodi controuersias, nec magis piè se facere posse sibi persuadent, quàm si negotium hoc omne ecclesiarum præsidibus committant. In qua sententia à personatis episcopis mirificè confirmantur. Ita enim illi omnem de religione iudicandi potestatem sibi uendicant, quorum ambitio & auaritia pessum iret, nisi ueritatis doctrina extingueretur. Sed dabunt illi cum Iudæorum Pontificibus graues pœnas deo, qui dolum hunc inultum abire non patietur. Nec excusabit prætextus hic principes, cùm ad ipsos ecclesiæ cura & religionis cognitio quàm maximè pertineat. Ideò enim legis liber Regi tradebatur. Deut. 17. Et Reges ecclesiæ nutritios esse debere, propheta docet. Isa. 49. Nec exempla desunt clarissima regum, qui veritatis & ecclesiarum propagatione summam sibijpsis laudem acquisiuere.

Sed finem quoque & scopum, quem sibi Saulus propositum habuit uideamus. Fuit is, ut quoscunq; Christianæ sectæ inueniret, siue uiros siue mulieres, uinctos duceret Hierosolymam. Nullum ergo apud illum sexus discrimen erat, & qui eousq; immanitatis processerat, haud dubiè nec ætati quoq; parcendum esse putabat. Iam enim illi propositum erat, omnibus Christianis deletis, ipsius Christi nomen in uniuersum extinguere. Tam immanis uerò instituti causa ab ipso alibi indicatur, auitæ nimirum religionis zelus, quam omni modo defendendam & seruandam esse putabat. Pharisæum enim fuisse constat, & legis studio se Christi nomen & ecclesiam persecutum esse, ipse non semel fatetur. Acto. 26. Phil. 3. Galat. 1. cap. &c. Obseruemus autem hoc loco, primùm, quantum impijs permittat deus. Nam contra discipulos, & quidem Christianas fœminas hæc tentata fuisse, Lucas docet. Sed ita fore dominus prædixerat, nimirum ut cultus dei putaretur, aliquem in se credentium iugulare. Iohan. 16. Et frequenter de his nos apostoli admonent, ne quis persecutionum procellis & cruce offendatur. Cur enim meliorem nobis hodie sortem optaremus, quàm ipsius Christi, apostolorum & primitiuæ ecclesiæ olim fuit? Deinde docet Sauli exemplum, quàm parum ad salutis causam faciat præposterus in religione zelus, quem absq; diuini uerbi præscripto, humanis traditionibus abrepti, interdum homines concipiunt. Nam quò feruentius hoc ardet Saulus, eò longius à Christo, qui unica salutis uia est, recedit. Quò fortius pro legis iustitia pugnat, eò alienior est à iustitia Christi, quæ sola coram dei iudicio defendit. Et quod Saulo accidit, hoc ipsum ille Iudæis euenisse testatur. Hos enim zelo dei flagrare dicit, sed non secundùm scientiam. Quare illis hoc mali contigit, quòd dum suam iustitiam statuere conantur, à dei iustitia exciderunt. Rom. 10. Poterat idem de Monachis dici, nisi maxima illorum pars uentris & ocij studio magis quàm religione flagraret. Illud tamen uerissimè dicitur, eò ardentius euangelium persequi tyrannos, quò cōstantius maiorum religionem & cultum retinere student. Confutatur uerò hìc noxius illorum error, qui zelo pietatis ea excusari posse existimant, quæ contra pietatem ueram & religionem instituuntur. Quasi uerò uerbi sui canones frustra deus dederit, & non hi potius obseruari debeant, quemadmodū alibi diximus. Præterea dei cùm bonitas tum potentia hìc obseruanda uenit, qui tam immanem lupum repentè, nō modò cicurare uerumetiam fidelissimum gregis sui pastorem efficere potuit. Nemo igitur uel de ecclesia uel de alicuius hominis salute temere desperet, quando deus & hominum animos subitò mutare, & ecclesiæ suæ tutores facere potest, qui illam iamiam dissipaturi esse uidebantur.

Sauli finis & scopus.

Rom: 10.

Transeamus autem ad Conuersionis Sauli historiam, quam uiuis quodammodo coloribus Lucas depingit. Et à tempore quidem & loco exorsus, Cùm (inquit) iter faceret, accidit ut appropinquaret Damasco. Tunc ergo Sauli conatibus occurrit Christus, cùm de illorum successu & euentu quàm maximè sperare poterat. Iam enim Damascum coràm intuetur, & fortaßis, ut lupus cōspecta

II. Conuersionis Sauli historia. Tempus & locus.

præda, de rapienda Christi ouibus terribiles cogitationes animo suo uoluit. Obseruabis uerò dei consilium & morem, qui hostes suos non rarò eò usq; progredi sinit, ut uix latum unguem à consiliorum suorum meta abesse uideantur. Quæ causa est, ut horribiles interdũ terrores sentiãt Christi cultores, in quorum excidiũ illi conspirauerunt: quos Damasci quoq; obortos fuisse uerisimile est, cùm Saulum hostem aduentare & ipsorum ceruicibus imminere audirent. Sed ita solet deus, ut & potentiã suam aduersus impios gloriosius exerat, & pios doceat non terreri nec timere, si quando ab hostibus semdiq; circumuentos uident. Ita Pharaonem eò usq; progredi passus est, ut non iam de effugij uia, sed sepulchris cogitare inciperent Israelitæ. Sed eundem subitò deleuit, cum hiantis lupi instar Israelem deglutire conaretur. Possent multa eius generis recenseri, nisi temporis angustia obstaret. Verùm hic oĩum usus esse debet, ne deo præscribere uelimus, quẽ nulla rerũ gerendarũ occasio latere aut subterfugere potest. Sed illud pphetæ obseruemus. Expecta dñm, forte sit & roboretur cor tuũ, &c. Psal. 27.

Modus conuersionis.

Deinde modum conuersionis Euangelista exponit, dicens: Repentè circumfulgurauit eum lux … cælo, & collapsus in terram audiuit uocem, dicentem sibi: Saul, Saul, &c. Terribilis hæc est humanis sensibus rerum facies, sed quæ abunde doceat, absq; negotio hæc à domino perfecta fuisse. Lucem enim fulguris instar cælitus immittit, quod illi tam facilè fuit, quàm Solẽ educere & reducere. Repentè uerò lucem hanc emicare uoluit, ut magis terreretur immanis ille lupus, qui ecclesiam Christi inexplebili auiditate iam quodammodo deuorarat. Fulguri vox accedit, quæ fulminis loco est, & nihil tale timentem subitò prosternit. Docent hæc, quàm facile sit deo hostium suorum conatus infringere. Quia enim exercituũ dominus est, quæuis contra illos armare potest, nec aliqua tam uilis creatura est, quæ non ijs puniendis sufficiat, quos deus punire instituit. Ita aquis olim repentè immissis mundum totum delere potuit. In Sodomas sulphur & ignem cælitus depluit. Aegyptiorum feroces spiritus modò tenebris fregit, modò muscarum examinibus, modò ranarum fœdis obsultationibus, modò pediculorum infestis morsibus emolliuit. Antiochum & Herodem uermibus, ex ipsorum carne enatis, necauit. Saulem tyrannum proprio ipsius gladio iugulauit. Taceo infinita eius generis, quia hic Sauli lapsus multorum exemplorũ instar esse potest. Prodest enim hunc diligenter inspicere. Quid nunc impetratæ à Pontifice summo literæ repentè collapso prosunt? Quid iuuat illius authoritate concessa in Christianos sæuiendi potestas? Num satellitum, quos scelerum ministros adduxerat, ministerio uel sustineri uel subleuari potest? Minimè. Quibus uerò armis tantus modò gigas & secundus Enceladus deuictus iacet? Nullus adhuc auditus tonitruum sonitus, nullus collidentium nubium fragor, nullus ruentis fulminis stridor. Sola cælestis lux oculis percepta, & intonans auribus Christi uox, corpus & animum ita perculit, ut supinus uictori Christo manus dedat, qui illius nomen paulò ante extinguere conabatur. Hæc uerò ut nostræ consolationi aduersus impios Christi hostes seruiunt, ita ad nostram quoq; institutionem transferri debent. Docent enim quàm infelix illorum sit insolentia, qui cùm quotidie diuinæ potentiæ & maiestatis exempla cernant, adhuc tamen aduersus deum & uerbum eius insolescere & ferocire audent: quod ego non postremum nostræ corruptionis argumentum esse arbitror: quando uel formæ, uel generis, uel honorum aut opum fiducia elati, dei obliuiscimur, cui tam facile est feroces animos deijcere. Agnoscamus potius dei potentiam, & humiliemur spontè sub uictrici illius manu, ne magno nostro malo, quantum ille possit, experiamur.

Effectus.

Porrò Saulum iacentem inuisamus, qui audita cælitus uoce, quærit: Quis es domine? O secordiam. Ab eo se prostratum audiuerat, quem persequebatur, & adhuc quis nam ille sit interrogat. Est tamen uox hæc humiliati & mansuefacti animi indicium. Quod utinam in ijs hodie uidere liceret, qui à deo uel morbis prostrati, uel paupertate humiliati, uel alijs plagis afflicti, nondum tamen se à deo prostratos, nec illum dominum suum esse agnoscunt.

Christi hostes sunt, qui ecclesiam persequuntur.

At quia mitiorem iam se præbet Saulus, illum responso dignatur dominus, dicens: Ego sum Iesus, quem tu persequeris. Durum est tibi contra stimulum calcitrare. Quæ responsio bipertita est. Prima enim parte quis sit docet, simulq; sceleris concepti atrocitatem arguit, quasi dicat: Tu quidem in homines te persecutionem instituisse arbitraris, & in eos quidem, qui ut apud omnes odio laborant, ita vindicẽ & assertorẽ inter homines habent neminẽ. At nec illi vindice carent, nec illos solos persequeris. Ego enim ille Iesus sum, quẽ illi profitetur. Ego in cælis regnans illorũ sortẽ sedulus obseruo. Ego me illis patronum & tutorem fore olim promisi. Imò ea mihi cum illis intercedit coniunctio, ut

mihi

mihi fieri putem, quodcunq; minimo illorum feceris, &c. Hinc uerò generalis doctrina colligi debet, Christo fieri, quodcunq; illius cultoribus fit. Eius enim uox apud prophetam legitur: Qui uos tangit, tangit pupillam oculi mei. Zach.2. Et Isaias Cap.63. de dei erga suum populum beneuolentia loquens, inter alia ait: In omni afflictione illorum, ipse afflictus est. Seruiat hoc tyrannorum institutioni, ut meminerint se Christum hostem habituros, quando ecclesiã persequuntur, qui illos aliquando reget & comminuet sceptro ferreo, ut uasa figuli. Psal.2. Rursum hinc consolationem petant fideles, quòd in cruce Christũ socium habent, quo cum si patiantur, cum eodẽ olim regnaturi sunt. 2. Tim.2.

Altera responsionis parte pœnam illi ob oculos statuit, dicens: Durum est tibi contra stimulũ calcitrare. Metaphora autem à bubus siue equis desumpta utitur, qui si stimulo recalcitrent, non modò nihil proficiunt, sed aculeũ ipsi sibi altius infigunt, & maioris mali sibijpsis authores sunt. Idẽ Saulo & omnibus alijs, qui ipsius exemplo ecclesiam persequuntur, euenturum dominus minatur, nimirum ut illorum conatus non irriti modò, sed ipsis authoribus exitiales futuri sint. Est enim Christi ecclesia lapis oneris, in quo subleuando nemo suarũ uirium periculum impunè faciet, sicuti apud prophetam deus pollicetur. Zach.12. Nec exempla desunt, quibus id probari poterat. Huc enim Pharao pertinet, qui contra stimulum calcitrans maris rubri undas suo suorumq; interitu nobilitauit. Sensit idem iudicium Sanherib, qui cum Israeli & illius deo bellum indixisset, unius angeli manu & exercitum amisit, & castris exutus est. De Antiocho & Herode paulò ante diximus. Quibus adnumerari poterant Romanorum Imperatores, quotquot post Christi tempora ecclesiam persecuti sunt, & statim atroces tantæ impietatis pœnas exoluerunt. His si ea coniungas, quæ nostro seculo iudiciorum dei exempla in ecclesiæ hostes edita sunt, infallibilem huius sententiæ, quam hic Christus pronunciat, ueritatem esse fateberis. Nobis uerò hic omnium usus esse debet, ne in persecutionibus mundi & tyrannorum potentia territi, animum despondeamus. Viuit enim adhuc Christus ille, nec ecclesiam suam deseret, cui se affuturum promisit usq; in consummationem seculi: ipsi debetur benedictio, bonor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Persecutorum ecclesiæ pœna.

HOMILIA LXIIII.

Tum [Saulus] tremens & stupens dixit: Domine, quid me uis facere? Et dominus ad illum: Surge, & ingredere in urbem, & dicetur tibi, quid te oporteat facere. Viri autem, qui cum illo proficiscebantur, stabant attoniti, audientes quidem uocem, neminem uerò uidentes. Surrexit autem Saulus à terra, & cùm aperti essent ipsius oculi, neminem uidebat, sed manu agentes eum, adduxerunt Damascum. Et fuit tres dies non uidens, & non edit neq; bibit.

QVemadmodum Saulus, priusquàm ad Christum Iesum conuerteretur, singulari immanitate nomen & ecclesiam Christi persecutus est: ita illum elegit deus, ut in ipso peculiare bonitatis & gratiæ suæ exemplum proponeret, quo admoneremur, nihil nos habere, quo coram deo nobis gloriari liceat, sed cum ipsam salutem, tum quæcunq; nobis ad hanc consequendam adiumento esse solent, ad meram dei gratiam & bonitatem referri debere. Quàmuis enim non omnes simili immanitate cum Paulo in Christi ecclesiam grassentur, nec omnes aperta ui ad subeundam salutis uiam dominus cogat: omnium tamen ea conditio est, ut potenti dei manu ipsos conuerti & trahi oporteat. Nam si hominem, quatenus naturali anima regitur, consyderes, illum minimè intelligere uidebis quæ sunt spiritus dei. 1. Corinth.2. Quare intellectu corrupto uoluntatem quoq; prauam & corruptam esse necesse est, quæ impura & iniqua carnis desyderia generat: ut uerè deus olim, humani cordis figmenta ab ineunte ætate praua esse, dixerit. Gen.8. At quia peccati malo uires omnes ita debilitatæ sunt, ut ex nobis ipsis ne ad cogitandum quidem idonei simus, satis constat, neminem mortalium de salute sua seriò cogitare uel posse uel uelle, nisi diuinitus illuminetur, trahatur & emolliatur: licet nonnullorum corruptio apertior sit & magis conspicua. Quia tamen in Sauli conuersione multa alia concurrunt, quæ nostræ institutioni seruiunt, diligentissimè in eius descriptione Lucas uersatur. Et in præsenti quidem, postquàm primum illius actum exposuit, effectum tam duri congressus, & alia quædam huic cohærentia commemorat.

I. Paucis uerò insignem diuinæ castigationis effectum in Paulo comprehendit. Is enim (inquit) tremens & stupens dixit: Domine, quid me uis facere? Et dominus ad illum: Surge, & ingredere urbem, &c. Nobis autem cùm Pauli tum dei personæ hoc loco diligentius consyderandæ sunt. Et in Paulo quidem haud uulgare animi humiliati & ad obsequium omne propensi specimen est uidere. Iam enim domini titulo dignatur, quem paulò ante cane & angue peius oderat. Et sponte de illius uoluntate interrogat, eos famulos imitatus, qui nondum prolatis herorum iussis, illa fideli & solido obsequio præuertere student. Hinc autem duo, ad nostram institutionem pertinentia, elici poterunt. Primò, officij sui admonentur, quicunq; dei castigantis manum sentiunt. Agnoscant illi se à deo puniri, qui parentis instar ideò percutit, ut sanet: & suos corrigit, ne cum mundo pænitere nescio condemnentur. 1. Corinth. 11. Quæ causa est, quòd propheta beatum illum pronunciat, quem dominus castigauerit. Psal. 94. Rursus hunc dominum suum agnoscant, & de eius uoluntate seriò inquirant, ut norint, quibus studijs ille placari possit. Est hoc electis dei proprium, quibus nihil durius & intolerabilius uidetur, quàm si deum sibi iratum esse senserint. At longè alia impiorum & reproborum mens est, qui licet interdum deo cedere & obsequium præstare coguntur, fremunt tamen, & se illud inuitos facere multis argumentis testantur. Quare mox quoq; ad ingenium & uix intermissa impietatis studia redeunt. Exempla eius rei in Pharaone & Saule rege scriptura proponit. Quibus connumerari debent sacerdotum serui, ad Christum capiendum emissi, qui licet & ipsi illius uerbo prostrati essent, mox tamen exurgunt, & ei impias manus inijciunt, quem dominum suum agnoscere debebant. Iohan. 18. Paulum ergo imitemur, quoties uel morbis sternimur, uel paupertate opprimimur, uel hostibus prædæ sumus, uel quibuscunq; alijs ærumnis uexamur, & ex animo dicamus: Domine, quid nos uis facere? Ita enim ad salutem cedent, quæ cumprimis noxia uidebantur.

Effectus diuinæ castigationis.

Officium eorum, quos deus castigat.

Secundò docet exemplum hoc, quàm necessaria interdum sit, etiam in salutis & fidei causa, senior paulò castigatio. Multos enim eo ingenio præditos esse uidemus, ut nisi ui cogantur, dei uerbo colla non submittant. Quapropter Christus quosdam ad cœlestes nuptias cogi & compelli uult. Luc. 14. Ex quorum numero Paulum fuisse, notius est, quàm ut multis demonstrari oporteat. Nouellus ergo illorum error est, qui in fidei & religionis causà nemini uim adhibendam esse clamant, cùm solus deus in hominum animos ius & imperium habeat. Nam ut fatemur, solius dei esse animos illuminare, trahere & fidem largiri: ita à deo præceptũ esse nouimus, ut falsi doctores tum argumentis & scripturis conuincantur, tum magistratus gladio coherceantur, si incurabiles esse pergant. Vide Deut. 13. eadem ratione superstitiones, falsos cultus & blasphemias excindere iubentur. Absurdum quippe foret, eos cohercere, qui fortunis aut corporibus insidiantur, illis uerò impunè quidem permittere, qui & dei gloriam improbè oppugnant, & animabus damnationis laqueos struunt. Et exempla passim extant eorum, qui seueriori castigatione cohibiti, postquàm blasphemare desierunt, in ueritatis cognitionem perducti sunt. Sed ut in omnibus alijs causis, ita hîc maximè prudentia & moderatione opus esse admonemus.

Castigatio etiã in religionis causa locum habet.

Sed Christum audiamus, qui mox amicum se & benignum ei exhibet, quem iussa subire paratum uidit. Vt enim pater apud prophetas clamat: Reuertimini ad me, & ego reuertar ad uos: ita illum in euangelio omnes laborantes ad se inuitare, & palàm testari legimus, quod neminem ad se uenientem, reijcere uelit. Matth. 11. Iohan. 6. cap. Iubet autem illum in urbem pergere, ut illic ex Anania discat, quid faciendum sit. Duplex uerò huius præcepti causa adduci potest. Nam & Pauli modestiam hoc modo tentat dominus, dum ad eos illum relegat, quos paulò ante uiolenter inuadere stat[illegible]rat: & simul suam uerbi ministerio authoritatem dignitatemq; asserit. Quia enim hoc frequenter ab hominibus contemni nouit, non raro docet, eius usum ad salutem consequendam necessarium esse. Vidimus id in Aethyopis historia, quem cum occulta spiritus uirtute illuminare potuisset, Philippi ministerio institui uoluit. Et nunc licet Saulo colloqui dignetur, eundem tamen ad Ananiam relegat, ex quo fidei & salutis mysteria discat, eiusdemq; ministerio baptizatus in ecclesiæ consortium adoptetur. Cui simile est, quod de Cornelio Centurione infra referetur, quem angelo misso, ut Petrum accersat & ab illo edoceatur, admonet. Docent hæc, ne uerbi ministerium inutile & superuacaneum putemus, nec cœlestes aut angelicas reuelationes expectemus, quæ nos cœlestium cognitione instruant. Quia enim scripturis & uerbi prædicatione nos doceri uult dominus,

Christus humiliatum non auersatur.

minus, quisquis illa contempserit, seipsum regno ipsius planè indignum esse testatur, nec ad fidei cognitionem unquam perueniet. Cur enim ordinis diuini contemptorē noua methodo dignaretur deus? Firmum ergo illud Paulinum manet: Quomodo credent, si non audierint? Quomodo autem audient absque prædicante? Rom. 10. Item illud Christi: Mosen habent & prophetas, quos qui non audierint nec illos audient, qui à mortuis reuersi, salutis rationem exposuerint. Luc. 16. Admonemur praterea neminem, uel uilißimum Christi & uerbi ministrum, contemni debere, modò legitimè ordinatus sit, quando præclarum illud dei organum, Paulus, ad Ananiam, cuius nulla hucusq; mentio facta est, relegatur. Nec enim ex hominum dignitate diuini uerbi authoritas dependet, sed ea nobis inuiolata & integra consistere debet, quisquis tandem ille sit, quem nobis doctorem & suæ uoluntatis præconem dominus destinauit.

Porrò interserit his de Pauli comitibus narratiunculam Lucas, quos attonitos stetisse, & uocem quidem audiuisse, neminem uerò uidisse, dicit. At si Paulum hæc eadem coram Agrippa narrantem audiamus, ipsos etiam initiò collapsos fuisse constabit, & licet priores surrexerint, adhuc tamen mente captis similes, terrore & metu omnino absorpti fuêre. Videtur autem nonnihil à Pauli narratione Lucas uariare, cùm ille eos nec uocem audiuisse, nec quenquam uidisse dicat. Sed nulla in his contradicentia est. Nam uocem audiuisse hic dicuntur, quia sonum audiuêre. Eandem uerò audiuisse negantur, quia quid diceretur, non intellexerunt, nec illos ea intelligere uoluit dominus, quæ non ad ipsos pertinebant. Vel quod de uoce dicitur hoc loco, ad solius Pauli uocem referri debet, quam quidem audiuerunt eius comites tum Christi, cum ipso colloquentis uocem non audirent, ut quæ nihil ad eos pertineret. Et hoc innuere uidentur Pauli uerba, quæ infra Cap. 22. sic habentur: Qui mecum erant, lucem quidem uiderunt, & expauefacti sunt: uocem autem non audierunt eius, qui mecum loquebatur. Est autem hoc loco cumprimis obseruandum, quid omnes eos maneat, qui apertis Christi hostibus coniunguntur, & illorum consilijs sese immiscent. Cum ijsdem enim pœnas dant, siue illi serui, siue subditi, siue filij fuerint. Cedunt enim humana iura omnia ei obedientia, qua nos sibi obstrictos uult esse deus: & firma rataq; perpetuò manet illius dicti authoritas: Oportet deo plus obedire quàm hominibus. Quotquot ergo in hominum gratiam eius officij obliuiscuntur, quo deo deuincti sunt, merentur, ut cum ijs pereant, quos deo chariores habuerunt. Docent hæc fugienda esse malorum consortia: & si id non datur, saltem cauendum est, ne illorum conatus improbos uel nostro consensu approbemus, uel authoritate tueamur. Notus est in ethnicorum scriptis de ciconia, inter grues capta, apologus, quam nequicquam de sua innocentia disserentem iugulauit agricola, eò quòd cum gruibus, quæ ipsius segetem depastæ fuerant, capta esset. Sed & Paulus alibi, non modò eos qui mala faciunt, uerumetiā hos, qui illis consentiunt, pœna dignos esse pronunciat. Rom. 1. Quæ si hodie considerem, nostri seculi multiplices calamitates minus mirabimur, quando contempti & oppreßi euangelij reatu omnes ferè homines tenentur, dum alij quidem illud immani crudelitate persequuntur, alij persecutorum amicitias & fœdera solicitè curant, alij uerò otiosi spectatores eos perire & opprimi sinunt, quos suo patrocinio tueri debebant.

I. De Pauli comitibus.

Impiorum socij cum ijsdem puniuntur.

Cæterum ad Paulum redeamus, cuius sortem modò describit Lucas. Et primò quidem illum surrexisse dicit, cùm nimirum surgendi copiam illi fecisset Christus dominus. Addit autem, quòd cùm aperuisset oculos, nihil tamen uiderit, cœlestis nimirum lucis fulgore excæcatus. Quare comitum siue famulorum ductu Damascum peruenit, ubi toto triduo neq; comedisse neq; bibisse dicitur. Sunt autē hæc omnia haud uulgaris consternationis indicia, quæ illius tum corpus tum mentem perculerat. Quæ ab alijs hoc loco de Pauli raptu in Paradisum referuntur, ut incerta relinquimus, ne quid audacius asserere uideamur. Interim obseruasse sufficiat, ut suorum conatus eludere soleat deus, & in illorum capita retorqueat, quæ illi aduersus fideles suos machinantur. Visus est hucusq; multis alijs oculatior Paulus, utpote qui supra multos æquales suos profecit, quemadmodum ipse alibi testatur. Gal. 1. At nunc tam corpore quàm mente cæcus est, donec diuinitus illuminatur. Idem comitum & seruorum caterua stipatus aduenit, quos in eum finem delegerat, ut Christianos uinctos Hierosolymam abducerent. Sed ab illis ipse plus quàm uinctus & captiuus ducitur. Similiter multis illum famis & inopiæ authorem fuisse, credibile est. At nunc ipse toto triduo famem sustinet, adeoq; rerum omnium incertus est. Sunt eius generis exempla paßim in scripturis. Ita Balaamum & Balakum de-

III. Pauli conditio.

Deus impiorū conatus in authores retorquet.

lusos uidemus, dum benedictionibus Israelem accumulant, quem maledictionibus obruere instituerant. Ita Aegyptij proprijs opibus onustos extrudunt, quos perpetuo seruitutis iugo opprimere uolebant. Sic Saul Dauidi gloriæ maioris materiam indies subministrat, dum illum oppressum cupit. Eodem Hamani & Mardochæi historia debet referri cum infinitis alijs, quæ Dauidis dictum confirmant, quo ille deum hostium suorum consilia ex alto deridere testatur. Psal. 2. Discamus ergo saluatoris nostri, Iesu Christi, potentiam agnoscere, nec ullis hostium ipsius minis & conatibus terreamur. Illi uerò subijciamur fideli obedientia, ut in cœlis olim promissæ gloriæ cum illo hæredes fiamus; cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA LXV.

Erat autem quidam discipulus Damasci, nomine Ananias, & dixit ad illum in uisione dominus: Anania. Ille autem ait: Ecce ego, domine. Dominus autem ad eum: Surge & uade in uiam, quæ uocatur Recta, & quære in domo Iudæ Saulum, nomine Tarsensem. Ecce enim orat. Et uidit in uisione uirum, Ananiã nomine, introeuntem & imponentem sibi manum, ut uisum reciperet. Respondit autẽ Ananias: Domine, audiui ex multis de uiro hoc, quanta mala fecerit sanctis tuis Hierosolymis: & hic habet potestatem à summis sacerdotibus uinciendi omnes, qui inuocant nomen tuum. Dixit autem illi dominus: Vade, quia organum electum mihi est iste, ut portet nomen meum coram gentibus & regibus & filijs Israel. Ego enim ostendam ei, quanta oporteat ipsum pro nomine meo pati.

QVamuis omnium apostolorum conuersiones & uocationes diligenter à nobis consyderari debeant, singularem tamen diligentiam Pauli conuersio meretur: partim quidem quòd illustre & præclarum diuinæ bonitatis erga peccatores exemplum habet: partim uero, quòd Paulus hic plus omnibus alijs apostolis laborauit, nec alius est, cuius scripta cùm à ueteribus tum recentioribus ecclesiæ doctoribus in fidei & salutis causa explicanda frequentius adducantur. Necesse ergo est, ut sciamus, quis ille fuerit, quomodo eundem uocarit & conuerterit deus, ut maior apud nos esse possit doctrinæ ipsius authoritas. Quæ causa est, quòd illius historiam tam diligenter Lucas describit. Et hucusq; quidem exposuit, ut illius ferociam & horribiles conatus in medio cursu dominus interruperit, idq; tanta uiolentia, ut se iam docilem & morigerum offerret domino, qui paulò ante hostis acerrimus fuerat. His commodè ipsius ordinationem ad apostolicum munus subijcit, quæ præclaram actionem continet inter dominum Iesum Christum & Ananiam, cuius ministerio Paulus ordinari debuit. Huius singulas partes, quantum dominus dederit, explicabimus.

Ananias uocatur, ut Paulum ordinet.

Primùm, à domino uocatur Ananias, ut illius ministerio Paulus ordinetur. Et de hoc quidem in præsenti pauca Lucas dicit, pluribus autem de illo ipse Paulus differet, quando illum pietatis nomine commendat, & apud omnes Iudæos probitatis & innocentiæ testimonium meruisse dicit. Act. 22. Hunc per uisionem suæ uoluntatis certum facit dominus, & simul Paulum, aßiduis precibus instantem alia uisione ad excipiendũ dignè Ananiam præparat. Hîc uerò obseruandus est nobis Christus dominus, qui utrunq; uisione luculenta instruere uoluit. Ex eo enim ardens Christi pro humani generis salute studium agnoscitur, quo cùm omnes prosequi soleat, imprimis tamen illud in quærendis & saluandis perditis ouibus adhibere consueuit, quemadmodum ipse alibi fatetur. Luc. 15. Quod ut consolationem nobis adfert, ita nostræ etiam institutioni seruit, ut nimirum saluandis potius quàm perdendis peccatoribus studeamus, nec illos imitemur, qui dum feruenti diuinæ gloriæ zelo gloriantur, omnes eos temerè abijciunt & damnant, quos semel à uia ueritatis exorbitauisse uident. Deinde admonemur simul, quàm referat, ut in externo uerbi ministerio omnia ritè & legitimè administrentur. Nisi enim illic & ministri dignè uocentur, suæq; uocationis certi sint, & ritè præparentur ad hos excipiendum auditores, fructus dignus sequi non poterit. Quomodo enim prædicabunt, nisi missi fuerint? Rom. 10. Vel quibus rationibus aduersus impiorum minas & improbos

conatus

conatus erigentur, qui malis artibus docendi officium usurparunt? Rursus, nisi præparati & ritè instructi ad uerbum domini auditores accesserint, salutare illud semen, uel in uiam, uel in loca petricosa, uel in spinas excipient, & multa obstabunt, quò minus fructus dignos facere poßint. Quare honestos animos Christus requirit, qui semel exceptum semen tenaciter seruent, & aduersus omnes satanæ simul & mundi propriæq; carnis suggestiones armati, fructus dignos ferant in patientia. Luc. 8. Ad illud uerò diligenti præparatione opus esse, quiuis intelliget, qui humanæ naturæ corruptionem rectè perspectam habuerit. Hæc si hodie expendamus, facilè patebit, cur paßim ferè absque fructu prædicetur. Nam & maxima ministrorum pars, non expectata legitima uocatione domini, malis artibus ecclesiæ ministerium uentris gratia & studio inuadunt, & qui uerbi auditores non omnino impij uideri uolunt, ita ad illud accedunt, ut illos hoc potius ex consuetudine uulgari, quàm serio emendationis studio facere uideas, ijs omninò similes, qui apud prophetam dicebant: Venite quæso, & audite quod nam uerbum egressum sit à domino, &c. Vide locum Ezech. 33. cap.

Præterea Paulus quoque consyderandus uenit, quem dominus Ananiæ loquens, orauisse testatur. Id uerò de aßiduis precibus, quibus toto illo triduo uacauit, intelligendum esse, ex circumstantijs facilè liquet, cum multa fuerint, quæ Paulum ad precandum excitare potuerunt. Senserat enim horribilem dei manum, qua prostratus fuerat. Audiuerat se cœlitus accusari tanquam publicum filij dei hostem. Obuersabantur ergo illius animo improbi conatus & immanis sæuitia & impietas, quibus in Christi nomen & ecclesiam peccauerat: piorum item exilia, uincula, carceres, tormenta, unà cum mulierum & paruulorum eiulatu & clamoribus, quorum omnium ipse author fuerat. Exagitabat consternatum adhuc mens sibi malè conscia. Deinde etiam promissæ reuelationis & institutionis expectatio haud uulgarem sedulò precandi zelum in ipso excitare potuit. Attamen tam sedulò tamq; ardenter orantem toto triduo frustratur (ut ita dicam) dominus. Cōmendant hæc nobis indesinens orandi studium, cum non pauciores nec leuiores caussæ sint, quæ nos quoq; ad illud excitare poßunt. Nam si in nosmetipsos descendamus, peccata haud uulgaria deprehendemus, quibus dei iram meruimus. Sentimus frequenter dei irati manum. Exagitat frequenter scelerum conscientia. Diuina institutione omnes indigemus. Instant & urgent paßim omnis generis aduersa. Quorum meditatio, nisi precandi ardorem in nobis excitare potest, ferrei & glacie frigidiores meritò dicemur. Paulus certè has ob causas nos indesinenter orare iubet. 1. Thessal. 5. cap. Ita uerò precibus instandum esse meminerimus, ne diffidentiæ aut impatientiæ malo superati, deo temere præscribamus. Differt enim ille interdum promissam nobis opem, non quòd in se sperantes frustrari uelit, sed ut fidem nostrā exerceat: cuius rei exempla tum in Paulo hoc loco, tum in Abrahamo, Cananea muliere, & multis alijs paßim proponuntur. Hic ergo fidei neruos intendamus, & uiduæ illius exēplum imitemur, cuius importunitate iniustum quoque iudicem superatum esse, Christus testatur. Luc. 18. Sed ô miseros & infelices nos, qui ut ad preces uix extrema neceßitate accedimus, ita in ijsdem languemus & deficimus illicò, ut primùm non nostris uotis per omnia dominus annuerit, nostræ nimirum conditionis parum memores, qui cum serui simus, dominum expectare, non autem illi imperiosè præscribere, debebamus.

Paulus orat.

Sed Ananiam uideamus, qui periculi metu superatus, aduersus euidens & disertum domini mandatum tergiuersatur. Ait enim: Domine, audiui ex multis de uiro hoc, quanta mala fecerit sanctis tuis Hierosolymis, & hic habet potestatem à summis sacerdotibus uinciendi omnes, qui inuocant nomen tuum. Aliorum testimonia producit, ne frustra sibi metuere uideatur. At ridiculum est, hominum potius testimonijs, quàm dei uerbo, niti. Ridiculum item ex aliorum ore Sauli res gestas coram domino recensere, quasi hæ illum hucusq; latuissent. Sed eò nos deducit peßimus & stultißimus consultor, metus, si illū semel in dei mandatis discutiendis adhibuerimus. Constat tamen exemplo hoc, illum, non rarò in sanctos etiā & fidos dei cultores cadere. Eodem Abrahamum superatum legimus, ut Saram sibi coniugem esse negaret. Gene. 12. & 20. Eodē perculsus Moses, ægerrimè adduci potest, ut liberandi populi Israelitici munus aggrediatur. Exod. 3. & 4. Sensit hunc Elias propheta, quādo post deuictos & iugulatos Baalis sacerdotes, muliebribus reginæ Iezabelis minis animo fractus incertam fugam capeßit. 1. Reg. 19. Metu quoque deceptus Ionas inter marinos fluctus & barbaros nautas maiorem sibi securitatem spondet, quàm in domini uocatione & præsidio. Pos-

Ananias meticulosè tergiuersatur.

ſent hic aliorum quoq; prophetarum & apoſtolorum exempla adduci. Sed eſt hæc humana infirmitas, propter quam nemo temere damnari debet, quando non obſcura illius indicia in Chriſto quoq; cum mortis hora inſtaret, eluxiſſe uidemus. Curandum uerò, ne hac ita nos abſorberi patiamur, ut iniunctam nobis à domino prouinciam omnino deſeramus. Quin potius in dei prouidentiam reſpiciendo, nos totos ipſius uoluntati committamus, ſicuti apoſtolos Chriſtus admonet. Matth. 10. Quò etiam generales diuini auxilij promiſsiones referri debent, quæ certum & fidum præſidium in ſua uocatione ambulantibus pollicentur. Et his quidem Ananiam quoq; confirmatum eſſe crediderim, qui licet initiò ſubtimidus uideatur, cedit tamen inſtanti domino, & denuo mandanti fidele obſequium præſtat.

Dominus Ananiā conſolatur.

Eſt autem cumprimis præclara conſolatio, qua nutantem & meticuloſum Ananiæ animum dominus erigit & confirmat. Vade (inquit) quia organum electum mihi eſt iſte, ut portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filijs Iſrael. Ego enim oſtendam ei, quanta oporteat ipſum pro nomine meo pati. Videntur autem duæ rationes adduci, propter quas non timere debeat Ananias, & utraq; à Pauli perſona deſumitur. Primò enim, illum non ut antehac tyrannum & perſecutorem eſſe, ait, ſed ex electorum numero, adeoq; fortiſsimum fideliſsimumq; Chriſtiani nominis propugnatorem in poſterum fore. Deinde tam abeſſe docet, ut à Paulo aliqua perſecutio timeri debeat, ut potius ipſe nihil non propter Chriſti nomen ſit paſſurus. Comprehendunt autem hæc uerba præclarum & illuſtre Pauli præconium, in cuius conſyderatione non indiligenter nos uerſari oportet, cum ut plenius à nobis cognoſcatur diuinæ bonitatis excellentia, tū ut intelligamus, quanta apud nos eſſe debeat Paulinæ doctrinæ authoritas.

Encomium Pauli.

Electum organum.

Primò uas electionis Hebraica phraſi dicitur, id eſt, organum electiſsimum. Solent enim Hebræi uaſis nomine omne genus armorum ſiue inſtrumentorum complecti. Et ijdem genitiuo ſubſtantiui pro adiectiuo utuntur. Dicuntur autem homines uaſa ſiue organa dei, eò quòd per illos ſua iudicia hic exequitur. Ita Paulus alibi uaſa gloriæ & miſericordiæ, pro electis, & rurſum uaſa iræ pro reprobis uſurpat. Rom. 9. Et Sanherib eadem ratione uirga furoris domini dicitur. Iſa. 10. Electum uerò organum Chriſtus Paulum uocat, eò quòd per hunc maxima & ſaluberrima opera in euangelij & fidei ſaluificæ promulgatione executus eſt. Interim admonet uaſis ſiue organi uocabulum, ut homines ſuæ conditionis memores, ſi quid in ſeipſis eximium & præclarum uident, illud non ſibijpſis proprium eſſe putent, ſed omnem laudem & gloriam deo deberi intelligant, qui ipſorū opera uti dignatus eſt. Non intelligunt hoc reprobi & dei cognitione uacui: quare ſuis uiribus & conſilijs arrogāter tribuunt, quicquid in ipſis eximium habetur. Quàm uerò illud domino diſpliceat, Sanherib Aſſyrij & Nabuchodonozoris Babylonij exēpla abundè docent. Vide Iſa. 10. Daniel. 4. cap. Multò rectius hæc Paulus obſeruauit, qui quicquid eſt, ſe ex dei gratia eſſe, ingenuè fatetur. 1. Cor. 15. Idem miniſtros omnes admonet, ne quid uel ſibijpſis uel alijs tribuant, ſed omnem miniſterij effectum dei eſſe meminerint, qui ſolus dat incrementum. 1. Cor. 3. Plurimum uerò ad animos hominum humiliandos hæc conſyderatio ſeruit. Solicitos enim reddit, ne inſolentia aut ſecuritate excidētes iræ uaſa & organa efficiantur.

Paulus deſtinatus ad prædicationem Chriſti.

Secundò finem & uſum huius organi Chriſtus exprimit, & eò deſtinatum eſſe docet Paulum, ut nomen ipſius portet, id eſt, euehat & extollat, coram gentibus & regibus & filijs Iſrael. Intelligitur autem euangelij prædicatio, qua Chriſti nomen extolli & celebrari ſolet, quando in illo pœnitentia & remiſsio peccatorum prædicatur. Hic autem officij admonentur miniſtri omnes. Horum enim eſt nomen Ieſu Chriſti portare, id eſt illum prædicare ſaluatorem, regem & ſacerdotem, & in illo uno monſtrare, quæcunq; ſaluti noſtræ inſeruiunt. Ita Paulus ſe nihil aliud nouiſſe fatetur, præter Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum. 1. Cor. 2. Idem in ſolius Chriſti cruce ſibi gloriandum eſſe, clamat. Gal. 6. Idem nomen Petrus portauit, quando nullum aliud ſub Sole hominibus datum eſſe dixit, in quo ſaluari ipſos oporteat. Acto. 4. Vnde colligimus, non Chriſti miniſtros eſſe, ſed Antichriſti ſpiritu omnes eos agitari, quicunq; aliud nomen proferunt, in quo pœnitentiam aut remiſsionem peccatorum prædicant. Vide de his 1. Iohan. 4. Simul uerò meminerint miniſtri, non in angulis hoc nomen portandum eſſe, ſed coram gentibus, regibus & Iudæis. Licet enim non omnes apoſtoli ſimus, omnium tamen eſt, ne nos Chriſti pudeat, & ut de teſtimonijs ipſius (ſicuti Dauid ait) coram

regibus loquamur, parati ad reddendam fidei nostræ rationem omni petenti. 1. Pet. 2. Quanta uerò fide & studio commissum sibi à Christo munus Paulus obierit, historiæ contextus docebit. Et ipse fatetur, se ab Hierosolymis & circumiacentibus regionibus ad Illyricum usq; euangelium impleuisse. Rom. decimo quinto.

Tertiò, ne quis tantum Christi ministrum priuilegio quodam immunitatis donatum putaret, de illius quoq; afflictionibus mentionem facit. Ego (inquit) ostendam ei, quanta ipsum oporteat pati pro nomine meo. Quæ uerba non comminationem, sed potius promissionem habent. Primò enim scimus, Christum suæ gloriæ consortes facere eos, quos crucis suæ socios habere dignatur. Vnde Paulus postea Philippenses hoc nomine commendat, quòd ipsis datum sit, ut non modò in Christum credant, uerumetiam pro illo patiantur. Deinde inuictum quoq; fore prædicit, adeoq; suum auxilium in ferenda cruce illi pollicetur. Optimus uerò huius dicti interpres ipse Paulus erit, qui Corinthijs scribens, ait: A Iudæis quinquies quadragenas plagas, una minus, accepi. Ter uirgis cæsus fui: semel fui lapidatus: ter naufragium feci, noctem & diem in profundo egi, in itineribus sæpe, in periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in deserto, periculis in mari, periculis inter falsos fratres &c. Vide locum 2. Cor. 11. & 12. cap. Porrò docent hæc euangelium sine cruce prædicari non posse. Nec enim eius lucem mundus hic ferre potest, cum illius opera praua sint. Iohan. 3. Quare ut Paulum hic, ita passim suos de cruce ferenda Christus admonet. Stultissimi ergo mortalium sunt, qui in euangelij ministerio rem sine periculo confici posse existimant, & mundo huic placere student. Imò functioni huic parum idoneus erit, nisi qui ad crucem & quæuis aduersa ferenda semetipsum præparauerit. De qua re uide apud Lucam cap. 14. Meminerimus autem, uires & facultates ab uno domino dari, cuius dilectionē, qua ille nos complexus est, si probè perspectam habuerimus, in omnem euētum (ut Paulus postea monuit) parati & inuicti erimus. Rom. 8. Hunc ergo assiduis precibus fatigemus, ut & nobis detur pro Christi nomine pati, & cum eodem cœlestis regni hæreditatem adire: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Paulus inuictus in ferēdá cruce.

HOMILIA LXVI.

Abijt autem Ananias, & ingressus est in domum, & cum imposuisset ei manus, dixit: Saul frater, dominus misit me, Iesus scilicet, qui tibi apparuit in uia, qua ueniebas, ut uisum recipias, & implearis spiritu sancto. Et continuo deciderunt ab oculis eius tanquam squamæ, & uisum recepit: & surgens baptizatus est, & sumpto cibo conualuit. Fuit autem Saulus cum discipulis, qui Damasci agebant, per dies aliquot. Et continuò in Synagogis prædicauit Christum, quòd hic esset filius dei. Obstupescebant autem omnes qui audiebant, & dicebant: Nonne hic est, qui uastauit Hierosolymis eos, qui inuocabant nomen hoc: & eo consilio uenit huc, ut eos uinctos duceret ad summos Sacerdotes? Saulus autem corroborabatur, & confundebat Iudæos, qui habitabant Damasci, confirmans quòd hic esset Christus.

Diui Pauli conuersionem summa diligentia Lucas describit, partim quidem ut ex hac dei gratiam & bonitatem, qua is peccatores complectitur, agnoscamus: partim uerò, ut maior apud nos sit doctrinæ Pauli authoritas, quam ille tam graui protestatione commendauit, ut ne angelo quidem diuersum docenti credendum esse dixerit. Ad utrunq; præclarum illud & illustre testimonium pertinet, quo ipse Christus (sicuti heri audiuimus) Paulum exornauit. Nam electum organum uocat eum, qui paulò ante uas iræ uideri poterat. Adhæc illi in rebus agendis fidem, dexteritatem, animi constantiam & patientiam tribuit. Vnde colligimus, magnam esse dei erga peccatores bonitatē, nec contemni à nobis posse Pauli doctrinam, nisi in ipsum Christum contumeliosè peccare, & illius testimonium mendacij arguere uelimus. Sed præsentem locum uideamus, qui Pauli restitutionem, & primum illius actum in apostolatu siue euangelij ministerio comprehendit.

I. Paulus restituitur, & baptizatur. Ananiæ obedientia.

Quoad Pauli restitutionem, qui toto triduo oculis captus, tandem uisum recepit, & baptismo in Christi ecclesiam adoptatus est, personæ tum Ananiæ tum Pauli, consyderandæ ueniunt, unà cum mirabili effectu, quem mox secutum esse, euangelista tradit. Primò autem de Anania dicemus, cuius ministerio hic dominus uti uoluit. Dicitur is abijsse, & ingressus esse domum Iudæ, in qua Paulum diuersari audiuerat. Excußit ergo illi ignauum metum, quo ante correptus fuit, tam seria diuini mandati repetitio, nec amplius uel uulgi rumores, uel carnalis prudentiæ rationes domini præceptis opponit. Quem animũ in omnibus dei cultoribus uidere licet, qui hoc unum anxiè cauent, ne ignobili metu ab obedientiæ officio, quo deo obstricti sunt, reuocentur. Imitemur hos etiam nos, & omni uenia siue excusatione indignos esse intelligamus, quos ita absorbet carnis infirmitas & periculorum metus, ut tum dei tum sui officij immemores, omne deo obsequium negare pergant.

Manuum impositio.

Deinde manus Saulo imposuisse dicitur Ananias. Quæ ceremonia è ueteri Testamento non inepte ad ministrorum ordinationem siue inaugurationem translata est. Olim enim sacrificijs manus imponebant sacerdotes, qua re testabantur, communem hic populi causam agi, & simul altari astantes pecudes deo consecrabant. Simili ratione per manuum impositionem ministris publica totius ecclesiæ cura commendatur, & ipsi admonentur, ut sese deo consecratos esse meminerint, & proinde in illius gloriam omnia sua studia, curas, labores & uigilias conferant.

Verbi prædicatio.

At quia nullus inanis ceremoniæ usus esse poterat, uerbum simul adhibet Ananias, quo illi nunciat, quæcunq; à Christo dicere iussus erat. Vbi intrepidus Ananiæ animus obseruandus est, qui & Iesu Christi nomen ingenuè profitetur, et illius seruum sese agnoscit coram illo, quem hucusq; acerrimum Christi hostem fuisse nouerat. Rursum uerò, quia Christi de Paulo testimonium audierat, illum fratrem appellare non dedignatur. Coniungi ergo debet in ministris fortis & intrepida animi magnitudo cum leni & affabili facilitate, ne uidelicet, uel Christi confeßionem & debitæ obedientiæ studium sibi excuti patiantur, uel nimiæ & importunæ seueritatis supercilio eos improbè repellant, quos fratrum loco complecti & Christo per omnia lucrifacere debebant.

Pauli oculis squamæ decidunt.

His uerò mirabilem effectum Lucas subijcit. Nam à Pauli oculis squamarum instar aliquid decidisse, & hunc illico uisum recepisse, scribit. Squamarum uerò mentionem facit, ut intelligamus non leuiter tantum oculos, ut fulgure fieri consueuit, perstrictos, sed crassam & miraculosam cæcitatem illis inductam fuisse. Nec enim miraculo caret, quòd intra paucos dies squamæ in illis enasci potuerunt, quæ omnem uisus facultatem adimerent. Nec minus miraculosa est tam subita amissi uisus restitutio. Interim patet, dominum non obscurè Saulum pristinæ conditionis, quam in Iudaismo, seu potius pharisaismo, agens sustinuerat, admonere uoluisse. Tunc enim ad Gamalielis pedes institutus, cum inter æquales omnes mirificè proficeret, sibijpsi præ cæteris oculatus esse & sapere uidebatur. Atqui mera cæcitas erat, quæ illi tantopere placebat, sapientia. Adhuc enim illi ob oculos expansum erat uelum, quo Iudæi prohibentur, quò minus germanam Mosis faciem intueri possint: eò quòd Christi cognitione careant, in quo solo cœlestem lucem deus pater exhibuit, quæ omnes ignorantiæ & carnalis zeli tenebras discutere potest. Hæc quia Paulo illucescere cœpit, ab oculis illius squamæ decidunt, & cæco ignorantiæ zelo se hucusq; miserè & turpiter seductum fuisse, uidet. Christum ergo lucem sequantur, & in illo ambulent, quicunq; absq; offendiculo in salutis & fidei causa uersari uoluerint. Vide Iohan. 1. 8. & 12. cap.

2. Cor. 3.

Paulus baptizatur.

Quid uerò Paulus recepto uisu fecit? Surgens baptizatus est, & sumpto cibo cõualuit. Primò baptizatũ fuisse dicit, eò quòd de hoc etiã ab Anania admonitus fuerat, quemadmodũ ipse Acto. 22. testabitur. Atqui superuacaneus uideri poterat baptismus in eo, quẽ ipse Christus organum electũ esse agnoscebat, qui mirificam Christi uirtutem senserat, qui iam spiritu sancto erat donatus, et cuius oculos tum mentis tum corporis singulari beneficio dominus illuminarat. Sed nihil superuacaneum & inutile iudicant sancti, quod à domino institutum esse norunt. Et quia eorum obseruationem, quæ in ueteri Testamento ad tempus correctionis usq; tradita fuêre, tanta seueritate præceptam fuisse legunt, ut ea transgredi capitale esset: nunquã sibi tantum permittunt, ut in ijs aliquid negligant, quæ Christus abs se tradita usq; ad mundi consummationem obseruari uult. Execrabilis ergo est illorum impudentia & temeritas, qui Baptismi & Cœnæ dominicæ usum hodie impudenter negligunt, & eademum re fidei suæ perfectionem ostentant, quòd domini instituta improbè aspernari audeant.

Deinde

Deindo cibo sumpto amissas & collapsas corporis uires Paulus recreat & reuocat. Vtuntur ergo ijs sancti, quæ naturæ nostræ conseruandæ seruiunt, quæq; in eum usum nobis à deo sunt tradita: qualia sunt cibus, potus, uestitus, & si quæ alia sunt eius generis. Ita ipse Paulus Timotheum monet, ut propter stomachi imbecillis cruditatem uino modico utatur. 1. Tim. 5. Confutatur ijs exemplis inepta illorum superstitio, qui eo nomine singularis sanctitatis titulum uenantur, quòd necessarijs abstineant. Licet enim non damnemus ieiunia, quibus lasciuientis carnis ferocia domatur, ut sponso Christo libentius obtemperet: ita probare non possumus, eos, qui meritum in eo constituũt, siue quærunt, quod diuinis literis nusquam mandatum est. In illos enim illud domini competit: Quando comeditis & bibitis, annon uobis comeditis, & uobis bibitis? Zach. 7. Qua ratione etiam ijsdem dici potest: Quando ieiunatis, uobis ieiunatis. Quid? quòd Paulus ab illis cauendum esse docet, qui superstitiosè quibusdam abstinere docent, & eos dæmoniorum doctrinam afferre dicit, qui cibis à domino in usum humanum creatis abstinere iubent. Coloss. 2. 1. Timo. 4.

Cibo sumpto recreatur.

Sed pergamus in suscepti loci tractatione, & primum Pauli in euangelij ministerio actum considerem us, de quo duo dicuntur. Primò cum discipulis, id est Christianis, qui Damasci fuerunt, conuersatus fuisse scribitur. Non ergo Iudæis aut gentibus, publicis Christi inimicis, sed fidelibus, qui & ipsi nomen Christi profitebantur, sese coniunxit. Admonemur exemplo hoc, piorum cõmercijs eos uti debere, qui Christiani haberi uolunt, ab illis autem abstinere, quos Christiani nominis hostes ex professo esse nouerunt. Licet enim pio cum alienis à fide conuersari permissum sit, quatenus illud publica necessitas requirit, ea tamen commercia sibi noxia esse intelligant fideles, quæ nulla necessitate iubente, solius amicitiæ mundanæ & uoluptatis gratia cum impijs contrahuntur. Legimus equidem Iesum Christum nonnunquam pharisæorum & publicanorum conuiuijs interfuisse. Illud uerò ipsum non animi gratia, sed ut illos saluti lucrifaceret, fecisse constat. Nunquam enim sui officij ita oblitus est, ut ad illorum errores conniueret, sed conuiuales quoq; sermones salutaribus præceptis & regni cœlorum mysterijs condiuit. Quòd si qui ad eum modum incredulorum consortia quærunt, meritò illorum studium probamus. At ijs, qui ad impiorum blasphemias, nefandam idololatriam, ineptam superstitionem, corruptissimos mores & studia turpissima ignauo & oscitanti animo conniuent, ut illis belli homines uideri, illorumq; stabili amicitia & fauore frui possint, Dauidicum illud occinimus, qui eum inter cœlestis regni ciues ascribit, qui nullius reputat impium, eos autem qui dominum timent, honorat. Psal. 15. Idem se sanctis, qui in terra sunt, delectari dicit. Psal. 16. Cur enim in satanæ & Antichristi castris Christi miles otiosus & iners conspiciatur? Cur illorum dicta factaq; ferat, quos Christi honori & gloriæ derogare nouit?

II. Primus Pauli actus in apostolatu.

Secundo loco de Pauli doctrina agitur, quæ in hoc actu meritò primas tenet. Dicitur autem publicè in synagogis prædicauisse. Et quid nam prædicauit nouus ille apostolus? Iesum, & hũc quidem esse filium dei & Christum. Hæc uerò non perfunctoriè modò & frigidè docuit, sed argumentis & scripturis ualidissimè confirmauit, ut Iudæos omnes, qui infensissimi Iesu Christi hostes erant, planè confunderet, & suarum in religione rerum incertos faceret.

Paulus prædicat Iesum.

Habemus in his summam doctrinæ Pauli, cuius præcipua nobis esse debet authoritas. Fatetur hic alibi, se nihil præter Iesum Christum nouisse. 1. Corinth. 2. cap. Quem ergo solum nouit, solum quoque prædicare uoluit. Paucis autem, adeoq; duobus, capitibus comprehendit, quæcunq; de illo propheticis simul & apostolicis scriptis fusissimè tractata sunt. Primò enim Iesum, qui ex Maria uirgine homo natus est, dei quoq; filium esse docuit. Ita uerò complexus est, quæcunq; ad Christi personam cognoscendam faciunt, in qua nisi humanam simul & diuinam naturam agnoscamus, salua & integra subsistere nequit salutis nostræ ratio, quam uni Christo inniti omnis scriptura passim testatur. Vtranq; uerò Paulus agnoscit. Quomodo enim non humanam in Iesu naturam fatetur, qui de illo loquebatur, quem à Iudæis captum, crucifixum, & mortuũ fuisse nouerat, & quem alibi ex Iudæis hominem uerum secundum carnem natum esse testatur? Rom. 9. cap. At cum eundem filium dei esse dicit, diuinitatem eius negare non potest. Quid enim ex deo, nisi deus, nasceretur? Verum ergo deum & hominem esse docuit Iesum: deum quidem ab æterno, hominem uerò factum constituto siue præfinito tempore, quemadmodum alibi monet. Gal. 4. Deinde officium quoq; illius exposuit, & ostendit CHRISTVM, id est, unctum dei esse. Vngebantur olim ex ueteri instituto

Summa doctrinæ apostolicæ.

reges & sacerdotes. Et quia tum regis tum sacerdotis munere promissus humano generi saluator fungi debebat, illum Christi siue Messiæ, id est, uncti nomine deus insignire uoluit. Alterum erat Saulinæ doctrinæ caput fuit, Iesum hunc, qui uerus deus & homo est, simul etiam promissum esse mundi saluatorem, quem legales ceremoniæ adumbrarint, & prophetarum oracula uenturum esse prædixerint. Atqui hæc illa doctrina est, quæ sola apostolica dici meretur. Cum ea enim confessione conuenit, quam quærente Christo, omnium apostolorum nomine Petrus edidit, dicens: Tu es Christus ille filius dei uiuentis. Et tu uerba uitæ æternæ habes. Matth. 16. Iohan. 6. Et hæc illa fides est, quæ Christo petræ superstructa, uacillare nequit, nec illi portæ inferorum præualent. Hanc ergo doctrinā constanter seruent, quicunq; Christi cultores dici & apostolica fide gloriari uoluerint. De hac enim Paulum pronunciauisse constat: Etiamsi nos, aut angelus è cœlo prædicauerit uobis euangelium, præter id quod prædicauimus uobis, anathema sit. Gal. 1.

Paulus confutat Iudæos.

Num uerò obiter duntaxat & perfunctoriè doctrinam hanc Paulus proposuit? Nequaquam. Imò, quia Damasci Iudæorum scholæ erant, quarum delirijs uera Iesu Christi cognitio obscurabatur, illa sibi confutanda & ueram de Christo doctrinam scripturarum authoritate confirmandam esse putauit. Constat enim Iudæos agnouisse quidem ueteres de Messia promissiones. Sed quia hunc terrenum tantummodo principem fore imaginabantur, qui uetus illud Israeliticæ gentis regnum instaurare, illius maiestatem reducere, & populum Romanæ tyrannidis iugo liberare deberet: nunquam adduci potuerunt, ut Iesum, cuius aduentus humillimus, conuersatio uilissima, & mors ignominiosa fuerat, Messiam illum agnoscerent. Horum ergo errores fortiter oppugnauit Paulus, & Iesum hunc dei filium & Messiam esse, tanta scripturarum authoritate & argumentorum ui asseruit, ut doctissimos quosq;, qui illud hucusq; negare ausi fuerant, pudore suffusos miserè turbaret, rerumq; suarum incertos faceret. Quod omnibus euenire solet, quibus turpe uidetur, Christo & ueritati manus dare.

Vt euangelium prædicari debeat.

Admonet locus hic, ut euangelij doctrina prædicari debeat. Qua in re multorum ea est sententia, ut sufficere putent simplicem planamq; mysteriorum salutis explicationem: eos uerò inanem operam sumere & intolerabiles dissidiorum authores esse, qui Antichristi tyrannidem arguunt, superstitionem oppugnant, & cum professis ueritatis hostibus certamen publicè suscipiunt. Atqui sufficere poterat simplex illa salutis doctrina, nisi essent, qui illam erroribus ac tenebris inuoluere, & incautos à ueritatis semita abducere studerent. Tales uerò cum & olim fuerint, & hodie passim reperiantur, moneri oportet fideles, ne illis aures præbeant. Id uerò nunquam efficies, nisi illos toto cœlo errare demonstraueris. Rursum cum eò usq; multorum impudentia progrediatur, ut palam ueritati contradicere ausint, hi quoq; publicè confutandi sunt, ne sua temeritate ueritatis causam suspectam reddant. Vtrunq; non apostolos modò, uerumetiam Christum fecisse legimus, cuius exemplum meritò imitari debent, quicunq; ecclesiæ ipsius ministri dici & haberi uolunt. Quæ causa est, quòd eiusmodi doctores Paulus esse uult, qui non modò sana doctrina rudiores instituere, uerumetiam contradicentes conuincere possint. Tit. 1. Et idem scripturas quoq; in eum finem datas esse testatur, ut aduersarijs redarguendis seruiant. 2. Tim. 3. Quæ res tanti momenti esse spiritui sancto uisa est, ut per apostolos non modò illius seculi impostores argui, uerumetiam de illis nos admoneri uoluerit, qui nouissimis temporibus ecclesiam turbaturi erant. Quo igitur iure illis hodie in ecclesia grassantibus, silentium ministris imponent, qui nullius impietatem traduci uolunt?

Prædicationis Paulinæ effectus.

Porrò primi huius speciminis siue congressus effectum uideamus. Obstupescebant omnes (inquit Lucas) & dicebant: Nónne hic est, qui uastauit Hierosolymis eos, &c. Hic uerò de pijs loquitur, de impiorum conatibus improbis postea dicturus. Conferunt autem illi cum anteactis præsens Pauli studium, & sic maiorem admirationis causam inueniunt. Addit alibi Paulus, quòd in ipso deum glorificauerint. Galat. 1. Quo exemplo obiter docemur, ita nos in sanctorum admiratione uersari debere, ut ad deum omnem laudem & gloriam referamus, qui hac illos gratia dignatus est. Admonet præterea Pauli exemplum, ne quem pudeat agnitos errores abnegare & oppugnare. Quàmuis enim hoc multi inconstantis & impudentis animi indicium uideatur, deo tamen hoc debemus & proximo. Iubet ille, ut ueritati uolentes cedamus, & proximum ab errore reuocemus. Impudentiæ ergo & impietatis summæ facinus est, si quis agnitos errores mordicus retinere, & quod apud

pro-

prophetam dominus accusat, uidentibus oculis cæcutire uelit. Nostrum est, Iesum, quem Paulus prædicauit, filium dei & Christi & agnoscere, illi fidere & seruire, & cum eodem in cœlis uiuamus: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA LXVII.

Cùm autem dies complures transacti essent, consiliũ inter se inierunt Iudæi, ut illum interficerent. Sed cognitæ sunt Saulo illorum insidiæ. Et custodiebant portas die noctecꝙ, ut eum interficerent. Cùm autem illum accepissent discipuli noctu, per murũ deposuerunt, demittentes in sporta. Porrò cùm uenisset Saulus Hierosolymam, tentabat se adiungere discipulis, & omnes timebant eum, non credentes, quòd esset discipulus. Barnabas autem assumptum illum duxit ad apostolos, & narrauit illis, quomodo in uia uidisset dominum, & quòd locutus esset ei, & quomodo Damasci confidenter egisset in nomine Iesu. Et uersatus est cum ipsis Hierosolymis, & confidenter locutus est in nomine domini Iesu. Loquebaturcꝙ & disputabat cum Græcis. Illi autem conati sunt eum interficere. Quod cùm cognouissent fratres, deduxerunt eum Cæsaream, & emiserunt eum in Tarsum.

VT in Pauli conuersione describenda diligens admodum fuit Lucas, ita non minori studio eiusdem doctrinam nuper exposuit. Summa eius fuit, Iesum, qui ex Maria uirgine homo natus est, simul etiam esse dei filium & Christum, id est, Regem & Sacerdotem nostrũ, adeoq; olim promissum humani generis redemptorem. Conuenit cum apostolorum confessione, quam omnium illorum nomine Petrus edidisse legitur: & simul omnem nostræ salutis rationem comprehendit, quemadmodum proximo Sermone dictum est. Quare sicuti aliâs Paulus admonet, ea animi constantia in retinenda doctrina hac nos uti conuenit, ut nullius authoritate, ne angeli quidem, nos ab ea auocari patiamur. Quia uerò Paulum electum organum fore Christus dixerat, breuem eorum, quæ Paulus circa sui apostolatus initia gessit, expositionem præsenti hoc loco euangelista subijcit: ut ea ostendat, qua fide & industria ille usus sit, ut tanto de se Christi præconio responderet. Est autem narratio hæc eò diligentius considerãda, quòd perspicuè docet, quàm uarij quamq; graues in hac uita fidelium Christi ministrorum casus sint, & quàm fideliter ijsdem pro sui nominis gloria periclitantibus promisso auxilio ille adesse soleat.

Ab ijs uerò narrandi initium sumit Lucas, quæ Damasci Paulo acciderunt. Sed priusquàm eius uerba attingamus, historiæ ordo contexendus erit, quem non adeò anxiè à Luca obseruatum fuisse constat, utpote cui non propositum fuit singulatim omnes res gestas commemorare, sed ea exponere, quæ ecclesiæ institutioni sufficere poterant. Et multa se scientem uolentemq; præteriuisse, non obscurè monet, quando post multos dies à Pauli conuersione, quæ hîc recenset, accidisse fatetur. Quare complanandus & sarciendus nobis erit historiæ ordo ex ijs, quæ ipse Paulus de rebus abs se gestis commemorat. Is autem ad Galatas scribens, primùm se Damasco in Arabiã concessisse dicit, priusquàm Hierosolymam proficisceretur. Ex Arabia uerò, quam ab illo Christi prædicatione illustratam esse credibile est, reuersus Damascum, in insidias, de quibus hîc agitur, incidit. Authores harũ Iudæi fuisse, hîc dicuntur. At in posteriori ad Corinth. cap. 12. ab Aretæ regis præfecto excubias hasce ad se comprehendendum dispositas fuisse, scribit. Vnde colligimus, hunc à Iudæis solicitatum hoc consilij cepisse: quod illi uel hoc nomine facilius persuaderi potuit, quòd Arabiam, quæ Aretæ parebat, euangelij prædicatione Paulus tentauisset. Pauli ergo profectionem in Arabiam Lucas omisit, quam priusquàm his insidijs peteretur, peractam fuisse oportuit, cùm paulò post, insidijs elapsus Hierosolymam uenisse dicatur. *Historiæ ordo siue contextus complanatur.*

Porrò quoad præsentem historiam, præcipuũ illius caput est, ut uideas, quid à mundo expectes, ut primùm te Christo coniunxeris. Quia enim suos è mundo selectos sibi uni Christus consecrat, eos mundus postea ferre non potest, quemadmodum ipse admonet, Iohan. 15. Et tot passim exempla ex- *Persecutio manet Christi ministros.*

tant, quibus hoc probari poterat, ut mirum sit hodie tam multos ijs aduersis offendi, de quibus literis nos scriptura admonet, & quibus omnes Christi cultores à prima mũdi origine exercitatos fuisse constat. Interim obseruemus, quòd post multos dies hæc accidisse Lucas ait. Datum igitur Paulo tempus prædicandi, & interea temporis hostium rabiem deus cobibuit, qui haud dubiè primis initijs obstitissent, nisi fræno per illum iniecto fuissent retracti. Vnde discimus non semper licere impijs quicquid libet, & quod cumprimis posse uidebantur. Eadem enim illorum, quæ & capitis ipsorum ratio est. Nam ut satan diuinæ prouidentiæ habenis subiacet, nec quicquam aduersus homines, nisi deo permittente, moliri potest: ita uel inuitos & multum reluctantes tyrannos dominus frænat, & id quidem sæpe occultis modis, ut ipsi mirentur sua consilia tam parum succedere, quibus neminem quidem mortalium obstare posse uident, deum autem nõ uident, qui illa dissipare solet. Psal. 33. Semper ergo dei prouidentiam ob oculos nobis ponamus, quoties hostium uerbi conatus audimus, & pilos capitis nostri numeratos esse meminerimus. Matth. 10.

Persecutores dei manu frænantur.

Damasceni fratres Paulum liberant.

Quid uerò Damasceni fideles, cùm Paulo insidias impij hostes struerent, fecêre? Num periclitantem sua destituerunt ope & auxilio? Vel num illud domini usurparunt: Ne resistatis malo? Vel securi rerum, domini auxiliũ ita expectarunt, ut ipsi nihil interea pro Pauli salute sibi audendum aut faciendum esse putarent? Nihil sanè horum de illis dicitur. Imò capitis sui periculo Paulum liberare sategerunt, uiolata etiam lege publica, quæ mœnia sacrosancta esse iubet. Constat enim ueteres mœnia & portas inter res sanctas numerasse, & mœnia dijs consecrauisse: nimirum quòd scirent, res mortalium (ut iurisconsultus ait) nulla humana ratione satis à quoquam regi & dispensari posse in tanta hominum perfidia, obrepente quandoque & ciuibus neglectu, aut finitimorum currente grassanteq; latius inuidia, &c. Mœnia ergo transilire, aut portas effringere, capitale erat, etsi nullum aliud crimen accederet. Pia tamen & sancta dispensatione absque legum ciuilium contemptu fratres isti usi sunt, & proinde excusationem merentur. Videbant enim maiorem diuinæ legis rationem habendã esse, quæ periclitanti succurrere, & humanas constitutiones ita obseruare iubet, ne uel dei leges abrogent, uel pijs & bonis fraudi sint. Sporta ergo per mœnia demissum periculo imminenti eripiunt, nec pium officium, quod ipsi offerebant, Paulus detrectat. Quo exemplo primùm admonemur, permitti interdum Christianis hominibus, imò uerbi quoque ministris, ut fuga sibi consulant, nec temerè capitis periculum sibi accersant. Nam & Christum non semel fugisse legimus, quando uel Iudæorum, uel Herodis furori & insidijs sese subduxit: & idem suos monet, ut sibi caueant ab hominibus, & persecutione oborta, ex una ciuitate in aliam fugiant. Matth. 10. Ea autem adhibenda est cautio, ut tunc nobis fugam concessam putemus, quando hæc nec dei gloriæ derogat, nec ab officio cui nos dominus destinauit, reuocat. Nisi enim in hæc duo intenti simus, dum nobis consulimus, dei gloriam turpiter prodemus, & nostri officij immemores, illorum salutem negligemus, qui nobis commendatissimi esse debebant. Vtriusque uerò rationem Paulus habuit, quando ipso per fugam elapso, erant nihilominus qui Damasci communem Christi causam sustinerent: & ipse non ignobili ocio sese dedidit, sed tum Hierosolymis tum alibi salutis doctrinam magno cum fructu uulgauit, sicuti sequens historia docet.

Pij ministros tueri & liberare debent.

Præterea officij sui fideles admonentur, quo illos doctoribus suis dominus obstrinxit. Requirit hoc, ut ministrorum saluti proprij capitis periculo consulant. Constat enim illos parentum loco censeri debere, quando illorum ministerio (quemadmodum Paulus monet) ad uitam æternam regeneramur. 1. Cor. 4. Gal. 4. Turpis ergo & pudenda illorum ingratitudo & perfidia est, qui ut primùm persecutionis periculum imminet, in uerbi ministros linguæ petulantis habenas laxant, & illorum capitibus pacem redemptam uellent. At si priuati hominis est, sui capitis periculo ministros tueri, quantò magis hoc officij à ciuilibus magistratibus requiri debet, quos Christus olim suæ ecclesiæ nutritios & tutores fore prædixit? Isa. 49. Quare inepta planè illorum sententia est, qui mœnibus & armis religionis causam à magistratibus minimè defendi debere clamant, cùm propter unius Pauli salutem mœniorum religionem Damasceni fratres magna cum laude uiolauerint.

Paulus uenit Hierosolymam. Galat. 1.

Porrò quid Paulus è Damasco feliciter elapsus, fecerit, Lucas narrat: & Hierosolymam uenisse scribit, quod anno conuersionis ipsius quarto demum factum fuisse, ipse docet ad Galat. 1. cap. Vbi cum se discipulis, & Petro imprimis, coniungere uellet, illum propter pristinam in fideles Christi tyran-

sti tyrannidem suspectum habuerunt. Barnabas autem, de quo in fine Cap. 4. quædam dicta sunt, cùm illius res propius nouisset, illius ministerium illustri & amplißimo testimonio apostolis, Petro nimirum & Iacobo (quos solos se uidisse ad Galat. scribit) commendauit. Cum his ergo quindecim dierum spacio conuersatus, Christi causam constanter asseruit, donec nouis insidijs petitus denuo fugere coactus est.

Hîc uerò nobis discipuli Hierosolymitani considerandi ueniunt, quos sibi à Paulo timuisse Lucas scribit. Fuit hîc non ignauus metus, sed prudens, qualem Christus commendat, dum serpentinam prudentiam à suis requirit. Matth. 10. Quia enim uix credibile uidebatur, tam immanē tyrannum subitò mutatum esse, meritò sibi cauendum putauēre, ne incautis imponeret. Nouerant enim illud Christi, qui filios huius seculi in sua generatione prudentiores filijs lucis esse testatur. Luc. 16. Postea autē rei ueritatem edocti, illum humaniter, ut fratrem & fidelem symmystam, excipiunt. Habemus in his Christianæ tum prudētiæ tum charitatis exemplum, quo utranq; uirtutē coniungere docemur. Quia enim omnis homo mendax est, non temere quibusuis credendum, qui pietatis studium egregiè simulare nouerunt. Quàm enim falsi fratres noceant, Paulus ipse se non sine periculo expertum esse, fatetur. 2. Cor. 11. Et idem eam ob causam à nouitijs cauendum esse iubet, & eum, qui ad episcopi functionem aspirat, exterorum quoq; testimonio cōmendari uult. 1. Tim. 3. Rursum uerò nimius ille rigor cauendus erit, quo multi ita obduruerunt, ut omnes peregrinos & ignotos semel explodendos esse putent. Vt enim Christianæ charitatis est, de omnibus bene sperare: ita honesta & fide digna de ignotis fratribus testimonia facilè recipit, & ijsdem ante conceptas suspiciones dilui patitur. Vtamur ergo moderatione hac hodie, quando paßim exules Christi oberrant, nec illorum sententijs acquiescamus, qui in utranq; partem nimij, uel facilitate nimia se omnibus deridendos & decipiendos præbēt, uel immodica austeritate & rigore exasperati, oēs simul, nullo adhibito discrimine, reijciunt.

Discipuli à Paulo sibi metuūt.

Deinde Barnabas nobis obseruandus erit, qui ut supra liberalitate sua cōmunis ecclesiæ inopiam subleuauit, & filius consolationis dici meruit: ita nunc periclitantem Pauli famam suo testimonio egregiè sustinet, nec eius illum pudet, quem omnibus suspectum esse uidebat. Est hoc charitatis opus cumprimis eximium & necessarium, cùm uix quicquam inter homines uberius quàm sinistrarum & peßimarum suspicionum seges proueniat. Vt enim philautia excæcati nobis ipsis blandimur, ita aliorum mores sedulo & maligno oculo obseruamus, & occasionem omnem captamus, qua illorum famæ detrahere liceat. Graue ergo illorum peccatum est, qui immeritò suspectos magis aggrauant, quorum famæ potius consulere oportebat.

Barnabas Saulum cōmendat.

Tertiò Paulum uideamus, quem eximijs uirtutibus fidem suam Hierosolymis declarauisse, Lucas docet. Et primò quidem illum ecclesiæ & discipulorum Christi commerciū quæsiuisse, scribit. Est hoc laude dignißimum, si cogites Paulum non multò ante in ea urbe inter primates non postremum locum habuisse. At is iam sibi conculcanda putans, quæcunq; in mundo eximia habentur, unū Christum assequi, & illius ecclesiæ coniungi cupit. Vide Philip. 3. Nobis ergo exemplum hoc ob oculos ponamus, quando mundi amicitia & gloria nos ad defectionem solicitat. Nam pusillus licet sit Christi grex, & uilis ac infelix uideatur ecclesiæ conditio, quæ in mundo hoc instar uetustæ casæ ruinam in singulas horas minetur: in ea tamē sola salus est, & tutißimum est eius contubernium. Cōmunis ergo hæc omnium piorum uox est: Potior est dies in atrijs domini, quàm aliâs mille dies. Malo ad limen desidere domus dei, quàm habitare in tentorijs impiorum. Deinde magnum Christianæ modestiæ argumentum Paulus præbet, dum suspectus pijs, & ab ijsdem reiectus, non tamen improbè obmurmurat, non ipse suarum laudū immodicus præco est, nec ab ecclesia indignabundus resilit, sed patienter hoc omne sustinet. Anteactæ enim uitæ memor, non miratur hæc fieri. Imò dei iudicium agnoscit, qui ita ipsum humiliari uoluit & exerceri, ut supplex quodammodo illorum commercium expeteret, quos antea immani fastu contempserat, & crudelißimè fuerat persecutus. Imitemur exemplum hoc, quoties dolor aliquis ex iniuria ab alijs illata animo nostro oboritur. Et licet nos iniustè ab ijs læsos sciamus, cogitemus tamen nos, iniuria hac non indignos esse, & grauiora meruisse, si nobiscum deus iure uellet contendere. Postremò, ubi se fratribus reconciliatum uidet, reipsa se uerum Christi discipulum esse probat. Nam confidenter & libere loquitur in nomine Iesu Christi. Est autem hæc euangelij descriptio, quod nobis in solius Iesu Christi nomine pœnitentiam simul & remißionem pec-

1. Paulus ecclesiæ coniungi cupit.

2. Modeste fert repulsam.

3. Libere prædicat, &c.

catorum prædicat, ut iam sæpe monuimus. Simul uerò cum Hellinistis disputat, quos supra quoq; ecclesiæ turbatores, & indignissimi murmuris authores fuisse, uidimus. Acto. 6. Solebant hi euangelio legem miscere, & operum iustificatione fidem in Christum euertere. Quibus confutandis Paulus peculiari dei consilio destinatus fuit, ut illius epistolæ testantur. Admonet autem locus hic, ita in uno Christo prædicandam esse salutis rationem, ut simul omnibus ijs sedulò occurratur, quæ hanc euertere uidentur. De qua re cum præcedenti Sermone dictum sit, hæc obiter annotauisse sufficiat.

Paulus Hierosolymis quoq; persecutores habet.

Cæterum postremo loco, Paulum non meliori successu Hierosolymis, quàm antea Damasci usum fuisse, dicitur. Rursus enim contra illum conspirant Iudæi, & occisum uolunt. Et hæc hypocritarum argumenta sunt, qui cum pro operum iustitia acerrimè digladientur, pro leuissimo ducunt, insontes iugulare & sanguinem innoxium fundere. Sed rursus discipulorum fides & charitas elucet, qui Cæsaream usq; deductum, in Tarsum Ciliciæ emittunt, quæ Paulo patria fuit. Est autem summa admiratione digna Pauli cōstantia, qui cum nouis undiq; periculis petatur, non tamen à fide & Christo deficit. Nouerat enim ex prophetarum lectione, multas esse tribulationes iustorum. Sciebat ad crucem ferendam inuitari omnes, qui Christo nomen dant. Nouerat item se grauiora meritum, qui aliquando Christianis similium malorum author fuisset. Quare gaudere potius debuit, quādo pro Christi nomine ea ipsum pati contigit, quæ ut scelerum pœnas dominus immittere potuisset. Quæ una consyderatio si animis nostris obuersetur, facilè efficiet, ne ullis aduersis offendamur. Interim insignem laudem Paulus eo quoq; nomine meretur, quòd iubente domino (ut infra cap. 22. patebit) elapsus, Tarso, patriæ suæ euangelij lucem inferre studuit, Christi exemplum imitatus, qui & ipse patriæ suæ, quantumuis ingratæ, rationem habuit. Imitemur nos Pauli fidem, pietatem & constantiam. Ita fiet, ut deo protectore & uindice omnibus præsentis uitæ molestijs erepti, in cœlis olim uiuamus cum Iesu Christo, filio dei, saluatore nostro unico: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA LXVIII.

Porrò ecclesiæ per totam Iudæam, & Galilæam, & Samariam, habebant pacem, & ædificabantur, & ambulabant in timore domini, & consolatione sancti spiritus replebantur. Accidit autem, dum Petrus per omnes peragraret, ut ueniret etiam ad sanctos, qui habitabant Lyddæ. Inuenit autem illic hominem quendam, Aeneam nomine, ab annis octo decumbentem in grabato, qui erat paralyticus. Et ait illi Petrus: Aenea, sanet te Iesus Christus. Surge & sterne tibijpsi. Et continuò surrexit: & uiderunt eum omnes, qui habitabāt Lyddæ & in Assarone, qui conuersi sunt ad dominum.

Vidimus hucusque Diui Pauli tyrocinia, quibus apostolatū suum auspicatus est. Fuerunt hæc laboris simul & periculi plena. Bis enim uitæ periculum subijt, & bis fideli quidem discipulorum ope & industria, non tamen sine eorundem periculo, elapsus est. Docent illa, quid in hoc mundo fidos Christi cultores maneat, quos tamen Pauli constantiam & fidem imitari decet, ne ullis periculis & aduersis sese à Christo abduci patiantur. Beatus enim, qui in finem usq; perseuerauerit. At qui manu aratro admota, à tergo respexerit, ea re satis declarat, se regno Christi idoneum & dignū non esse. Luc. 9. cap. Cæterum, quia quæ hucusq; commemorata sunt, talia uideri possunt, quæ uniuersalem ecclesiæ ruinam & excidium minitentur, non sine spiritus sancti suggestione diuinus scriptor, abrupta Pauli historia, ad Petrum apostolum transitum facit, & lætiores, qui mox secuti sunt, ecclesiæ progressus describit: in quorum consyderatione, eò diligentius nos uersari decet, quò maiorem illa nobis consolationem afferre possunt, qua nobis inter mundi huius procellas quàm maximè opus est.

Ecclesijs pax reddita.

Orditur autem à generali omnium ecclesiarū, quæ per Iudæam, Galilæam, et Samariam hucusq; collectæ & fundatæ erant, conditione, & horribilium turbarum & motuum, quorum ueritatis hostes antehac authores fuerant, lætissimum & felicem cumprimis exitum fuisse, scribit. Ecclesiæ (inquit) habebant pacem. Mira hæc & præter omnem expectationem exorta rerum uicissitudo fuit,

si pri-

si priorem ecclesiæ statum, hostium feroces animos, consilia & uires cum hac conferas. At hic dei mos est, quòd nostræ infirmitatis rationem habens, læta tristibus interserit, nec nos ultra id quod ferre possumus tentari sinit. 1. Corinth. 10. Et ubi afflictiones abundant, ibidem consolationem uberiorem adhibet. 2. Cor. 1. Psal. 94. Nec id illi difficile est, qui quotidie eius generis exempla in ijs edit, quæ certis naturæ legibus feruntur. Ita hyemem frigore & gelu molestam amœnum ver, læta æstas & frugifer autumnus excipere consueuerũt. Ita continuos imbres & horribiles grandinis procellas, lætior rediens post nubila Phœbus discutit. Et nautæ post aduersæ tempestatis terrores optatam serenitatem & secundos uentorum flatus experiuntur. Et eadem uicißitudine ecclesiæ statum gubernari, omnium seculorum exempla testantur. Sed unus Iudicum liber ijs confirmandis abunde sufficere poterit. Neminem ergo præsentium malorum facies ita perterreat, ut sibi prorsus pereundum existimet. Nam uel in hac uita agentibus melior & felicior rerum conditio affulgebit: uel uita hac & omnibus mundi procellis exemptos ad cœlestis regni hæreditatem benignus deus transferet. Interim admonet locus hic, crucem non perpetuam ecclesiæ notam esse, qua illa nunquam carere poßit, cùm & hic primitiuam ecclesiam uniuersali pace donatam fuisse audiamus, & hæc ipsa sequentibus quoque seculis non semel contigerit. Vanißima igitur eorum est sententia, qui quasuis ecclesias, quibus tranquillior rerum conditio ex dei beneficio obtingit, temere damnant, & Christianis nullum à cruce respirandi tempus concedi uolunt. Rursum admonemur, ad pacem consequendam nec ignaua dißimulatione nec perfida abnegatione fidei opus esse, sed potius constantia & magnanimitate in uerbi & fidei doctrina retinenda. Tunc enim pacem secutam esse Lucas tradit, quando Paulus ueritatis hostes tum Damasci tum Hierosolymis constanti prædicatione & institutis aduersus illos disputationibus quàm maximè irritauerat. Frustra ergo dißimulationem ueri à nobis quidam hodie exigunt, qui liberiori errorum & superstitionis insectatione hostium animos magis exacerbari dicunt. Quasi uerò deus non eos quoq; cohercere poßit, qui in omnẽ rabiem effusi nil nisi cædes & flammas spirant. Imò exemplis edocemur, rarò fideli hominum amicitia eos usos esse, quicunq; in horum gratiam fidem & ueritatem abnegare in animum induxerunt.

Deinde pacis concessæ fructum Lucas subijcit, quando ecclesias ædificatas fuisse scribit. Potest hoc bifariam intelligi. Nam ædificari dicuntur ecclesiæ, quando uel noui credentes accedunt: uel qui iam ante crediderunt, donis spiritus sancti uberioribus donati, in fide proficiunt. Nec temere ædificandi metaphora spiritus sanctus vtitur, quando ecclesia domus dei dicitur, quæ ex uiuis lapidibus, ijs nimirum qui in Christum credunt construitur (1. Tim. 3. & 1. Pet. 2. cap.) & singuli fideles spiritus templa esse alibi dicuntur. Quæ etiã causa est, quòd doctores architecti uocantur, & ecclesiæ constructio dei ædificatio appellatur. 1. Cor. 3. Porrò præter id, quòd hostium Christi in extirpanda ecclesia conatus uanos & irritos esse hoc exemplo constat, admonemur etiam, quis omnibus in ecclesia uersantibus finis & scopus propositus esse debeat: is nimirum ut ecclesia feliciter ædificetur. Inculcat hunc diligentißimè Paulus, quando de publicis ecclesiæ exercitijs in priori ad Corinth. cap. 14. loquitur. In hunc ergo ministri totis uiribus tum doctrina tum redargutione, incumbant, semperq; Paulini illius meminerint, quo sibi & reliquis ministris potestatem diuinitus concessam esse ait, ad ædificationem, non autem ad destructionem. 2. Corinth. 10. Nihil ergo in ecclesia esse patiantur, quod ad illius destructionem facere poßit. Eundem scopum reges quoq; & magistratus sibi proponant, quos suæ ecclesiæ nutritios dominus constituit, ut iam sæpe monuimus. Ad hunc respiciant Seniores, quibus ecclesiæ disciplina & morum censura commissa est. In hunc omnia sua referant parentes & quicunq; puerorum institutioni præpositi sunt. Priuatos deniq; homines hæc cura indesinenter extimulare debet. Quisquis enim ad hanc spiritualem ecclesiæ Christi ædificationem aliquid contulerit, & uel unicum hominem, uiui lapidis instar Christo fundamento superstruxerit, næ is maiorem multò laudem meretur, quàm qui insanis sumptibus marmorea templa excitant. *Pacis ecclesiasticæ fructus.*

Postremò, ut pace & rerum tranquillitate usi sint fideles, indicatur. Ambulabant (inquit) in timore domini, & consolatione sancti spiritus replebantur. Timorem domini illis tribuit, quo omnia ea comprehendit, quæ ad religionem ueram faciunt: dei nimirum cognitionem, fidem synceram, amorem dei, piam diuini uerbi obseruationem, & fidele quod eidem debetur obsequium. Quomodo enim deum timebit, qui illum non agnoscit? Quomodo autem fide carebit dei cognitio, & quomodo *Vt pace concessa pij usi sint.*

eadem dei amore destituetur? At ubi hæc fuerint, ibidem & uerbi studium & obedientiam uigere oportet. Addit autem, consolatione spiritus sancti repletos fuisse. Possumus per hanc cùm euangelij prædicationem, tum internam spiritus suggestionem intelligere, quam Christus suis pollicetur. Iohan. 14. & 16. cap. Vtraq; certè hominum mentes & afflictas conscientias mirificè consolatur, quando deum nobis Christi merito placatum & propitium factum esse docet, & in medio afflictionum æstu diuini auxilij promissiones, tanquam saluberrimos fontis uiui latices, aspergit. Et in his animorum recreationem, gaudia & delitias suas primitiuam ecclesiam quæsiuisse, Lucas docet. Vnde colligimus, quæ nam illorum exercitia esse debeant, quibus pace & rerum tranquillitate frui datur. Immane ergo illorum scelus est & ingratitudo execrabilis, qui pace & ocio ad carnis licentiam & turpissima scelerum studia abutuntur: nec interim eos uel auxilio uel consilio, aut saltem consolatione subleuant, quos propter testimonium Iesu Christi uarijs malis affligi uident. Est hoc peccatum ut atrox, ita nimis uulgare hodie. Quò fit, ut quemadmodum pace abutimur, ita leuissimis quoque afflictionibus facilè offendamur & absorbeamur penitus.

Petrus peragrat omnes ecclesias.

His autem præmissis ad res siue acta Petri apostoli transitum facit, è quorum numero miracula duo continua serie exponuntur, quorum alterum Lyddæ, alterum Ioppe contigit. Occasio horum ea fuisse indicatur, quod Petrus, apostoli officio fungens, ecclesias omnes peragrauit: non quidem insolenti dominandi studio, sed ut laborantibus, sicubi opus erat, succurreret: nutantes confirmaret: errores, si qui oborti fuissent, euelleret: beneficia deniq; in quàm plurimos conferret. Hæc enim apostolorum officia fuisse, ex multis alijs locis patet, & ipsum apostoli nomen docet, quod illos certam fixamúe sedem habere uetuit. Eandem rationem Paulus postea obseruauisse, & ecclesias passim confirmasse legitur. Idem sibi omnium ecclesiarum curam incumbere dicit. 2. Corinth. 11. Stultè ergo & ridiculè ex hoc loco primatum suum Romani Pontifices tueri solent. Primò enim vni Petro tribuunt, quod reliquis etiam apostolis mandatum fuisse, constat. Deinde impudenter Petri munus in se transferunt, Petro per omnia dissimiles. Adhæc dum omnium ecclesiarum curam ad se rapiunt, ne uni quidem ea officia præstant, quæ fidelem apostolum siue pastorem decent. Præterea autem admonemur, ecclesijs tunc quoq; fideli cura & inspectatoribus opus esse, quando omnia in tuto collocata esse uidentur. Nam ut ex ocio procliuis ad carnis licentiam lapsus est, ita pace & ocio securi satanæ insidijs quàm maximè patent, sicuti Christus monuit. Matth. 12.

Aeneæ paralytici restituti miraculum.

Cæterum hac occasione factum est, ut Petrus ad sanctos (id est, fideles Christi merito sanctificatos) qui Lyddæ habitabant, perueniret: ubi Aeneam quendam, paralysi debilitatum, & continuo octo annorum spacio decumbentem, Christi Iesu nomine restituit. Sunt autem in eo miraculo diligenter excutiendæ personarum circumstantiæ. Atqui in Aenea quædam commemorantur, quæ ad miraculi amplificationem faciunt. Paralysi enim laborauit, quæ ut difficulter curatur si quis initijs obstet, ita temporis diuturnitate planè incurabilis redditur. Eadem uerò humanæ corruptionis typus est. Nam & nos omnes peccati culpa debilitauit, ut uiribus melioris naturæ destituti, ne ad cogitandum quidem idonei simus. 2. Cor. 3. Nec ullo hominum consilio aut ratione morbus iste curari potest, qui à primo parente in nos deriuatus, nobiscum & concipitur, & nascitur, & adolescit, ueluti de semetipso Dauid testatur. Psal. 51. Quare nisi è supernis regeneretur homo, nulla illi aliunde salutis spes offerri potest. Iohan. 3. Et id quidem disertè Petrus in præsenti docet, quando spiritus sancti suggestione excitatus, illum accedit, & magna confidentia ait: Aenea, sanet te Iesus Christus, Surge & sterne tibijpsi. Ita enim hæc profert, ut disertè fateatur, omnem miraculi huius effectum & laudem uni Christo deberi, ad se uerò illius ministerium duntaxat pertinere. Et hoc ab apostolis passim obseruatum fuisse, supra in claudi restitutione, quæ cap. 3. describitur, demonstratum est. Idem Lyddæ etiam fideles agnoscunt, qui cùm ad Iesu Christi nomen Aeneam conualescere uiderent, ad dominum Iesum illicò conuersi sunt. Estq; hîc omnium miraculorum usus, ut apostolicæ doctrinæ testimonium ferant & Christo Iesu, cuius uirtute fiunt, adducant. Stulti ergo & inepti nimis sunt, qui miracula, sanctorum ministerio edita, ita commemorant, ut ad illos confugere, & illos adorare doceant. Atque falsa esse constat miracula, quæcunq; in eum finem fiunt, ut creaturæ alicuius cultum stabiliant, & à deo rerum omnium creatore auocent. Possent hîc multa dici. Sed quia alibi eadem causa tractata est, & sæpius tractanda recurret, consultò breuitati studemus.

demus. Illud admonuisse sufficiat, Iesum Christum unicum cum corporis tum animæ medicum, & eundem ecclesiæ suæ fidelissimum uindicem & tutorem esse, qui et illam inter persecutionum fluctus seruare, & afflictæ pacem subitò concedere solus potest. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA LXIX.

Ioppæ autem quædam erat discipula, nomine Thabita, quæ si interpreteris, dicitur Dorcas. Hęc erat plena bonis operibus & eleemosynis, quas faciebat. Accidit autem in diebus illis, ut ægrotaret & moreretur. Cum autē lauissent, posuerunt in cœnaculo: & cum uicina esset Lydda Ioppæ, discipuli qui audierant Petrum illic esse, miserūt ad eum, rogantes, ne grauaretur ad eos usq; uenire. Surgens autem Petrus, uenit cum illis: quem cum adesset, subduxerunt in cœnaculum, & astiterunt illi omnes uiduæ flentes, & ostendentes tunicas & uestes, quas cum ipsis manens Dorcas, faciebat. Eiectis autē omnibus foras, Petrus positis genibus orauit, & conuersus ad corpus, dixit: Thabita surge. Illa aūt aperuit oculos suos, uisoq; Petro resedit. Data uero ei manu erexit illam, & cum uocasset sanctos ac uiduas, exhibuit eam uiuam. Innotuit autem hoc per totam Ioppen, & multi crediderunt in dominum. Accidit uerò, ut ipse dies multos maneret Ioppæ, apud quendam Simonē coriarium.

VT dei filius, & saluator noster Iesus Christus, discipulos suos ad euangelizandum emisit: ita eosdem miraculis instruxit, quibus & doctrinæ suæ fidem facerent, & uim siue fructum meriti Iesu Christi declararent. Debent ad hunc finem cumprimis duo hæc referri, quæ Petri ministerio edita fuisse Lucas in huius cap. fine cōmemorat. Primum est Aeneæ restituti, qui octo annorum spacio paralyticus decubuerat, sed inuocato Christi nomine conualuit. Quo docemur per Christū medicum collapsas naturæ uires restitui, & in hoc nos posse omnia, qui alioqui ne ad cogitandum quidem idonei sumus. Subiūgitur huic alterum, quod ut reipsa maius est & admirabilius, ita maiorem quoq; nobis consolationem affert. Mortuam enim Thabitam siue Dorcadem resuscitat Petrus, eo facto demonstrans, Iesum Christum mortis quoq; uictorem esse, & proinde nullo huius metu teneri debere, quicunq; illi per fidem insiti fuerint. Commodissima autem huius consyderatio erit, si personas, de quibus hic Lucas agit, ordine inspiciamus.

Ab ea autem miraculi descriptionem orditur, in qua illud editum fuit. Et quamuis non magni momenti res esse uideatur, quo quis nomine appelletur, eius tamen meminisse uoluit, ut certior esset tantæ rei fides, Syris itaq; Thabitam, Græcis Dorcadem (quæ uox Latinis Capream sonat) dictā fuisse ait. Sed in eorum consyderatione potius nos uersari conuenit, quæ de hac dicuntur. Primum in his locum fidei & religionis professio habet, quando discipulam, id est, Christianam fuisse, scribit. Solebant enim in primitiua ecclesia discipuli dici credētes, donec Antiochiæ Christiani denominati sunt, ut infra cap. 11. audiemus. Nec mysterio carebat iste titulus. Admonebat enim præceptoris Christi, & Christianismum non inani nominis professione, sed potius doctrina siue præceptis & diligenti illorum obseruatione constare, testabatur. Quò Paulus respexisse uidetur, quādo fidei obedientiam euangelicæ prædicationis & totius apostolicæ functionis finem constituit. 2. Cor. 10. Rom. 1. & 16. Vt igitur huius nominis consyderatione docemur, uanam & inutilem esse Christiani nominis professionem, nisi Christo Iesu, cui nomen dedimus, fidelem obedientiam præstemus: ita simul admonemur, primū hunc nostræ salutis gradum esse, ut Christi discipuli simus. Est enim hic fundamētum tam propheticæ quàm apostolicæ doctrinæ, cui omnes eos superædificari oportet, quicunq; uoluerint salui fieri. Ephes. 2. 1. Cor. 3. Quæ causa est, quòd in Dorcadis cōmendatione huic etiam primus locus tribuitur. Arguit hoc omniū illorum superstitionem, qui cum pietatis & religionis titulum sibi uendicent, abiecto tamen Christi nomine, quod in baptismo suscepêre, hominum potius discipuli dici uolunt. Quorum uanitas ab apostolo olim grauissimè reprehensa & confutata est. Vide 1. Cor. 1. & 3.

I. Thabitæ descriptio.

1. Discipula.

2. Plena bonis operibus.

Deinde plenam fuisse dicit bonis operibus. Et ut pateret, quæ nam illa opera fuerint, per exposi-tionem Eleemosynas subijcit. Compreh̄edit ea uox omnia misericordiæ & charitatis officia, quibus proximus iuuatur, dum uel esurienti cibus, uel sitienti potus præbetur, uel nudus uestitur, uel captiuus redimitur, uel ægrotus inuisitur, uel in afflictione constitutus consilio aut consolatione subleuatur. Eleemosyna enim Græcis à misericordia nomen habet. At ne quis inanem in illa affectum duntaxat fuisse putaret, eleemosynas siue misericordiam fecisse dicitur. Admonet exemplum hoc, fidem, quæ nos Christi discipulos facit, minimè otiosam esse, nec in ignaua & inerti rerum cælestium contemplatione subsistere. Quia enim animum, qui potior hominis pars est, occupat, & ex animo uerè credit, fieri non potest, quin totum hominem in dei obedientiam rapiat, & multiplicem fructum ferat. Ideo Christus Iesus ait: Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum. Iohannis decimo quinto. Et Iacobus apostolus à uanis fidei ostentatoribus hoc potißimùm exigit, ut fidem, quam ore iactant, ipsis quoq; rebus testentur. Iacob. 2. Meritò igitur nobis atrocem iniuriam fieri conquerimur, quando bonorum oper̄u hostes nos esse dicunt qui propriæ iustitiæ merito gloriantur, cum ipsi fateamur, fidem non esse, nisi quæ ipsis factis sese exerit, nec opera bona à quoquam posse fieri, nisi qui per fidem Christo coniunctus fuerit. Eius enim uox est: Sicut palmes non potest ferre fructus à semetipso, nisi manserit in uite: sic nec uos, nisi in me manseritis. Quia sine me nihil potestis facere, &c. Iohan. 15. Rursum, quæ nam uerè bona opera sint, idem exemplum admonet. Nam discipulam Christi fuisse audiuimus, & iam charitatis officia illi tribuūtur. Bona opera igitur sunt, quæ à Christi cultoribus ex fide fiunt iuxta charitatis regulam. Nam cum ex nobis ipsis ne ad cogitandum quidem idonei simus, quicquid ex nobis ipsis sine fide facimus, peccatum esse oportet, sicuti Paulus testatur. Rom. 14. Præterea bonum dici non potest, quodcunq; nullius commodo seruit, cum uel ipse deus hoc potißimum nomine bonus dicatur, quòd in creaturas suas suæ gratiæ thesauros liberalißimè effundat. Ideo Christus charitate legem à nobis impleri docuit, & apud prophetas charitatis officia paßim ab illis exigit, qui legalium ceremoniarum fiducia inflati, harum obseruatione homines saluari putabāt. Vide Isa. 58. Hos. 6. Imò charitatem suorum tesserā fore docet, ex qua agnosci queant, & in nouißimi iudicij die huius potißimam rationem sese habiturum monet. Iohan. 13. Matth. 25. Confutantur ergo hic quæcunq; homines ex semetipsis confingunt, dum frigidißimis ceremonijs, à fide & charitate alienis, salutem tribuunt, quarum obseruationem inutilem omnino esse, omnis scriptura constanter docet. Vide Isa. 29. Matth. 15. Col. 2. &c.

Bona opa.

3. Aegrotat & moritur.

Sequitur uerò in Dorcadis descriptione, illam eo tempore, quo Lyddæ agebat Petrus apostolus, morbo lethali correptam esse, ex quo postea obierit. Atqui facilè obstare poterat dominus, quò minus uel in morbum incideret, uel ex eo moreretur, cum olim quoq; Ezechiæ dies prolongauerit, & Christum multorum morbos lethales curauisse constet. Sed permittit, ut morbi doloribus superata mortem subeat. Vnde colligimus, electos non immunes esse communium calamitatum, quibus humanum genus affligi consueuit. Nam & morbis conflictantur, & inopia laborant, & fame premūtur, & exilij molestias sentiunt, & quæcunq; alia eius generis sunt aduersa experiuntur. At Paulo teste omnia illis cooperantur in bonum. Rom. 8. Ita enim per illos dei gloria illustratur, & illorum fides exercetur, & nunquam non in illis euidentia diuinæ bonitatis argumenta elucent. Docet hoc cæci exemplum, quem cæcum natum fuisse Christus monet, ut in illo manifestarentur opera dei. Iohan. 9. Et Lazarum ægrotare audiens ait: Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria dei, ut glorificetur filius dei per eam. Iohan. 11. Et huc Dorcadis quoq; exemplum referri debere, lætus & felix rei exitus declarat. Nam & ipsa uitæ restituitur, & per illam multi Christo lucrifiunt. Docent hæc ne uel ipsi ijs offendamur, quæ nobis aduersa eueniunt, uel de alijs temere iudicemus, quos infelicius & miserius tractari contingit. Sæpe enim misericordiæ & gratiæ dei præclara uasa sunt, qui propter aßiduas ærumnas mundi iudicio iræ uasa esse uidebantur.

II. Quid cū Dorcade mortua actum? Lauarūt funus.

Porrò ijs, quæ de Dorcade dicta sunt, quid illius domestici & Ioppenses aliquot uiduæ, illa iam defuncta fecerint, subijcit. Et primò quidem mortuæ cadauer ab illis ablutum, & in cœnaculo depositum esse, dicit. Solebant enim antiquitus lauari funera, cum propter resurrectionis spem, tum quòd purificatione eos opus habere nouerant, qui è uita migrantes dei tribunal subeunt. Ea autem figurabatur purificatio, quæ in Christi sanguine fidelibus offertur. Eadem quoq; aromatum & unguentorum

guentorum ratio fuit, quibus funera condiebantur, priusquam sepulchris mandarentur. Et poterant in primitiua ecclesia tolerari aliquandiu eiusmodi ceremoniæ, quoad in fide firmiores facti omnibus istis simul renunciarent. Interim docemur, honestè à Christianis hominibus funera curari debere. Licet enim nec gentilitius luctus ab ijs adhiberi debeat, qui resurrectionem olim fore sciunt, (1. Thess. 4.) nec Iudæorum ceremonijs opus sit, quando in Christo abundè impleta sunt, quæ nostræ saluti seruiunt: debet tamen cum honestatis tum pietatis diligens ratio haberi, quam & charitatis lex requirit, & Christiana religio obseruare iubet, qua fit, ut corpora nostra spiritus sancti templa fiant. Cur ergo inhumaniter abijcerentur, quæ spiritus Christi paulò ante inhabitare dignatus est? Moabitis certè hoc præcipuè propheta exprobrat, quòd humanitatis omnis obliti, Regis Idumæi ossa combusserint. Amos. 2. Graue ergo illorum hodie scelus est, qui belluarum instar in mortuos quoque sæuiunt, aut funera inhumanius abijciunt.

Sed alterum quoque officium præstant. Nam missis nuncijs Petrum accersunt, quem Lyddæ uersari & miraculis clarere audiuerant. Quod non uulgare fidei simul & charitatis opus est. Nam & defunctam per Christi ministrum uitæ restitui posse sperant, & id cumprimis fieri cupiunt, eò quòd Christi ecclesiam tali membro adhuc indigere scirent. Et est hoc fidei ingenium, quod nec in morte sperare desinit, cum hanc à Christo deuictam esse nouerit: & quos semel syncero charitatis affectu complexa fuerit, eorum curam ne post mortem quidem abijcit. Simul uerò præclarum pietatis & Christianæ beneficentiæ præmiū elucet. Quia enim huic studuit Dorcas, cum in uiuis ageret, non desunt iam qui mortuæ fidelem curam gerunt. Ita suorum memoriam deus asserere & tueri solet. Et frequenter fit, ut qui propter pietatem omnibus inuisi uidebantur, postquam uita defunguntur, subitò nominis sui assertores quàm plurimos inueniant. Cuius rei exemplar in capite nostro, Iesu Christo, præcessit. Hunc enim ignominiosa crucis morte sublatum honorificè sepeliunt Iosephus & Nicodemus, qui prius occulti duntaxat eius discipuli fuerant. Nemo igitur infamem mortem pro Christi nomine perpeti detrectet, quando suorum memoriam tam fideliter deus uindicat. Psal. 34. capite.

Vocatur Petrus.

Accedit omnibus his, quòd præsente iam Petro, dolorem quem ex Dorcadis morte conceperant, fletu pio testantur, & apostolo uestes monstrant, quas illa cum uiueret, in pauperum usum fieri curauerat. Vbi præter pietatis officium, de quo iam diximus, uidere est, quæ ueræ sint sanctorum & fidelium Christi reliquiæ, quas pij & palàm ostendere, & exosculari ac uenerari debent: charitatis nimirum opera, & uestigia horum. De his dicitur, quòd mortuos sequi, & his sublatis superesse soleant. Apoc. 14. cap. Hæc in Maria Christus commendat, & propter extremum unctionis officium, quod ipsi impenderat, eius memoriam in ecclesia perpetuam fore pollicetur. Marc. 14. cap. Exhibent nobis reliquias eiusmodi passim sacræ & ecclesiasticæ historiæ. Eas nos pio officio laudare & diligenti imitatione colere decet. Ossa uerò eorundem superstitiosè uenerari, nullo uel testimonio uel exemplo scripturæ iubemur. Porrò ut magna piorum laus est, charitatis uestigia & exempla apud posteros relinquere: ita turpe est & miserum, si quis auaritiæ, libidinis, iniustitiæ, luxus & intemperantiæ signa post se relinquat. Eiusmodi uerò sunt immodicæ opes, & quæcunque ex his nequitiæ instrumenta parantur, quæ apostolus testimonium iustæ damnationis olim fore dicit. Iac. 5. cap. O infelicem ergo illorum sortem, quorum memoriam uiduæ & orphani propter ereptas sibi fortunas fletu prosequuntur. Infeliciores autem multò, qui quasi parum in uita peccarint, ad sepulchra sua clypeos & gladios suspendi, & ibidem cataphracti conspici uolunt, ut diuturnior sit uitæ in rapinis & cædibus transactæ memoria. O durum pectus, quod nec mortis amaræ mentio emolliri potest.

Ostenduntur uestes, &c.

Reliquiæ sanctorum.

Cæterum uideamus tandem quid Petrus, ab illis uocatus, egerit. Dicitur is illicò eos comitatus esse, qui ad ipsum missi fuerant. Quod magnum facilitatis & zeli in prouehendo Christi regno argumentum est. Vnde facilè colligas, quo spiritu ducantur, quicunque in ijs sese difficiles præbent, quæ gloria Christi illustrandæ & aliorum saluti seruiunt. Porrò ubi Ioppen aduenit, & in cœnaculum, in quo funus iacebat, deductus est, uiduarum fletum non multum curans, eò quòd agente in illo spiritu sancto, maius quoddam opus meditabatur, omnibus è cœnaculo eiectis, ipse in genua prouolutus, & ad preces ardentes conuersus est. Rectè autem Diuus apostolus uetera exempla imitatur, quando

III. Vt Petrus Dorcaden suscitarit.

eundem modum in resuscitandis mortuis, Eliseum prophetam & Christum Iesum obseruauisse, constat. 2. Reg. 4. Matth. 9. Nam ut secessum & solicitudinem preces requirunt, ita modestiæ uidetur, quòd rem tanti momenti non inter multos cum ambitiosa ostentatione, sed solus peragere uoluit. Et dum preces tam ardentes adhibet, non obscurè testatur, ad Christum deum omnem miraculi uirtutem & laudem referri debere, de quo iam sæpe nobis dictum est. Peractis uerò precibus, mortuam
4. alloquitur, illamq; surgere iubet. Quod ridiculum uideri poterat, nisi idem Christus fecisset, quando Iairi filiam & Lazarum resuscitauit. Sunt autem eiusmodi uoces tremendæ illius & altisonæ uocis præludia, qua olim in nouißimo die mortui omnes excitabuntur, sicuti ipse Christus docuit. Iohan. 5. Imò infallibile hoc futuræ resurrectionis argumentum est, quòd ad hominis uocem, Christi spiritu & nomine pronunciatam, mortui resurrexisse leguntur. Nec enim irritam fuisse Petri uocem, ipse euentus docet. Nam mox apertis oculis Petrum intuetur Dorcas: deinde considet; tandem Petri manu erigitur, & intrò uocatis omnibus uiua exhibetur. Quo miraculo euidenter probatum fuit, uiuificam esse doctrinam cuius minister fuit Petrus, & illius authorem, Iesum Christum, uitæ simul & mortis dominum esse. Agnouerunt hoc electi omnes, qui mox uiso miraculo in dominum crediidisse dicuntur.

Historis vox resuscitat mortuos

Petrus cohabitat Simoni coriario.

Subijcit autem narrationi huic paucula quædam Lucas, quæ sequentiũ præparationi seruiunt. Petrum enim aliquot diebus Ioppæ mansisse ait apud Simonem quendam coriarium: in cuius domo cœlesti uisione de gentibus in ecclesiam uocandis admonitus, & à Cornelio Centurione uocatus fuit, ut sequenti Capite dicetur. Hic uerò obseruemus, è quali hominum genere primitiua ecclesia
1. collecta fuerit, quãdo non alius hospes Petro obtingit, quàm qui manuario artificio, eoq; non omnium nobili, uictum quærebat. Admonet de hoc Paulus, ut in solo domino gloriandum esse docet, 1. Corinth. 1. Adhæc Petri modestia exprimitur, qui tale hospitium non dedignatus est, cum hodie
2 personatum illius successorem uix regum palatia capiant. Imitemur nos modestiam apostolicam, & in hac Christo Iesu credamus atq; seruiamus: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

CAPVT X.

HOMILIA LXX.

VIr autem quidam erat Cæsareæ, nomine Cornelius, Centurio ex cohorte, quę dicitur Italica, pius ac timens deum cum tota domo sua, faciensq; eleemosynas multas populo, & orans deum asiduè. Is uidit in uisione manifestè circiter horam nonam diei, Angelum dei ingredientem ad se, & dicentem sibi: Corneli. At ille intuitus eum, & territus, dixit: Quid est domine? Dixit autem illi: Precationes tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam coram deo. Et nunc mitte Ioppen uiros, & accerse Simonem, qui cognominatur Petrus. Hic diuersatur apud Simonem quendam coriarium, cui domus est ad mare. Hic dicet tibi, quid te oporteat facere.



Xposita est hucusq; prima huius historiæ pars, qua ut apostoli iuxta Christi mandatum salutare euangelij uerbum Iudæis paßim prædicarint, narratur. Simul uerò indicatum est, ut uerbi huius prædicationem Iudæi exceperint. Crediderunt quidem non pauci, & mirificos ecclesiæ fideiq; Christianæ progressus Lucas commemorauit. Maior tamen illorum pars, & ij præcipuè, qui authoritate ualebant, Christi doctrinã oppugnauisse dicti sunt. Nam & apostolis manus inijciunt, & Stephanum lapidibus obruunt, & Hierosolymis ecclesiam uniuersam horribili persecutione populantur, & Saulum cum publicis mandatis Damascum usq; emittunt, ut ibi nascentem Christi ecclesiam in herba, quod aiunt, opprimat. Et quod de Saulo scribitur, à multis alijs factitatum fuisse, uerisimile est. Merebatur ergo incurabilis & pertinax salutaris doctrinæ

ctrinæ contemptus, ut tandē regnum dei à Iudæis ad gentes transferretur, ſicuti euenturū Chriſtus prædixerat, Matth. 21. Id ut fieri cœperit, hoc Cap. Lucas commemorat, & Cornelij hiſtoriam exponit, quem nos uocationis gentium primitias dicere poſſumus, cum is à deo delectus ſit, qui tantæ rei initium præberet. Debet autem ante omnia principalis hiſtoriæ huius uſus obſeruari, qui in eo conſiſtit, quòd deus ingratos & impios euangelij hoſtes iuſto iudicio reijcere ſoleat, nec ulli genti ita alligatus ſit, ut illam, quantumuis indignam, ferre cogatur. Accedit huic & alterum, ſalutē nimirum, quæ in Chriſto continetur, non ad ſolos Iudæos, uerumetiam ad gentes pertinere. Quod ut nobis conſolationem affert haud uulgarem, qui ex gentibus oriundi ſumus: ita Iudaicæ gentis repudio nunquam non nos terreri conuenit, ne ſimili ingratitudine & inobedientia ipſi quoq; à deo reijci mereamur. Rata enim & firma erit in omne æuum Pauli apoſtoli ratio, dicentis: Si deus naturalibus ramis non pepercit, uide ne qua fiat, ut nec tibi parcat, &c. Rom. 11. Sed & Chriſti ſententia iam olim lata eſt, qua omnem palmitē, qui fructum non fert ullum, abſcindi & in ignem abijci debere, minatur, Iohan. 15. Cæterum quia Iudæis abſurda ſimul & iniqua uidebatur gentium incircumciſarum uocatio & adoptio in regnum dei, (eò quòd ſoli illi iam multis ſeculis hoc titulo digni habiti fuiſſent, & ipſi reliquas gentes, perinde ut nos hodie Iudæos & Turcas ſolemus, abominabantur) primò quidem per prophetas uocationem gentium prædici uoluit deus, cuius rei præclara extant apud illos teſtimonia, ut Pſal. 2. & 27. Iſa. 2. & 19. Item. 49. & 42. Zach. 9. &c. Deinde uerò illius initiū cumprimis illuſtre fecit in Cornelio, quem ita uocauit, ut nemo non diuinæ prouidentiæ conſilium agnoſcat. Nam & angelum ſuum cœlitus Cornelio tranſmittere dignatur, et Petrum cœleſti uiſione inſtruit, qua gentes in eccleſiam uocandos eſſe teſtatur, ut ſuo loco uidebimus. In præſenti uerò Cornelius nobis conſyderandus uenit, & quid cum illo dominus agere dignatus ſit.

Sumit enim narrādi exordiū à Cornelij deſcriptione Lucas, quam mira tum breuitate tum perſpicuitate contexit. Primò uitæ genus ſiue conditionē exprimens, Centurionem fuiſſe dicit ex cohorte Italica. Solebāt enim Romani cohortes ſuas ex diuerſis nationibus & gentibus conſcribere, ex quibus poſtea nomina imponebantur. Et quia inter omnes nationes nulla illis Italica potior erat & excellentior, Italicæ etiam cohortes reliquis præferebantur. Nec dubium eſt Cornelium quoq; Italum fuiſſe, cum in eius gentis cohorte non poſtremū dignitatis locum tenuerit. At quia Cæſareæ habitaſſe dicitur, quæ ueteribus Turris Stratonis dicta eſt, illius ſeculi militū conditio obſeruanda erit, ut eò clarius Cornelij conditionē uidere liceat. Tradūt itaq; Romani ſcriptores, poſt Pom. Magni uictorias, qui primus Syriam & Iudæam Romano Imperio ſubiecit, nullos moleſtiores Romano populo hoſtes fuiſſe Parthis, quos & Craſſi interitus & Romanarum legionū clades captæq; aquilæ nobilitarunt. Quorum excurſionibus cum aſſiduè obſtandū eſſet, cohortes aliquot in Romani Imperij finibus per urbes diſpoſitæ fuerunt, ex quibus breui tēporis ſpacio (ſi ita neceſſitas ferret) iuſtus exercitus, ad reprimendam hoſtilem uim, colligi poſſet. Simul uerò Iudææ urbibus præſidio erāt cohortes illæ, ut ad ſeditiones & nouarum rerum ſtudia procliues Iudæorū animos in officio retinerent. Hinc illa tam frequens in euangeliſtarum ſcriptis militum & Centurionum mentio, quorum pleriq; inter Iudæos fixas ſedes habebant, & familias alebant, nō uenalium Carum inſtar incertis hinc inde ſedibus uagabantur. Ex eo autem hominū genere gentium in eccleſia Chriſti primitias deo colligere placuit, ut clarior eluceret ipſius gratia & bonitas, quando conſtat militari uitæ plerunq; ſummam licentiam, effrænem morū corruptelam & nihil non audendi libidinē coniunctam eſſe. Interim ex iis, quæ de illius ſeculi militibus diximus, colligi poteſt, quæ nam ſit populi aliquando liberi conditio, poſtquam libertatis donū ingratitudine & inobedientia amiſit. Tales enim Iudæos fuiſſe conſtat, quos deus Aegypto eductos in libertatem aſſeruerat, ut nulla exterorū regum tyrannide preſſi, legitimis magiſtratibus parerent. At tanto bono abuſi, libertatem ſimul & fortunas maxima ex parte amiſerunt. Iam ergo non præſidum modò Romanorū libidini & auaritiæ ſubiacēt, uerumetiam per ſingulas ferè urbes diſpoſita habent exterorum militum præſidia, inter quos licet aliqui pietatis et æquitatis nomine cōmendentur, pleroſq; tamen illorum nimis militares, id eſt feroces & temerarios fuiſſe, multa exempla docent. Atqui olim eam infelicitatem inobedientibus deus minatus fuerat. Diſcant ergo Iudæorum exemplo legitimis magiſtratibus & ſanctis legibus parere, quicunq; hodie libertatis bono fruuntur, ne ſimilem & ipſi aliquando tyrannidem ſentiant.

Gentium uocatio.

I. Cornelij deſcriptio. Centurio.

Pius & timens deum.

Sed ad Cornelium redeamus, cuius studia & mores magnificè commendantur. Nam pietatem & dei timorem illi tribuit Lucas. Vnde constat, eum à gentilium idololatria, qui multos deos impiè colebant, alienißimum fuisse. Atqui magnum & præclarum facinus illud fuisse patebit, si illorum temporum conditionem expendamus, quando Romanorum tyrannidi omnes propè omnes parebant, quorumq; legibus cauebatur, ne quis alienam religionem profiteretur. Nam ut Tertullianus author est, nemini diuinus cultus impendi poterat, nisi quem Senatus in deorum numerum retulisset: adeò ut Christum deum hanc potißimũ ob causam reiecerint, quòd Tyberius cum suffragij sui prærogatiua de illius cultu ad Senatum retulisset. Magnã ergo hanc animi constantiam fuisse oportet, qua Cornelius, abiectis gentilium Dijs, uerum deum colere ausus est, cum in publico offic. uersaretur, & uel eo nomine se minus latere posse sciret. Confutantur autem hoc exẽplo nostri seculi homines, qui in religionis causa infimis magistratibus, priusquam summi magistratus cõsensus accedat, nihil tentandum, sed supremis Regibus simpliciter obediendum esse clamitant. At ut nos agnoscimus reddenda esse Cæsaribus & Regibus, quæcũq; illorum iuris sunt: ita religionem ad unum deum referimus, nec hanc, ut illis placeamus, uiolari debere contendimus. Nobiscum uerò olim Danielis socios & ipsum Danielem sensisse scimus, qui in fornacem ardentem & Leonum speluncas potius abijci, quàm religionem ueram prophanare uoluerunt. Et Cornelij hæc potißima laus est, quòd non expectato Roman. Imperatoris decreto, uerum deum publicè coluit. Sed & Christus Centurionem eundem, qui se alterius imperio subesse ingenuè fatetur, præclaro testimonio simul & miraculo commendauit. Luc. 7.

Apologet. Cap. 5.

Studia pietatis ueræ.

1. Familiæ institutio.

At quia pietatis & timoris dei laudem Cornelio tribuit euangelista, externa quoq; illius studia, quibus animi religionem declarauit & exercuit, recenset. Inter quæ primum locum habet, quòd non ipse modò deum timuit, sed familiam quoq; in uera pietate & dei timore probè institutam habuit. Est enim hoc propriũ pijs, quòd ut seipsos, ita suos quoq; omnes deo consecratos esse uolunt. Cur enim à deo alienos esse paterentur, quos à deo sibi concreditos esse norũt? Abraham certè hoc nomine commendatur, quòd & ipse ueri dei cultor fuerit, & eiusdem cultum uerum domui suæ commendarit. Gen. 18. Et quia in eam sententiam dei præcepta extant (sicuti uidere est Deut. 6. & Psal. 78.) non immeritò ipsis patribus domesticorum impietas imputatur, si illi negligentia sua huius authores fuerint. Exemplum eius rei cumprimis memorabile in Heli scriptura proponit. 1. Samuel. 2. & 3. &c. Sed & Saba regina Solomonem propter benè institutos aulicos laudat, & eidem posteà uxorum impietas, uitio datur. 1. Regum 10. & 11. cap. Quotquot ergo religionis laudem sibi uendicare uolunt, non in hoc se officio suo functos putent, si ipsi dei cultores fuerint, sed quoscunq; ipsorum curæ deus commiserit, illi adducere & consecrare studeant. Deinde eleemosynas, id est misericordiæ opera, exercuisse dicitur Cornelius. Vnde constat tantas in animo illius uires acquisiuisse religionis studium, ut eo inflammatus, hominibus quoq; omne officiorum genus præstaret. Et uerisimile est, non ignarum fuisse eius regulæ, quam Baptista interrogantibus ipsum militibus præscripsit, dicens: Ne quem concutiatis, ne quem calumniemini, & contenti estote stipẽdijs uestris. Luc. 3. At quasi parum fecisset hæc præstando, aliorum simul neceßitatibus subueniendum esse putat. Et sanè, qui hunc animum in se nondum deprehendit, næ is religionis titulo gloriari desinat: quando Paulus ea, quæ maximi momenti esse uidentur, pro inutilibus habet, si charitate uacui simus. 1. Corinth. 13. Accedit his tertio loco aßiduum & indesinens orandi studium. Quod ueritatis cognoscendæ desyderio in illo excitatum fuisse crediderim. Nam in eorum numero censendus esse uidetur Cornelius, qui olim dei cognitionem ueram assecuti, saluatorem à deo promissum esse nouerant, sed quis nam ille esset, ignorabant. Hunc ergo sibi reuelari orauit, ne fortè suis rationibus in salutis causa falleretur. Quem sensum ex angeli uerbis posteà colligere licet, qui Petrum ipsi annũciaturum esse dicit, quid facere debeat.

2. Eleemosynæ.

3. Aßiduæ preces.

Cornelij cũ militibus nostri seculi cõparatio.

Conferamus autem cum Centurione hoc nostri seculi milites, qui tam huius quàm aliorũ eius generis exemplis sibijpsis patrocinari solent, & facilè patebit, quàm parum hæc illis seruiant. Cornelius pietatis nomine commendatur: at illi pietatis studium ad monachos, non ad milites pertinere putant. Cornelius cum tota sua domo deum timuisse dicitur: at nostri illi eos demum uerè militares animos esse ducunt, qui omni metu tam dei quàm hominum uacui fuerint. Cornelium eleemosynis

mosynis egenos subleuasse Lucas scribit: at illi rapto uiuunt, nec sacris nec prophanis abstinentes. Cornelius in precibus assiduus promissi saluatoris notitiam sibi reuelari petijt: at illorum linguæ ad deierationes, execrationes & blasphemias procliues, Christi saluatoris crucem, passionem, uulnera, & quid non? impio ausu polluunt. Taceo nunc quòd Cornelius legitimo magistratus sui imperio militiam secutus est, ut hostilem uim arceret, sed seditionibus resisteret, pacem publicam tueretur: nostri uerò illi Carum instar, mercede conducti, bellis nihil ad se pertinentibus sese immiscent, & publicæ pacis nomen cane peius & angue oderunt. Quid uerò de militibus dicere attinet, quando nec illi Cornelio conferri merentur, qui hodie in Christianismo se omnium perfectissimos esse gloriantur? Adeò in omnium animis dei timor extinctus: adeò priuati quæstus studium apud omnes ordines inualuit: & tam frigidi sunt in precibus ad deum fundendis omnium ferè hominum animi, ut nec undique prementibus aduersis securitatem hanc sibi excuti patiantur.

Porrò personæ descriptionem Cornelij uocatio sequitur, cuius initium ab apparitione angelica factum est. Vbi magnum diuinæ bonitatis argumentum elucet. Poterat enim deus nos uel abiectissimæ creaturæ ministerio indignos putare. At non contentus omnia alia nostro usui destinauisse, angelos quoque (quod & Paulus monuit) in suorum ministerium emittit. Hebr. 1. Ea autem huius apparitionis ratio est, ut ab omni doli fraudisúe suspicione sit alienissima. Nam clara luce, circa horam diei nonam, angelus uisibili specie (nimirum aliquid plus quàm humanum referens) ingreditur, & proprio nomine Cornelium appellat, ut sic ad percipienda dei mandata attentiorem reddat. Solet enim ingenuè & ea fide nobiscum agere deus, ut nullus nobis dolus timendus sit, qui diabolicis apparitionibus, obscuris semper & ambiguis, admisceri cõsueuit. At magnum licet & ardens fuerit in Cornelio religionis studiũ, consternatur tamen uiso angelo. Quod ut humanæ infirmitati tribui poterat, ita pijs proprium est, ut diuinæ maiestatis præsentia terreantur. Hoc enim olim Danieli, & postea tribus Christi discipulis in monte Thabor accidisse legimus. At eadem nos quoque erga uerbum dei reuerentia affici decebat, cùm non alia re se nobis magis præsentem deus exhibere soleat. Quare cum Cornelio dominum agnoscamus in uerbo suo nobis loquentem, & ad iussa illius capessenda nos paratos & spontaneos offeramus. Præcipuum uerò in hoc actu locum Angeli oratio obtinet, quam bipartitam esse constat. De singulis igitur partibus ordine agemus. II. Cornelij uocatio.

Prima pars consolationem habet, qua diu iam anxium Cornelij animum subleuat. Ait enim: Precationes tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam coram deo. Quæ uerba non oscitanter transiliri debent, cùm bifariàm illis abutantur Papistæ, dum pro humanæ iustitiæ gloria aduersus Christi meritum dimicant. Primò enim hinc colligunt, homines suis uiribus & operibus præparari, ut postea digni habeantur ad percipiendum maiorem gratiam & salutem in Christo. Deinde absolutè & simpliciter operibus meriti laudem tribuunt, quasi illis iustificemur & saluemur. At in utroque illos hallucinari, res ipsa clamat. Nam quoad primum, uanissimum est, quod de suis præparationibus ex hoc loco somniant, cùm satis constet, Corneliũ nihil horum, quæ ante de illo dicta sunt ex seipso habuisse aut fecisse. Quomodo enim homo gentilis, in superstitione natus & à pueris institutus, deum uerũ propria industria agnosceret, & timeret, cùm homo ille animalis non percipiat ea quæ sunt spiritus dei? 1. Corinth. 2. Quomodo item orationes deo gratas sine fide funderet, cùm sine fide deo nemo placere possit? Hebr. 11. Quòd si fidem habuit (ut sanè negari non potest) ex dei dono hanc habuerit, oportet. Ephes. 2. At eadem sine regenerationis spiritu non est, qui & pium dei ueri timorem, & beneficentiæ studium, & quæcunque alia in ipso præclara fuerunt, progenuit. Eadem autem est omnium nostrũm ratio, quæ Cornelij, nec quisquam sese ad percipiendum gratiam dei proprijs uiribus præparare poterit, cùm ex nobis ipsis ne ad cogitandum quidem idonei simus. 2. Cor. 3. Deinde ridiculum est meriti titulum operibus tribuere, & illis coram dei iudicio gloriari. Quis enim hac abs se facta esse, dicere poterit? Et num illius Paulini sumus obliti: Quid habes, quod non accepisti? Quòd si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? 1. Corinth. 4. Præterea uelimus nolimus agnoscere nos oportet, imperfecta esse quæcunque ex nobis emanant opera, etiamsi ad diuini uerbi præscriptum, agente in nobis gratia dei, instituantur. Concurrunt enim illis nostræ carnis affectus & cupiditates improbæ, quibus illa inficiuntur. Vnde sancti apud prophetam clamant, iustitias nostras esse instar laceræ uestis aut panni menstruæ mulieris. Isa. 64. Postremò cùm in nobis corrupta sint

Oratio angeli.

Contra abusum loci & assertores meriti.

omnia, propter solam fidem in Iesum Christum deo placet, quicquid placet. In illo enim huic complacuit. Matth. 3. 17. Interim non negamus, mercedis nomine frequenter scripturam uti. Sed hoc ipsum diuinæ gratiæ donum est, quæ sua dona (ut D. Augustinus ait) in nobis coronat, qui aliâs serui inutiles dici merebamur. Luc. 17. Longè ergo alia uerborum angeli mens est. Docere enim uult, deum hucusq; Cornelij rationem habuisse, nec neglexisse ipsius orationes & quæcunq; alia ex pietatis studio fecerat. Adeoq; Christi promissionem illi in mentem reuocat: Omni habenti dabitur. Habere enim dicuntur, qui concessis sibi diuina liberalitate donis, ut par est, uti consueuerunt. Hinc uerò uniuersalis consolatio decerpi potest, non inane aut inutile esse pietatis & precandi studium, & haud dubiè ingens donorum dei incrementum sensuros nos, si domino fœnerari uelimus. Refer huc talentorum parabolam, quæ Matth. 25. cap. habetur.

Cornelius ad Petrum relegatur.

Altera parte, quid facere debeat, admonet. Summa uerò mandati est, ut Simonem Petrum accersat, qui illi rerum agendarum magister & doctor futurus sit. Estq; hoc euidens diuinæ bonitatis argumentum, quòd itineris molestiam in Petrum potius quàm Cornelium transfert. Ita enim gratiam & salutem nobis, uel non quærentibus, offerre consueuit, non ut carnis ignauiam foueat, sed ut suo studio nos ad simile salutis nostræ & suæ gloriæ studium accendat. Exemplum huius in primis parentibus extat, qui cùm non ipsi priores deum uel quærerent uel uocarent, ab illo quæsiti & uocati sunt. Præterea ad externi uerbi & ecclesiastici ministerij commendationem facit locus hic. Ut enim Paulum antea ad Ananiam relegauit, ita Petrum Cornelio doctorem destinat, quem per angelum instituere poterat. Constat quidem, neminem ad Christum uenire, nisi quem pater traxerit, & fidem dei donum esse: sed interim ratus & stabilis manet ordo dei, quòd fides ex auditu est, auditus uerò per uerbum dei. Rom. 10. Quotquot igitur uerbum ex hominis ore audire dedignantur, hoc ipso sese regno dei indignos esse declarant, quòd illius constitutionem improbè contemnunt, & ab ipso institutum salutis ordinem euersum cupiunt. Utamur ergo & nos apostolorum doctrina, ut per hanc instituti faciamus quæ deo accepta sunt, & salutem consequamur in Iesu Christo, saluatore nostro unico: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA LXXI.

Postquàm uerò abijt angelus, qui locutus erat Cornelio, uocauit duos ex famulis suis, & militem pium ex his qui sibi adhærebãt: & cùm narrauisset illis omnia, misit ipsos Ioppen. Postridie uerò cùm illi iter facerent, & appropinquarent urbi, ascendit Petrus super tectum domus, ut oraret, circiter horam sextam. Erat autem ieiunus, & uoluit gustare. Parantibus uerò illis, incidit super eum mẽtis excessus: & uidet cœlum apertum, & descendens ad se uas quoddam, instar lintei magni, quatuor initijs alligatum, & demissum in terram: in quo erant omnia quadrupedia terræ, & feræ, & reptilia, & uolatilia cœli. Et facta est uox ad eũ: Surge Petre, macta, & uescere. Petrus autẽ dixit: Nequaquam domine, quia nunquam comedi quicquam commune uel immundum. Et uox rursus ad eum secundò: Quæ deus mundauit, tu communia ne dixeris. Hoc autem accidit ter, & rursus receptum est uas in cœlum.

QUemadmodum deus in Iudaici populi electione singularem gratiam & bonitatem exercuit, quam passim Moses & prophetæ prædicant: ita cùm eundem repudiauit, adoptatis in illius locum gentibus, peculiare iustitiæ suæ & iræ exemplum edidit: in cuius consideratione eò diligentius nos uersari decet, quòd generalem inde doctrinam Paulus deducit, ostendens, neminem dei gratiam & bonitatem, quæ in Christo offertur, impunè contempturum, quando in naturalibus ramis detruncandis tanta iudicij seueritate deus usus sit. Rom. 11. Quia autem ea res Iudæis dictu & creditu indigna uideri poterat, sic ut apostoli quoq; circa hanc aliquandiu dubij hæsisse legantur, & ipsis gentibus non parua erat, ob anteactam uitæ conditionem, dubitandi occasio: illustre cumprimis illius initiũ esse oportuit. Deligitur ergo ex militari ordine Centurio Cornelius, ut diuinæ bonitatis indul-

indulgentia clarior eluceret. Idem ille per angelum cœlitus missum de Petro ad se uocando admonetur: quo unico argumento abunde patebat, diuina administratione omne istud negotiũ transigi. Plenius tamen & euidentius hoc ipsum in sequentibus patebit, & ad eius rei demonstrationẽ non parũ facit præsens hic locus, qui Cornelij per angelũ admoniti fidelem obedientiam exponit, simulq; docet, ut Petrus quoq; cœlesti uisione admonitus sit, ne petenti Cornelio euangelizandi officium denegaret.

Est autem perquàm diligens in Cornelij obedientia describenda Lucas, eò quòd hæc luculentum præbet de fide ipsius testimoniũ: quod euidentius erit & locupletius, si expendamus, quàm multa obstare potuerint, quò minus angeli dictis fidem & obedientiam præstaret. Periculosum erat nouitatis in religione studium, maximè in eo homine, cuius erat cauere, ne qui in Syria nouarum rerum studio tumultuarentur. Nec aliquod in humanis præsidium apparebat, quo contra Rom. Imperatoris potentiam se defendi posse speraret. Adhæc suspectum esse poterat, quòd apud coriarium monstrabatur, qui salutis & uitæ doctor esse debebat. Quis enim è tali schola tantum magistrum expectaret? Quis item non suspectum haberet eum, qui tam ignobili loco quasi latitabat? At omnia hæc una fides superat, cuius obedientiæ iam pridem sese submiserat Cornelius. Et non immeritò ijs exemplis præsens hoc adnumerari meretur, quæ Paulus ad Hebr. cap. 11. recenset. Nostræ uerò institutioni seruit, ne ullis periculis nos à ueritatis doctrina abstrahi patiamur, nec si ei causam propter uilem speciem ulla ex parte suspectam habeamus. Et Corneliũ imitati, absq; omni mora dei mandata exequamur. Hic enim mox uocatis ad se duobus famulis, & milite religioso, illos Ioppen ablegat, ut Petrum accersant. Quo loco haud uulgaris fructus apparet, quem ex religiosa familiæ suæ institutione Cornelius retulit. Habet enim nunc fidos famulos, quibus tanti momenti negotium tutò cõmittere possit. Cuius rei exemplũ in Abrahamo & famulo ipsius Moses proponit, Gen. 24. Atqui longè alia illorum sors est, qui familiam suam ita negligunt, ut domesticorum suorum institutionẽ nihil ad se pertinere putent. Quia enim illi deo suum ius uendicare nolunt, infida ferè illorum opera utuntur, quos sua negligentia à religione alienos fecerunt. Sensit hoc Nero tyrannus, quem in ipso mortis articulo de suorum fide conquestum esse historici tradunt. Cur autem fidos experiretur, quos aduersus deum & Christum eius impiè armauerat? Debent ergo hinc uniuersalem doctrinã petere magistratus omnes, ut dei cultibus & religioni suos assuefaciant. Nec enim fieri potest, ut magistratibus fideles sint, quicunq; deo fidem negare audent. Vidit hoc olim Constantius Magni Constantini pater, qui aula sua eijciendos putauit eos, qui ad ipsius mandatum dijs adoleuerant, nec quicquam fidelis operæ se ab ijs sperare posse dixit, qui in deum ingrati & cultus diuini proditores fuerant.

I. Obediẽtia Cornelij.

Fructus bene institutæ familiæ.

Euseb. lib. 1. de uita Constant.

Præterea non negligendum est, quòd rursum militi, qui Cornelio adhærere solebat, religionis laudem tribuit. Nam præter id, quòd hinc patet, quantum ad pietatem & salutem momenti afferat piorum conuersatio, docemur quoq;, nullum uitæ genus à religione alienum esse debere, quando ea in militia quoq; locum habet, quæ multorum iudicio tunc demum nomine suo digna uidetur, si religionis curam omnem abiecerit. Atqui deum huius ducem felicissimum esse, scriptura docet. Huius auspicijs cum Syrorum ingenti manu Ioab congressus, præclaram uictoriam retulit. 2. Sam. 10. Illius opem Dauid cum Golia manum conserturus, inuocat. 1. Sam. 17. Eidem quoque omnes uictorias & uniuersum militiæ decus acceptum fert, cùm per hunc manus suas ad prælium instrui fatetur. Psal. 18. & 144. Quid, quòd Constantinus, oraculo admonitus, salutiferæ Crucis signum exercitibus suis prætulit? sub hoc nimirum feliciorem belli euentum expertus, quàm sub Romanis aquilis sperare potuisset. Et Theodosium in difficili bello contra Eugenium & Arbogastum cùm noctem totam in precibus transegisset, & oblata specie angelorum ad pugnam ipsum exhortantiũ cõfirmatus esset, postero die uentis adiutum uictoriam retulisse legimus. Indignissimæ ergo illorum uoces sunt, qui ut Romanus ille leges inter armorum strepitus exaudire posse negauit, ita absq; religione bella geri debere censent. Quam si sustuleris, illa à belluina rabie nihil different, nec aliquo honesto titulo defendi poterunt, imò contra omne ius & fas immani crudelitate grassabuntur. Docent hæc simul, minimè ferendam esse Anabaptistarum intemperiem, qui Christianum hominem arma gestare, nefas esse ducunt: quando & nostri illi, & plures alij milites in euangelio religionis & fidei nomine commendantur. Et sanè tam absurda est illorum sententia, ut potius dicendum sit, neminem arma dignè gestare posse, nisi qui Christianus fuerit.

Religio in militibus quoq; locum habet.

Contra Anabaptistas.

II. Petrus uisione docetur de uocatione gentium.

Transeamus uerò ad Petrum apostolum, quem peculiari uisione deus instruit, ne communi Iudæorum errore deceptus, Cornelij legatos reijceret. Nec dissimile ab eo est, quod hîc fit, quod supra inter Saulum & Ananiam accidisse audiuimus. Nam ut illic, ita hîc quoq; primò quidem de Petro accersendo Cornelius admonetur: deinde autem Petrus quoq; suæ uocationis certus fit, ne pietatis officium tam Christo quàm Cornelio deneget. Est hoc illustre & præclarum diuinæ bonitatis argumentum, quæ homines saluos fieri & in ueritatis cognitionem peruenire cupit. Præstat uerò singulas uisionis huius circumstantias excutere, ut plenior eluceat eorum cognitio, quæ ad communem nostræ salutis causam faciunt.

Petrus ieiunus ascendit ad orandum.

Primus hic locus Petro debetur, quem circiter sextam diei horam, ieiunum adhuc, in superiorem domus partem ad orandum ascendisse dicitur, dum interea prandium illi esurienti pararetur. Certas enim precationis horas antiquitus constitutas fuisse, supra Cap. 3. dictum est. Nam licet precum effectus nec loco nec tempori alligetur, in ijs tamen opportunitatem obseruare oportet, & certa precibus tempora constitui necesse est, ne aliorum negotiorum occupationibus distracti, rem omnium maximè necessariam negligamus. Admonet simul Petri exemplum, preces ut secessum, ita sobrietatem exigere, ne uentris studio & crapula illarum deuotio extinguatur. Quæ causa est, quod scripturæ cùm ueteris tum noui Testamenti, frequenter preces cum ieiunijs coniungunt. Arguit hoc hypocritarum ineptias, qui ut preces ad ostentationem instituunt, ita ieiunijs absolutè meriti laudem transcribunt, cùm non alius illorum usus sit, quàm ut carni subigendæ seruiant, ne illa insolentior & ferocior facta, tam preces quàm reliqua ueræ pietatis exercitia extinguat & interturbet. Vide Matth. 9. Isa. 58. cap.

Petri ecstasis.

Deinde ecstasis super illũ irruisse scribitur, ut intelligamus, nihil hîc naturali uisui esse tribuendum, nec organicorum sensuum defectu Petrum fuisse ludificatum. Nam extra se raptus mentis oculis ista subijci sensit, quod fieri necesse erat. Quia enim animalis homo (sicuti Paulus admonet) non percipit ea quæ sunt spiritus dei, diuino spiritus raptu mentem supra mundum euehi oportet, ut cælestis regni mysteria percipiat. Hoc ipsum Paulus suo exemplo docet, quando de raptu suo in tertium cælum scribens, ingenuè fatetur, se ignorare num in corpore uel extra corpus existenti illud contigerit. 2. Cor. 12. Et firmior certiorq; rei huius fides est, quòd nõ corporeis sensibus, qui ut plurimùm falli consueuerunt, ista obiecta fuere.

Visionis descriptio & scopus.

Subijcitur his diligens admodum uisionis descriptio. Videt aperiri cælos, demitti uas ingens instar magni lintei siue ueli: quod à quatuor angulis alligatum in terram descendit. Apparuerunt in eodem omnis generis animalia, tam quadrupeda, quàm reptilia & uolatilia, & ea imprimis, quæ in lege immunda & illicita dicebantur, de quibus uidere est, Leuit. 11. Deut. 14. Accedit uox, quæ Petrum surgere, animalia omnis generis mactare, & uesci iubet. Ante omnia uerò uisionis scopum obseruare conuenit, quem non alium fuisse ex sequentibus patet, quàm quòd docere uoluit deus, sublatum esse omne illud discrimen, quod hucusque per legis ceremonias inter Iudæos & gentes positum uidebatur, nec quicquam obstare, quò minus gentes quoq; in euangelij & salutis per Christum partæ communionem admittantur.

Allegorica uisionis expositio.

Mirificè autem præsenti negotio uisionem hanc seruire patebit, si singula quæ huic insunt mysteria penitius inspiciantur. Nam & Petri animum fluctuantem confirmat, & ecclesiæ totius conditionem pulchrè adumbrat. Esuriuisse Petrum eo tempore dictum est. Atqui non tam corpore quàm animo illum esuriuisse constat, qui totus desyderio prouehendi regni Christi & propagandæ ecclesiæ flagrabat. Incidebant autem quæ animũ miserè excruciare poterant. Iudæi enim, quibus salus cumprimis deberi uidebatur, illã indignis modis abijciebant, imò persequebantur. Gentes uerò salutis communione indignas putabat: cùm Christum olim præcepisse sciret, ne in uiam gentiũ abirent, sed solis perditis Israelis ouibus euangelium prædicarent: meminisset item, ab ipso Christo gentes canum loco habitas fuisse, quando Cananææ dixit: Non decet panem filiorũ proijcere canibus. Matth. 15. Licet enim postea Christus euangelium omni creaturæ prædicare iussisset, de ijs tamen gentibus solummodo hoc intelligi debere uidebatur, quæ relictis gentilitijs cultibus ad Iudaismum transirent, & circumcisæ legis iustificationibus uterentur. Quid ergo hîc aliud faceret Petrus, quàm dubijs animi æstuantis cogitationibus torqueretur? Nec enim uidebat, ex quibus ecclesia illa Christo colligi posset,

in qua

in qua illum regnaturum toties audiuerat. Hîc uerò commodùm succurrit deus, & colligendæ ecclesiæ rationem omnem explicat, imò ecclesiæ typum euidentissimum proponit. E cœlis enim, quos insolito modo diduci & aperiri uidebat, ingens linteum, quatuor angulis alligatum, demittitur, quod ecclesiæ typum gerebat. Ita uerò docebatur Petrus, non ex legis iustificationibus, sed è cœlis expectandam esse ecclesiam, quæ noua Hierusalem dici consueuit. Apoc.21. Nisi enim quis renatus fuerit è supernis, non uidebit regnum dei. Iohan.3. At quatuor angulis alligatum linteum significabat ex toto terrarum orbe ecclesiam hanc colligendam fore. Insunt animalia, quæ lex immunda esse pronunciabat, ea autem Petrus mactare, & illorum esu famem sedare iubetur. Admonebat hoc, gentes etiam, quæ hucusque pro immundis & à republica populi dei alienis habitæ erant, spirituali gladio, id est, euangelij prædicatione (nullo habito legis & ceremoniarum Iudaicarum respectu) iugulandas & mortificandas, sicque in Christi & ecclesiæ communionem recipiendas esse. Iam enim aduenisse correctionis tempus, quo uelum templi scissum, & per Christum maceria diruta est, qui utrunque populum in unam fidem & eiusdem regni hæreditatem coniunxerit. Ephes.2. Atqui hunc uisionis sensum fuisse, rei exitus paulò post docebit.

Cæterum nondum intelligit domini mentem Petrus, sed nimia legis obseruantia adhuc detentus, dei præceptum tanquam impium abominatus, respondet: Nequaquam domine, quia nunquam comedi quicquam commune uel immundum. Mox uerò graui sententia illius iudicium confutat dominus, dicens: Quæ dominus mundauit, tu communia ne dixeris. Quæ sententia præsenti quidem negotio seruit, & nec cibos, qui lege interdicti fuerant, nec gentiles homines, qui per hos figurabantur, posthac pro immundis habendos esse, docet: simul uerò generalem doctrinam continet, qua nihil ex nostro arbitrio aduersus dei iudicium & decretum nos statuere debere, admonemur. Et in hanc sententiam peccant, quicunque illicitum & prophanum ducunt, quod deus nobis licitum & sanctum esse uoluit. Confutantur ergo hîc, qui post abrogatam legem noua inducunt ciborum discrimina, cùm omnes cibos dei uerbo sanctificatos esse, nec per ea quæ os ingrediuntur, hominem pollui posse constet. 1. Timoth.4. Matth.15. Nec illorum cauillum audimus, qui carnis nostræ cohercendæ gratia hæc constituta esse dicunt, non quòd cibos per se immundos censeant. Si enim hæc illis mens est, cur conscientijs eo præcepto laqueum ponunt? Cur certis diebus abstinentiam illam astringunt? Cur pauperes maximè grauant, quos alioqui plus satis coherceri constat assiduis laboribus & inopia? Cur opulentioribus permittunt, ut illi interea piscibus, longè petitis edulijs & aromaticis cibis, ad excitandam carnis ferociam maximè idoneis, saginentur? Cur uini usum concedunt, in quo luxus est, ut Apostolus ait, & quo nihil est ad excitandam carnis libidinem efficacius? Confutantur item, qui matrimonio abstinere docent, quasi hoc ad regnum dei tendentibus impedimento sit, cùm illud diuinitus institutum, & proinde licitum sanctumque, imò ad uitam sanctè transigendam, necessarium esse constet. Nec temere duos hosce articulos dæmoniorum doctrinis Paulus adnumerauit. 1. Timoth. 4. Nam plus quàm diabolica audacia est, illud pleno ore damnare, quod deus sanctum esse uoluit. Rursum uerò eadem illorum ratio est, qui quod diuinis legibus prohibitum est, licitum esse docent, uel in commissis contra dei legem sceleribus, pecunia accepta, dispensare audent. Vtrunque uerò in Papatu tam uulgare est, ut ex una hac nota Antichristum agnoscere possis, cui Daniel illud tribuit, quòd leges & tempora mutaturus sit. Discamus ergo à dei ore pendere, nec ullas hominum constitutiones, diuinis contrarias, admittere.

Quæ deus mundauit, tu communia ne dixeris.

Porrò adijcit Lucas, hæc tertiò facta, & tandem linteum illud in cœlum receptum esse, unde descenderat. Ter uerò ista repeti uoluit deus, ut maiorem & certiorem Petro fidem faceret. Et in cœlum recipitur linteum hoc unà cum animalibus tum ut sciret Petrus, diuina prouidentia negotium hoc omne administrari: tum ut constaret, ijs quoque in cœlis locum paratum esse, qui antehac propter legis discrimen exclusi uidebantur. Estque hæc generalis consolatio. Cœlos enim, quos Adami lapsus nobis clauserat, Christi meritum denuo patefecit, & in illis locum nobis parauit, ut sæpe aliâs dictum est. Illum ergo uera fide amplexi, mortificemus spiritus gladio ueterem hominem, ut è supernis renati, eòdem transferamur in consortium saluatoris & domini nostri Iesu Christi: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Linteum recipitur in cœlum.

CAPVT X.

HOMILIA LXXII.

Cùm autẽ in seipso anxiè dubitaret Petrus, quæ nam esset uisio, quã uiderat: ecce uiri, qui missi erant à Cornelio, sciscitati de domo Simonis, astiterunt ad ianuam. Et euocato quopiam, interrogauerunt, an Simon cognomine Petrus, illic hospitium haberet. Petro autem cogitante de ui sione, dixit illi spiritus: Ecce uiri quærũt te: surge itaq;, descende, & proficiscere cum eis, nihil hæsitans, quia ego misi eos. Cùm autẽ descẽdisset Petrus ad uiros, qui missi erant à Cornelio ad ipsum, dixit: Ecce ego sum ille, quem quæritis. Quæ causa est, cur adsitis? Qui dixerunt: Cornelius Centurio, uir iustus & timens deum, testimonium habens à tota gente Iudæorum, oraculo admonitus est ab angelo sancto, ut te accerseret domum suam, & audiret abs te uerba. Quare intrò uocatos eos excepit hospitio. Postridie uerò exurgens Petrus, exiuit cum illis, & quidam ex fratribus Ioppensibus comitati sunt ipsum: & postero die ingressi sunt Cæsaream. Porrò Cornelius expectabat illos, cõuocatis cognatis suis & necessarijs amicis. Cùm autẽ ingrederetur Petrus, obuiam illi progressus Cornelius, & procidens ad pedes, adorauit. Petrus uerò erexit eum, dicens: Surge, & ego ipse homo sum.

INter multa & præclara dei opera, quibus ille suam immensam bonitatem declarauit, non postremus locus gentium uocationi debetur. Patebit id, si quales illæ fuerint, priusquàm à deo uocarentur, expendamus: alienæ nimirum à republica populi dei, sine deo, sine Christo, mortui per delicta, filij iræ, teterrima deniq; peccati & scelerum mancipia, sicuti non in uno loco Paulus admonet, & ipse gentium historiæ abunde testantur. Infinitam ergo eam bonitatem esse oportuit, qua deus tales homines è regno tenebrarum in filij sui & æternæ salutis communionem transtulit. Cæterum quia Iudæis, quos legalis iustitiæ fiducia inflabat, quiq; gentes propter neglectam circumcisionem & reliquas legis ceremonias nimis insolenter contemnebant, absurdum nimis uidebatur, tales adoptari, euidenti demonstratione opus erat, qua hanc omnino dei uoluntatem esse probaretur. Eam itaque in Cornelio deus proposuit, quem angeli ministerio ad euangelicæ salutis inquisitionem excitat, simulq; Petrum apostolum peculiari uisione instruit, ne communi Iudæorum errore deceptus, Cornelium & reliquas gentes salutis doctrina indignas putaret. Et de his quidem in præcedentibus Homilijs dictum est. Nunc ergo totius negotij progressum uideamus, quem in præsenti copiose admodum Lucas commemorat.

I.

Vt Petrus cœlesti uisione affectus sit.

Orditur autem à Petro, docens ut is cœlesti uisione affectus, utq; eo ipso temporis articulo aduentantibus Cornelij legatis, ampliorem à spiritu sancto institutionem acceperit. Et Petrum quidem hæsitabundum consedisse & anxijs dubij animi cogitationibus distractum fuisse, dicit. Facilè enim uidebat, uisionem insolitam & toties repetitam mysterio carere non posse: eiusdem uerò finem & sensum uidere non poterat. At de his illo cogitante, legati ad ostium adsunt, de Petro hospite interrogant, qui interea à spiritu admonetur, quid porrò facere debeat.

Tarditas humani ingenij.

Nobis autem in Petro humani ingenij tarditas obseruanda uenit, qua impediti, cœlestis regni mysteria minimè uidemus, nisi dei spiritu illuminemur. Cuius consyderatio in eum finem nobis seruire debet, ne ingenij dexteritate confisi, dei mysteria altius scrutemur, sicq; infinitis inuoluamur erroribus. Laudem tamen meretur, qui oblatam uisionem non scurriliter eludit aut contemnit, cum illius sensum uidere non posset: sed in eius meditatione anxius uersatur, quod illum non sine precibus fecisse, credibile est. Iubet enim hoc dominus, nec eos frustratur, qui pio studio sese diuinitus illuminari cupiunt. Ipsius enim promissio est: Quærite, & inuenietis. Petite, & dabitur uobis. Matth. 7.

Legatorũ Cornelij modestia.

Eo ipso autem momento, quo Petrum cogitationes illæ exercebant, legati ad ostium adstant, & de Simonis coriarij domo sciscitati, quempiam euocant, ut ab illo, num ibi hospitium habeat Petrus, edoceantur. Et ab ingressu abstinuisse uidentur, quòd Iudæis gentilium conuersationem abominabilem esse, non ignorarent. Noluerunt ergo temere molesti esse illis, ad quos legati missi erant. Est hoc

ingens

ingens ciuilis modestiæ,& eius disciplinæ,cui suos domesticos Cornelius assuefecerat, argumentum. Quòd si cum his nostri seculi milites conferas, qui præsidij loco urbibus imponũtur, ea importunitate & immodestia illos suo iure uti uidebis,ut nihil aut parum ab hostibus differant. Nolunt Cornelij serui cum milite alienam domum ingredi, ne cui inuito alicuius molestiæ authores sint. At nostri tunc demum se milites esse existimant,si ianuas effringant,occultiora quæq; scrutentur, patribusfamiliâs ius suum in proprijs ædibus eripiant,contradicentes cædant,stupris deniq; matronarum & uirginum immanem libidinem exatient.Simul uerò admirabilis dei prouidentia hic elucet,quæ non modò negotij huius progressum,sed singula eius momenta mirificè moderatur. Eius enim gubernatione factum est,ut hoc ipso tempore ad ostium astarent legati,quando Petrus in ea meditatione uersabatur,quæ negotij huius finem & euentum spectabat. Id forsitan sciolus aliquis, quem humanæ philosophiæ opinio inflauit,contingentiam fuisse & fortuitò uel casu accidisse diceret.At nos dei prouidentiam admiramur,quæ in omnibus operatur,pilos numeratos habet,nec quicquam incertis legibus ferri patitur. Et Augustini potius sententiam probamus,quem non puduit fateri errorem communem,quo deceptus fortunæ & fortuiti uocabulis,quàmuis non impio sensu,usus fuerat. Prouidẽtia dei.

Porrò,ut ad Petrum reuertamur, illi de uisionis scopo & sensu cogitanti, spiritus quid facere debeat, suggerit. Nam uiros adesse docet,qui illum conuentum cupiant:ad illos ipsum confestim descendere,& cum ijsdem iter ingredi iubet. Huius uerò mandati non aliam causam subijcit, quàm quòd illos,abs se missos esse,dicit:nihil interim de rei euentu & successu differens. Imò illum hæsitare,aut alternis rationibus in utranq; partem disceptare uetat. Hinc uerò generalis doctrina peti debet,qua admonemur,nos deo simpliciter obsequium debere,nec nostram rationem in consilium adhibendam esse,ubi expressum dei mandatum audiuerimus. Nam ut illud in nos ius habet deus, ut quiduis nobis mandare possit:ita fidei ingenium est,omnem carnis intellectum dei uerbo quasi captiuum subijcere,nec pati,ut aduersum euidentia dei præcepta ratiocinetur. Ea enim nimis impia audacia est,si nostris rationibus præceptorum dei authoritatem labefactare conemur. Quod ergo Abrahamum olim fecisse scriptura uetus docet, qui nec dei promissiones in dubium uocauit,licet naturæ cursum cum illis pugnare uideret,nec præceptis illius in speciem absurdis simul & iniquis inobedienter contradixit:hoc ipsum à Petro spiritus in præsenti exigit. Admonemur aũt,nobis quoq; sufficere debere,si quid à deo statutum aut dictum esse intelligamus: quando constat illum & sapienter & ad nostram salutem omnia instituere. Atqui hæc illa fidei palæstra est,in qua exerceri eos oportet,quicunq; ueri & fideles dei cultores censeri uoluerint.In qua si hodie maiori fiducia & obedientia diligentiori uersaremur, molestijs infinitis liberati , feliciores experiremur rerum omnium successus. Petrus à spiritu admonetur.

Sed Petri obedientiam uideamus, quam audito spiritus mandato, præstitit. Primum in hac est,quòd mox omni mora abrupta,ad illos descendisse dicitur,nec quicquam (ut morosi solent) uel de precibus interturbatis,uel interrupto prandio conquestus est. Deinde,ubi legatos conspexit, quos & gentiles & uiros militares esse,ex habitu facilè colligebat,amicè illos allocutus,se illis cognoscẽdum præbet,& aduentus causam interrogat. Nec mora, interroganti humaniter legati respondent, & quæ ab hero suo in mandatis acceperant,fidelissimè exponunt. Nam & herum suum egregiè commendant,& oraculi diuini per angelum denunciati diligentem mentionem faciunt, quò facilius id, cuius gratia uenerant,impetrent. Et obiter uidere est, qua fide & diligentia in herorum negotijs Christiani famuli uersari debeant,ne uidelicet (quod & Paulus monuit) ad oculum modò seruiant, sed absentium quoq; honori & commodo pro uirili studeãt. Ephes.6. Postremò,legatione audita mox uisionis mysterium Petrus agnoscit, & gentes per immunda animalia designatas fuisse intelligit, quas modò per euangelij prædicationem in Christi & salutis consortiũ adduci uelit dominus. Quare mox introductos hospitio excipit, & sequenti die cum illis iter ingreditur, comitantibus simul illum Ioppensibus aliquot fratribus, qui & pietatis officiũ Petro præstant,& à deo delecti fuerunt, ut tantæ rei testes essent. Porrò ut in omnibus hisce fidelis obedientia elucet,qualem modò à dei spiritu Petro mandatam fuisse audiuimus:ita hospitalitatis exemplum non uulgare est Petrus,quæ ut omnibus commendatissima esse debet,ita episcopos & uerbi ministros maximè decet, ut dum alijs exemplo præeunt,doctrinam quoq; suam cõmendatiorem reddant. Quæ causa est,quòd inter episcopi dotes II. Petrus mandato domini obtemperat.

hanc quoque Paulus recensendam esse putauerit. 1. Tim. 3. Arguitur igitur Petri exemplo illorum morositas, qui ut authoritatem suam satis tueantur, omnibus sese difficiles præbēt, nec ullum amicæ familiaritatis officium uel peregrinis uel domesticis præbent. Quos si non Petri exemplum, certè Christi authoritas mouere debebat, quem tunc quoque amicè quosuis excepisse Marcus scribit, quando præ populi irruentis importunitate, ne cibum quidem capere poterat. Marci cap. 6.

III. Cornelij & Petri congressus.

Porro his primum Cornelij & Petri congressum Lucas subijcit. Et de Cornelio quidem duo dicit. Primum est, quòd conuocatis cognatis, affinibus & omnibus alijs, qui ipsi aliquo necessitudinis gradu coniuncti erant, Petri aduentum expectarit. Exprimunt hæc ueræ fidei ingenium. Quia enim hæc uni dei uerbo nititur, illud etiam anxiè quærit & expectat. Rursum uerò, quia & diuinæ gloriæ studio & proximi charitate ardet, salutem multis quoque alijs communicare cupit. Vtrunque Cornelius præstat, & quidem non sine periculo. Periculosam enim fuisse apud Romanos religionis mutationem, iam sæpe diximus. Non potuit ergo non periculosissimum esse, multos illius testes adhibere. At omnem periculi metum fide superari, tum infinita alia exempla, tum scripturæ passim indicant. Imitemur uerò studium hoc, ne dum nobis tantum consulimus, dei gloriam prodamus, & illorum salutem negligamus, qui iuxta naturæ leges nobis commendatissimi esse debent. Sed aliud rursum quoque Cornelius addit. Nam uiso Petro apostolo, mox in illius occursum effunditur, ad ingredientis pedes procidit, illum uenerabundus adorat. Sunt hæc religiosi animi & magnificè de dei uerbo eiusque ministro sentientis indicia. Interim nimius est hac in re Cornelius, & immodicam ueneratione non leuiter peccat, dum (ut ex Petri uerbis colligi potest) aliquid plus quàm humanum Christi ministro tribuit. Solet id plerunque fieri, quando inconsultum nostræ rationis zelum in ministrorum dei ueneratione adhibemus. Nec aliunde superstitiosus ille diuorum cultus, peregrinationes religionis ergò susceptæ, reliquiarum deosculationes & infinita alia eius generis exorta sunt, quàm quòd homines immodico & inconsulto religionis zelo seducti, diuinitatis aliquid ijs inesse putauerunt, quibus deus aliquando ad suæ gloriæ & aliorum salutis propagationem usus est. Prodest ergo in ipsum deum mentis oculos attollere, ne dum nimium religiosi haberi uolumus, deum debito cultu fraudemus.

Petrus honorē diuinum repudiat.

Facit huc Petri apostoli responsum, qui Cornelij errorem non dissimulat, sed amicè reprehendit, dicens: Surge, nam & ego ipse homo sum. Quasi dicat: Video te augustius, quàm par sit, de me sentire. Et quia diuinum quiddam mihi inesse putas, tāto honore dignum iudicauisti. Sed longè falleris. Nam licet Christi Iesu apostolum me diuina gratia fecerit, quoad tamen meam essentiam & naturam, nihil quàm homo sum, mortalis nimirum, fragilis, caducus, peccator, qui & ipse gratia dei & Christi merito opus habeo. Desine ergo diuinos honores mihi impendere, sed eos in illum transfer, cuius tam ego quàm tu ministri sumus. Hæc uerborum Petri sententia est, quam etiam Paulus, cum Lystrenses simili errore deceptos uideret, expressit, clamans: Viri, cur ista facitis? Nos quoque ijsdem quibus uos obnoxij malis sumus homines, &c. Acto. 14. Ita uerò nimios honores à sese repulerūt apostoli, quos uel eo prætextu excusare poterant, quòd ad euangelij authoritatem facerent. Sed indignū putarunt, si quis hominum zelo abuteretur, & dolo malo doctrinæ authoritatem conciliare studeret. Docent autem hæc, immodicum & illicitum esse omnem eum cultum, qui sub aliqua diuinitatis opinione creaturis impenditur. Præscribit quidem & Paulus ciuilitatis officia, iubetque ut honore nos inuicem præueniamus. Rom. 12. Impia autem est diuini cultus prophanatio, si quod uni deo debetur, in creaturas transferamus. Simul uerò Romani Pontificis immanis fastus arguitur, qui Petri prætextu ecclesiæ primatum sibi uendicans, non modò quosuis ad se uenientes coram se prosterni patitur, uerumetiam Reges & Imperatores ad pedum suorum oscula cogit, nec illorum colla impuris pedibus calcare ueretur: qua re non fidelem Christi ministrum, sed Caligulam & Diocletianū, portenta humani generis, imitatur. Quod scelus eò grauius est et intolerabilius, quòd eo prætextu admittitur, quasi diuini aliquid homini flagitiosissimo insit. Cæterū omisso Christi & salutis nostræ aduersario, dei gratiam agnoscamus, qua gentes adoptare dignatus est, et officij memores illi seruiamus, qui nos regni sui hæredes fecit, cohæredes autem Iesu Christi filij sui & saluatoris nostri: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA LXXIII.

Et colloquens cum illo, introiuit: & inuenit multos qui conuenerãt, dixitq; illis: Vos scitis, quòd nefas sit uiro Iudæo adhærere alienigenæ, uel ad eum accedere. At mihi Deus ostendit, nullum hominem communem uel immundum dicendum esse. Quare absque contradictione ueni accersitus. Rogo igitur, quam ob causam accersiuistis me? Et Cornelius ait: Quarto ab hinc die usque ad hanc horam sedebam ieiunus, & hora nona precabar domi meæ: & ecce uir stetit coram me in ueste splendida, qui dixit: Corneli, exaudita est precatio tua, & eleemosynæ tuæ ascenderũt in memoriam coram deo. Itaq; mitte Ioppen, & accerse Simonem, qui cognominatur Petrus. Hic hospitium habet in domo Simonis coriarij. Is simul atque uenerit, loquetur tibi. Confestim ergo misi ad te, & tu bene fecisti qui adueneris. Nunc ergo nos omnes adsumus coram deo, ad audienda omnia, quæ tibi à deo commissa sunt.

QVoniam gentium uocatio Iudæis, quos legalium ceremoniarũ fiducia inflabat, non absurda modò, uerumetiam iniqua uidebatur: spiritus sanctus in Cornelij conuersione (qui primus absq; Circumcisione & reliquis ceremonijs in ecclesiæ cõmunionem receptus est) singulari diligentia uersatur: ut omnibus pateat, nihil heic humano, sed diuino consilio omnia transacta esse. Præcipuus uerò huius historiæ usus est, ut & Iudæorum insolens gloriatio reprimatur, & omnium nostrûm animi (qui ex gentibus oriundi sumus) in fide confirmentur, quando salutis prædicationem non minus ad nos, quàm ad Iudæos, pertinere cernimus. Cuius rei euidẽs cumprimis & infallibile argumentum est, quòd diuino iussu & ductu Petrum Cæsaream uenisse audiuimus, ut Cornelio salutem in Christo prædicaret. Idem uerò in præsenti plenius patebit, si primum Petri colloquium cum Cornelio excutiamus: in quo ille quidem suum ad gẽtes ingressum excusat, ille uerò sui instituti, quo Petrum ad sese euocauerat, rationem reddit.

Voluit autem ab excusatione dicendi initiũ facere Petrus, partim quidem propter Iudæos fratres, quos illi ex Ioppe proficiscenti itineris comites fuisse audiuimus, ne uidelicet illi nouo & insolito facto offenderentur: partim uerò propter Cornelij domesticos & cognatos, qui gentiles erant, ne illi ipsum leuitatis nomine suspectum haberent, si ueterem sui populi consuetudinem temere & absq; ratione transgrederetur. Fatetur ergo Iudæorum consuetudinem, ne huius temere oblitus esse uideatur: eidem uerò dei uoluntatem siue oraculum opponit, cuius authoritas uel sola ad facti huius excusationem sufficere poterat. Nobis uerò de utroq; singulatim dicendum est. I. Petrus suum ad gentes ingressum excusat.

De Iudæorũ consuetudine loquens, ipsos auditores testes facit. Vos scitis (inquit) quòd nefas sit uiro Iudæo adhærere alienigenæ, aut ad eum accedere. Quanuis autem nulla dei lex extet, quæ illud disertè prohibeat, ex eo tamen consuetudo hæc originem duxisse uidetur, quòd gentilium, & Chananæorum imprimis, coniugia & fœdera deus prohibuit, ne illorum commercijs seducti, à deo & uero illius cultu deficerent. Deut. 7. Ios. 23. Et credibile est, multos sub eorum commerciorum prætextu, quæ communis necessitatis ergò inter homines exercentur, ethnicis familiarius conuersatos, & sic à dei cultu alieniores factos fuisse. Quæ causa fuit, ut arctiores huius legis terminos constituerent pij sanctiq; patres, qui omnem à deo deficiendi occasionem sublatam uolebant. Hinc uerò generale & perpetuum præceptum sumi debet, ut qui dei cultores dici & haberi uolunt, eorum commercia deuitent, quos uel falsa religione uel manifesta morũ impietate corruptos & à deo alieniores esse nouerunt. Quia enim natura ad malum procliues sumus, facilè alienæ impietatis consuetudine inficimur: & quotidiana exempla docent, quantum ea in re malorum conuersatio & praua colloquia possint, quibus bonos quoq; mores corrumpi, Paulus author est. 1. Corinth. 15. capite. Accedit his, quòd pœnarum quoque consortes fiunt, quicunq; impiorum conuersatione delectantur: cuius rei exemplum in Loto scriptura proponit, qui Sodomarum incola factus, cum ijsdem primò quidem funesto bello implicatur, deinde uerò omnium fortunarum simul & coniugis iacturam facit, & tandem in filiabus experitur, quantum illis impiæ gentis commercium nocuerit, cum incestum patris concubi- Dei cultores impiorum cõmercia deuitent.

tum tam ſubdolis artibus uenentur. Non temere ergo Paulus, abſurdum eſſe docet, ut cum infidelibus iugum trahant, qui Christo conſecrati ſunt. 2. Corinth. 6. Et Chriſtus dominus de Antichriſti & impiæ Babylonis ſupplicio loquens, ſuos ſeriò admonet, ut inde exeant, ne iiſdem pœnis ipſi quoque inuoluantur. Apocal. 18. Quòd ſi uerò inſidioſa pijs eſt uulgaris impiorum conuerſatio, maiori utique diligentia falſi doctores cauendi erunt, qui animis hominum ſeſe mirificè inſinuare, & incautis lethiferum falſæ doctrinæ uenenum inſpirare ſolent. Vide de his, Matth. 7. & 15. capite. 2. Iohan. 1. &c.

Nemo ſalutis doctrina indignus cenſeri debet.

Cæterùm receptæ Iudæorum conſuetudini recens dei oraculum apoſtolus opponit, dicens: At mihi oſtendit deus, nullum hominem communem aut immundum dicendum eſſe. Immundos autem hoc loco intelligit, euangelij & ſalutis doctrina indignos. Alioqui enim ſatis conſtat immundos eſſe & dici debere omnes homines, quando in peccatis omnes nos concipi & naſci, figmenta item humani cordis ab ipſa pueritia praua, & iuſtitias noſtras inſtar ſordidorum centonum eſſe ſcripturæ teſtantur. Pſal. 51. Gene. 8. Iſa. 64. At quia Chriſti ſanguis nos à peccatis emundat (1. Iohan. 1. cap.) & fide in hunc corda noſtra purgantur, nemo purificatione ea, quam Chriſtus ſumma liberalitate omnibus offert, & quibuſuis in ſe credentibus benigniſſimè impertit, indignus temere cenſeri debet: niſi quem palàm deprehendamus ex canum & porcorum genere eſſe, quibus regni cœlorum margaritas & ſancta eius myſteria proijcere Chriſtus prohibet. Matth. 7. Vehementer ergo errant, qui ſalutis myſteria inuidè celant, & Chriſti quoq; nomen profeſſos ab illorum communione arcere conſueuerunt.

Conſuetudines dei uerbo cedere debent.

Eſt autem cumprimis obſeruandum, quòd ueteri & receptæ conſuetudini expreſſum dei oraculum apoſtolus opponit. Docemur exemplo hoc, eam eſſe diuini uerbi authoritatem, ut huic ea quoq; cedere debeant, quæ bono zelo & ſancto conſilio ab hominibus inſtituta ſunt, ut primùm illa dei uoluntati aliqua ex parte obſtare uidetur. Pernicioſa igitur & abſurda ualde illorum pertinacia eſt, qui eos ritus in eccleſia retinere conantur, quos ab ineptiſſimis hominibus ad ſuperſtitionis confirmationem inſtitutos eſſe, & Chriſti merito quàm plurimum derogare conſtat. Periculoſum illis uidetur nouitatis ſtudium. At multò periculoſius eſt, ueterum errorum obſeruationi cum ſalutis iactura inhærere. Et meminiſſe oportebat, fidei obedientiam ueri Chriſtianiſmi finem eſſe, quæ ut noſipſos abnegemus, & reſignato in uniuerſum noſtro arbitrio & iudicio in dei uoluntatem & poteſtatem nos totos tradamus, requirit. 2. Cor. 10. Matth. 16. Luc. 8.

Porrò inſtitutæ apologiæ quæſtionem ſubijcit Petrus, cauſam requirens, ob quam ipſum accerſire uoluerint. Nec ſuperuacanea uideri debet quæſtio hæc, licet & uiſione cœleſti & legatorum ſermone Petrus antea inſtitutus fuerit. Ita enim in auditorum animis diligentiam & attentionem ac denſq; audiendi ſtudium excitare uoluit: quæ niſi adfuerint, cum fructu uerbum prædicari non poterit. Nec parum docentis animũ zelumq; extimulat, ſi attentos & cupidos diſcendi eſſe uideat, quos ipſi inſtituendos deus tradidit.

II.
Cornelij ad Petri orationem reſponſio.
1. Cauſam ſui inſtituti explicat.

Sequitur ergo Cornelij reſponſio, quæ ut ſimplex eſt minimeq; fucata, ita non pauca habet, quæ communi omniũ inſtitutioni ſeruiunt. Nam & cauſam ſui conſilij exponit, & gratias agit Petro, quòd ad ipſum uenire dignatus ſit, ſimulq; attentionem pollicetur, ubi etiam non obſcurè officij Petrum admonet: quæ ſingula ordine uidebimus. Orditur autem à cauſa, ob quam Petrum ad ſe euocarit, ne aliquibus uel negligentior in propriæ ſalutis cauſa, uel etiam inſolentior uideatur, quòd non ipſe potius Ioppen deſcederit. Repetit igitur quæ iam ante de angeli apparitione dicta ſunt: nec Lucam eadem toties repetere piget, ut hiſtoriæ ueritas & certitudo clarius eluceſcat. Summa omnium eſt, dei mandato & oraculo euidenti ſe admonitũ eſſe, ut Petrum ad ſe uocaret. Obſeruemus autem hic, quòd ſe ad nonam uſq; diei horam (quæ nobis tertia pomeridiana eſt) ieiunum manſiſſe, & orauiſſe dicit. Exprimũt hæc ardens ueritatis ſtudium, quo illum ob religionum diuerſitatem non mediocriter uexatũ fuiſſe credibile eſt: cum Iudæos quidem à gentibus differre, & ſimul nouam Chriſtianorũ religionem exoriri uideret. Valde ergo anxius, ne à uero deuiaret, precibus aſſiduis deum fatigauit, & iiſdem, ut feruentiores eſſent, ieiunia ſancta coniunxit: ut planè uideas illum non precum & ieiuniorum merito confiſum fuiſſe, ſed ijs non aliud quàm ueritatis cognitionem quæſiuiſſe. Confer autem militem hunc cum noſtri ſeculi Monachis, ut quantum illos tum pietate tum carnis

disciplina superarit intelligas. Et in publico quidem officio uersans hisce studijs sese dedidit, ut euidens omnino illorum error sit, qui perfectum religionis studium absq; solitaria uita consistere posse negant. Elucet præterea hoc loco, quæ causa sit, quòd in religionis ueræ studio tam parum hodie proficitur. Precibus fatigari uult deus, quæ ex sobria carnis disciplina non parum feruoris accipiunt. At hodie rarißima precum cura est, & sobrietatis studium in crapulam & ebrietatem transijt, quæ homines ad diuina simul & humana ineptos reddere solet. Regnat hæc multis in locis inter ipsos uerbi ministros, ut in illis eos mores cernas, quos infidis doctoribus Isaias Cap. 56. tribuit. Principes, & qui in magistratu uersantur, ferè manè comessantur, & crapulæ indulgent, Solomonici illius prorsus immemores: Væ tibi terra, cuius rex puer est, & cuius principes manè comessantur. Eccles. 10. In uulgo autem Noæ & Loti tempora uidere licet, sicuti olim Christus præmonuit. Matth. 24. Luc. 17. Quid ergo miramur, raram esse ueritatis cognitionem, quando ea studia regnant, quibus illa suffocari, & in uniuersum obrui solet?

Secundo loco gratias agit Petro Cornelius, quòd ad ipsum uenire dignatus sit. Hunc enim sensum habet locutio, qua utitur: Bene fecisti, qui adueneris. Nam quia hoc ab ipso bene factum esse agnoscit, non obscurè simul se illi gratiam debere fatetur. Quo exemplo admonemur gratitudinem nos ministris uerbi debere. Per hos enim pax & salus affertur, iuxta illud prophetæ: Misit uerbum suum, & sanauit eos. Psal. 107. Iidem nobis patrum loco sunt, cum illorum ministerio regeneremur, & dei filij atq; hæredes efficiamur: quod non semel à Paulo inculcatũ esse legimus, ut 1. Cor. 4. Gal. 4. capite. Atqui philosophos ex naturæ legibus docuisse constat, nunquam à filijs dignam parentibus gratiam referri posse. Quis ergo satis gratus erga eum fuerit, cuius opera & studio dei filius & cœlestis regni hæres factus est? Quæ causa est, quod prophetæ inter potißima dei beneficia fidos doctores commemorare solent, ut uidere est, Psal. 147. Isa. 30. Amoz 2. Mich. 6. &c. Et Paulus inter spiritus dona, quibus ille ex alto ecclesiam suam ornat, pastorum, doctorum, prophetarum, apostolorum & euangelistarum maximè meminit. Ephes. 4. At hodie eò ingratitudinis pleriq; deuenerunt, ut uerbi ministros à malo dæmone submitti, & publicos omnium malorum authores esse, dicere audeant. At habebunt illi aliquando se dignos doctores, quando salutis prædicationem tanta cum ingratitudine respuunt. Vide. 2. Thess. 2.

2. Gratias agit Petro.

Tertiò attentionem & obedientiam Petro Cornelius pollicetur, cum ait: Nunc ergo nos omnes adsumus coram deo, ad audiendum omnia, quæ tibi à deo commissa sunt. Sunt hæc uerba singulari consyderatione digna. Docent enim quales nam uerbi auditores esse conueniat. Primò, ipsos coram deo adesse dicit. Ante omnia ergo se in dei conspectu uersari meminerint, quicunq; in ecclesia dei uerbum audiunt. Christi enim uox est: Qui uos audit, me audit. Luc. 10. Et idem se inter illos medium fore promittit, qui in suo nomine congregati fuerint. Matth. 28. Deinde, se cum suis ad audiendum adesse fatetur. Est hoc alterum, cuius auditores meminisse oportet, se nimirũ doctrina & institutione opus habere, & proinde non conueniens esse, ut animos suos in uanis cogitationibus peregrinari patiantur. Qui enim id faciunt, semen uerbi (ut Christus ait) in uiam excipiunt, ubi ab auibus deuoratum fructum ferre nequit. Postremò, omnia audire uult Cornelius, quæcunq; Petrus à deo commissa habet. Idem à nobis requiri cogitemus, nec tantum nobis permittamus, ut quædam audire & amplecti, alia uerò reijcere uelimus, quæ carnis affectibus minus adlubescunt. Hæc si cum nostri seculi moribus conferas, quàm horribilem, proh dolor, corruptionem uidebis? Conueniunt quidem pleriq;, sed non tanquam in dei conspectu: quin ijs similes sunt, de quibus apud Ezechiel. cap. 33. legitur. Deinde paßim impios illos ardeliones audire est, qui cum uerbum audiant, se tamen nec doctrina nec admonitione opus habere gloriantur. Quantus uerò illorum numerus est, qui in dei uerbum censurã exercere audent, & ea quidem prædicari uolunt, ex quibus lucrum sperant: rursum uerò ministris silentium imponunt, si quid affectibus ipsorum aduersum aut mundo exosum dixerint? Atqui præstaret talibus uerbum non prædicari, & sentient olim ipsis in testimonium cessurum esse, quod tanta improbitate contemnere ausi sunt.

3. Attentionem et obedientiam promittit.

Simul uerò Petrum ista officij admonuerunt, ut nimirum quæ ipsi à deo commissa erant, libere prædicaret, & quidem sola illa, non suæ rationis figmenta obtruderet. In quibus præcipuè ministrorum officium uersatur, ut sæpe iam dictum est. Nos autem Cornelium nobis imitandum propona-

Ministrorum officium.

mus, ut eodem uerbi studio accensi, salutis doctrinam dignè percipiamus, illaque regenerati uitam dignam uiuamus in Christo Iesu, domino nostro: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA LXXIIII.

Petrus autem aperiens os dixit: In ueritate comperio, quòd non sit personarum acceptor deus: sed in omni gente qui timet ipsum, & operatur iustitiam, is acceptus est illi. Sermonem, quem misit deus filijs Israel, annuntiãs pacem per Iesum Christũ (Hic est ominum dominus) uos nouistis.

QVamuis ardẽs ueritatis cognoscendæ studium ante quidem pijs precibus & sanctis ieiunijs Cornelius abundè testatus sit, euidentioribus tamen signis hoc ipsum declarat, quando Petrum apostolum aduenisse uidet, eumque ad docendum paratum esse audit. Nam & gratum sibi esse fatetur apostoli aduentum, & se fidelem atque obedientem auditorem fore promittit omnium eorum, quæ ex dei mandato Petrus dicturus sit. Quo loco docemur, quid omnes eos facere conueniat, qui dei uerbum non absque fructu audire uoluerint. Porrò ut pij auditoris & studiosi exemplum præbet Cornelius: ita in eodem simul patet, pium & ardens uerbi studium fructu carere non posse, sed iuxta Christi promissionem inuenturos dei uoluntatem, quicunque illam non fucato animo quæsiuerint. Nam qui paulò ante cœlestis uisionis oraculo Petrum excitauit, ut ad Cornelium sibi proficiscendum esse intelligeret: idem nunc quoque occulta spiritus suggestione animum eius extimulat, ut magna cum grauitate & diligentia sese ad docendum præparet. Id enim per oris apertionem significari iam ante dictum est. Concionis uerò argumentum est, per solum Iesum Christum homines purificari & salutem consequi. Ordine autem commodissimo utitur. Nam exordium habet ad captandam beneuolentiam cumprimis idoneum, cum ad gentes quoque salutis doctrinam pertinere, ingenuè fatetur. Deinde summam totius euangelici negotij paucis comprehensam proponit. Quam mox historica narratione latius exponit, & tum apostolicis tum propheticis testimonijs cõfirmat. Tandem uerò finem & scopum omnium subiungit, docens, ut nos tam Christi ipsius quàm salutis, quæ in ipso offertur, per solam fidem consortes fieri oporteat. At in præsenti duas priores partes explicabimus, de reliquis suo loco & tempore dicturi.

Concionis Petri argumẽtum & ordo.

I. Salutis doctrina ad gentes quoque pertinet

Exordium exclamatione figurat, dicens: In ueritate comperio, quòd non sit personarum acceptor deus, &c. Sensus est: Euangelium & salutis doctrinam non minus ad gentes, quàm Iudæos, pertinere. Antea quidem interstitium ingens & præalta quædam maceria gentes à Iudæis dirimebat. Nam & Paulus eos qui ex gentibus sunt, à republica Israelis abalienatos, à testamenti extraneos, spei exortes, denique sine Christo & sine deo fuisse scribit. Addit uerò, quod ad huius loci explicationem facit: Nũc autem per Christum Iesum uos, qui quondam eratis longinqui, propinqui facti estis, per sanguinem Christi. Ipse est enim pax nostra, qui fecit ex utrisque unũ & interstitiũ maceriæ diruit, &c. Ephes. 2. Hoc ipsum magna grauitate Petrus asserit, partim quidem, ut beneuolos sibi reddat auditores, quorum saluti non inuidebat, aliorum Iudæorum more: partim uerò, ut ijdem attentiores sint in ijs audiendis, quæ ad ipsorum salutem spectabant. Præstat autem singula uerba excutere, ut plus inde consolationis & institutionis ad nos redeat.

Sãcti interdum quædam ignorant.

Primum per exclamationem (ut modò monuimus) ait: In ueritate, aut reipsa comperio. Quo uox ipsum hoc mysterium ignorauisse, testatur. Antea enim communi Iudæorum errore deceptus, & cæco carnis præiudicio fascinatus, gentes tanquam prophanas & deo abominabiles, horrere consueuerat. Nunc uerò cœlesti uisione, angeli apparitione & uerbis Cornelij aliter sentire docetur: quæ in hisce non obscura Christiani & uerè regenerati animi argumenta deprehendit. Docet autem Petri exemplum, sanctos quoque interdum aliqua latere, & proinde non credendum esse nostra rationis præiudicio, sed illud potius ad diuini uerbi regulam magna diligentia examinari debere.

Deus non respicit personas.

Secundò quid nam compererit, docet: nimirum, quòd non sit personarum acceptor deus. Caeterum personæ uocabulum externam hominis speciem significat, qua uel commendari uel contemptui fieri

fieri solet: cuius generis sunt, nobilitas, stemmatum splendor, opes, honores, natio siue natale solum, maiorum obscuritas, paupertas, seruitus, & infinita alia. Quorum respectum à iudicibus alienissimum esse iubet deus, eò quòd salua esse nequit iudiciorum æquitas, ut primùm ille admissus fuerit. Deut.1. Exod.23. Psal.82. Nequit ergo fieri, ut in dei naturam cadat, quod is in hominibus abominari consueuit. Et sanè passim hoc illi scripturæ tribuunt, quòd nec genere, nec diuitijs, nec paupertate, nec externa conditione, nec etiam natalis soli respectu moueatur: sed æquè omnibus sese iustum atq; misericordem exhibeat. Habet uerò hoc haud uulgarem usum in salutis negotio. Nam & institutioni seruit, ne quem propter externa illa contemnamus, quando deum, cuius filij sumus, his nequaquam moueri constat: & consolationem affert afflictis & infimæ sortis hominibus, quando audiunt in Christo nec seruum nec liberum, non Iudæum nec Græcum, non Scytham nec barbarum, nō marem nec fœminam, non diuitem nec pauperem haberi. Vide Gal.3. Colos.3. &c.

Facit uerò ad huius explicationem, quod mox subijcit, quales nam in omni hominum genere deus sibi acceptos habeat, ne quis illum temere res humanas administrare putet. Addit enim: Sed in omni gente, qui timet ipsum & operatur iustitiam, is acceptus est illi. Comprehendit autem duobus capitibus totius uitæ integritatem, qualem à suis cultoribus deus requirit. Nam dei timore omnem religionem complectitur, quando constat, hunc absq; dei notitia, fide & obedientia consistere non posse. Iustitiæ autem uocabulo supremam illam uirtutem intelligit, qua unicuiq; quod suum est tribuitur, quæq; sola totius uitæ optima moderatrix est, & ex Christianæ charitatis fontibus deriuatur. At si cum his corruptam hominis naturam conferas, facilè patebit, hæc non nisi in renatis inueniri, & sine dei gratia, fideq; in Christum minimè constare. Quomodo enim propter externa opera deo placerent, qui à Christo alieni sunt, quando solus hic mediator ille est, in quo patri complacuit? Vehementer ergo errant, qui ex hisce Petri uerbis humanæ iustitiæ meritum stabiliri posse existimant: cum sola dei gratia eorum causa efficiens sit, quæ hîc tam præclaris laudibus uehuntur. Simul autem illorum quoq; error confutandus est, qui hoc loco abutentes, unumquenq; in suæ gentis religione saluari posse affirmant, siue ille Iudæus, siue Turca, fuerit, modò aliqua numinis reuerentia illuminatus commu ni inter homines iustitiæ studeat. At longè alia hîc Petri mens est: qui potius probare instituit, euangelij doctrinam, qua salus in Christo prædicatur, ad omnes gentes ex æquo pertinere. At quorsum obsecro illam ad omnes diuulgare opus esset, si sine Christo salus obtingeret? Est autem cumprimis perniciosum istud hominum genus, qui sub Christianæ modestiæ prætextu, ne quem audacius damnare uideantur, Christi meritum planè euacuant, imò dei iustitiam, bonitatem, sapientiam, ueritatē & quicquid præterea uirtutum in deo est, in dubium uocant. Si enim absque Christo salus cuiquam obtingit, illam ex nostro arbitrio & zelo pendere constat. Frustra ergo in mundum Christus uenit. Frustra incarnatus, passus & mortuus est. Frustra à mortuis resuscitatus, cœlos conscendit. Et mendacij arguetur, quòd dixerit: Nemo uenit ad patrem, nisi per me. Iohan.14. Mendacij quoq; conuincetur Petrus, qui Christi spiritu suggerente nullum aliud sub cœlo nomen hominibus datum esse dixit, in quo saluari possint. Adhæc quis obsecro deum patrem uel iustum, uel sapientem, uel ueracem, uel misericordem dicere poterit, qui nulla graui causa motus, tam acerbis afflictionibus filium subiecerit? Procul ergo facessant illi homines, qui dum modesti uideri uolūt, religionis mysteria euacuāt. Nos uerò uerborum Petri scopum obseruantes, dei iudicio eos relinquamus, ad quos euangelij & Christi lux nondum peruenit: quos, si saluantur, Christi merito saluari oportet, nisi in Christum simul & deum contumeliosi esse uelimus.

Cultorum dei studia.

Accedamus autem ad secundam concionis huius partem, quæ totius causæ propositionem habet his uerbis comprehensam: Sermonem, quem misit deus filijs Israelis, annuncians pacem per Iesum Christum (hic est omnium dominus) uos nouistis. Quorum hic mihi sensus esse uidetur: Nolo uos nouum & inauditū aliquid expectare, ô fratres. De eo enim negotio uerba facturus sum, quod iam passim per omnium ora uersatur, & cuius fama haud dubiè ad uos quoq; peruenit: ut nimirum deus filium suum Iesum Christum, qui ipsi coæternus & omnium dominus est, filijs Israelis miserit, hominem factum ex Maria uirgine, ijsq; per hunc pacem annunciauerit. Comprehendit his Petrus uniuersa Christi Iesu & euangelici negotij mysteria, quæ mox subiecta narratione fusius explicabit. Quare in ijs ea tantummodo, quæ præsenti loco seruiunt, quoad fieri potest breuissimè perstringemus.

II. Propositio.

Christus deus.

Primò quis nam Christus ille sit, non obscurè docet, quando omnium dominum uocat. Est hoc euidens diuinitatis ipsius testimonium. Constat enim ad solum deum omnium rerum dominium pertinere, eò quòd idem ille solus omniũ creator sit. At per æternum illud dei uerbum omnia creata esse, & eidem omne iudicium & omnem potestatem à patre datam esse constat. Iohan. 1. 3. & 5. Deus ergo uerus sit oportet. Neq; hîc nobis dandi uerbum quisquam obijciat, quasi minor sit, cui ab altero aliquid datur. Hoc enim ad assumptam hominis naturam refertur, cui præfinito tempore à patre datum est, quod iuxta diuinitatem ab æterno Christus habuit. Ita enim ipse iam mortem aditurus loquitur: Glorifica me pater apud temetipsum gloria, quã habui priusquàm hic mundus esset apud te. Iohan. 17. Cõfutantur his Arriani & qui horũ uestigijs hodie insistunt Seruetani, simulq; Christianæ fidei dignitas contra Iudæos & Turcas asseritur, qui nos nudo homine gloriari & confidere dicunt.

Christus incarnatus.

Deinde salutis modum obiter attingit Petrus, quando æternum illud dei uerbum, Iesum Christum, à deo patre missum esse dicit. Nam mißionis uocabulo totum incarnationis mysterium comprehendit, quemadmodum & Paulus, quando ait: Vbi uenit plenitudo temporis, emisit deus filium suum, factum ex muliere, &c. Gal. 4. Incarnationi autem includuntur, quæcunq; in carne Christus nostræ salutis ergò fecit simul & passus est, de quibus postea dicetur. Porrò filijs Israelis missum dicit, non quòd ad solos hos pertinuerit, sed quòd ex illis carnem assumpsit, & illis primis innotescere debuit, donec propter illorum incredulitatẽ ad gentes transferretur. Obseruabis autem in his, uniuersum illud Christi negotium, quod euangelio prædicatur, non humanum, sed diuinum esse. A deo enim uerbum illud missum est. Et æternum hoc dei decretum esse constat, ut Iesus Christus Rex & sacerdos sit sui populi in æternum. Psal. 2. & 110. Vnde colligimus, frustra contra euangelium ipsum humanis uiribus pugnari: quod supra Gamalielem uidisse audiuimus, & omnium seculorum exemplis abunde demonstratum est.

Christus pacis author inter deum & homines.

Postremò finem & scopum totius negotij huius attingit, qui est, ut pax annunciaretur per Iesum Christum. Ita Isaias cap. 52. de euangelij præconibus loquens, ait: O quàm speciosi sunt super montes pedes euangelizantis, prædicantis pacem, &c. Prædicationis uerò meminit Petrus, non quòd huius tantummodo minister sit Christus, sed quòd pax illa, cuius ipse author est, nobis per uerbi euangelici prædicationem offertur, & fidei auditu percipitur. Præcipuè autem de ea pace loquitur, quæ nobis cum deo per Iesum Christum intercedit. Antea enim propter peccata à deo disiuncti, hostium loco reputabamur. Et Paulus iram dei cœlitus patefieri scribit aduersus omnem impietatem & iniustitiam hominum. Rom. 1. Pacificatore ergo & reconciliatore opus fuit, quem in Iesu Christo nobis à patre datum esse, scripturæ docent. Is enim peccata, quæ dißidij inter nos & deum causa erat, in se transtulit, illa mortis suæ merito expiauit, & diuinæ iustitiæ rigori satisfecit. Idemq; per fidem noster factus, sua iustitia nos uestit, munit & tuetur ut dei tribunal sustinere poßimus, qui pro nostris delictis æternum damnari merebamur. Ita fit, ut iuxta Pauli doctrinam, iustificati ex fide, pacem habeamus erga deum, per dominum nostrum Iesum Christum. Rom. 5. Fatetur hoc ipse pater, quando cœlitus lætam hanc & plenam consolationis uocem intonat: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est. Matth. 3. & 17. Atqui hæc illa pax est, quæ omnem intellectum superat, quæq; nullis afflictionibus interturbari potest, eò quòd has leues & iucundas efficiat ijs, qui deum patrem sibi in Christo propitium factum, & se dei filios factos esse intelligunt. Parit etiam pax hæc ciuilem imò fraternam inter homines concordiam, eò quòd per Christum omnis ille personarum respectus inter fideles tollitur, quo concordia mutua maximè turbari consueuit. Et quia charitatis igne hominum mentes incendit, pacis studium illorum animis ita inserit, ut cane & angue peius oderint & abominentur, quæcunq; huic aduersa esse nouerunt. Magna ergo & execrabilis est illorum hominum ingratitudo & iniquitas, qui euangelij prædicatione politias & publicam pacem turbari clamant. Ita enim Christum Iesum, ueræ & æternæ pacis principem, eorum scelerum authorem faciunt, quæ mundo infelici accepta ferri debebant, quem ideò contra Christum & uerbum eius tumultuari & publicas turbas excitare constat, quòd eius lucem, qua praua ipsius opera arguuntur, ferre non potest. Iohan. 3. Agnoscamus nos dei bonitatem, qui salutis doctrinam omnibus offerre dignatur, & Christum Iesum, salutis & pacis authorem unicum uera fide amplectamur: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA LXXV.

Vos [inquam] nouistis, Verbum quod diuulgatum fuit per totam Iudæam, initio facto à Galilæa, post baptismum, quem prædicauit Iohannes: nempe Iesum à Nazareth, ut illum unxerit deus spiritu sancto & uirtute: qui obambulauit benefaciens, & sanans omnes, qui oppressi erant diaboli tyrannide. Quoniam deus erat cum illo.

QVamuis concionem hanc Cæsareæ in Cornelij Centurionis domo diuus Petrus habuerit, eadem tamen ad omnes homines spectat, & hodie etiam à nobis diligentißimè consyderari meretur. Nam præter id, quòd multa præcesserunt, quæ dei spiritum huius authorem fuisse docent, hac ipsa Petrus omnem nostræ iustificationis & salutis rationem plenißimè comprehendit. Et huius quidem in ipsa propositione (ut nuper uidimus) auditores admonuit, dum se de æterno dei uerbo, Iesu Christo nimirum, dicturum esse pollicetur, qui cùm omnium dominus adeoq; uerus deus sit, in mundum tamen uenire dignatus est, ut humanum genus deo patri reconciliaret, & salutiferæ illius pacis præco simul & author esset. Quia uerò ijs uerbis non obscurè testatus est, salutis nostræ rationem in uno Iesu Christo comprehendi, hoc ipsum modò historica narratione latius fusiusq; explicare incipit, & sic quidem, ut facilè pateat, ea omnia à Christo peracta esse, quæ ad humani generis redemptionem pertinebant.

Facit autem narrandi initium à loco & tempore, docens, ubi & quando Christus innotescere cœperit. Simul uerò ipsos rerum, quas iam pridem fama longè lateq; uulgauerat, testes sistit, ne cui narratio hæc incertæ & dubiæ fidei esse uideretur. Vos (inquit) nouistis uerbum, quod diuulgatum fuit per totam Iudæam, initio facto à Galilæa, post baptismum, quem prædicauit Iohãnes. Loci uerò non temere meminit, cùm in Galilæa Christum prædicandi initium facturum esse, olim Isaias prædixerit, quemadmodum Matthæus quoq; cap. 4. annotauit. Isa. 9. Nec alia ratio uidetur, quod tempus quoq; allegat. Verbum hoc post baptismum Iohannis cœpisse dicens, quando hunc quoq; primum noui Testamenti ministrum & promißi saluatoris præcursorem fore, prophetæ uaticinati sunt. Nã in hunc competere, quæ Isa. 40. de uoce in deserto clamante, & apud Malachiam de Elia dicuntur, ex Euangelistarum scriptis, & ipsius Christi testimonio, quod Matth. 11. habetur, notius est, quàm ut multis demonstrari oporteat. Confutantur igitur hoc loco, qui Iohannem inter euangelij ministros censeri debere negant. Atqui constat, hunc de Christo testimonium tulisse, & ad hunc discipulos suos summa fide relegauisse. Iohan. 1. & 3. Idem ille uniuersum populum tam doctrina quàm baptismo ad Christum excipiendum præparauit, quod eius officium in recens nato pater Zacharias ex spiritus suggestione agnoscit. Nobis potius studiose hoc obseruandũ est, quòd Christi Iesu & euangelij ipsius negotium à Iohanne cœpit, qui pœnitentiæ doctrina & baptismo illorum animos, qui Christi discipuli futuri erant, præparare debuit. Ita enim cauere uoluit Christus, nè quis sub illius prætextu carnis & peccandi licentiã quæreret, quod & olim multos fecisse constat, & hodie plerosq; facere uidemus, qui euangelij nomine gloriantur. Quæ causa est, quòd & ipse Christus à pœnitentia docendi initium fecit, & inde apostolos incipere iußit. Matth. 4. & 10. Luc. 24. Nec audiendi sunt, qui pœnitentiæ doctrinam ab euangelio separant, cùm sine hac salutis in Christo consortes fieri non poßimus. Nec ideò humanæ iustitiæ aut illius merito salus tribuitur, cùm pœnitentiã quoq; in Christi nomine prædicare iubeamur, & Petrus suprà Christum huius authorem & largitorem nobis à deo patre constitutum esse, docuerit. Act. 5. Interim illi quoq; arguuntur, qui euangelij prædicatione carni ad peccandum habenas laxari calumniantur, cùm ijdem illud non alio nomine magis odiant & persequantur, quàm quòd & aperta scelera & latentem multorum hypocrisim grauiter accusat & insectatur.

I. Vbi & quando Christus innotescere cœperit.

Euangelij negotium à Iohanne cœpit.

Deinde obseruare conuenit, ut de Iohannis ministerio apostolus loquatur. Hunc enim baptismũ prædicauisse ait. Prædicationem autem baptismo coniungit, ut illum & doctrinæ & sacramenti ministrum fuisse ostendat. Vt enim baptismo homines purificationis admonuit: ita illius mysteria uerbis exponens, purificationem in uno Christo haberi, à purificatis uerò dignos pœnitentiæ fructus requiri, docuit. Vnde patet doctrinam Sacramentis necessariò coniungi debere, quando sine hac illorũ mysteria intelligi non poßunt. Ita olim deus pueris paschalis epuli arcana exponere iußit. Et prophe

Doctrina coniungenda Sacramentis.

tarum sermone in explicandis sacrificiorum & legalis cultus mysterijs maximè uersari uidentur, dum eos grauissimè reprehendunt, qui illa quidē anxiè obseruabāt, cùm interim uitæ officia, quæ illis adumbrantur, negligerent. Et Christus à suis discessurus, illos non modò baptizare iubet, sed euangelij prædicationem maximè commendat. Quod ita Paulus obseruauit, ut se passim quidem prædicauisse, paucissimos autem baptizauisse, fateatur. 1. Cor. 1. Seruiunt hæc illis confutandis, qui externis signis gratiam alligantes, illorum usum simpliciter ad salutem sufficere putant, nec doctrinam, qua illorum usus illustretur, adhibent: imò peregrina lingua in illorum administratione utuntur. Quàm uerò id absurdum censeri debeat, Paulus in priori ad Corinth. cap. 14. multis demonstrat.

II. Iesus unctus à deo.

Exposito autem euangelici negotij initio, eius authorem Iesum Christum describit, ut quis nam & qualis ille sit ac credi debeat, ostendat. Disertè uerò Iesum à Nazareth nominat, ut illum ipsum agnoscamus, quem tum ob patriæ ignobilitatem, tum ob uilem totius conuersationis speciem plerique contempserunt. Hunc autem à deo unctum esse testatur, his uerbis illum humani generis saluatorem, quem iam olim deus destinauerat, esse docens. Nam unctionis propter ueterem typum meminit. Vngebantur enim antiquitus Sacerdotes & reges Israelis, quos promissi Saluatoris typū gessisse, satis constat. Et receptū erat, ut promissus Saluator Messiæ uel Christi, id est, uncti nomine designaretur, eò quòd ista denominatio illius sacerdotium & regnū, adeoq; omnē nostræ redemptionis modū significatione exprimebat. Quapropter in euangelio quoq; interrogati discipuli, quem nam ipsi Iesum esse dicerent, hunc Christū, id est, unctū illum dei esse fatentur. Matth. 16. Luc. 9. Porrò, ne quis illū reliquis sacerdotibus & regibus nihilo excellentiorem esse putaret, qui propter externam unctionem eodem nomine ornati fuerunt, Petrus hunc spiritu sancto & uirtute unctum fuisse docet: nimirum ad illud Dauidis alludens, qui de promissi Saluatoris regno uaticinans, ait: Vnxit te deus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Psal. 45. Ita uerò spiritū sanctum uocat, cuius auspicijs filius dei incarnatus regnū suum & sacerdotium ita administrauit, ut nihil in illo triste & acerbum, sed omnia læta & iucunda habeantur. Sic enim ipse hoc apud prophetam interpretatur, dicens: Spiritus domini dei super me est, eò quòd unxit me dominus, & misit me, ut læta nunciem mansuetis, ut obligem uulnera corde contritorum, ut proclamem captiuis libertatem, uinctis apertionē, & cæcis uisum, ut proclamem annum beneplaciti domini, &c. Isa. 61. Præ consortibus uerò unctus fuisse dicitur, quia illi non ad mensuram spiritum dedit deus, sed ita, ut de eius plenitudine omnes nos accipiamus. Iohā. 1. & 3. Nam uisibili columbæ specie super illū descendit, cùm à Iohanne baptizaretur, ut inde Iohannes agnosceret, hunc à deo hominibus saluatorē esse declaratū. Vide Iohā. 1. Sunt & alia argumenta, quæ illum omnibus ueteris Testamenti unctis, siue illi reges siue sacerdotes fuerint, præstantiorem esse declarant. Licet enim illi Christi siue uncti domini dicti sint, nemini tamen hoc datū, ut etiā subditos suos ungeret, & à se Christianos, id est, unctos denominaret. Id uerò dei filius præstitit, qui unxit nos & fecit nos reges & sacerdotes deo patri suo. Apoc. 1. Nemo itē ex ueteris Testamēti unctis diuino honore et cultu dignus habitus est. Nemo totius orbis reformationē inuexit. Nemo à suis in tāto precio est habitus, ut ipso defuncto, propter ipsius nomen mortē oppetere quisquā uoluerit. Nullius præterea sacerdotiū aut regnum in hunc usq; diem durat: & quia mortales illi erant, uicarijs & successoribus opus fuit, per quos officium, cui ipsi præfuerant, administraretur. At dei filius æterni regni administrator factus, omnem potestatē accepit in cœlo & in terra. Et quia ecclesiæ suæ præsens adest, nec uicario aut successore opus habet. Matth. 28. Idem sacerdos est in æternum iuxta ordinem Melchisedech. Psal. 110. Benedicit enim nobis omni spirituali benedictione. Ephes. 1. Docet per uerbum externum & spiritus sui suggestionem, & ipse ecclesiæ suæ alios quidē dat apostolos, alios autem prophetas, alios rursum euangelistas, alios uerò pastores ac doctores, &c. Ephes. 4. Idem unica pro nobis hostia oblata, corporis & sanguinis sui precio totius mundi peccata expiauit, & unica oblatione perfectos fecit in perpetuum eos qui sanctificantur. Hebr. 10. & 9. Adhæc in cœlos subuectus pro nobis intercedit, & fidelem agit Pontificē in omnibus ijs, quæ nobis coram deo agenda sunt. Hebr. 2. & 4. Verè ergo Petrus dicit, hunc à deo unctum, id est, populi sui regem & sacerdotem, constitutum esse. Vnde colligimus in æternum dei decretum ab omnibus ijs peccari, quicunq; alios salutis suæ patronos, alios animarum saluatores, alios item sacerdotes & intercessores sibi faciunt. Ita enim filium dei suo honore spoliant, quem is se nemini concessurum esse apud prophetam constanter affirmat. Isa. 42. Rursum,

1. Sam. 2. Dan. 9. Psal. 94. &c.

Vide Euseb. eccles. hist. lib. 1. cap. 4.

quia

quia à deo illum unctum esse constat, insuperabilem fore credendum est regni ipsius potentiam, nec mundi aut inferorum uires illis metuendas esse, qui hunc regem agnoscunt. Quia tamen alibi quoq; hoc ipsum argumentum nobis tractatum est, hæc modò dicta sufficiant.

Porrò ne quis Iesum dei filium, more uulgari hominum, nudo & inani titulo gloriari putaret, illum tam Regis quàm Sacerdotis officio fidelissimè functum esse & fungi Petrus docet. In præsenti autem generaliora præmittit, illius in nos beneficia exponens: postea de modo etiam redemptionis nostræ dicturus, ut sequens Sermo docebit. Et primò quidē illum hinc inde obambulauisse & hominibus benefecisse dicit. Est hoc fidi regis simul & sacerdotis officium, non modò opem quærentibus consilio & auxilio adesse, uerumetiā hinc inde dispicere, qui nam tutore & benefactore opus habeant. Id uerò dei filium, Iesum Christum fidelissimè præstitisse, Euangelistæ docent. Nam ut nostræ salutis causa in mundum uenit, ita salutis doctrinā & miracula, quibus hanc obsignabat, per omnes Iudææ & Galilææ locos circumtulit, nec alicubi diutius sedem fixam habuit, imò ingenuè confessus est, se passim omnibus euangelizare debere. Mar. 1. Luc. 4. Nec tantū ad se uenientes humaniter excepit, sed etiā oneratos & laborātes amicè ad se inuitauit, omnibus ad se uenientibus requiem & refocillationē pollicitus. Matth. 11. Et quod olim illū fecisse constat, id ipsum hodie etiā facit, dum euangelij sui prædicationē longè lateq; diffundit, ut illa imbris instar, modò hanc modò illā gentem cœlestis uerbi semine fœcundam reddat: ut non immeritò hodie quoq; dici possit obambulare, & beneficia sua in quosuis obuios conferre. Nam erroribus deceptos fideliter erudit, seductos in uiam reducit, uitijs correptos amicè corrigit, afflictas conscientias humanissimè consolatur, & diuini iudicij metu consternatos, sua iustitia & satisfactione protegit. Magna ergo & enormis illorū ingratitudo est, qui tantum benefactorē quasi rigidum & immitem horrere, & alibi consiliū & opem quærere consueuerunt. Longè tamen atrocior illorū est iniquitas, qui uerbum ipsius improbè reijciunt, nec illud audire dignantur, adeoq; salutem à sese repellunt, quam obuijs ulnis amplecti, & indefesso studio inuestigare debebant. Est utrunq; scelus nimis uulgare nostro seculo, quorum indignitatem si non oscitanter expendamus, tot tamq; pertinacium malorum, quæ nos passim urgent, causas minus mirabimur.

III. Vt Christus sacerdotis & regis officio functus sit. Christus obambulauit benefaciens. Isa. 55.

Alterum Iesu Christi beneficium est, quòd per hunc sanatos esse dicit omnes eos, quos sua tyrannide diabolus oppresserat. Pertinet hoc propriè ad Regis officiū, de quo etiam Psal. 72. dicitur: Vindicabit afflictos in populo, seruabit pauperes, & uiolentum calumniatorem contundet, &c. At quia spiritualis redemptionis author fuit Christus, spiritualis quoq; tyranni mentionem Petrus facit: diaboli nimirum, qui postquàm primos parentes transgressionis reos fecit, per eosdem omne calamitatū genus & ipsam mortem in mundum inuexit, adeoq; ex dei permissione omne humanū genus immani tyrannide pressit, unde etiam mundi huius princeps dictus est. Fecit enim ut per delicta morerentur, quos ad uitam deus creauerat: ut contra naturæ leges peccarent, quos ratione præ omnibus alijs animantibus deus instruxerat: ut mendacibus dæmoniorum oraculis sese dementari paterentur, qui à dei uerbo toti pendere debebāt: ut ligna & lapides adorarent, & nefandis sacris dæmones placarent, quos unius dei cultores esse decebat. Quia tamen pauci immanem agnoscebant diaboli tyrannidem, hoc quoq; permisit deus, ut ab illo non pauci corporaliter etiam obsessi, tam in seipsos quàm in alios homines indomitum furerent, sicut ex euangelij historia discere licet. At omnibus istis malis medicus datus est Iesus Christus, qui iuxta primam promissionem serpentis caput conterere, & (ut apostolus inquit) opera diaboli destruere debuit. 1. Iohan. 3. Illud uerò se & uelle & posse abundè testatus est, dum horrendis morborum flagellis excruciatos uerbo curauit, dæmonia & spiritus immundos expulit, & nec hiscere quidem illis permisit, qui paulò ante rerum domini uidebātur. Referenda huc sunt quæcunq; eius generis miracula ab Euangelistis describuntur: quibus docetur fortiorem illum uenisse, qui diaboli domum (mūdum uidelicet) ingressus, ipsum constrinxerit, & uasa illius diripuerit, sicuti ipse Christus in euangelio admonet. Luc. 11. Dei autem uirtute hæc omnia facta esse Petrus testatur, ut scribis respondeat, qui ipsum præsidio Beelzebub dæmonia eijcere dicebant. Extant uerò in historijs exempla, quæ Christi uirtute diaboli regnum destructum esse testantur. Nam & oracula omnia in Christi morte obmutuisse constat, & Constantinus Diocletiano regnante diabolum ex Apollinis antro conquestum fuisse scribit, quòd Christiani, quos ille iustos nominabat, obstarent, quò minus uera, ut antehac, oracula ederet. Veruntamen clariora Christi aduersus diabolum uictoriæ

Christus sanauit à diabolo oppressos. Vide Euseb. de uita Constant. lib. 2.

argumenta paulò post uidebimus, ubi de illius morte & resurrectione Petrus disserit. Interim nostri nos officij meminisse decet, quod est, ut ex potestate tenebrarũ in regnum filij dei translati, libertatem nostram tueamur, & contra cõmunem hostem satanam aßiduè pugnemus, ne quando ingrati deprehendamur liberatori Iesu Christo: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternũ. Amen.

HOMILIA LXXVI.

Et nos sumus testes omniũ, quæ fecit in regione Iudæorum & Hierosolymis: quem occiderũt suspensum in ligno. Hunc deus suscitauit tertio die, & conspicuũ exhibuit, non toti populo, sed testibus prius ad hoc delectis à deo: nobis nimirũ, qui cum illo comedimus & bibimus, postquam à mortuis resurrexit. Et mãdauit nobis, ut prædicaremus populo, ac testificaremur, quòd ipse sit definitus ille à deo iudex uiuorũ & mortuorum. Huic omnes prophetæ testimonium ferunt, quòd remißionem peccatorum accipiat per nomen eius, quisquis in eum crediderit.

DIuus Petrus Cornelium Centurionem, cui à deo doctor destinatus erat, ita instituit, ut simul omnibus hominibus generalem & absolutißimam salutis doctrinam proponat. Nam unicum humani generis saluatorem, Iesum Christum, illi prædicat, in quo omnem salutis nostræ rationem comprehendi omnis scriptura testatur. Et de hoc quidem, in ijs quæ proximè præcesserunt, duo dixit. Primum, quod ipsum deus unxerit, id est, populi sui regem & sacerdotem constituerit. Unde colligimus, in æternum dei decretum ab omnibus ijs peccari, qui in salutis causa alios sibi assertores & mediatores constituunt. Deinde qua fide & diligentia officio suo Christus Iesus functus sit, docet. Nam illum paßim obambulauisse, & salutis beneficium etiam non quærentibus singulari liberalitate detulisse dicit. Omnium uerò studiorum hic illi finis & scopus fuit, ut diaboli tyrannide oppressos in dei regnum & libertatem filiorum dei transferret. Cui liberationi per miracula prælusum est, quibus tam morbis incurabilibus quàm dæmoniorum intemperie uexatos salutari ope & uerbi sui potentia fidelißimè subleuauit. His uerò ea in præsenti subijcit Petrus, quæ salutis doctrinam absoluunt. Nam primò quidem modum & rationem, quam Christus in redimendo mortalium genere exhibuit, recenset: deinde uerò, ut horum utilitas & fructus ad nos quoq; redire poßit, docet. Est ergo locus hic dignus, in cuius consyderatione non uulgari diligentia uersemur.

Apostoli testes Christi.

Priusquàm uerò humanæ redemptionis modum & ordinem attingat, doctrinæ suæ confirmationem, à testibus desumptam, interserit, dicens: Et nos sumus testes omnium, quæ fecit in regione Iudæorum & Hierosolymis. Nec illud cuiquam uel absurdum uel insolens uideri debet, quòd seipsum unà cum alijs collegis dictorum testes tam audacter Petrus producit. Nam hoc illis officij à Christo impositum fuisse iam sæpe audiuimus: & paulò post dicetur, ipsos à deo delectos fuisse, ut de Iesu Christo, & ijs, quæ hîc salutis nostræ causa fecit, testarentur. Docent hæc quàm graue illorum scelus sit, qui euangelio credere dedignantur. Quia enim non simplex aut uulgaris est rerum à Christo gestarum narratio, sed testimonium habet, cuius author est ipse deus, facilè patet in ipsum deum contumeliam istam recidere: ut alibi copiosius dictum est.

I. Redemptionis humanæ modus. 1. Christi sacrificio peccata expiantur.

Cæterum quoad nostræ redemptionis modum, quem hoc loco præcipuè tractari diximus, tria de Christo dicuntur, quibus omnia ea comprehendi constat, quæ in hac causa fieri oportebat. Inter quæ primus locus morti Christi tribuitur, quam paucis attingit, quia alioqui satis nota erat. Dicit autem, in ligno suspensum à Iudæis occisum esse. Et ligni quidem meminit, non tam ut mortis genus crudele & atrox exprimat, quàm ut sacrificij mysteriũ, quod Christus moriens pro peccatis nostris obtulit, in mentem auditoribus reuocet. Constat enim in lignorũ strue sacrificia adoleri & offerri cõsueuisse. Et sic quidem ipse Petrus locũ hunc interpretari uidetur, quando in prioris epistolæ cap. 2. Christum peccata nostra in corpore suo super lignũ tulisse, id est, corporis sui sacrificio in ara crucis expiauisse, scribit. Idẽ Christus docet, quando ait, quòd carnẽ suam pro mundi uita daturus sit: quod illum non alibi quam in cruce fecisse cõstat. Iohã. 6. Copiosus uerò horũ interpres est Isaias propheta, qui cap. 53. ait: Propter transgreßiones nostras uulneratus est & attritus propter iniquitates nostras. Mulcta

enim

enim correctionis nostræ ei imposita est, & in liuore eius nobis medicatum est. Nos omnes tanquam ouis errauimus, quisq; uiam suam sectatus: dominus autem effecit ut in ipsum incurreret omnium nostrum iniquitas, &c. Id uerò ad Christi sacerdotium pertinebat, quem hoc pacto (ut Paulus monet) non per sanguinem hircorum aut uitulorũ, sed per proprium sanguinem & suijpsius immolationem in cælos ingredi oportuit, ad profligationem peccati, ut multorum peccata tolleret. Heb. 10. Atqui hinc redemptionis nostræ initium fieri oportebat, quando propter peccata nobis deus iratus erat, ut in illius conspectu nobis comparere non liceret. Atqui hæc demum salutaris est mortis Christi consyderatio, si in illa corporis sui sacrificium, quod pro peccatis nostris obtulit, meditemur. Interim non temere factum putabimus, quòd cum mortis Christi simpliciter meminisse posset, illum à Iudæis occisum fuisse dicit. Ita enim immanem gentis suæ ingratitudinem accusat, maximè cùm paulò ante tam diligentem beneficiorum Christi mentionem fecisset. Et obseruanda est mundi ingratitudo, quæ illi perpetua ferè est, ne hodie piorum afflictiones, & persecutiones, quibus euãgelij doctrina petitur, cum offendiculo admiremur.

Secundus locus in redemptionis nostræ modo & ordine, resurrectioni Christi gloriosæ tribuitur, de qua maiori diligentia Petrus disserit, eò quòd hæc præcipuum nostræ salutis fundamentum est. Nota enim sunt illa Pauli: Quòd si Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est & fides uestra: adhuc estis in peccatis uestris: & qui obdormierunt in Christo, perierũt, &c. 1. Cor. 15. Nam ut certa nobis salus constare posset, mortem, quæ hucusq; per peccatum dominata fuerat, deuinci & exarmari oportebat. Quæ si Christum quoq; ut reliquos mortales detinuisset, nemo utiq; de salute parta quicquam sperare poterat. Quare ut Lazari & quorundam aliorum resuscitatione se uitæ simul & mortis dominum antea Christus declarauerat: ita cum ipse mortem adiuisset, & sepultus iaceret, tertia die tanquam indomitus uictor mortis uincula disrupit, & effractis inferorum portis in uitam redijt. Fuitq; ea res infallibile & euidens deuictæ mortis simul & peccati argumẽtum. Quia uerò resurrectionem Christi improbè negabant & calumniabantur Iudæi, à quibus milites quoq; in eum finem pecunijs corruptos fuisse Matthæus docet, magna constantia illã in præsenti Petrus asserit. Deus (inquit) suscitauit Iesum tertio die, & conspicuum exhibuit, non toti populo (nec enim digni erant, quibus tam familiariter Christus innotesceret, quem incurabili odio persequebantur) sed testibus prius ad hoc delectis à deo: nobis nimirum, qui cum illo comedimus & bibimus, postquam à mortuis resurrexit. Et cum multa alia ueræ resuscitationis argumenta adducere posset, eo contentus est, quo & ipse Christus illius ueritatem maximè asseruit, cum uidelicet semel & iterum in conspectu discipulorum cibum ab ipsis oblatum sumpsit. Vide Luc. 24. & Iohan. 21. cap. Est autẽ admiranda hæc Christi facilitas, qui ut resurrectioni suæ fidem faceret apud nos, quorum tarditatem probè nouerat, eò usq; sese demittere dignatus est, ut cibum quoq;, quò clarificatum corpus minimè opus habebat, sumpserit, ne quis illum posthac uero & organico corpore, quo ante in terris uersatus erat, resurrexisse dubitaret. Quò maior est illorũ improbitas & nequitia, qui ne sic quidem mortuorum resurrectionem negare & scurriliter insectari desinunt. Qui cum Iudæorũ similes sint, ipsi quoq; indigni censebuntur, quibus gloriosa Christi resurrectio saluti cedat.

2. Christi resurrectione mors deuicta est.

Porrò, licet dei filius, Iesus Christus, morte & resurrectione sua (cui eiusdem in cælos Ascensio commodè includi potest) omnem nostræ redemptionis & salutis rationem absoluerit, cum his & peccati noxam expiarit, & mortem omnemq; inferorum potestatem deuicerit: tertium tamẽ his Petrus subijcit, ultimum uidelicet ipsius aduentum, quo ad iudicandum uiuos & mortuos rediturus est. Eo enim articulo tam diuinitatis Christi, quàm regni ipsius certissimũ & cumprimis euidens argumentum exhibet. Nam ut iudicare regis officiũ est, ita diuinitatem suam ipse Christus hoc argumento asserit, quòd sibi à patre omne iudicium traditum esse, testatur. Iohan. 5. Est autem utilis & cumprimis necessaria huius articuli consyderatio. Si quis enim rerũ huius seculi cursum inspiciat, multa occurrent, quæ ut Christum Iesum humanarũ rerum curam prorsus abiecisse credamus, suadere possunt. Nam pios Christi cultores uarijs afflictionibus uexari, egere, laborare & impiorum libidine subiectos esse uidemus. Rursum uerò lætis rerum successibus impij fruuntur, & impunè in quosuis grassantur. Quæ res quantum ad fidem labefactandam possit, prophetarum exempla docent, quos interdum ita cõmotos fuisse legimus, ut iustam se de deo querendi causam habere putarẽt. Et sanè quis

3. Christus iudicat uiuos & mortuos.

Christum regem agnoscat, si incertas & nonnunquam indignas rerum humanarũ uices consyderet. Cæterum hic succurrat, non dormitare regem nostrum & uindicem Iesum Christũ, & fore aliquãdo iudicij uniuersalis diem, quo tam uiuos quàm mortuos ad Christi tribunal sisti oporteat, ut in corporibus suis recipiant iuxta id quod fecerunt, siue bonum siue malum. 2. Cor. 5. Nam ut Paulus admonet, ad archangeli tubam mortui resurgent, & qui in eum usq; diem superstites fuerint, momento temporis immutabuntur. 1. Cor. 15. & 1. Thess. 4. cap. Fatetur autẽ Petrus seriò huius articuli prædicationem apostolis mandatam esse. Mandauit nobis (inquit) ut prædicaremus populo, & testificaremur, quòd ipse sit definitus ille à deo iudex uiuorum & mortuorum. Nam ut ea, quæ modò de Christi diuinitate et regno dicta sunt, omittamus, plurimum cum uitæ institutioni, tum consolationi piorum huius articuli consyderatio seruit. Cum enim plerosq; in peccandi libidinem hac potissimum causa abripi uideamus, quòd uel mortem ultimam lineam rerum esse, & nullum post hanc uitam iudicium fore, sibi persuaserunt: uel de illo negligentius cogitant: non potest non uehementissimus ad omnis uirtutis studium stimulus esse, si homo se olim Christi iudicio sistendum esse cogitet, ut ibi tam dictorum quàm factorum omnium rationem reddat. Ea certè cogitatio & carnis lasciuientis æstus, & mundi illecebras efficacissimè restinguit. Rursum non alia fortior & efficacior in aduersis consolatio pijs oboriri potest, quàm si iudicij diem fore intelligant, quo ipsorum innocentiam Christus manifestaturus & promissa uitæ præmia largiturus sit. Ideo Christus de signis, quæ nouissimũ diem præcedent, disserens, His (ait) fieri incipientibus, leuate capita uestra, quia redemptio uestra appropinquat. Luc. 21. Et Paulus nos è cælis saluatorem expectare docet, qui corpora nostra mortalia & misera corpori suo glorioso conformia reddat. Phil. 3. Idem, ut fideles nouissimi aduentus Christi mutua meditatione sese consolentur, monet. 1. Thess. 4. Et est hæc ingens nostræ fidei gloria, quòd eum diem nobis lætum & iucundum reddat, cuius impij huius seculi filij nunquam sine dolore & horrifico animorum terrore meminisse possunt.

II. Vt nos Christi & salutis participes reddamur.

Transeamus nunc ad alteram huius loci partem, qua docemur, ut nos salutis, quæ in Christo habetur, consortes uel capaces fieri possimus. Hanc uerò magna uerborum grauitate Petrus enunciat, dicens: Huic omnes prophetæ testimonium ferunt, quòd remissionem peccatorum accipiat per nomen eius, quisquis in eum crediderit. Sunt hic singula distinguenda, ut maiorem euidentiam doctrina hæc cumprimis necessaria sortiatur. Primò enim fructum eorum, quæ hucusq; exposuit, indicans, in Christi nomine nobis peccatorum remissionem obtingere docet. At dum huius meminit, non obscurè nos peccatores esse testatur, quibus illa opus sit. Dum uerò eandem in Christo conferri docet, gratuitam facit, quæ absq; nostro merito ex mera dei gratia obtingat: ut hic planè illud Paulinum audias: Omnes peccauerunt, & destituuntur gloria dei, iustificantur autem gratis per illius gratiam, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, &c. Rom. 3. Et huc referri debent, quæ supra de peccatorum expiatione in ara crucis facta, diximus. Ibi enim dei filius pro nobis peccatum factus est, ut nos efficeremur iustitia dei per illum. 2. Cor. 5. Tolluntur hac sententia omnes aliarũ sectarum religiones. Qui enim in unius Christi nomine peccatorum remissionem monstrat Petrus omnem operam eos perdere docet, qui hanc extra illum quærunt, adeoq; nouo argumento grauem illam sententiam confirmat, qua coram Hierosolymitano Senatu testatus est, nullum aliud sub cælo nomen hominibus datũ esse, in quo saluari possint. Idem ipse Christus affirmat, quando ait: Ego sum uia, ueritas & uita. Nemo uenit ad patrem, nisi per me. Iohan. 14.

Peccatorum remissio in Christi nomine.

Fide peccatorũ remissio percipitur.

Secundò medium, quo peccatorum remissio per Christum oblata, apprehenditur, Petrus hac sententia indicat. Hac enim potiri ait omnem, qui in illum crediderit. Fide ergo peccatorum remissionem consequimur. Cuius dogmatis ea ratio est, quòd sola fides nos Christo inserit, ipso dicente: Qui edit meam carnem & sanguinem meum bibit (id est, quisquis in me credit) in me manet, & ego in illo. Et quia ex gratuita dei promissione peccatorum remissio dependet, ea non aliter quàm fide percipi potest. Ea enim Christum, qualis in euangelio proponitur, arripit, & promissioni diuinæ tuto animo innititur. Quæ causa est, quòd ipse Christus passim fidei nostræ salutem tribuit, & nusquam non uniuersalem illam sententiam inculcat: Qui credit in me, habet uitam æternam. Item: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Mar. 16. Et mulieri: Magna est fides tua, fiat tibi sicut uis. Matth. 15. Et rursum: Fides tua saluam te fecit. Matth. 9. Atqui hinc suum illud dogma sumpsit

sumpserunt apostoli, quo sola fide in Iesum Christum homines iustificari, id est, peccatis liberari & absolui docent. Quo dogmate operum iustificatio planè excluditur. Nam cum hæc (ut modò demonstratum est) in uno Christo habeatur, qui non aliter quàm fide à nobis percipi potest sola hac nos iustificari necesse est. Nec ideo bonorum operum studium damnamus, sed insolentem meriti & iustificationis titulum, cuius gloria uni Christo debetur, illis detrahimus, ut Christo sua gloria salua maneat. Alioqui non ignoramus, summo iure ab illis iustitiæ & innocentiæ studium requiri, quos Iesus Christus sanguinis sui merito ablutos in libertatem filiorum dei asseruit.

Cæterum, quia paulò ante apostolorum testimonijs doctrinam suam confirmarat Petrus, ne quis inter hos collusionem esse diceret, grauiori authoritate causam hanc tuetur, dum omnes prophetas hoc ipsum de Christo testari docet. Nec dubium est, quin in recitandis illorum testimonijs aliquandiu uersatus sit, quæ tamen Lucas (cui satis fuit summa cõcionis apostolicæ capita annotauisse) breuitatis studio omisit. At perquàm facile est ex prophetarum scriptis probare, quod hoc loco Petrus dicit. Nam ut à Mose exordiamur, nec tamen primas promißiones producamus, ille Abrahamum deo credidisse, & fidem illi ad iustitiam imputatam fuisse, scribit. Gene. 15. At non aliam Abrahami fidem fuisse constat, quàm qua semen illud expectauit, in quo omnes gentes benedici oportebat. Gene. 22. Et Christus Iesus hunc in suum diem respexisse, & in eo exultauisse, dicit. Iohan. 8. Idem Moses legales typos proponit, quos omnes Christi umbras fuisse, nemo negabit, qui uel unam ad Hebræos epistolam non oscitanter perlegerit. Et Paulus non obscurè fidei iustificationem ex Psal. 32. probat. Rom. 4. De Isaia quid dicere attinet, cum illius testimonium paulò ante audiuerimus, & idem hoc quoq; addat? Cognitione sui multos iustificabit iustus seruus meus, quorum iniquitates ipse baiulabit. Isa. 53. Et Ieremias de Christo saluatore loquens, ait: Hoc erit nomen eius, quo uocabunt eum: DOMINVS IVSTITIA NOSTRA. Iere. 23. Omitto infinita alia, quæ adduci poterant, ne prolixior sit oratio, & præstat studiosis hæc inquirendi occasionem relinquere. Interim obseruemus, Petrum non alijs quàm prophetarum & apostolorum testimonijs niti. Vnde discimus qui nam consensus & quorum hominum authoritas in fidei & religionis causa ualere debeat. Eorum uidelicet, quos ex spiritu sancto locutos fuisse constat. Sunt hi, quorum ministerio ueteris & noui Testamenti libros deus conscribi uoluit. Si quid ergo horum doctrinæ contrarium producitur, id ex hominibus profectum sciamus, quorum traditiones iam olim dei sentẽtia iugulatæ sunt. Isa. 29. Matth. 15.

Prophetæ iustificationem fidei docent.

Habemus ergo celebrem & salutarem Petri concionem, qua primi ex gentibus ad Christi fidem conuersi sunt. Continet hæc, si probè examinetur, omnes fidei nostræ articulos de deo patre, filio Iesu Christo, & spiritu sancto. Complectitur eadem absolutam humanæ salutis rationem, quæ ut in Christo proponitur, ita sola fide in hunc percipi potest. Quæ cum dei donum sit, hunc nos precibus aßiduis fatigare decet, ut Christo Iesu uerè insiti, eiusq; merito iustificati, saluemur. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA LXXVII.

Adhuc loquente Petro uerba hæc, cecidit spiritus sanctus super omnes, qui audiebant sermonem. Et obstupuerunt qui ex Circumcisione erant fideles, quotquot uenerant cum Petro, quòd etiam super gentes donum spiritus sancti effusum esset. Audiebant enim eos loquentes linguis, & magnificè laudantes deum. Tunc respondit Petrus: Numquid aquam prohibere quis potest, quò minus baptizentur hi, qui spiritum sanctum acceperũt sicuti & nos? Et iussit eos baptizari in nomine domini. Tunc rogarunt ipsum, ut maneret dies aliquot.

VT deus pater omnem humanæ salutis rationem in filio suo, Iesu Christo, conclusit: ita eundem non unius modò populi, sed communem omnium gentium saluatorem & redemptorem esse uoluit. Cuius rei non obscura argumenta tum ex primis promißionibus & prophetarum oraculis, tum ex ultimo Christi mandato colligi possunt, quo apostolos ad prædicandum euangelium in totum ter-

rarum orbem emisit. Quia tamen Iudæi, legis et legalium ceremoniarum prærogatiua elati, reliquas gentes fastidire solebant, nec in ecclesiam recipere dignabantur, nisi & circumcisionem & alias eius generis purificationes suscepissent: peculiari demõstratione opus fuit, quæ legis maceriam in Christo dirutam esse, & dei gratiam gentibus quoq; absq; legis iustitia offerri doceret. Eam itaq; in præsenti historia luculentissimam spiritus sanctus proponit. Vt enim Cornelio, homini gẽtili & incircumciso, angelum submittere, & Petrum cœlesti uisione ad hunc instituendum deus excitare dignatus est: ita eidem Petrus apostolus, dictante spiritu sancto, omnem salutis rationem mira & compendiosa simplicitate prædicat, & nulla legalium ceremoniarum mentione facta, Iesum Christum nobis à deo destinatum esse docet, in quo peccatorum remissio omnibus credentibus obtingat. Cæterum ne quis Petrum hæc liberius & inconsultè nimis effutiuisse putaret, hoc ipsum rei exitus testatur, quem ad hoc nomine Lucas diligentissimè describit, ut nos quoq; ad diligentiorem tantæ rei consyderationem excitet.

I. *Petri doctrina spiritus sancti missione obsignatur.*

Principiò autem adhuc loquente Petro, spiritus sanctus delapsus esse dicitur super omnes, qui salutis doctrinam audiebant. Et paulò post, diuersis linguis locuti esse, & dei gratiam magnificè prædicauisse dicuntur. Idem ergo hic factum est, quod in die pentecostes apostolis euenerat: uoluitq; deus uisibili spiritus sancti missione Petri doctrinam, quam Cornelius & sui cum fide amplexi fuerant, confirmare, ac reipsa testari, salutis gratiam æquè communem esse omnibus credentibus (siue illi ex Iudæis, siue ex gentibus fuerint) nec posthac legalium ceremoniarum obseruationem exigi debere. Patet uerò, solenne hoc apostolorum tempore fuisse, ut euangelij prædicationi uisibilis spiritus sancti missio coniungeretur, qua eos deus dignabatur, qui illi credidissent. Quo argumento Paulus fidei iustificationem contra eos asserit, qui operum legalium obseruatione homines iustificari contendebant. Ait enim: Hoc solum cupio discere à uobis: utrum ex operibus legis spiritum accepistis, an ex prædicatione fidei? Adeò stulti estis, cum spiritu cœperitis, nunc carne consummamini? Qui igitur subministrat uobis spiritum, & operatur uirtutes in uobis, utrum ex operibus legis, an ex prædicatione fidei id facit? Galat. 3. Nobis uerò euangelicæ prædicationis dignitas & efficacia, hoc loco consyderanda uenit.

Euangelij dignitas et efficacia

Hanc enim organum dei esse uidemus, quo spiritum suum deus largiri, & in hominum animis efficaciter operari consueuit: ut non temere Paulus, euangelium dicat potentiam dei esse ad salutem omni credenti. Rom. 1. Idemq; hac de causa euangelij præcones, spiritus ministros uocant. 2. Cor. 3. Licet enim non omnibus, qui hodie euangelium audiunt, linguarum donum conferatur, & reliqua quoq; dona, quæ in ecclesia ad Irenæi tempora usq; & deinceps floruisse constat, maxima ex parte cessarint: constat tamen adoptionis & regenerationis spiritu omnes eos donari, quicunq; euangelium ritè audiunt & fide amplexantur, in quo clamãt, Abba pater, & quem salutis nostræ arrhabonem Paulus uocat. 2. Cor. 1. & 5. &c. Nec obscuri sunt eius effectus, dum in credentibus carnem cum membris suis terrestribus mortificat, homines regenerat, mentem illuminat, & facit ut in Christo omnia possint, qui nullis naturæ uiribus ad bonum instructi sunt uel idonei. Vnde rursum colligimus, pro Christi membris minimè agnoscendos esse, in quibus nulli spiritus sancti effectus elucent. Nec enim otiosus est & iners spiritus ille. Et Paulus Christi eos esse negat, quicunq; spiritu ipsius destituti fuerint. Rom. 8.

Euseb. lib. 5. eccle. hist. cap. 7.

Exercitia fidelium.

Præterea, quæ nam post acceptum spiritum sanctum exercitia sint uerè credentium, locus hic admonet. Linguis nouis & peregrinis illi loquuntur: quod licet (ut modò diximus) non omnibus contingat, omnium tamen credentium linguas spiritus sanctus formare solet, ut ea loquantur, quæ gloriæ dei illustrandæ, & aliorum ædificationi seruiunt: de quo supra cap. 2. abunde dictum est. Deinde deum magnificè prædicauisse dicuntur. Faciunt hoc, quicunq; gratiam dei, quam is nobis in Christo offert, uerè agnoscunt: cum è contra seipsos prædicent, quicunq; suis operibus sese iustificari & saluari credunt. Estq; hæc gratiarum actio, sacrificium deo gratissimum, quod & ipse frequenter exigit, & sancti passim uouent. Nam huc pertinet, quòd iuuencos labiorum suorum apud prophetam pollicentur. Hos. 14. De hoc Dauid loquens, ait: Quid retribuam domino pro omnibus, quæ in me contulit? Sumpto calice gratiarum actionis pro accepta salute nomen domini uocabo. Meaq; uota exoluam domino nunc coram uniuerso populo ipsius. Psal. 116. Et idem hoc deo gratius fore testatur, quàm si quis illi bouem, cornibus & ungulis insignem offerret. Psal. 69. Docent hæc, quid de iu

de ingratis & improbis uerbi dei conuiciatoribus iudicemus, quibus uolupe est illud uirulenta linguæ rabie lacessere, & publicarum calamitatum causam dicere, in quo salutarem dei gratiam agnoscere & celebrare debebant.

Porrò uideamus, ut miraculo hoc affecti fuerint spectatores. Inter quos fuêre aliquot ex Iudæis oriundi, qui Petrum ex Ioppe descendentem comitati fuerant. Illos obstupuisse, Lucas ait, eò quòd spiritus sancti donum super gentes quoq; effusum uiderent. Licet enim ignorare non possent, quæ Petro acciderant, adhuc tamen illos communis ille Iudæorum error dementat, qui omnes gentes prophanas & à deo alienas esse censebant, nisi circumcisione & reliquis ceremonijs initiatæ ad Iudaismum transirent. Est autem cumprimis memorabile, quòd qui fideles dicuntur, tam crasso errore laborant. Hinc enim patet, in sanctis etiam errorum labes interdum hærere, & proinde non quiduis temere in exemplum trahi debere, quod illos fecisse legimus. Quod Paulum obseruauisse constat, qui Corinthios sui exempli imitatores esse iubet, quatenus illum Christi imitatorē esse uideant. 1. Cor. 11. Nihil enim tam humanum est, quàm errare & falli. Nec aliud perinde laboriosum & difficile est, quàm inueteratos errores hominum animis eximire: cuius rei exemplum cap. 1. in apostolis, ad carnalis & terreni regni expectationem subinde impingentibus, uidimus. Vehementer ergo errant, quicunq; aßiduam doctrinam & admonitiones superuacaneas & inutiles esse clamant: cum ea sit humani ingenij cæcitas simul & pertinacia, ut undiquaq; offendiculi occasionem arripiat, difficillimè autem in uiam reuocetur. Quare prudentius multò Paulus sensit, quando Timotheum opportunè simul & importunè instare iubet. 2. Tim. 4.

II. Vt miraculo misßi spiritus affecti fuerint spectatores.

In fidelibus adhuc errores locum inueniunt.

Cæterum ut ad historiæ expositionem redeamus, longè rectius Petrus sentit, qui ex anteactis miraculi finem agnoscit. Quia enim cœlesti uisione ad Cornelium descendere, & illi euangelium prædicare iussus erat, nunc uerò spiritus donum audientibus & credētibus collatum esse uidet: facilè agnoscit, gentibus quoq; communem esse euangelij gratiam, & in ecclesiæ communionem incircumcisos quoq; (si in Christum credant) recipi debere, quando illos spiritus sui dono deus dignetur. Nam ab ipsa re ad signum argumentum ducens ait: Nunquid aquam prohibere quis potest, quò minus baptizentur hi, qui spiritum sanctum acceperunt sicuti & nos? Quod perinde est, ac si dixisset: Quotquot Christi membra sunt, eos per baptismum in ecclesiæ Christi communionem suscipi conuenit. At hos Christi membra esse, nemo dubitare potest, cum spiritum Christi perinde ut nos acceperint. Aequum ergo, ut baptismum accipiant. Nec mora, eos in nomine domini baptizari, id est, Christo domino consecrari, & ecclesiæ huius accenseri iubet. Non enim de forma baptismi, sed eius potius fine & usu Petri mandatum intelligi debet.

Petrus miraculi finē intelligit.

Ex his uerò uniuersam baptismi rationem colligere facillimum fuerit. Petrus certè hunc initiale populi dei & ecclesiæ sacramentum esse agnoscit, quo extrinsecus obsignantur regenerationis & adoptionis beneficia, & quæcunq; alia eius generis nobis in Christo obtigerunt, simulq; officij admonentur, quicunq; istorum consortes facti sunt. Vnde colligimus, hunc omnibus deberi, quoscunq; ex populi dei conciuibus esse constat. Confutantur his multiplices errores, quos circa baptismum iam seculis aliquot irrepsisse, & hodie paßim regnare uidemus. Et primò quidem prophanos sacramentorum contemptores locus iste arguit, qui hæc credentibus & per fidem regeneratis superuacanea esse censent. Quod hominum genus, dum fidem & gratiam dei magnificè prædicat, dei sapientiam & constitutiones improbè contemnit. Atqui Cornelium cum suis uerè credere, & eosdem spiritu sancto donatos, & proinde in filiorū dei numerum adoptatos esse Petrus uidebat. Idem tamen illos baptizare iubet, ne Christi mandatum contempsisse uideretur. Cur enim Christi sacramenta contemneret, qui in ueteri Testamēto capitis pœnam sacramentorū contemptoribus constitutam fuisse nouerat? Deinde Anabaptistarum audaciam locus hic confutat, qui Christianorum infantes à baptismo arcere consueuerunt. Atqui Petrus non alio argumento hos baptizandos esse probat, quàm quòd spiritu Christi donatos, & proinde ecclesiæ eius membra esse uideret. Cur ergo non eodem iure infantes baptizarentur, quos ecclesiæ membra nasci scimus, & quos ad dei regnum pertinere, Christus ipse testatur? Mar. 10. Præterea Papistarum errori huius loci exemplum repugnat, qui gratiam dei sacramentis alligare, eamq; exorcismis quibusdam elicere & in illa transfundere solent: cum illa gratiæ dei, quæ in Christo confertur, tesseras & signacula esse constet. Et si hunc locum examines, idem

Baptismi ratio.

Sacramētorum contemptores.

Anabaptistæ.

Papistæ.

in Cornelio, quod olim in Abrahamo contigisse patebit, ut eandem omnino in utroq; Testamento sacramentorum rationem uideas. Nam Abrahamum fide iustificatum fuisse, & postea demum circumcisionem, quæ iustitiæ fidei sigillum erat, accepisse, Paulus testatur. Rom. 4. Ita Cornelium credidisse, & spiritu Christi donatum fuisse audimus, quod infallibile erat regenerationis simul et iustificationis argumentum: at nunc demum baptismus, quo hæc tanta dei beneficia obsignentur, accedit. Minimè ergo baptismi sacramento dei gratiam alligari, nec illam per hoc ceu canalem in nos transfundi constat: quãdo illa si absq; fide usurpentur, prorsus superuacanea, imò suis contemptoribus noxia esse scimus, quod in Iudæ proditoris & Simonis Magi exemplis euidentissimè cernitur.

Ordo salutis.

Priusquam uerò hinc discedamus, iustificationis & salutis ordinẽ in Cornelij exemplo obseruare præstat. Hunc dei gratia excitatum simul & adiutum fuisse uidimus, ut faceret quæ deo grata et accepta erant, cum gentilis hucusq; & à populo dei alienus fuisset. At in gratiam recepto doctor destinatur Petrus apostolus, qui salutis doctrinam prædicet. Verbo prædicato credit Cornelius. Fidem spiritus sanctus comitatur, qui & animum totum regenerat, & mirificas præterea uirtutes excitat. Hoc illuminatus in dei laudes totus effunditur, & tandem baptismo accepto inter Christi ecclesiæ ciues numeratur. Hunc ordinem passim obseruatum uidemus. A dei gratia enim nostræ salutis initium est, qui elegit nos priusquam mundi fundamenta iacerentur. Ephes. 1. Is electos per uerbum externum erudit, fide donat, spiritu suo regeneratos illuminat, & ad omne opus bonum idoneos reddit. Et quod uerbo pollicetur & fideli menti per spiritum suum offert, idipsum externis quoque sacramentis obsignat. Vide Rom. 9. & 10. cap.

III. Cornelius fidelis & grati auditoris exemplum.

Postremò, qualem se post omnia ista Cornelius gesserit, indicatur. Rogarunt Petrum (inquit Lucas) ut maneret dies aliquot. At non alia huius desiderij causa esse potuit, quàm quòd euangelij amore incensi, quotidie docentẽ audire cupiuerũt, quò solidior in ipsis efficeretur ueræ salutis cognitio. Adhæc non tam citò satiari poterant hominis amicissimi præsentia, quem sibi tantæ gratiæ ministrum et dispensatorem fuisse senserant. Hic uerò ingenium uerè credentiũ exprimitur. Non fastidiunt illi uerbi doctrinam, nec tantum sibi tribuunt, ut illam sibi posthac superuacaneam esse putent. Imò se homines esse norunt, & quia dei filij haberi uolunt, patris uoce exatiari nõ possunt, sed hunc indesinenter sibi loquentẽ audire cupiunt. Iohan. 8. Præterea gratos & amicos erga dei ministros se præbent, quorum opera in fide & salutis causa instituuntur. Nec enim magni momenti rem putant, si carnalia illis beneficia rependant, qui ipsis spiritualium bonorum authores sunt. Ab his enim maxima ex parte salutem suam pendere intelligunt. Quæ causa est, ut increpari etiam & obiurgari sese patiantur, quod in Dauide & Ezechia est uidere. At longè alia impiorum mens est, qui ministros uerbi, impiorum suorum studiorum interturbatores, tanquam publicos hostes odisse consueuerunt: cuius rei exemplum in Pharaone, Achabo, Pharisæis & infinitis alijs, scriptura proponit. Quorum impietas meretur, ut ultricem iusti dei manum sentiant, qui fideles admonitiones ferre noluerunt. Agnoscamus ergo nos dei gratiam, & uerbum eius gratis animis amplexi, in illud transformari studeamus, ut olim promissæ salutis consortes & hæredes reddamur per Iesum Christũ saluatorem nostrum: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

CAPVT XI.

HOMILIA LXXVIII.

AVdiuerunt autem apostoli & fratres, qui in Iudæa erant, quòd gentes quoq; recepissent uerbum dei: & cum Petrus ascendisset Hierosolymam, disceptabant aduersus eum, qui erant ex Circumcisione, dicentes: Ad uiros præputium habentes ingressus es, & comedisti cum illis. Exorsus autem Petrus, exposuit illis ordine, dicẽs: Ego eram in urbe Ioppe, orans, & uidi in raptu mentis uisionem: nempe, descendens uas quoddam ceu linteum magnum, quatuor initijs demissum è cœlo, & uenit usq; ad me. In quod cum intendissem oculos, animaduerti & uidi

quadru-

quadrupedia terræ, & feras, & reptilia, & uolatilia cœli. Audiui autem uocem dicentem mihi: Surge Petre, macta & uescere. Dicebam autem: Nequaquam domine, quia nihil unquam cõmune uel immundum introiuit in os meum. Respondit autem mihi uox secundò, è cœlo: Quæ deus mundauit, tu ne communia dixeris. Hoc autem accidit tertiò, & rursum omnia subducta sunt in cœlum. Et ecce subitò tres uiri astiterunt ad domum, in qua agebam, è Cæsarea ad me missi. Dixit autem mihi spiritus, ut cum illis proficiscerer, nihil hæsitans. Me uerò comitati sunt & hi sex fratres. Et ingressi sumus domum uiri, qui retulit nobis, quomodo uidisset angelum domi suæ, stantem & dicẽtem sibi: Mitte uiros Ioppen, & accerse Simonem, cognomento Petrum, qui tibi loquetur uerba, per quæ serueris tu & tota domus tua. Cum autem exorsus essem loqui, delapsus est spiritus sanctus in eos, sicut & in nos principiò. Recordatus autem sum uerbi domini, quomodo dixisset: Iohannes quidem baptizauit aqua, uos autem baptizabimini spiritu sancto. Si ergo par donum dedit illis deus, sicut & nobis, qui credidimus in dominum Iesum Christum: ego porrò quis eram, qui possem prohibere deum?



Q Vanquam Diuus Lucas Cornelij ad fidem conuersi historiam in præcedenti cap. copiosè simul & diligenter descripserit, eandem tamen hoc capite, mutata narrationis figura, repetit. Cuius instituti causa est, ut omnibus pateat, gentes diuino planè consilio per euangelij prædicationem uocatas, & baptismi sacramento in ecclesiæ communionem assumptas esse. Necessarium uerò fuisse demonstrationem hanc propter Iudæos, sæpe iam dictum est. Sed & nobis eadem non mediocriter seruit, dum hac & diuinæ bonitatis gratia mirificè illustratur, & omnium nostrûm (qui ex gentibus oriundi sumus) salutis certitudo constantissimè asseritur. Nemo igitur diuinum scriptorem uel tautologiæ uel ineptæ loquacitatis accusare debet: sed potius illius diligentia ad attentam tanto rei consyderationem excitari. Porrò eandem historiam repetendi occasionem ex iniquis quorundam iudicijs Lucas sumit, qui præcipiti iudicio decepti, Petrum accusarunt, quæ causa fuit, ut illis facti sui rationem reddere coactus fuerit.

Videamus igitur primo loco, ut de gentium uocatione ecclesia, quæ per Iudæam hinc inde dispersa erat, iudicarit. Nec enim diu latere potuit factum hoc, tum propter personarum illustrem dignitatem, tum quòd per se nouum erat & insolens. Mox ergo eius famam in Iudæa diuulgatam fuisse tradit. Hic autem duo sese produnt hominum genera. Primum apostolorum & fratrum est, quo nomine uerbi ministros & Symmystas potissimum hic designari puto. De his hoc unum euangelista, quòd audierint gentes quoq; recepisse uerbum dei, nec quicquam præterea addit. Vnde conijci potest, ipsos etsi facti huius mysterium nondum planè intelligerent, Christianæ tamen modestiæ memores, noluisse Petrum apostolum, cuius fides & diligentia multis argumentis perspecta erat, præcipiti iudicio carpere aut accusare. Quorũ modestiã nobis imitandã proponit spiritus sanctus: ne dum in aliorum factis dijudicandis inconsulto zelo abripimur, charitatis fraternæ leges uiolemus. Simul uerò locutio obseruãda est, qua gentes uerbũ dei recepisse dicuntur, cum illas Christianismum suscepisse, aut in Christi & ecclesiæ partes transiuisse dicere posset. Ita enim plus quiddam dicere, & uerum Christianismum à fucata quorundam simulatione distinguere uoluit. Verbum dei enim recipere dicuntur, qui illud dei uerbum esse agnoscunt, & proinde in illud transformari & ipsius dei imitatores fieri student. Sic Paulus Thessalonicenses uerbũ recepisse scribit, quando scribit: Cum acciperetis sermonem à nobis, quo deum discebatis, accepistis non sermonem hominum, sed sicut erat uerè, sermonem dei. 1. Thess. 2. Item: Et uos imitatores nostri facti fuistis & domini, recipientes sermonem cum afflictione multa, &c. 1. Thess. 1. Qui hoc pacto dei uerbum recipiunt, mirificos ex eo fructus proferunt. Nam seipsos abnegantes & carnis affectus mortificantes, pristina impietatis studia deserunt, & tanquam lucis filij pietati & innocentiæ student. Sciunt enim deum lucem esse, & in luce ijs ambulandum esse, qui cum illo communionem habere cupiunt. 1. Ioban. 2. Et in hac desyderatione

I. Vt de Petri facto iudicarit ecclesia.

Recipere uerbum dei quid.

frequenter eos uersari conuenit, qui euangelij nomine gloriantur, ne dum dei uerbum sese recepisse plenis buccis uociferantur, mendacij seipsos arguant, quando nullos uerbi dei fructus proferunt.

Petrus ob bene factum reprehenditur.

Sed ad alterum hominum genus transeamus, qui minus æqui tam præclari facti, quod Petrus ediderat, iudices fuerunt. Hos ex circumcisione fuisse Lucas ait. At cum priores quoque circumcisi & Iudæi fuerint, non simpliciter hic Iudæorum gentem, sed eos potius denotari puto, qui cum Christiani haberi uellent, circumcisioni tamen & legalibus ceremonijs, tanquam necessarijs ad salutem, pertinacius inhærebant. Hos Petri factum audacius reprehendisse, adeoq; cum illo palàm disceptauisse, Lucas scribit. Et hoc illi ceu capitale quoddam crimen obijciunt, quòd ad uiros præputium habentes, id est, ad gentiles siue ethnicos ingressus sit, & cum illis comederit. Ita enim uiolatæ maiorum traditionis & consuetudinis illorum accusant, cuius originem ex lege dei, arctius nonnihil restrictam, manauisse alibi diximus. Admonemur autem horum exemplo, quàm noxium sit erroribus semel imbui, & in illis consenescere. Ferè enim contumax quidam errorem defendendi ardor accedit, dum pro humani ingenij natura, nemo uideri uult errauisse. Quo malo hi quoq; excæcati fuisse uidentur, dum gentibus ne nunc quidem in ecclesia locum permittere uolunt, quas tamen luculento dei testimonio receptas esse constabat. Tanta tamq; pertinax est humani ingenij corruptio, tamq; inuicta in erroribus semel susceptis defendendis contumacia. Atqui utinam non hodie infinita passim eius generis exempla extarent in ijs hominibus qui cum primas in ecclesia teneant, pro leuiculo ducunt ea tueri, quæ disertis diuini uerbi oraculis contraria esse nouerunt.

Nemo omnibus placere potest.

Præterea docet locus hic, neminem tam feliciter tamq; piè res administrare posse, ut omnibus satisfaciat. Ea potius mundi huius conditio est, ut accusationem & uituperium reportent, qui laudem merebantur. Hoc olim Mosi accidisse tum inter Aegyptios tum inter Israelitas, scriptura docet. Idem prophetas expertos fuisse legimus, qui dum pro publica salute inuigilant, regni turbatores, patriæ hostes & publicorum malorum authores dicti sunt. Nec aliud de Christo Iesu mundi iudicium fuisse constat. Modò enim propter neglectam manuum ablutionem, modò propter conuersationem cum peccatoribus accusatur: mox rursus sabbati uiolatorẽ, & paulò post Samaritanum & dæmoniacum esse clamãt. Eandem ergo nũc cum præceptore suo sortem Petrus sustinet, & cum eximia laude dignus esset ob regnum Christi ad gentes usq; tam feliciter propagatum, calumniatorum potius uenenatos morsus experitur. Nec manifestos modò Christiani nominis hostes, uerumetiam facti sui iniquissimos censores habet, qui & Christiani & fratres dici uolebant. Quid? quòd discipuli in præceptorem censoriam uirgulam arripiunt? Debet horum consyderatio nos patientes reddere, si quid simile nobis quoq; accidat. Simul uerò admoneat, ut studia nostra deo potius quàm mundo approbare curemus, qui & benefactoribus suis plerunq; ingratus est, & iudicio suo ut plurimum fallitur. Rursum discamus ingens hoc peccatum esse, si quæ bene à fratribus gesta sunt improbè calumniemur. Nam qui id faciunt, satanæ ingenium referunt, quem Græci diabolum dixere, quòd omnia nostra calumniari & obliquis iudicijs perstringere soleat. Et charitatis leges uiolant, cuius est nunquam non bene sperare de fratribus, & peccatorum multitudinem tegere potius quàm traducere. 1. Cor. 13. Prouerb. 10. 1. Pet. 4.

II. Apologia Petri.

Cæterum iniquæ morosissimorum hominum criminationi Petri apologia, omnis amarulentiæ expers, subijcitur: cuius hæc summa & hic unicus scopus est, nihil hic priuato consilio, sed dei iussu omnia facta esse, qui gentes in Christi & ecclesiæ suæ communionem suscipi uoluerit. Quia uerò exacerbatos nimium uidebat aduersariorum animos, diligentem rerum gestarum, ab ipso principio repetitam, narrationem contexit, eamq; argumentis solidissimis confirmat. Quã priusquam attingamus, apostoli modestia inspicienda erit, qui tam humili & solicita excusatione apud eos uti uoluit, quos causæ bonitate fretus, uel contemnere & responso dedignari, uel saltem asperius repellere & increpare poterat. Sed agnoscit ad se quoq; eam legem pertinere, qua ipse Christianos ad reddendam rationem quibusuis semper paratos esse iubet. 1. Pet. 3. Et ut hoc loco in optima causa iniquam morosorum hominum censuram patienter fert: ita cum à Paulo ob simulationem & inconstãtiam coram omnibus reprehenderetur, nihil illum insolentius respondisse legimus. Gal. 2. Atqui semper eam in ecclesia ueteri consuetudinem fuisse cernimus, ut episcopi ab episcopis sese iudicari & corrigi paterentur. Ita Victorem Rom. episcopum ob præcipitem aduersus Asiæ episcopos excommunicationis sententiam

tentiam ab Irenaeo & alijs quibusdam minus celebrium ecclesiarum episcopis, reprehensum & officij admonitum fuisse, constat. Arguunt haec Romanorum Pontificum, qui postea secuti sunt, insolentiam. Quos non pudet, sese totius orbis iudices constituere, & uicißim omnium hominum iudicia detrectare. Horret animus, quoties blasphemi illius Canonis recordor, quo ne tunc quidem Papa iudicari uult, si suae simul & aliorũ salutis negligens, hominũ animas cateruatim ad inferos deducat. At non alio argumento euidentius sese Antichristum esse probare poterat, quàm quòd ecclesiae & episcoporum omnium censurã reijcit, cùm in ecclesia & inter episcopos primum locum sibi uendicet. SED omisso hoc, Petrum causam suam perorantem audiamus. Eusеb. lib. 5. eccles. hist. cap. 25. & 26.

Habet uerò ipsius defensio diligentem (ut modò monuimus) narrationem, quam ita instituit, ut non obiter modò quid factum sit commemoret, sed illud ipsum rectè & legitimè factum esse, doceat: suntq́ narrationis huius partes quinq́, de quibus singulis paucula, quae ad praesentem causam pertinent, dicemus, omißis ijs, quae in praecedenti Capite tractata sunt.

Prima parte uisionem uasis siue lintei magni, caelitus ad se demißi, comprehendit: qua illum à domino edoctum fuisse diximus, neminem posthac propter legis ceremonias neglectas euangelio & populi dei cõmunione indignum censeri debere, cùm in Christo Iesu legis maceria diruta sit, usq́ ex utrisq́ populis unum fecerit. Ephes. 2. Voluit autem hinc narrandi initiũ facere Petrus, ut omnibus pateret, nihil abs se priuato consilio factum, sed omne hoc diuinae administrationis opus fuisse. 1. Visio lintei.

Secunda parte certum dei mandatum allegat, ne somnio aliquo aut inani spectro deceptus fuisse uideretur. Nam eo ipso temporis momento, non sine diuinae prouidentiae ductu, foribus hospitij sui missos à Cornelio legatos astitisse ait, & addit: Dixit mihi spiritus, ut cum illis proficiscerer, nihil haesitans. Atqui hic totius apologiae neruus est, quem directè aduersariorum criminationi opponi uidemus. Illi enim dixerunt: Ad uiros praeputium habentes ingressus es, & comedisti cum eis. Respondet ergo hîc Petrus: Spiritus domini me hoc facere iußit. Et hac uerborum simplicitate contentus, oratorios colores facilè intermittit, quibus argumentũ hoc ornare & confirmare potuisset. Quo exemplo docemur, minimè accusandos esse, uel si accusentur facilè defendi posse apud Christianos homines, quicunq́ à receptis consuetudinibus & hominum traditionibus ex dei praescripto discedunt. Aeterna enim & inuiolabilis esse debet apostolicae huius sentẽtiae authoritas. Oportet deo potius obedire quàm hominibus. Hac ergo ratione nos hodie etiam contra Papistas tueamur, qui simili morositate ob uiolatas à nobis hominum traditiones nos accusant, & offendiculi ansam, nobis quoq́ non praebentibus, undiquaq́ arripiunt. Offendit illos, quòd Christum in altaris sacramento pro uiuorũ & mortuorum peccatis offerri negamus. At nos Christi uerbum opponimus, qui in cruce expiraturus, peccatorum expiationem omnemq́ nostrae redemptionis rationem iam consummatã esse testatus est. Adhaec Paulum audimus, qui Christum semel oblatum, amplius immolari posse negat. Offenduntur, quòd Christi & sanctorum imagines templis nostris eiectas uident. At nos dei authoritatem illis obtendimus, qui imagines fieri prohibet, & factas delere ac euertere iubet. Offenduntur propter sublata à nobis ciborum discrimina. Sed nos apostolus tuetur, qui daemoniorum dogma esse dicit, illa obtrudere. Eadem est omniũ aliorum, quae inter nos cõtrouertuntur, ratio. Haec enim tantummodo exempli gratia produximus. Quòd si uerò nostri illi aduersarij dei uerbo cedere noluerint, sed illius authoritati hominum consensus & traditiones opponere perrexerint: facilè patebit, illos non Christi, sed hominum seruos esse, &c. 2. Mandatũ dei.

Tertia narrationis pars angeli apparitionem continet, quẽ Cornelio diuinitus submissum fuisse audiuimus. Huius autem meminisse uoluit Petrus, ut doceret, ne ipsum quidem Cornelium quicquam temere fecisse, sed à deo excitatum fuisse, ut se doctorem accerseret. Hic uerò obseruatione dignum est, ut de euangelij ministerio siue praedicatione angelus loquatur. Petrus (inquit) loquetur tibi uerba, per quae seruеris tu & tota domus tua. Salutem ergo per euangelium hominibus obtingere testatur. Vidit hoc ipsum diuinus Psaltes, quando ait: Misit deus uerbum suum, & sanauit eos. Psal. 107. Et Paulus euangelium potentiam dei esse ait, ad salutem omni credenti. Dicuntur autem haec, non quòd uerborum sonus salutem afferat, quod de exorcismis suis superstitiosi sentiunt: sed quòd euangelij praedicatione Christus nobis offertur, & qui illud praedicant, Christi nomine legationem obeunt, ut illorum ministerio homines deo patri per Christum reconcilientur. 2. Cor. 5. Nul- 3. Apparitio angeli.

la ergo uel rebuspub. uel familijs salus aut solida felicitas continget, nisi euangeliũ Iesu Christi re-ceperint. Execrabilis itaq; est illorum ingratitudo, qui salutis uerbum tam priuatorum quàm publicorum malorum causam esse dicunt, quod olim Ieremiæ etiam obiectum fuisse legimus. Ierem. 44. *Agitantur isti homines Caiaphæ spiritu, qui & ipse Christum excidij authorem fore dicebat, nisi nefaria sacerdotum coniuratione opprimeretur.*

4. Mißio spiritus sancti.

Quarto loco miraculosam spiritus sancti missionem refert. Eius uerò interpretem allegat, Iesum Christum. Recordatus sum (ait) uerbi domini, quomodo dixisset: Iohannes quidem baptizauit aqua, uos autem baptizabimini spiritu sancto. Ita uerò argumentari uidetur Petrus: Christus dominus electis suis spiritum pollicitus est, quem mundus hic capere non potest, & huius quidem largitorem se solum fore dixit. Hunc ergo cum in gentes ipse effuderit, easq; spiritu suo baptizare dignatus sit, ego tanti ducis exemplum non potui non sequi, nec aquæ baptismo indignos iudicare debui, quos spiritu suo dignos esse deus iudicauerat. Pulchrè autem inter ministrum & Christum Petrus distinguit, ne externo ministerio perperam tribuatur, quod solius Christi est. Quia tamẽ de hoc alibi diximus, id obiter in præsenti annotauisse sufficiat.

Quinta pars conclusionem habet uerborum simul & argumẽtorum pondere grauem. Ait enim: Si ergo par donum dedit illis deus, sicut & nobis, qui credidimus in dominum Iesum Christum, ego porrò quis eram, qui possem prohibere deum? Impium per se foret, impares dicere, quos deus pares facere dignatus est. At quantò maior impietas foret, eos ab ecclesiæ communione arcere, quos ad illã pertinere deus tam euidenti argumento docuit? imò quos ipse palàm adoptauit? Fatetur itaque Petrus, se dei aduersarium fieri oportuisse, si quid tale conari uoluisset. Quòd si uerò dei aduersarij sunt, qui quos deus ecclesiæ suæ membra esse uult, hoc nomine ab illius communione arcent, quòd tanta gratia indignos censent: quid de illis dicemus, qui falsa doctrina Christi oues seducũt, aut in easdem ob Christi confeßionem aperta ui & tyrannide grassantur? Sentient illi aliquando eius potentem & ultricem manum, cuius hostes potius quàm amici & sectatores esse malunt. Nostrum est, dei gratiam ita agnoscere & exosculari, ut simul quosuis alios in salutis commercium pertrahamus, quã electis suis proposuit deus pater in filio suo dilecto, Iesu Christo: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA LXXIX.

Hæc uero cum audiuissent, quieuerunt & glorificauerunt deũ, dicentes: Ergo & gentibus deus pœnitentiam dedit ad uitã. Porrò, qui dispersi fuerant à tribulatione, quę contigerat propter Stephanum, transierunt usq; in Phœniciam, & Cyprum, & Antiochiam, nemini loquẽtes sermonem, nisi Iudęis solis. Erant autem ex ipsis quidã uiri Cyprij & Cyrenei, qui ingressi Antiochiam, loquuti sunt Græcis, prædicantes dominum Iesum. Et erat manus domini cum illis, multusq; numerus cum credidisset conuersus est ad dominum.

QVemadmodũ Diuus Petrus in Cornelio conuertendo pij simul & fidelis apostoli officio functus est, dum diserto dei mandato absq; omni tergiuersatione obtemperandum esse putauit: ita cum illius factum à quibusdam iniquius carperetur, præclarum Christianæ & apostolicæ modestiæ exemplum præbuit. Nam ijs facti sui rationem amicißimè & diligentißimè reddit, à quibus ipse maiori iure rationem exigere poterat. Omißis autem multis alijs argumentis, hoc unum urget, quòd nihil priuato consilio, sed ex dei præscriptione & mandato omnia ista gesserit. Quo exemplo discimus, quibus argumentis nos quoque aduersus eos pugnare debeamus, qui simili morositate nos ob uiolatas hominum traditiones & consuetudines hodie accusare consueuerunt. Sufficiat nobis diuini uerbi authoritas, quam quicunque aspernari audent, indigni sunt, quorum aliqua habeatur in ecclesia Christi ratio.

Vt Petri apologiam fratres exceperint.

Restat autem in huius historiæ tractatione, ut Petri apologiam exceperint, qui paulò ante tam rigidi censores fuerunt. Dicuntur autem quieuisse & deum glorificauisse, dicentes: Ergo & gentibus deus pœnitentiam dedit ad uitam. Porrò quieuerunt, nec aduersus dei præceptum & uoluntatem humanis rationibus contendere perrexerunt. Quo argumento abundè declaratur, illos non maligno uel

liguo uel odij uel inuidiæ affectu, sed potius inconsulto & cæco pietatis zelo litem hanc instituisse: quem Paulus quoq; Iudæis alicubi tribuit. Et quia hunc in illis Petrus facilè deprehendebat, mitius cum ipsis agendum esse duxit. Nec enim tanquam incurabiles negligi, aut etiam amarulentius abijci debent, quicunq; zelo gloriæ dei agitantur, eò quòd tales rationibus credere & acquiescere solent. Est uerò hoc uerè fidelium, ut rationibus è dei uerbo productis libenter cedant, quàmuis non plena illis omnium eorum, quæ dicuntur, ratio satis constet. Nam hoc demum uerum & proprium est fidei exercitium, quando nostram rationem dei uerbo & præceptis subijcimus, quod Paulus passim sub fidei obedientia docet, quam euangelicæ prædicationis finem & scopum esse testatur. 2. Corinth. 10. Rom. 1. & 16. Vnde facilè patet, minimè pro fidelibus eos agnosci debere, quicunq; aduersus diserta dei oracula pertinacius disputare non erubescunt. Pij rationibus cedunt.

Præterea deum quoque glorificauisse dicuntur: quod euidentius signū est, ipsos uerè et ex animo Petri excusationem recepisse. Sunt enim, qui rationibus conuicti, tacent quidem cùm quod respondeant non habent, interim iuxta illud poetæ, taciti premunt alto corde dolorem. At qui deum glorificat, infallibi argumento testatur, sibi per omnia satisfactum esse. Docemur autem, congratulandum esse ijs, quos deus ueritatis luce dignatur. Iubet hoc cùm diuinæ gloriæ studium, quo Christianos homines flagrare decet, tum charitas, quæ nos totos proximi commodis prouehendis obstringit. Et sanè non alia res est, quæ fidelem animam uberiori gaudio perfundat, quàm si ueritatis lucē cum diuinæ gloriæ illustri incremento & multorū salute propagari uideat. Rursum ex animo dolere nos decet, si quando aliquos uel negligi, uel à salutis uia deficere uidemus. Ita Samuelem propter Saulis casum infelicem iugi dolore seipsum excruciauisse legimus. Et Paulus pro Iudæis asiduè in deprecationibus uersatur, & pro illis anathema à Christo fieri cupit, ut ipsi salui fiant. Rom. 10. & 9. At hodie utrinq; frigemus: quæ non postrema causa est, quòd minus feliciter procedit euangelicæ doctrinæ cursus. Congratulandum est aliorū saluti.

Sed uerba uideamus, quibus isti animorum suorum affectū testantur. Ergo & gentibus (aiunt) dedit deus pœnitentiam ad uitam. Dicitur autem bifariàm deus dare pœnitentiam: quando nimirum uel locum & tempus ad pœnitentiam concedit: uel animos hominum spiritu & uerbo suo emollit & conuertit, ut per pœnitentiam ad meliorem uitæ rationem disponantur. Vtrunq; hoc loco factū esse constat: quàmuis posterior sensus præsenti argumento magis conueniat. Est autem obseruatione dignissimum, quòd gentibus per euangelij prædicationem pœnitentiam ad uitam datam esse, dicunt. Ea enim locutione testantur, se de ea pœnitentia loqui, quæ propter fidem in Christum saluifica est, & quam totius negotij euangelici scopum dicere possumus: qui est, ut per Christum deo reconciliati, ad illum totis animis conuertamur, inq; ipso uiuamus. Ita enim Paulus scribit: Deus reconciliauit sibi per Iesum Christum, deditq; nobis ministerium reconciliationis. Itaq; nomine Christi legatione fungimur, tanquam deo uos obsecrante per nos, Christi nomine rogamus: Reconciliemini deo, &c. 2. Corinth. 5. Pœnitentiam uerò disertè nominant, nimirum ad illud Christi respicientes, qui in nomine suo cùm pœnitentiam, tum peccatorum remissionem prædicare iubet. Nec unquam duo hæc separari debent, ne qua illis occasio detur, qui sub euangelij prætextu carnis licentiā uenantur. Rursum consolationem insignem habet, quòd pœnitentia ad uitam dari dicitur. Nunquam ergo illa in fidelibus uana est aut infrugifera, sed illos per Christum salutis consortes reddit. Extant dei promissiones, quibus paßim gratiam suam & vitam ijs pollicetur, qui ex animo ad illum conuertuntur. Vide Ezech. 18. ubi ait: Nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur, & uiuat. Nec putandum est, unquam à deo uanis pollicitationibus deludi siue lactari. Pertinet huc totus ferè Iudicū liber, qui multis exemplis euincit, nunquam sine fructu Israelitas ad deum per veram pœnitentiam conuersos fuisse. Et Nineuitas iam latam aduersus se dei sententiam fideli pœnitentia reuocauisse, constat. Quid uerò de illis dico, quando Achabi quoq; temporariā pœnitentiam dei uoce cōmendatam fuisse legimus? 1. Reg. 21. Debent hæc ijs animos addere, qui in desperationis præcipitio consistunt, dum se deo propter anteacta scelera ita displicere putant, ut nec pœnitentiā suam illam gratam esse dicant. Quibus illa prophetæ succurrere debent: Si peccata uestra fuerint ut coccus, niue albiora reddentur: si instar purpuræ rubeant, instar natiuæ lanæ fient. Item: Misericors est & beneficus dominus, patiens etiam & magnæ benignitatis. Qui non perpetuò solet litigare, &c. Vide Psal. 103. Quomodo deus det pœnitentiā.

Lu. 24 / Am.

Esa. 1.

Regni Christi inter gẽtes propagatio.

Porro absoluta Cornelij Centurionis historia, quæ gentium uocationis principia adeoq; primitias continet, ad intermissam rerum ad cõmunem ecclesiam pertinentium, narrationem D. Lucas redit, & ut regnum Christi inter gentes longè lateq;, extendi cœperit, commemorat. Imprimis uerò de Antiochia ad Christum conuersa agit, ubi Christianorum nomen primò obtinuit. Et ante omnia quidem tantæ rei occasionem attingit, quam ex persecutione propter Stephanum excitata, oblatam & à uiris pijs arreptam fuisse, docet. Atqui cumprimis memorabile illud est, quòd tanti boni initium ex re funestißima obortũ fuit. Quàm misera enim persecutionis illius tempore fuerit ecclesiæ facies supra cap. 8. uidimus. Quando eòusq; deuenerat persequẽtium furor, ut ne clanculò quidem liceret Christianis esse, cùm ex ædibus quoq; priuatis cum uiri tum mulieres ad lanienam pertraherentur. Qua causa fuit, ut ecclesia hinc inde dißipata, lacerum quoddam & nulla arte curabile corpus esse uideretur. At dei bonitate & gratia fit, ut ex singulis penè dißipatæ ecclesiæ membris nouũ corpus enascatur. Nam quos tam diræ persecutionis tempestas hinc inde disiecit, sui officij memores, paßim Christi nomen prædicare incipiunt, & nonnulli ex illis in Phœniciam & Cyprum usq; delati, eas quoq; regiones euangelij fulgore illustrarunt. Quo exemplo primitiuam ecclesiam, adeoq; omnium seculorum fideles confirmari oportuit, ne immanibus hostium ueritatis conatibus offendantur, quando his Christi regnum non euerti nec in angustum redigi, sed potius ædificari & latius extendi constat. Nam quod hoc loco factum fuisse Lucas commemorat, idipsum in omnibus persecutionibus accidisse, ecclesiasticæ historiæ scriptores narrant. Et ut horrendas tempestates læta & stabilis cœli serenitas ferè excipit: ita ecclesiæ faciem post persecutionum procellas semper lætiorem & splendidiorẽ apparuisse constat. Dißipat enim gentium consilia deus, ipsius uerò consilium æternum stabit, quo filium suum totius orbis terrarum regem constituit. Vide Psal. 33. 2. & 110.

Occasio propagatæ ecclesiæ, ex persecutione oborta.

Ministri quantumuis fideles, interdum dißident.

Sed de illis singulari diligentia agit Lucas, quorum ministerio rem tanti momenti confecit dominus. Qui omnes quidem propter Christi fidem & doctrinam dispersi fuerunt, interim uerò in euangelij ministerio eiusq; ratione non per omnia consenserunt. Nã alij quidem solis Iudæis prædicant, quos eorũ quæ inter Petrum & Cornelium contigerũt, adhuc ignaros fuisse, uerisimile est. Alij uerò, quos Cyprios & Cyrenæos fuisse scribit, Antiochiam ingreßi, Græcis, id est, gentibus quoq; prædicarunt. Ita non rarò fieri consueuit, ut in quibusdam dissentiant, qui fidelißimi Iesu Christi serui habentur, deo ita dispensante dona sua, ut uerbo suo authoritas maior accedat, ne ex hominum conspiratione huius propagatio pendere uideatur. Quò etiam referri debet, quod infra de contentione inter Paulum & Barnabam oborta dicitur, quæ in tantum efferbuit, ut disiungerentur ab inuicem præstantißima & selecta Christi organa. Neminem ergo offendat, si quid eius generis hodie quoq; in ecclesia contingat. Nam sectas esse oportere, Paulus scribit, ut electi probentur. 1. Corinth. 11. Interim in omnibus hisce magnam laudem meretur ardens propagandi regni Christi studium, quo inflammati, periculorum quæ paulò ante sustinuerant, prorsus obliuiscuntur, & Christi uerbum paßim diuulgant. Huc cõstantia fideles Christi ministros præditos esse oportet, ne se officio suo per omnia defunctos putent, si semel pro Christi nomine periclitati sint. Nec aliter sibi fugam cõcessam esse intelligant, quàm ut periculis erepti, ad officium redeant, & quicquid illis uitæ reliquum est, illud totum ad propagandam gloriam Christi insumant.

Phœnicia, Cyprus & Antiochia euangelio illustrantur.

Cæterum locorum quoque, in quibus isti prædicarunt, non indiligentem mentionem facit Lucas. Et primò quidem Phœnicia nominatur, quam Iudææ uicinam esse constat, celeberrimam urbibus & gentis uetustate, apud exteros quoq; scriptores insignem. Post hanc Cyprus ponitur, poetarum carminibus decantata insula, quam illi cùm propter loci amœnitatem, tum propter incolarum mores dissolutißimos Veneri sacram dixêre. Et elucet hîc partim magna dei bonitas, qui tales homines filij sui cognitione illustrare dignatus est: partim admirabilis & inuicta euangelij uis, cuius prædicatione termini regni Christi adeò breui tempore eòusq; dilatati sunt, ut ex continente maria transilire & insulas inuadere inciperet, quod fore olim à prophetis prædictum fuit. Vide Psal. 72. Isa. 60. 66. &c. Præcipuè uerò Antiochiæ meminit, qua uix alia inter Syriæ urbes præstantior extitit. Nã ut Seleuco conditore superba, gloria & diuitijs illustris fuit: ita (ut postea audiemus) in illa prima ex gentibus ecclesia coaluit & tanta frequentia floruit, ut qui hactenus discipuli modò dicti fuerant, augustiori uocabulo Christiani appellari inciperent. Habuit eadem urbs episcopos & eruditione & pietate

pietate insignes: martyribus quoq; ita abundauit, ut uix alia illi conferri possit. Memorabile igitur & cumprimis obseruandum est, quòd tantam urbem eorum ministerio deus conuerti uoluit, quorum ne nomina quidem extant. Nam hoc unum de illis traditur, quod Cyprij & Cyrenæi fuerint. Atqui poterat eadem ratione insignium apostolorum opera uti dominus. Sed per contempta & uilia huius mundi, pro suo more, rem maximam confici uoluit, ut in illo, non in hominibus, gloriandum nobis esse sciremus. 1. Cor. 1.

Videamus autem, quid prædicarint qui Antiochenæ ecclesiæ fundamenta iecerunt. Prædicarunt (inquit Lucas) dominum Iesum. Hic ergo illis doctrinæ argumentum fuit, quem & Paulus solum se nouisse fatetur. Solius uerò Iesu mentionem facit, quia in hoc continentur, quæcunq; ad nostræ salutis rationem faciunt. Hic enim nobis à deo datus est, ut humano generi pœnitentiæ & remissionis peccatorum author esset, sicut cap. 5. dictum est. Nam ut in illo solo peccatorum remissio inuenitur, ita nec pœnitentia ea, quæ extra fidem in Christum agitur, deo placere potest. Habemus ergo quod illis respondeamus, qui hoc nobis uitio uertunt & per ludibrium exprobrant, quòd unum & solum Christum in nostris concionibus inculcemus. Id enim apostolorum exemplum secuti facimus, nec aliter facere possumus, quando extra Christum salus nulla inuenitur. *Iesus Christus apostolicæ doctrinæ argumentum.*

Postremò insignem profectum euangelij Lucas describit, dicens: Multus nnmerus, cum credidisset, conuersus est ad dominum. Præmittit uerò efficientem causam, ne quis hominibus ministris illud acceptum ferret. Nam ait: Manus domini erat cum illis. Vnde colligimus, omnem fidei & salutis profectum à solo deo pendere, nec quicquam præter externum ministerium hominibus esse tribuendum. Exponit hoc multis Paulus in priori ad Corinth. epistola cap. 3. Et prodest eius frequenter meminisse, cum ne insolentiores fiant ministri, tum ut deo grati esse discant, quos ille uera fide illuminat. Simul uerò fidei Christianæ proprium finem euangelista exprimit, qui est, ut ad dominum conuertantur, qui uel ignorantia, uel superstitione & peccatis ab hoc auersi fuerunt. Non ergo in inani speculatione fides uersatur, sed uiua est Iesu Christi cognitio, quæ totum hominem in dei obsequium rapit. Nec pro Christianis habendi sunt, qui uel superstitioni uel flagitijs immersi, ad dominum conuerti nolunt. Hunc ergo nostris studijs scopum præfigamus, ut uera fide ad deum conuersi, salutem consequamur in Iesu Christo, saluatore unico: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen. *Euangelij profectus.*

HOMILIA LXXX.

Peruenit autem rumor de ipsis ad aures ecclesiæ, quæ erat Hierosolymis, & miserunt Barnabam, ut transiret Antiochiam usq;. Qui cum uenisset, & uidisset gratiam dei, gauisus est, adhortatus est omnes, ut proposito cordis adhærerent domino. Nam erat uir bonus, & plenus spiritu sancto & fide. Et addita est multa turba domino. Profectus est autem Barnabas Tarsum ad quærendum Saulum: quem cum inuenisset, adduxit illum Antiochiam. Accidit autem ut totum annum conuersarentur cum ecclesia, & docerent turbam multam, & Antiochiæ primum discipuli nominarentur Christiani.

QVoniam deus filium suum, Iesum Christum, uniuersalem totius mundi saluatorem constituit, ad eundem omnes quoq; gentes per euangelij prædicationem adduci oportuit: quemadmodum ex prophetarum oraculis & ipsius Christi mandato patet, quo apostolos in omnem orbem terrarum exire & ex omnium nationum hominibus sibi discipulos adducere iussit. Porrò ut hoc fieri cœperit, hoc cap. Lucas commemorat. Licet enim in præcedenti Cornelij ad fidem Christianam conuersi histori- descripta sit, quia tamen singulari quodam priuilegio ille uocatus esse uideri poterat, celeberrimæ urbis Antiochiæ conuersio subijcitur, in qua multis nominibus insignis ecclesia ex gentibus primùm collecta est. Cuius rei authores fuerunt (ut heri dictum est) Cyprij & Cyrenæi quidam, obscuri nominis uiri, sed quorum nomina haud dubiè in libro uitæ apud deum scripta seruantur. Hi urbem ingressi, solum Iesum Christū gentibus prædicarunt, hunc à deo patre missum esse

docentes, ut in se credentibus pœnitentiam simul & peccatorum remissionem conferat. Nec defuit pio conatui felicissimus effectus. Diuina enim uirtute per horum ministerium efficaciter operante, incredibilis hominum multitudo fidem didicit, & ad dominum conuersa est. Istis uerò ea subiicit Lucas, quæ ad Antiochenæ ecclesiæ statum confirmandum restabant. Et primò quidem Hierosolymitanorum in nouam Christi ecclesiam officium recenset, qui Barnabam illis quasi subsidio miserunt. Deinde Barnabæ præclarum in commisso sibi munere studium, tandemq́ felicem eius profectum describit.

I. Hierosolymitanæ ecclesiæ officium in Antiochenam.

Et de Hierosolymitanis quidem, inter quos apostolos quoq; fuisse uerisimile est, paucis agit, quia ex Barnabæ actis consilij ipsorum ratio euidentissimè deprehendi potest. Hoc unum ergo dicit, quòd rumore de Antiochia ad Christum conuersa Hierosolymam usq; uulgato, qui illic tanquã in specula uel sublimi arce ex officio pro omnium ecclesiarum salute excubabãt, Barnabam eò transmiserint: nimirum, ut recentem discipulorũ fidem confirmaret, et mutuã aleret inter ecclesias beneuolentiam. Quod ipsum supra quoq; factum esse uidimus, quando Samariam Petrus & Iohannes missi sunt, cum illa per Philippi prædicationem deuicta, Christo portas aperuisset. Est autem cumprimis memorabile exemplum hoc, quo docemur, etiam longè dissitas ecclesias, si quando usus postulat, tum consilis tum fideli ministrorum opera iuuandas esse, & insignem laudem eos mereri, quicunq; hac in re diligentem operam nauare consueuerunt. Si enim pietatis officium, quod uni saltem ex Christi discipulorum numero præstatur, tantopere commendat Christus, ut illud sibi præstitum esse nouissimo die palam testaturus sit, & ei mercedem certam pollicetur, qui uel poculum frigidæ aquæ apostolo obtulerit: quantò maiori gloria eorum studium remuneraturus est, qui integras ecclesias suis consilijs & auxilijs uel seruant uel confirmant? Meminerint huius tum antistites tum magistratus Christiani, ne illorum calumnijs sese ab officio reuocari patiantur, qui & temerarios & seditiosos nouarum rerum authores eos esse dicunt, qui alienis in fidei causa uel præscribere uel consulere consueuerunt.

II. De Barnaba.

Sed Barnabam uideamus, de quo diligenter Lucas ait. Nam qualis fuerit & quid in Antiochenorum causa fecerit, narrat. Et quamuis personæ descriptionem rebus per illum Antiochiæ gestis mediam interserat, nobis tamen ea primo loco consyderanda est, ut de causa tam insignium uirtutum, quæ in illo eluxerunt, melius iudicare possimus: maximè cum in eum finem illius conditionem & ingenium Lucas describat. Dicit autem, fuisse uirum bonum, plenum spiritu & fide. Est hoc præclarum uiri sancti encomium, quo nullum maius uel ab ipso Demosthene & Cicerone effingi poterat. Quæ enim maior laus esse potest quàm à spiritu sancto bonum dici, cum Christo teste, nemo bonus sit, præterquam unum deum? Sed ne quis Lucam eius dicti parum memorem putaret, mox docet, cur hunc bonum uirum dicere ausus fuerit: nimirum quòd plenus esset spiritu & fide. Licet enim solus deus reuera & ex seipso bonus sit, quia tamen hic suum spiritum, & per hunc suas uirtutes hominibus communicare dignatur, nihil probibet bonos dicere, in quibus diuinæ bonitatis argumenta, propter inhabitãtem in illis dei spiritum, elucent. At quia diuini spiritus simul & bonorum omnium capaces nos reddit sola fides, hanc etiam Barnabæ Lucas tribuit, & plenum fide fuisse ait. Per hanc enim iustificãtur homines, quia hac Christum apprehendunt, cuius merito ab omni iniquitate emundantur, & ad omne opus bonum idonei redduntur, ut tam deo quàm hominibus fideliter præstent, quæcunq; illis debent officia. Prodest autem hanc boni uiri definitionem memori animo recondere, ut insano mundi iudicio opponatur, qui uel egregiè hypocritas, uel ad carnis uoluptates & studia procliues, bonos uiros appellare consueuit. Præterea uerò admonemur hoc loco, quales publicis officijs, & imprimis in religionis causa, adhiberi debeãt. Viri boni nimirum, quos spiritu sancto gubernari & fide præditos esse, constat. Talibus enim quiduis tutò committi potest. Quicunq; autem improbis & à spiritu dei alienis res uel publicas uel priuatas commendant, ijs ferè euenire solet, quod Noæ coruum ex arca emittenti euenisse legimus. Et sapienter, ut & reliqua omnia dixit Solomon: Truncat pedes, & bibit uiolentiam, qui per stultum aliquid demandat. Prou. 26. Nam & spe sua frustrantur, & plerunq; graues suæ leuitatis & imprudentiæ pœnas dant.

Barnabas uir bonus.

Barnabas gaudet aliorum profectu.

Porrò uidendum est, quid Barnabas in Antiochena ecclesia egerit: quod omne quatuor articulis Lucas comprehendit. Primò ait. Cum uenisset, & uidisset gratiam dei, gauisus est. Intelligit autem per gratiam dei, fidei perfectum & quæ hunc comitantur spiritus sancti dona. Et gratiæ uo-

cabulo

tabula usus est, ut doceret, ex dei beneficio hæc omnia hominibus contingere. Est autem insigne boni uiri & fidelis Christi ministri argumentum, quòd aliorum profectu gaudet Barnabas. Qui enim spiritus sancti illuminatione & fide carent, ferè alijs inuident, dum suæ duntaxat gloriæ consulunt. Nec omnes Mosis modestiam imitantur, qui omnes filios Israel dei spiritu repleri, & prophetandi dono instrui cupiebat. Imò passim, proh dolor, multa extant ambitiosorum hominum exempla, qui dum alijs debitum honorem præripere conati sunt, funestas ecclesijs contentiones excitarunt. At quos Christi spiritus regit, & qui fide uera illuminati sunt, priuatæ gloriæ iacturam facilè spernunt, dummodo dei gloriæ consultum esse uideant.

Barnabas ad perseuerātiam hortatur.

Deinde adhortatus est Antiochenos Barnabas, ut cordis proposito adhærerent domino. Nam ut in quouis alio studio, ita maximè in religione perseuerantia opus est. Nec enim coronatur qui certat, nisi legitimè certauerit. Et Christo non probantur, qui ubi manum aratro admouerunt, à tergo respiciunt. Luc. 9. Rectè ergo perseuerantiam ab Antiochenis exigit Barnabas. Sed ne externam duntaxat simulationem aut inanem uerborum iactantiam exigere uideretur, cordis propositum requirit. Ea enim demum uera perseuerantia ueraq; cum domino Iesu coniunctio est, cum corda nostra illius obsequio consecrauimus. Et qui id fecêre, eos nulla periculorum atrocitas à domino absterrere potest. Omnia enim pro damno ducunt, dummodo Christum lucrifaciant. At quia nō ignorabat Barnabas, multa esse, quæ homines à Christo reuocare solent, adhortatione opus esse putauit etiam ijs, in quibus præclara diuinæ gratiæ argumēta elucebāt. Quæ etiam causa est, quòd Paulus Timotheum indesinenter suæ fidei commissos monere & hortari, adeoq; omni modo & ratione illis instare iubet. Vide 2. Timoth. 4. Absurdissimus ergo illorum error est, qui omnem doctrinam inutilem & superuacaneam esse putant apud eos, qui semel ueritatis cognitionem assecuti sunt.

Barnabas Paulum Antiochiā adducit.

Tertiò Tarsum profectus Barnabas, inde Paulum Antiochiam deducit, ut huius etiam ministerio ecclesia magis confirmetur. Est hoc alterum uerè fidelis animi & Christi amore flagrantis argumentum. Nec enim ignorare potuit Barnabas, quanta essent in Pauli pectore spiritus dona, & quantum suæ authoritati decessurum esset, si Antiochiam Paulus perueniret, quo non aliud erat Christi organum præstantius. Sed iam ante monuimus, eos ab hominibus gloriam non quærere, qui fide inflammati, dei gloriam prouehere cupiunt. Imò fide carere certum est omnes eos, quos priuatæ gloriæ & auræ popularis studium exagitat: quo argumento aduersus Iudæorum scribas Christus etiam utitur. Iohan. 5. Interea admonet Barnabæ exemplum, in bene cōstitutis ecclesijs præcipuam de idoneis ministris curam esse debere, & hos undiquaq; conquirendos & adducendos esse. Docet idem Christus, quando orare iubet dominum messis, ut is operarios extrudat. Matth. 9. Hinc factum uidemus, ut & præstantissimi prophetarū, & illustrissimi reges tam diligentem scholarum rationem habuerint, cum uidelicet sine his nec ecclesias consistere, nec fidei saniorem doctrinam retineri posse uiderent. Quare nimis crassa illorum ingratitudo est, qui ministros, quos dominus benignè offert, non modò ceu inutiles contemnunt, uerumetiam tanquam nocentissimos homines cane & angue peius oderunt.

Adijcitur his ultimo loco, quòd toto anno unà cum Paulo Antiochiæ permāserit Barnabas: ideo nimirum quòd operam suam ecclesiæ utilem & necessariam esse uideret. Nec enim otiosos & inertes illic desedisse eos Lucas scribit: sed magnam hominum turbam ab illis in uera fide & Christi religione institutam fuisse tradit. Imitentur exemplum hoc ecclesiarum ministri, & dum alijs perseuerantiam suadent, ipsi in suo officio constantes perseuerent: nec inani pastorum titulo glorientur, sed quod ueros pastores decet, faciant: ne stulti illius pastoris æmuli & successores uideantur, qui apud Zachariam cap. 11. describitur.

III. Profectus pij studij & zeli. Multi addunt ur domino.

Restat sancti huius & ardentis studij profectus, quem insignem fuisse Lucas docet. Primò enim multam turbam domino additam fuisse, ait. Vnde constat non inutiles esse piorum ministrorum labores. Nam ut dei uerbum per se, fœcundi seminis instar, fructificandi uim habet: ita semper in aliquos incidit, qui ad illud excipiendum ritè dispositi, fructus dignos faciunt. Et licet alij uel saxea, uel spinosa, uel omnis generis illecebris patientia corda afferant: habet tamen ubiq; dominus suos, qui honestis cordibus exceptum semen retinent, donec multiplicem fructum proferat. Vide Luc. 8. Et propheta testatur non sine fructu aut irritum redire uerbum domini, sed pluuiæ instar esse, quæ

terram

terram irrigat & fœcundam reddit. Isa.55. Præterea ministrorum suorum studijs benedicit dominus, ne in cassum laborent. Debet hoc animos addere in ecclesia Christi laborantibus, ne se frustra laboraturos esse putent. Nam si uel paucula animas ab interitu liberauerint, inæstimabilem thesaurum se acquisiuisse putent, cum Christo, teste, ne unius quidem animæ salus tot ius mundi substantia redimi poßit. Matth.16. Interim obseruabis, domino turbam hanc additã fuisse. Non ergo sibijpsis, sed Christo discipulos collegerunt Paulus & Barnabas. Sciebant enim uno Christo doctore & magistro gloriandum esse. Matth.23. Et Christi præceptum nouerant, qui sibi discipulos adducere iusserat. Matth.28. Enormis ergo illorũ insolentia est, qui inter Christianos sectarum authores sunt, & hominum seruos faciunt eos, quos sanguinis sui precio redemptos Christus sibi uendicauit. Vide quæ aduersus hos Paulus disputet in priori ad Corinth. cap.1.3.7. &c.

Discipuli dicuntur Christiani.

Accedit aũt alius fructus, qui immortalem & æternam Antiochenæ urbi gloriam peperit. Quia enim illic prima ex gentibus ecclesia coaluit, factũ est, ut qui hucusq; discipuli dicti fuerunt, nunc primùm Christianorum nomine insigniantur. Et hoc illud nouum nomen esse uidetur, quod electis suis apud Isaiam deus olim pollicitus est. Isa.62. At quæ nam Antiochenis maior gloria contingere poterat? Conferantur cũ his superbæ & insolentis Romæ antistites, et uel inuiti cedere cogentur. Nec tamen unquam Antiochiæ insolentem illum titulũ concessum fuisse legimus, ut ecclesiarum omnium Caput diceretur. Sed omißis istis, potius nominis huius rationẽ expendamus, cum illud non sine numine nobis obtigerit. Illo aũt nos à dei filio denominari constat, qui iuxta ueteris Testamenti typũ, quo reges & sacerdotes ungebantur, κατ᾽ ἐξοχὴν Græcis Christus, Hebræis Meschias, nobis uero Vnctus dicitur: eò quòd illũ deus uniuersalem & æternum populi sui regẽ et sacerdotem constituerit, ut uidere est Psal.2. & 110. At quia idem suis se totum suaq; omnia communicat, illos etiam abs se Christianos dici uoluit: nec nudo & inani duntaxat nominis titulo nos dignatus est, sed ut apostolus ait, unxit nos, & fecit nos reges & sacerdotes deo patri suo. Apoc.1.cap. Multiplex ergo huius nominis usus est. Primò enim dignitatis, quam in Christo habemus, nos admonet, quam exẽplo carere fatebuntur, quicunq; rem penitius introspexerint. Neminem enim unquam regũ fuisse constat, qui sui regni subditos omnes reges facere potuerit, imò ne aulicos quidem aut qui illi à consilijs fuêre. At Christi Iesu ea potentia & uirtus est, ut æterno regiæ dignitatis honore omnes eos donet, qui illum regem suum agnoscunt. Deinde fidei confirmandæ et salutis certitudini hic titulus seruit. In Iesu Christo enim deo patri complacitum esse constat. Idem ergo nobis irasci nosq; auersari nõ potest, quos filij sui dilecti nomine insignire dignatus est. Hinc ergo consolationis argumẽta in aduersis omnibus, maximè autem in conscientiæ tentationibus petere licebit. Postremò officij nos titulus iste admonet: quod est, ut nos reges & sacerdotes à Christo factos esse meminerimus, & dignitatem nominis nostri fortiter tueamur. Regis proprium est liberum esse, nec ab alio regi. Maneamus ergo in libertate, in quam dei filius nos asseruit, nec peccati seruitute, qua nulla aut fœdior est aut miserior, nos posthac opprimi patiamur. Regis est uincere & debellare hostes. Debellemus ergo hostes salutis nostræ crudelißimos, satanam, mundum, carnemq; cum suis concupiscentijs. Regis est imperare & regere. Regamus itaq; nosipsos, & potenter imperemus omnibus ijs, quæ nos à salutis uia transuersos abripiunt. Ita sacerdotis quoq; officium meditemur, cuius est Docere, Orare, Consecrare uel Offerre. Quare nostri officij erit, docere nostros tum uerbo tum uitæ exemplo, quatenus illud nostræ uocationis ratio exigit. Nostrum erit, orare tum priuatim tum publicè, & non pro nostris tantum, uerumetiam aliorum neceßitatibus apud deum intercedere. Nostrarum quoq; partium erit, ut nos ipsos deo consecremus uiuentem hostiam, & immolemus quotidie iuuencos labiorum nostrorũ, id est, gratiarum actionem, qua nullum aliud est deo magis acceptum gratumq; sacrificium. Possent hæc latißimè per omnes uitæ partes diduci: sed rudibus occasionem meditandi præbuisse sufficiat. Hæc uerò quicunq; præstant, Christiani dici merentur. Et tales olim patriarchas fuisse constat, quos Psal.105. unctos suos, id est, Christianos deus uocauit. Tales primos illos huius nominis usurpatores Antiochiæ fuisse, credibile est. Quòd si qui nomine tanto gloriari uolent temerè, seipsos quidem fallent, deum uero fallere non poterunt. Meditemur itaq; hæc diligenter, ut nostræ cum dignitatis tum officij memores, tam augusto & præclaro nomini respondeamus, et hac uita exempti, in cœlis regnemus cum Iesu Christo: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Christiani nominis usus.

Vide Euseb. eccles. hist. lib.1. cap.4.

HO-

HOMILIA LXXXI.

Cæterum in illis diebus uenerunt ab Hierosolymis prophetæ Antiochiam. Surgens autem unus ex illis nomine Agabus, signficauit per spiritum, famem magnam futuram in toto terrarum orbe: quæ accidit sub Claudio Cæsare. Discipuli autem, prout cuique suppetebat facultas, decreuerunt singuli in ministerium mittere fratribus, qui in Iudæa habitabant. Quod & fecerunt, mittentes ad Seniores per manum Barnabæ & Sauli.

ET si dominus & saluator noster, Iesus Christus, ecclesiæ suæ nunquam non præsens adsit, eandem tamen, sicuti prædixit, uariè exerceri patitur, dum continuis quodammodo uicibus aduersa secundis succedunt. Cuius rei præcipua causa est, quòd partim quidem carnis nostræ ferociam coërcere, & securitatem nimiam excutere: partim uerò docere uult, se non minus in aduersis quàm secundis suos tueri & liberare posse. Vidimus horum memorabilia aliquot exempla hucusq;. Nam initiò quidem felici auspicio euangelij doctrina, Hierosolymis prædicata ingentem Christo discipulorum numerum attraxit: mox uerò persecutionis tempestas oborta enascentis ecclesiæ initia interturbat. Rursum tamen Saulo ad Christum conuerso, insperata pax ecclesijs redditur, & ad gentes usq; extensa Christi doctrina incredibiles fructus polliceri cœpit, postquam Antiochiæ, celeberrima totius Syriæ urbe, ecclesia ex gentibus collecta, & nobile illud Christianorũ nomen credentibus primùm impositum fuit. Sed ecce nouum & ingens malum incidit, fames nimirum, quæ ut totum terrarum orbem, ita fideles cumprimis, quorum facultates partim alendis ecclesiæ pauperibus exhausta, partim inter persecutionis furores direptæ erant, miserrimè uexauit. Est autem utilißima nobis horum consyderatio, qua fit, ut minus offendamur, si quando eadem rerum uicißitudo hodie quoq; nos exerceat. Et præ alijs præsens hic locus diligenter consyderari meretur propter multiplicem cum consolationem tum institutionem, quam hic nobis spiritus sanctus proponit. Nam & famem, qua ecclesia uexata est, commemorat, & dei paternam curam, qua ecclesiæ suæ prospexit, exponit: addens simul, quo consilio, imminente publica calamitate, fideles usi sint. Et de his quidem singulis ordine dicemus.

Primò autem de fame nobis dicendum est, cuius exteri quoq; scriptores, & inter hos Iosephus maximè ac Suetonius meminerunt. Hanc diuino iudicio immissam fuisse, nemo negabit, nisi qui deum orbis terrarum gubernatorem esse, negare uelit. Nam propheta teste, non est aliquod malum in ciuitate, cuius non author sit deus, Amos 3. cap. Et in lege inter pœnas, quibus deus sui uerbi contemptum uindicat, agrorum sterilitas, uictus inopia & fames, non postremo loco numerantur. Vide Leuit. 26. Deut. 28. Nec aliquid hominibus temere euenire putandum est, quando ad passerculos usq; & flores agri diuinæ prouidentiæ curam extendi constat. Matth. 6. et 10. Prodest autem iudiciorum dei causas, si quid tale accidit, scrutari, quæ non alibi melius, quàm in hominum moribus, deprehendi possunt. Et sanè huius famis causas quasi digito Lucas monstrare uidetur, quando illam sub Claudio Cæsare fuisse scribit. Nam principem orbis terrarum, penes quem illo tempore summa rerum potestas erat, nominare uoluit, ut ex eo de publico totius orbis statu deq; illius seculi moribus iudicare possemus: quando constat principum uitia primò quidem in proceres, inde uerò in ipsum uulgus corrupti exempli contagio deriuari. Atqui Claudium per omnia corruptißimum fuisse, ethnici scriptores tradiderunt. A pueritia siquidem cum uarijs & tenacibus morbis conflictatus est, adeò ut animo simul & corpore hebetato, ne progressa quidem ætate, ulli publico priuatoue muneri habilis existimaretur. Quare illum Antonia mater portentum hominis, nec absolutum à natura, sed tantum inchoatum, dictitabat: & si quem socordiæ argueret, stultiorem aiebat filio suo Claudio. Et soror Liuilla, cum audisset illum aliquando imperaturum, tam iniquam & indignam sortem Populi Rom. palàm et clarè detestata est. Naturæ enim corruptionem multis argumentis prodidit. Primus sanè militum fauorem pecunijs redemit, quo in Imperium subuectus est: quod ita gesit, ut maiorẽ multò uentris & eorum, quæ sub uentre sunt, quàm huius curam habuerit: utpote qui à conuiuio nunquam ferè nisi distentus & madens surgeret, & libidinis in fœminas esset insatiabilis. Nec uerisimile est,

I. Fames sub Claudio.

talem principem alijs, quàm sui similibus, proceribus & consiliarijs delectari potuisse. Quanta verò publicorum morum apud omnes ordines corruptio fuerit, ex illius seculi scriptoribus, & ex assiduis Iohannis & ipsius Christi apostolorumq́ eius de pœnitentia concionibus facilè conijci potest, quibus minimè opus erat, nisi omnia corruptissimà fuissent. Accessit tamen uitiorū colophon, diuini uerbi contemptus & odiū. Cum enim deus, misso in mundum filio suo, homines sibi reconciliare statuisset, ac salutiferum gratiæ uerbum passim uulgaretur, pleriq; illud non modò contemnere & odisse, uerum etiam crudeliter persequi ausi sunt: adeò ut nec in Iudæorum gente, quæ dei nomine præ cæteris gloriabatur, dei uerbum audiretur. Num ergo mirum uideri debet, quòd ebrio & corrupto mundo ubiq; cœlestis salutarem cibum fastidienti telluris fruges deus negauit, & insolenter contra Christum suum ferocientes fame cohercuit? Testantur certè historici, propter continuas siccitates tantam uictus & annonæ inopiam cum ubiq; terrarum tum Romæ inualuisse, ut Claudio Cæsari aliquando uitæ periculum subeundum fuerit, cum parum abesset, quin à populo inediæ impatientissimo, lapidaretur. Docent autem huius generis exempla, quæ nam publicorum malorum causa sit: publica nimirum flagitia, & uerbi diuini contemptus. Atqui hanc causam ipse deus tum in lege tum in prophetarum scriptis monstrat. Et arguuntur hoc loco, qui ex euangelij doctrina ista enasci clamant. Licet enim malis istiusmodi fideles quoq; implicentur, longè tamen alia illorum quàm mundi infelicis ratio est. Nam dei patris castigationem & disciplinam agnoscunt, fide & patientia res aduersas superant, & quia illis ad uitæ institutionem ac emendationem ritè utuntur, ferè fit ut clementi dei manu malis omnibus felicissimè liberentur. Fidelis enim est deus, nec suos ultra, quàm ferre possint, tentari patitur. 1. Cor. 10. Et sequentia docebunt, quàm fideliter ecclesiæ suæ illo seculo dominus consuluerit. Nec dissimile huic est, quod post sequentibus seculis contigisse legimus. Nam Eusebius tradit Maximino regnante & Christianos immaniter persequente, tātam annonæ inopiam diuinitus immissam fuisse, ut diuites quoq; & opulenti in plateis publicè morerentur, & canum præda palàm fierent, qui paulò ante Christianos feris obiecerant, ut illorum miserabili interitu crudeles oculos satiarent. Illis uerò misere pereuntibus, Christianis non modò ad uictum necessaria affuerunt, sed ijdem fame intermorituros pijs officijs subleuarunt. Erant hæc nobis hodie consyderanda, quando non unus Claudius regnat, sed passim ebrietas immanis dominatur, tamq́ abest, ut diuinis admonitionibus emendentur homines, ut potius corruptissimis uitæ moribus impium & immanem diuini uerbi contemptum odiumq́ implacabile coniungant. Et sanè non desunt hodie quoq; diuinorum iudiciorum exempla: nobis uerò aures simul & oculi desunt, quibus ea percipiamus, quæ communi saluti seruire poterant. Vide Isa. 5. Eccles. 10. Amos 6. Matth. 24. &c.

Lib. 9. eccles. hist. cap. 8.

II. Deus ecclesiæ suæ per prophetas consulit.

Sed uideamus, ut publica imminente calamitate, suæ ecclesiæ consuluerit dominus? Prophetas excitauit, & ex illorum numero aliquos ex Hierosolymorum urbe Antiochiam transmisit, ut recentem illic ex gentibus ecclesiam prophetiæ etiam dono illustraret. Inter hos Agabus quidam, spiritus suggestione excitatus, de uentura fame Christianos admonuit, authorq́ fuit, ut tam sibijpsis quàm alijs prospicerent. Quo loco obseruanda nobis uenit paterna dei bonitas, qui cum nostris peccatis prouocatus pœnas immittere statuit, de ijsdem tamen prius admonere consueuit, cum ut omnibus constet nihil in mundo temere fieri, tum ut admoniti conuertamur & saluemur. Quem morem à prima mundi origine tam constanter obseruauit, ut Amos propheta dicere ausit: Non facit deus quicquam, nisi reuelet arcanum suum seruis suis prophetis. Patet hoc in primæ ætatis hominibus, quibus Noah præconem iustitiæ dedit, & centum uiginti annorum tempus ad pœnitentiam concessit, priusquam illos diluuio immisso deleret. Sodomitis quoque Lotum submisit, cuius doctrina simul & uitæ exemplo ad uitæ emendationem reuocari poterant. Aegyptios per Iosephum de futura fame admonens, multorum saluti consuluit. Eosdem postea per Mosem non uerbis modò uerumetiam horrendis prodigijs excitauit, ut officium facerent. Quid uerò de Babylonica captiuitate dicere attinet, quam aliquot seculis priusquam illa eueniret, prophetas prædixisse constat? Et ultimum gentis Iudaicæ excidium non modò Christus prædixit, sed de eodem infinitis propemodum prodigijs Iudæos admonitos fuisse, Iosephus author est. Et si nullis unquam admonitionibus peccantes in uiam reuocaret, generales tamen prædictiones extant, innumeris diuinorum iudiciorum exemplis confirmatæ, quæ docere poterant, quid sperandum sit omnibus ijs, qui diuinas leges temere transgredi, & absq; pœnitentia

De bello Iud. lib. 7. cap. 12.

pænitentia corruptis moribus indulgere audent. Vide Leuit.26. Deut.28. Ierem.5.&c. Agnoscamus obsecro bonitatem hanc domini nostro seculo, ne dum fidas illius admonitiones spernimus, grauioribus pœnis coherceamur.

Priusquàm uerò hinc discedamus, illud quoq; obseruandum est, quòd Agabus per spiritum futuram famem significauisse dicitur. Exprimitur enim modus & ratio, qua illius seculi prophetæ in uaticinando usi sunt, ne quis illos uel ex astris præsagiuisse, aut alijs illicitis artibus deditos fuisse, putet. Spiritus sanctus enim illis prophetiæ author fuit, sicuti dominus olim per Ioelem promiserat. Et Paulus prophetiam inter spiritus sancti dona recenset. Minimè ergo Agabi exemplum nostri seculi impostoribus patrocinatur, qui contra diuinæ legis præscriptionem ad curiosas artes conuersi, in futuros annos de bellorum motibus, terræ prouentu, morbis item & alijs eius generis rebus uaticinari audent. Quorum audaciam cum impietate coniunctam, & diuinis legibus prohibitam esse, supra demonstrauimus. Vide Homil.4. Vide præterea Micheam nostrum Homil.20. Prophetiæ author spiritus sanctus.

Restat, ut quid Antiocheni Christiani, per prophetam admoniti, fecerint consyderemus. Vbi ante omnia illorum fides elucet, quæ omnium ab ipsis rectè factorum causa fuit. Nam illos prophetanti Agabo credidisse, ex actis facilè colligitur. Nec enim suspectum habere poterant, quem ea minitari audiebant, quæ communis omnium ordinum corruptio merebatur. Est hoc salutis initium, si dei uerbo credere animum inducant homines. Hoc Nineuitis olim denunciatum à deo excidium depulit. Rursum uerò plures alios sibijpsis extremi excidij authores fuisse constat, quòd diuini uerbi ueritatem suo malo potius experiri, quàm fide amplecti uoluerunt. Et Christus dominus hanc unam Hierosolymitani excidij causam fuisse docet, quòd uisitationis suæ diem agnoscere noluerint. Luc.19. Ita uerò tempus illud gratiæ uocat, quo Iudæos cœlestis pater, primò quidem per Iohannem Baptistam, mox uerò per filium suum & apostolos de uentura ira admonere, & ad uitæ morumq; emendationem exhortari dignatus fuerat. Quòd si hæc ad nostra secula transferre libeat, hanc præcipuam malorum causam fateri cogemur, quòd paucißimi sint, qui diuinis oraculis fidem habere, & imminentis pœnæ præsagia metuere soleant. III. Quid imminēte fame Antiocheni fecerint.

Porrò postquàm prophetanti Agabo crediderunt Antiocheni, egentium fratrum conditionem sibi ob oculos ponentes & qualis illa tempore famis futura sit diligenter expendentes, sese ad Christianæ pietatis siue charitatis officia præparauerunt. Quod illos præter filiorum huius seculi morem fecisse constat. Hi enim si quando annonæ caritatem oborituram uident, ad quæstuosas artes conuersi, fruges coaceruant, & intimis penetralibus recondunt, ut ex publica calamitate priuatum lucrum captare poßint. Imò horum artibus ferè fit, ut magis aggrauentur rerum omnium inopia qui auxilio indigebant, & diuturnior sit fames, illis subinde maioris lucri spem auidè obseruantibus. At longè alios uidemus Antiochiæ fideles, quos primos omnium sui nominis titulo Christus insigniri uoluit. His enim prima hæc cura animo sedet, ut egentium & fame laborantium fratrum inopiæ consulant. Et hic quidem Iudæorum fratrum maximam curam habendam esse intelligunt: partim quidem, quòd horum facultates direptas esse scirent (quemadmodum Paulus ad Hebræos capite decimo testatur) partim uerò, quòd hoc officium sese illis debere agnoscerent, à quibus salutarem euangelij doctrinam & Christi saluatoris cognitionem acceperant. Facilè enim animaduertebant cordati simul & pij uiri, non sine numine factum esse, ut ipsi quorum fortunæ adhuc integræ erant, de futura fame admonerentur: ita enim deum in publica inopia egentium fratrum nomine charitatis officium ab ipsis exigere putabant. Est autem hoc memorabile cumprimis Christianæ gratitudinis exemplum, quo docemur, quid doctoribus suis auditores debeant, quando Antiocheni se totius Iudaicæ gentis debitores esse agnoscunt, eò quòd ex Iudæis quibusdam ueritatem didicissent. Comunis enim sensus iudicio Paulinum illud æquißimum esse intelligunt, non magnum quiddam præstari, si qui spiritualia messuerunt, carnalia seminent. 1. Corinth. 9. At hodie ingratißimi sumus, dum ipsis quoq; doctoribus, nedum illorum gentilibus, uictum necessarium inuident, qui ingentes ex euangelij doctrina fructus perceperunt. Ita uerò testantur, se de euangelio non magnificè sentire, quando quæ euangelij ministris numerantur stipendia tanti faciunt. Antiocheni ad beneficentiam præparantur.

Cæterum rationem, quam hac in re Antiocheni obseruarunt, Lucas diligenter exponit. Primò, discipuli singuli (inquit) decreuerunt mittere in ministerium fratribus in Iudæa habitantibus. Cum Beneficentiæ Christianæ ratio.

uerò singulorum hoc decretum fuisse docet, uoluntarium hoc officium fuisse innuit, non coactum. Tales enim esse decet, qui deo beneficentiam suam probari uolunt. Nam hilarem datorem requirit dominus, ut Paulus monet. 2 Cor. 9. Plurimum uerò ad excitandum in nobis beneficentiæ studium facit, si ministerium & officium hoc esse cogitemus, quod diuino iure ditiores egenis debēt. Quæ causa est, quòd Paulus quoq, quoties hac de causa disserit, διακονίας uoce utitur, quæ ministerij & dispensationis officium significat. Quò referri debet illud Christi, qui monet, ut ex iniquo Mammona nobis amicos paremus, qui nos cum defecerimus, in æterna tabernacula recipiant. Luc. 16. Deinde tantum illos decreuisse mittere ait, prout unicuiq, facultas suppetebat. Eam enim beneficentiæ Christianæ moderationem ipse deus exhibuit, ut neminem plus quàm fortunæ ipsius ferre possunt, grauari uelit. Nota enim sunt illa Pauli: Si prius adsit animi promptitudo, ea accepta est iuxta illud quod possidet aliquis, non iuxta id quod non possidet. Non enim ut alijs relaxatio sit, uobis autem angustia: sed ut ex æquabilitate in præsenti tempore uestra copia illorū succurrat inopiæ, &c. 2. Cor. 12. Et uiduam à Christo laudatam fuisse legimus, quæ duo æra minuta in gazophylacium miserat, cum maiora donaria conferre nequiret. Mar. 12. Hic uerò uehementer grauatur illorum malignitas, adeoq, inexcusabilis redditur, qui beneficentiæ opera eo prætextu negligunt, quòd iniquum esse putent, ut suo labore et industria partas opes alijs erogent: cum nihil ab illis exigat deus, quam quod facultatum ipsorum ratio ferre potest. Postremò singulari industria cauent, ne qua fraus tam sanctum tamq, necessarium institutum interturbet & uitiet. Collectam enim pecuniam non quibuslibet temere, sed Paulo & Barnabæ deferendum cōmittunt, quorum fides iam multis argumētis abunde perspecta erat. Et sanè ut omnia illa omittamus, ex Pauli scriptis constat, quanta fide in hac re usus sit, & quàm anxiè commendatam sibi habuerit egentium Iudææ fratrum causam. Vide 1. Cor. 16. Et posterioris cap. 8. & 9. Item Rom. 15. Præterea ad Seniores mittūt, ut horum prudentia rite distribuatur. Habemus igitur hoc loco, quid Christianos in publicis necessitatibus facere deceat. At si hæc cum ijs, quæ hodie fiunt, conferantur, perexigua ueteris ecclesiæ uestigia inuenire licebit. Plures enim publicas ecclesiæ opes malignè auertunt, & turpiter dissipant: paucissimi uerò & rarissimi, adeoq, nulli sunt, qui ex suis bonis Christianæ beneficentiæ officia exerceant. Magnus porrò illorum numerus est, qui publica calamitate ad priuatum quæstum abutuntur. Et qui optimi habentur, non ante pauperū inopiæ succurrendum esse putant, quàm illos ad mendicitatē redactos, & ostiatim stipem petere uideant. Faxit deus Opti. Max. ut uera fide & charitate inflammati, ex operibus pro Christianis agnosci possimus in illo die, quo in gloria patris ad iudiciū ueniet dominus & saluator noster, Iesus Christus: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

CAPVT XII.

HOMILIA LXXXII.

EOdem autē tempore iniecit Herodes rex manus, ut affligeret quosdam ex ecclesia. Occidit autem Iacobum, fratrem Iohannis, gladio. Et uidens quòd hoc placeret Iudæis, perrexit comprehendere & Petrum. Erant autem dies azymorum. Quem cùm etiam cœpisset, posuit in carcerem, tradens quatuor quaternionibus custodiendū, uolens post pascha eum producere populo. Petrus itaque custodiebatur in carcere. Fiebat autem assidua precatio ab ecclesia ad deum pro ipso.



Escripsit antehac Diuus Lucas persecutiones, à sacerdotibus contra ecclesiam excitatas: quæ licet graues & horrendæ uideri potuerint, multò tamen grauior est, quæ hoc capite commemoratur. Author enim illius est Rex potentissimus, penes quem apud Iudæos summa erat rerum potestas. Et cùm hucusq, apostolorum ordo saluus & incolumis mansisset, nunc in illum quoq, tantum impio tyranno permittitur, ut non postremum inter apostolos indigna morte tollat. Est uerò totius historiæ finis, ut hinc ecclesiæ sortem agnoscamus, & Christi

admonitionum memores, ad similia preparemur. Cæterum cum in his magna semper eluceat carnis nostræ tarditas, diligentius paulò singulæ præsentis loci circumstantiæ nobis consideran=de erunt.

I. Tẽpore famis persecutio grassatur.

Et primò quidem cum præcedentis Cap. fine præsentem historiam Lucas connectens, à tempore narrationem orditur. Nam cum de fame ab Agabo prædicta disseruisset, eodem tempore persecutionem ab Herode contra ecclesiam institutam fuisse, scribit. Et si locum hunc cum fine Capitis conferas, hæc ultimo anno Herodis gesta esse patebit, cum paulò post Cæsareæ horribili dei iudicio extinctus extremum diem clauserit. At si temporum rationem ex historijs colligamus, ultimum Herodis huius annũ in quartum Claudij Imperatoris incidisse deprehendemus, quo famem inualuisse historici prodiderunt. Simul ergo concurrunt duo grauissima mala, fames nimirũ & persecutio, quæ singula ecclesiæ intolerabilia uideri poterant. Est autem nobis diligenter consideranda hæc ecclesiæ sors, quam tot malis tamq; grauibus deus exerceri patitur. Et qui paulò ante Antiochenorum aliorumq; quorundam animos excitarat, ut Iudæorum fratrum inopiæ sua liberalitate subueniret, nunc aduersus eosdem tanti regis furiosos conatus insurgere sinit. Atqui nouum non est, quod hic fit, & extant infinita huius generis exempla. De Abrahamo legimus, illum cum dei uocationem secutus, relicto patrio solo in terram Chanaan cõcessisset, inde per famem obortam eiectum, & in Aegyptum usq; compulsum fuisse. Gen. 12. Eiusdem filius Isaac, eandem sortem expertus, inter infestas Chananæorum gentes cum fame conflictatur. Gen. 26. Ita Iosephum, amissa libertate, carceres quoq; & uitæ periculum subijsse legimus. Gen. 37. & 39. Quid de Iacobo illius fratre dicam? qui continuis malis ita uexatus est, ut in extrema senectute, apud Pharaonem uitæ suæ dies plerosq; acerbos fuisse testetur. Gen. 47. Quòd si Israelis conditionem tum in Aegypto tum in deserto consyderes, perpetuos & suis quodammodo uicibus recurrentes malorum æstus uidebis. Et quod modò primitiua ecclesia experitur, idipsum sequentibus post seculis euenisse constat. Nec est quòd nobis meliora polliceamur hodie, quàm Christi oracula de nouissimi seculi malis extant, quibus ecclesiam fame, peste, bellis & persecutionibus exercendam esse admonemur. Matt. 24. Luc. 21. Quapropter nos ad patientiam præparari decet, ut cum ista incidunt, cogitemus iudicium incipere à domo dei, nosq; à domino iudicari, ne cum mundo pœnitere nescio condemnemur. 1. Pet. 4. 1. Cor. 11. Simul uerò illorum error arguitur, qui ex euẽtibus huius seculi de fide & religione iudicant: quasi uerò piorum ciuitas in terris sit, cum illam in cœlis nobis præparatam esse, passim scriptura testetur.

II. Herodes Agrippa persecutionis author.

Secundò persecutionis authorẽ nominat Lucas, & Herodem fuisse scribit. Cõstat autem uel ex hoc loco, Galilææ & Iudææ reges communi nomine Herodes appellari solitos fuisse, nimirum à Magno illo Herode, qui primus ex alienigenis in Iudæa regnum obtinuit. Hunc enim, de quo in præsenti Lucas agit, Agrippam fuisse certum est, Herodis Magni ex Aristobulo filio nepotem: cuius mortem Lucæ per omnia cõsentiens Iosephus lib. Antiq. 29. cap. 7. describit. Fuit hic potentissimus simul & callidissimus princeps. Nam à Caio Cæsare uinculis liberatus (in quæ à Tiberio propter nimiam Caij familiaritatem coniectus fuerat) et tetrarchiarum Philippi & Lysaniæ Rex declaratus, paulò post Herodem Antipam patruum & sororium suum regno Galilææ spoliauit, illo in exilium relegato à Caio, apud quem per literas ipsum accusauerat. Vbi autem Caio Cæsare defuncto, Claudius imperium arripuit, ab illo Iudææ simul & Samariæ prouincijs donatus est, sicq; uniuersum ferè aui sui, Herodis Magni, regnum Agrippa obtinuit. Præstat autem huius regis potentiam diligenter inspicere, ut maior eluceat Christi potentia, qui tantum hostem tam facilè obtriuit. Talem enim cum Christo filio suo & eius ecclesia deus committi uoluit, ut singulare exemplum ederet, uanam adeoq; nullam esse mundi huius potentiam, si Christo domino cõferatur. Nam Agrippa hic, qui intra breue temporis spacium felicissimo rerum suarum successu in summam regij fastigij potentiam ascenderat, qui Tiberij crudeles manus effugerat, qui Herodis Antypæ insidias mirificè eluserat, ut primùm Christo congredi audet, miserrimè occidit, ut in fine Cap. audiemus. Tale quid in Iuliano cernitur, qui cum felicissimus bellator fuisset, repentè imperium simul & uitam amittit, quando Christum oppugnare cœpit, quem per ludibrium solebat Galilæum dicere. Extant & nostro seculo huius generis exempla: in quorum consyderatione nos assiduos esse conuenit, ne hostiũ Christi potentia & uiribus offendamur. Fortior enim & maior est, qui à nobis stat,

& ferreum Christi sceptrum sentient quouis seculo, quicunq; salutari illius disciplina coherceri nolunt. Vide Psal. 2. &c.

III. Causæ persecutionis.

Tertiò institutæ persecutionis causas inuestigare decet, quarum altera subobscurius à Luca innuitur, altera uerò disertè exprimitur. Primò enim Herodē manus iniecisse siue admonisse dicit, ut affligeret quosdam de ecclesia. Et quia ecclesiæ mētio fit, quæ in causa fidei & religionis à reliquis Iudæis secessionem fecerat, illi tanquam schismatis authori, Agrippæ infensus fuisse uidetur. Nequunt enim uel minimam schismatis speciem inter suos ferre tyrāni, non quòd illis pax tantopere cordi sit, sed quòd suæ potentiæ metuūt, quam schismate & dissidijs, quàm maximè imminui intelligūt. Quæ causa est, quòd cum ab omni religione alienissimi sint, religionis tamen uniformem consensum in suis regnis esse uelint. Norunt etenim astutissimi homines, nihil ad disiungendos hominū animos religionis diuersitate uel dissimilitudine efficacius esse. Vtriusque rei exempla in scripturis extant. Ieroboam, ne cum Dauidis domo reconciliarentur decē tribus, in quas ipse regnū arripuerat, cultus nouos instituit. 1. Reg. 13. Et Antiochus, ut imperium suum stabiliret, eandem religionis formam in omnibus prouincijs suis obseruari uoluit. 1. Machab. 1. Interim non oscitanter consyderādum est, quòd soli ferè ueritatis cultores pro schismaticis habentur, cum non alij unitatis ueræ studio maiori teneantur, nec aliunde fœcundior sectarum soboles, quàm ex superstitione, enascatur. Apud Iudæos certè Pharisæorum, Sadducæorum, Essenorum & aliorum huius farinæ hominum sectæ habebantur. Nec tamen in aliquos horum manus Agrippa inijcit. Sola Christi ecclesia, tanquam schismatis mater, persecutionem sustinet. Simile quid nostro seculo factum uidimus. Quis enim innumeras & diuersissimas Monachorum sectas ignorat, quibus iam sæculis aliquot Christianus orbis scissus est? At quis unquam siue Pontificum siue imperatorum & regum eos schismaticos dixit, licet & tamen aliud profiterentur, & uestitu simul atq; ceremonijs à reliquis differrent? Imò tales Pontificum authoritate defensi, & in intima regum consilia admissi sunt. Vt primùm uerò orthodoxa fides, synceriori euāgelij doctrina illustrata, caput exeruit, mox horrenda hæreticorum, sectariorum, schismaticorum nomina passim audiri cœperunt. Quia enim sola Veritas satanæ regnum ualidissimè concutit, minimè is ferre potest, ut hanc amplectatur, qui in tenebris hucusq; agentes, illi se regendos præbuerunt. Interim illo instigante, pacem turbari clamitant, qui quiduis potius quàm Christianam pacem in suis regnis ferre possunt.

1. Schisma.

2. Studium placendi populo.

Alteram causam, quæ Herodem sua sponte furentem, magis instigauit, disertè exprimit Lucas, dicens: Videns quòd hoc placeret Iudæis, perrexit comprehendere & Petrum. Voluit ergo nouus Rex apud Iudæos, quos pro auito ingenio iugi impatientes esse, interea autem implacabili Christianæ religionis odio laborare nouerat, gratiam inire. Pulchre autem in hoc exemplo tyrannorum mores exprimuntur, quibus hoc proprium est, ut innocentium hominum sanguine suam tyrannidem stabiliant. Nec enim preciosus est in illorum oculis pauperum sanguis, quemadmodum de hoc rege propheta dixit. Psal. 72. Sed piorum capitibus ceu tesseris ludunt, si ex illorum morte aliquid emolumenti accessurum sperent. Ita olim Augustum Ciceronis capite Antonij fauorem demeruisse legimus. Et Pilatus, ut Herodi Antipæ gratificaretur, illi Christum transmisit, & eundem, cuius innocentiam multis argumentis deprehenderat, in Iudaici populi gratiam cruci adiudicauit: eo nimirum facto illorum animos sibi reconciliaturus, quos multis indignis modis offenderat. Nec desunt nostro seculo huius generis exempla. Agrippam enim imitantur, quicunque Christi doctrinam & discipulos ideò hostiliter persequuntur, ut Pontificum & episcoporum amicitia frui possint. Et quod olim L. Flaminium fecisse traditur, qui in gratiam mulierculæ adamatæ quendam securi percussit: id hodie inter principes nimis uulgare est, ut in Babyloniæ meretricis gratiam non secures modò & flammas, uerumetiam ipsum belli terrorem aduersus Christianæ doctrinæ professores circumferant. Hic uerò nos consoletur, quòd deum habemus nostræ causæ uindicem, qui ut Iudæorum gentem, implacabili odio Christi inflammatam, excidit: ita horrendis modis eorum iniustitiam ultus est, qui sanctorum suorum sanguinæ impiæ gentis fauorem redimere studuerunt. Experientur idem iudicium, quicunque etiam hodie Christum persequi audent, ut mundo infælici placeant. Commodior tamen de his dicendi locus in fine Capitis sese offeret, ubi horribilem Herodis exitum Lucas commemorat.

Quarto

Quartò, quid tantus Rex aduersus Christi ecclesiam tentarit, quidq́ effecerit, narratur. Et duo quidem commemorantur illius facinora, quibus sempiternam sibi conciliauit nominis infamiam. Primum est, quòd Iacobum, Iohannis apostoli & euangelistæ fratrem, gladio occidit. Fuit is non postremus in apostolorum ordine. Nam eundem hunc Christus dominus vnà cum Iohanne fratre & Petro sibi præ alijs familiarem fecit, quando resuscitatæ Iairi filiæ miraculo oculatum testem adhibuit, & suæ clarificationis spectatorem esse uoluit. Idem à Christo propter ardentem pietatis zelum & dicendi uehementiam tonitrui filius dictus est. Marc.3.cap. Permittit tamen deus arcano suo iudicio, ut primus ex apostolorum numero cadat, & tantus Christi cultor crudelißimo tyranno præda fiat. Quo exemplo euidenter demonstratur, crucem & infames uitæ exitus, nequaquam irati dei argumenta esse; quemadmodum impij dicere consueuerunt, quibus summa sapientia uidetur, de fide & religione ex euentibus iudicare. At si illos audire libeat, cum Abelo, primo dei cultore, prophetas simul & apostolos omnes, adeoq́ ipsum dei filium, Iesum Christum, damnabimus: cum omnes hos impiorum dolis circumuentos & occisos fuisse constet. Quin potius Christum audiamus dicentem: Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: quoniam illorum est regnum cælorum. Beati estis, cum probra iecerint in uos homines, & insectati fuerint, & dixerint omne malum uerbum aduersus uos, mentientes propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces uestra multa est in cælis. Sic enim persecuti fuerunt prophetas, qui fuerunt ante uos, &c. Matth.5.cap. Quæ causa est, quòd Paulus in afflictionibus nos gloriari docet. Rom.5.cap. Ita enim nos filio dei conformes fieri conuenit, ut postquam cum illo patimur, cum eodem glorificemur & regnemus. Rom.8. cap.& 2.Tim.2.cap.

IIII. Acta Herodis, persequentis ecclesiam. 1. Iacobus occiditur gladio.

Marc: 3 tonitruj filius dictus

Math: 5

Iago Johan: 16 [illegible] synagog

Alterum Herodis facinus est, quòd primum conatum Iudæis placuisse uidens, & proinde sibi pergendum esse existimans, Petrum quoq́ comprehendit. Nam quo terribiliorem sese præberet, non in uilem plebeculã, sed in ipsos antistites grassari uoluit. Nec per ipsum stetit, quo minus Petrũ quoque confestim ad supplicium raperet: sed quia dies azymorum agebantur, festi religione prohibitus est, ne huius prophanatione Iudæorum animos, quos sibi deuincire studebat, abs se alienaret. Ita uerò egregiè hypocritam quoq́ agit crudelißimus nebulo, & religionis studium simulat, qui omnem dei sensum iam pridem animo eiecerat, ut in illius exitu patebit. Interim hoc diuinæ prouidentiæ opus est, quòd fucata illius sanctimonia deus ad apostoli sui liberationem utitur. Ita enim tyrannorum conatus ijs ipsis medijs eludere & frustrare nouit, quibus illi sese res suas maxime confecturos sperant. Obserua autem, quanta diligentia in obseruando Petro tyrannus utatur. Quatuor enim quaternionibus militum custodiendum committit, catenis uinciri & ad eius latus duos ex militibus excubare iubet, ut postea in liberationis historia uidebimus. At quot obsecro fures, latrones, sicarios, periuros, blasphemos & facinorosos interea per totum Herodis regnum impunè grassatos fuisse putas, dum innocens Christi apostolus instar latronis nocentißimi asseruatur? Atqui hoc illud est, quod Christus etiam ad se capiendum emißis exprobat, Luc.22.cap. dicens: Quasi ad latronem existis cum gladijs & fustibus, &c. Simul uerò & hoc obseruabis, quòd tempore festi in uinculis agit tantus apostolus, & in singulas horas atrocem mortis sententiam expectat, dum alij lætos dies ducunt. Huius itaq́ exemplum imitati patienter feramus, si quando dies festi nobis uel propter morbos, uel carceres, uel alia eius generis aduersa in mœrorem conuertantur. Nec enim festum agunt, qui uel diuinis ceremonijs uel solennib. epulis intersunt, sed qui Christi spiritu confortati, in illo gaudent, etiamsi undiq́ urgentibus malis premantur.

2. Petrus capitur.

Cæterum postremò, quid ecclesia interea egerit, indicatur. Illa uerò nec turpi ocio, nec uoluptatibus interea indulsit, sed suam esse intelligens Petri causam, pro illo indesinenter preces fundit ad dominum. Est hoc gratitudinis simul & fidei argumentum. Nam agnoscunt quid Petro debeant, à quo hucusque ueram salutis uiam edocti fuerant. Et sperant dei ope periclitantem liberari posse. Docet locus hic, quid fratribus pro fidei & Christi causa periclitantibus Christiani debeant. Omne nimirum officij genus pro ratione uocationis suæ, in quam diuinitus constituti sunt. Et si qui omnem hos iuuandi facultatem sibi ereptam esse uident, saltem precibus communem causam adiuuent. Monet hoc tũ Christi gloria, cui promouendæ omnes studere debẽt, tum charitatis lex et Christianæ communionis ratio, quæ iubet, ut nobis cõmunes esse ducamus tribulationes, quæ fratribus accidunt.

V. Ecclesiæ studiũ in persecutione.

Et huc quidem illud apostoli pertinet: Memores estote uinctorum, tanquam unà cum illis uincti: eorum item qui affliguntur, uelut ipsi quoq; uersantes in corpore. Heb.13. Item: Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus, eodem animo alij in alios affecti. Rom.21. At si hæc cum nostri seculi moribus conferas, facilè patebit quàm frigidi simus in re maximè necessaria. Gemunt passim non in uinculis modò & carceribus uerumetiam inter carnificum manus & in medijs flāmis pij Iesu Christi martyres. Quotus uerò quisq; est, qui illorum cruciatibus tāgatur? Imò dum integræ urbes & gentes pro fide & Christo ad sanguinem usq; decertant, pleriq; interea uoluptatibus dediti, fratrum naufragia quasi per lusum ex portu spectant. Vt interim de illis dicere omittam, qui pfafforum hanc causam esse clamant, & proinde bene actum esse arbitrantur, si quando illi pro pietatis studio indignam mercedem referant. Testantur isti homines, se in Christi corpore non esse, cum nulla tangatur cum Christi membris sympathia. Vide 1. Corinth 12. Interim docet hic locus, quibus armis maximè pugnet ecclesia. Precibus nimirum, quibus ipsum deum uinci quodammodo & expugnari uolit. Has igitur indesinenter ad deum fundit, & in illis præsens subsidium aduersus tyrannorum minas, & laqueos, enses & omnis generis tormenta inuenit. Sed de his sequenti Sermone agetur, ubi piorum precibus militum excubias deuictas & carceris fores reseratas fuisse, patebit. Sufficiat nunc ecclesiæ sortem agnouisse, quæ assiduis persecutionibus exercetur. Ad hanc ergo præparemur, ut in patientia nostra possideamus animas nostras, per Iesum Christum: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA LXXXIII.

Cùm autem eum producturus esset Herodes, nocte illa dormiebat Petrus inter duos milites, uinctus duabus catenis, & custodes ante ostium seruabant carcerem. Et ecce Angelus domini astitit, & lumen refulsit in habitaculo. Percusso autem latere Petri, excitauit eum, dicens: Surge ocyus. Et exciderunt catenæ de manibus eius. Dixitq; illi Angelus: Præcingere, & subliga soleas tuas. Fecit autē sic. Et dicit illi: Circumda tibi uestimentum tuum, & sequere me. Et egressus sequebatur eum, & nesciebat uerum esse quod fiebat per Angelum, sed putabat se uisionem uidere. Cum autem pertransissent primam custodiam & secūdam, uenerunt ad portam ferream, quæ ducit in urbem, quæ sponte aperta est illis. Et egressi processert uicum unum, & mox discedit Angelus ab eo. Et Petrus ad semetipsum reuersus, dixit: Nunc uerè scio, quod dominus Angelum suum misit, & eripuit me ex manu Herodis, & omni expectatione populi Iudæorum.

DIuus Lucas in præsentis historiæ descriptione tria cumprimis memorabilia comprehēdit. Primò communem ecclesiæ Christi sortem, ceu in speculo contemplandam proponit, quam deus uarijs malis & tribulationibus exerceri patitur. Deinde quod nam singulorum Christianorum officium sit docet, si quando persecutionum tempestas oboriatur: nimirum ut Christianæ communionis memores, suam hic causam agi credant, & sub cruce periclitantes fratres, si non alio officio iuuare possunt, saltem assiduis precibus deo cōmendent. Hoc enim ecclesiam, cum Petrus ab Herode in uincula coniectus esset, sedulò fecisse, scribit. Tertio diuinæ bonitatis exemplum proponit, quo docemur, deum tunc suorum quàm maximè curam gerere, quando omni tum humano tum diuino auxilio destitui uidentur. Atqui hoc loco piarum precum effectus cernitur, quem illius seculi fideles diuinis promissionibus per omnia conformem experti sunt. Miraculosè enim liberatur sanctus Christi apostolus, & ecclesiæ precibus uniuersa Herodis potentia simul & prudentia cedit: quando nec militum excubiæ, nec ferrea catenarum uincula, nec obseratæ fores, nec portæ ferreæ claustra eum retinere possunt, quem deus suorum precibus donauerat. Præstat autem diligentius paulò hunc locum excutere, cū Lucas quoq; in singulis circumstantijs describēdis tanto studio usus sit, ut ne minutissima quidē prætermittat, eò quòd singula hæc nostræ institutioni simul et cōsolationi plurimū seruire possunt.

A tempore

A tempore autem narrationem orditur, non tam communi historicorum more, quàm quòd hoc ad diuini beneficij illustrationem multum momenti affert. Nam ea ipsa nocte Petrum liberatum esse scribit, postquam ipsum capitis supplicio mulctare Herodes decreuerat. Vnde constat diebus aliquot liberationem hanc suspensam fuisse, quibus interea Petrus quidem carceris molestias pertulit, ecclesia uerò in precum ardore perseuerauit, & Christi odio inflammati Iudæi indignam tanti uiri necem, ceu biantes corui, expectarunt. Sed in ipso temporis momento, cum breue tantummodo noctis spacium illorum expectationem remorari uideretur, egregiè illos delusit dominus, suumq́; seruum iam imminenti gladio eripuit. Quo exemplo admonemur, differri quidem interdum opem à domino, non tamen ideo hunc nostri memoriam & curam deponere: sed hoc potius agere, ut & nos interea pro dignitate exerceat atq; exploret, & illustrius reddat liberationis beneficium, quando præter omnem spem, quæ in humanis superesse poterat, illud contingere uidemus. Hac ipsa ratione factum est, quòd Israelem olim tunc demum in libertatem asseruit, quando infantes quoq; exponere, & quoad humana, de libertate recuperanda in uniuersum desperare coacti sunt. Et eosdem imminentibus demum Aegyptijs & iam iam cum ipsis congressuris, per apertum maris rubri alueum traduxit. Quò & Ezechias referri debet, qui diuina ope tum demum subleuatus est, cum Sanherib iam iam urbem capturus esse uideretur. Isa. 37. Omnium uerò horum usus est, ut dei opem patienter expectare discamus, nec illi rerum agendarum tempus aut modum præscribamus. Licet enim Christus interdum in puppi nauis suæ dormire uideatur, opportuno tamen tempore afflictis rebus opem ferre, & tempestates omnes sopire consueuit. Vide Mar. 4. I. Tempus liberationis Petri.

Subijcitur his ipsius Petri descriptio, ut quomodo is tam præsenti periculo affectus fuerit, uideamus. Et sanè, si quæ uulgò fiunt, consyderes, metu tantumnon exanimatus esse debuit, cum & propter recentem Iacobi mortem, & propter exquisitam custodiam nulla melioris spei occasio offerretur. Quid ergo aliud quàm eiularet & sortem suam defleret? At longè alius nobis gloriosus hic miles Christi describitur. Illum enim duabus catenis uinctum inter duos milites dormiuisse, Lucas scribit. Id uerò non socordiæ aut ignauiæ, sed ueræ fidei & inuictæ spei argumentum fuisse, ex eo colligitur, quòd supra apostolos, cum uirgis cæsi essent, lætos et gratulantes sibijpsis exiuisse audiuimus, quod digni habiti fuissent, qui pro Christi nomine aliquid paterentur. Conferamus autem hoc loco inter sese Herodem & Petrum, & facilè patebit, quantum sit inter impios & pios dei cultores discriminis. Herodem enim per omnia anxium & solicitum fuisse, ut institutam aduersus Christum persecutionem feliciter finiret, inde patet, quòd Petrum, cui ad nocendum nec uoluntas nec uires aderant, instar immanissimæ belluæ catenis uinciri, & militibus ad ipsius latus & ante carceris ostiũ excubãtibus custodiri, ferreis deniq; portis concludi curauit. Quos ergo & quantos animi tuta quæq; timentis æstus illum sustinuisse putas, qui in uno Petro asseruando tã est solicitus? At quantò meliori conditione Petrus fruitur, qui insomnes noctes tyranno agente, securus dormit? Porrò quod in hoc exemplo proponitur, ad omnes horum similes transferri debet. Ea siquidem impiorum omnium conditio est, ut sibijpsis laborum & curarum authores sint, dum suis consilijs & uiribus res omnes confici oportere credunt. Et quia illis cum Christo negotium est, cuius inuictas uires tum in externis rebus experiuntur, tum in conscientijs suis, uel inuiti, sentiunt, nunquam non concursant & consultãt, ut illius iugum excutere, & frænum confringere possint. Vide horum imaginem à Dauide Psal. 2. depictam. Sed & dominus ideo impijs nullam pacem esse, & illorum animos Euripi instar æstuare dicit. Isa. 48. & 57. Pij uerò, quia causæ bonitate freti, in dei prouidentiam recumbunt, à qua sese & res suas omnes pendere sciunt, facilè curas & metum omnem animis expuunt, & ea pace fruuntur, quam Paulus omnem intellectum superare, ait. Phil. 4. Nam quò propius illos mala urgent, eò præsentiorem sentiunt spiritus sancti illuminationem, quem suis Christus consolatorem pollicitus est. Iohan. 14. Hæc itaq; frequenter nobis meditanda sunt, ut spiritus consolatione confirmati, quæuis pericula pro Christi nomine subire, & fortiter uincere possimus. II. Vt Petrus in carcere affectus fuerit.

Sed modum liberationis uideamus, quæ potissima huius loci pars est, quapropter Lucas etiam in illius descriptione admirabili diligentia utitur, dum singula, quæ in hunc inciderunt, commemorat. Et primò quidem, deum Angeli ministerio usum fuisse, disertè docet, ut hic quoq; impletum fuisse constet, quod scriptura pollicetur, quando Angelos ad electorum seruitia diuinitus destinatos & pa- III. Modus liberationis. 1. Angeli ministerium.

ratos esse tradit. Sed quæ ad huius loci explicationem pertinent, ex ijs, quæ in similem historiam Sermone XXXIIII. dicta sunt, petantur. Illud unum adiecisse sufficiat, maximam suæ dignitatis rationem hominibus habendam esse, ut angelorum præsentiæ memores, morum innocentiæ & puritati studeant, ne sua culpa tam sancto præsidio sese spolient. Quò Paulum quoq; respexisse uidemus, quando mulieres monet, ut si nō alia ratione ad uerecundiā & habitus honestatem excitari queant, saltem Angelos uereantur, qui sanctorum cœtibus intersunt. 1. Cor. 11.

2. Lux refulget

Deinde lux quædam in carcere, tetro alioqui & obscuro, refulsisse dicitur. Cuius usus mihi uidetur fuisse, ut partim quidem hunc Angelum lucis esse constaret, partim uerò Petrus uideret quæ sibi agenda erant. Et frequens in scripturis est, quòd cœlesti fulgore splendentes, Angeli boni apparuerunt, quemadmodum ex resurrectionis & ascensionis dominicæ historia colligere datur. Admonet autem locus hic, Christū in medijs tenebris suos illuminare & efficaci consolatione subleuare posse, sic ut læta & iucunda reddat, quæ nobis plena terroris uidentur. Ipse enim lux mundi est, quam qui sequitur, tenebris inuolui non potest. Iohan. 8. & 12.

3. Excitatur ab angelo.

Tertiò Angelus Petrum dormientem, percusso illius latere, excitat & festinanter surgere iubet, cum is de liberatione ne cogitaret quidem. Est hoc luculentum diuinæ bonitatis argumentū, quæ nunquam non pro nobis uigilat, ne maligno hosti præda fiamus. Et quod hic Petro accidit, quotidie singuli experimur, sed ea est nostra cæcitas, ut præsentem dei bonitatē non agnoscamus. Cōstat enim satanam indesinenter nostræ saluti insidias struere, & instar rugientis Leonis obambulare, & quærere quem deuoret. Quî ergo fit, quòd non in somnis nos perdat, quādo nec precibus illum arcere, nec quicquam pro salute nostra uel cogitare possumus? Num hic ulla ratio aßignari poterit, quàm quòd sub dei protectione & in abdyto altißimi (ut propheta ait) tuti degimus? Psal. 91. Vnde simul discitur, quanta diligentia nos ipsos quouis tempore dei custodiæ & protectioni commendare debeamus. Simul uerò aduersus mortis terrores hæc nos consolari possunt. Quū enim in somno (quæ mortis imago est) nos deo curæ esse constet: minimè putabimus, nos per mortem ab illius prouidentia excludi. Cuius rei exemplum in Lazaro Christus proponit, quem & mortuum & in sepulchro iacentem, amicum suum dicere dignatur. Iohan. 11. Quæ causa est, quòd sancti iam animas acturi, perinde ac si ad somnum sese componere uelint, deo patri sese commendare consueuerunt.

4. Facile superantur quæ liberationi uidentur obstare.

Quartò, ad Angeli uocē illico catenæ Petri manibus excidunt, & absq; omni difficultate fiunt quæcunq; ad liberationem restabant. Milites enim (siue illi diuina uirtute sopiti, siue fulgore angelico exanimes facti fuerint, ut in resurrectione domini accidisse legimus) nec uestientem sese Petrum, nec exeuntem remorantur: & nemine probibente primam & secundam custodiam angelo duce à nemine interpellatus apostolus transit. Adhæc ferrea porta, quæ sola quosuis aditu & exitu arcere poterat, sua sponte aperitur. Nec ante Petrum Angelus deserit, quàm illum extra omne periculum in tuto collocauit. Voluit autem succeßiuè illum educi deus, ut illustrius esset tanti miraculi beneficium: alioqui eum nouo miraculo repentè in ipsas Mariæ ædes transferre poterat. Hic uerò inuicta dei potentia nobis consyderanda uenit, quamq; illi facile sit suos in libertatem asserere, cui absq; negocio cedunt, quæ insuperabilia uidentur. Nec enim in solius Petri liberatione, sed sæpius hoc accidisse constat, ut rerum natura diuinæ uoluntati cesserit, ut electis dei salutis uia pateret. Huc enim maris rubri transitus, & aperti Iordanis miraculum referri debent. Ita ignem præter naturam suam Danielis socijs, imò eorūdem uestibus & capillis pepercisse legimus. Danielis tertio. Et leones ingenitam rabiem deponere potius quàm dei cultorem aduersus dei uoluntatem lædere maluerunt. Danielis sexto. Quod non semel in martyribus contigisse ecclesiastica historia docet. Huc pertinet quòd Ierichuntidis muri ad tubarum clangorem corruunt, quòd Assyriæ copiæ una nocte trucidantur, & infinita alia, quæ tam sacras quàm prophanas historias legenti paßim occurrunt. His ergo fidem nostram aduersus tyrānorum minas cōfirmemus. Certo enim certius est, deum si uelit ex quouis periculo suos liberare posse. Quòd si id aliquando facere detrectat, ideo fit, quòd aliud nostræ salutis rationem postulare nouit. Interim fidelis est, nec tentari sinit ultra quàm ferre possumus. 1. Cor. 10.

IIII. Quid Petrus fecerit, &c.

Postremò quid Petrus inter omnia hæc fecerit, narrat euangelista. Et primò quidem illum nesciuisse dicit, quòd hæc uerè agerentur. Visionem enim esse putabat, qualis supra in Cornelij causa

ipsi

ipsi oblata fuerat. Estq; hoc humanæ infirmitatis exemplum, qua impediti, manifesta quoq; dei opera interdum non agnoscimus, max. si cœlesti aliqua maiestate uelentur. Sic cum Christum in monte clarificatum unà cum Mose & Helia uideret Petrus, inepta quadam uerba effundit, ignarus quid diceret. Luc. 9. Periculosius tamen hallucinantur, qui aperta dei iudicia, quibus ad pœnitentiam illos inuitat, non obseruant: quod hodie nimis uulgare est. Interim non paruam laudem meretur Petri obedientia, qui licet ignarus adhuc rerum, monenti angelo obtemperat: suo exemplo docens, ut nos ad fidei obedientiam assuefaciamus, de quo iam sæpe dictum est. Deinde ubi ad seipsum reuersus, se liberatum uidet, deum tanti beneficij authorem magnificè prædicat. Nunc (inquit) uerè scio, quòd dominus angelum suum misit, & eripuit me ex manu Herodis, &c. Quo exemplo docemur, cuiusuis liberationis gloriam uni & soli deo debere acceptam ferri. Licet enim is uel angelis uel hominibus ministris utatur, illi tamen solida laus transcribi debet, qui solis creaturis suis pro sua uoluntate uti solet. Docet hoc ipse, per prophetam dicens: Premente aduersitate, inuoca me: & liberabo te, & glorificabis me. Psal. 50. Quò etiam illud Dauidis pertinet: In libertatem uindicati à domino, dicant quod ipse eos uindicauerit à manu hostili. Psal. 107. Verè ergò Petrus unum & solum deum uindicem suum agnoscit: quod etiam Paulus facit, quando deo uindice se ex ore leonis ereptũ esse fatetur. 2. Tim. 4. Quare intolerabilis illorum error est, qui uel carceribus, uel morbis, uel alijs periculis liberati, Diuis gloriam liberationis transcribunt. Quantò magis autem humani generis redemptio ex infernali tyrannide ad unum deũ authorem referri debebit? Agnoscamus igitur hæc ô fratres, & gratis animis deum patrem prædicemus, qui eripuit nos è potestate tenebrarum, & in sui regni consortium transtulit, per filium suum Iesum Christum: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA LXXXIIII.

Et re perpensa Petrus uenit ad domum Mariæ, matris Iohannis, qui cognominabatur Marcus: ubi erant multi congregati & orabant. Cum autem pulsasset Petrus ad ostium atrij, prodijt puella ad subauscultandum, nomine Rhode. Et cum agnouisset uocem Petri, præ gaudio non aperuit atrium, sed introcurrẽs nunciauit, Petrum stare ante atrium. At illi dixerunt ei: Insanis. Sed illa affirmabat, sic rem habere. Illi autem dicebant: Angelus eius est. Petrus autem perseuerabat pulsando. Vt uerò aperuerunt, uiderunt eum, & obstupuerunt. Cum autem innuisset eis mota manu, ut tacerent, narrauit illis, quomodo ipsum dominus eduxisset è carcere. Dixit autem: Nunciate Iacobo & fratribus hæc. Et egressus abijt in alium locum. Porro ubi dies uenit, turbatio fuit non parua inter milites, quò nam deuenisset Petrus. Herodes autem, cum requisiuisset eum, nec inuenisset, examinatis custodibus, iussit eos duci. Et discedens à Iudæa Cæsaream, illic commoratus est.

QVemadmodũ Diuus Lucas ex spiritus sancti suggestione grauißimam ecclesiæ Christi persecutionem hoc capite describit, cuius exemplo docemur, quæ nam ecclesiæ conditio sit in terris: ita uicißim memorabile diuinæ bonitatis & prouidentiæ exemplum proponit, quæ fideles in periculis tuetur & olim promissam opem fidelißimè præstat. Nam ut nuper uidimus, tũc maximè Petro apostolo præsens affuit dominus, quando tam diuino quàm humano auxilio destitutus esse uidebatur. Nec modò propensæ uoluntatis aliquod specimen edidit, sed inuicta sua potentia ad ipsum liberandum usus est. Angelo enim misso ferrea catenarum uincula dissoluit, portas mirabiliter patefacit, militum excubias eludit, & Petrum, in quem iam lata erat mortis sententia, extra omne periculum eductum, in tuto collocat. Quamuis uerò non omnes simili miraculo liberentur, quotquot Christi nomine uincula & carceres perferunt, extant tamen generales promißiones, sub dei prouidentia tutos degere, quotquot illius seruitio sese addixerunt. Nam oculos domini super iustos intentos esse, & eiusdem aures illorum precibus patere, Dauid affirmat. Psal. 34. Et dei filius, capillos

quoq; nostros numeratos esse, testatur. Matth. 10. Sed omissis istis, de quibus iam antea dictum est, præsentem locũ inspiciamus, quo docetur, quid Petrus iam uinculis & carcere liberatus, egerit: quæ ecclesiæ interea temporis studia fuerint, & ut hoc dei iudicio Herodes tyrannus affectus sit.

I. Petrus ecclesiæ denuo coniungi studet.

Petrus, postquam angelo digresso se liberatum sensit, consilio apud se inito, & singulis, quæ ipsi in mentem incidere poterant, diligenter expensis, domum Mariæ petit, quam non procul abfuisse uerisimile est, & ubi fideles aliquot pro more congregatos esse credebat. Dicitur autem Maria hæc mater Iohannis Marci fuisse, qui à nonnullis tam ueterum quàm recentiorum, Marcus euangelista putatur. Quod ut non per omnia certum est, ita Mariam hanc, raræ fidei & pietatis matronam fuisse, uel hoc uno argumento patet, quòd tam immaniter contra Christi discipulos furente Agrippa, domum tamen suam iisdem instar communis templi patere uoluit, ubi collecti in dei uerbo & precibus exercerentur: quod sine manifesto periculo fieri nõ poterat. Et uoluit infirmioris sexus exemplo docere dominus, quàm intrepidè inter præsentia pericula causam suam tueri & asserere, Christianos deceat. Cæterum, ubi eò peruenit Petrus, non ut antè apud ferream portam, miraculose patefiunt fores, eò quòd nouo miraculo iam non opus erat: sed pulsando aliquem ad aperiendum euocare incipit. Est autem nobis obseruandum Petri exemplum, qui ubi mortis periculum euasit, cum omnia ecclesiæ Christi denuò coniungi cupit, in cuius uiscera tamen tyrannum adhuc sæuire nouerat. Docemur enim, quanta nobis ecclesiasticæ unitatis siue communionis cura esse debeat, & quòd spiritus Christi fideles non dissipet, sed tam internè quàm externè coniungat. Nec facilè coniunctionem hanc negligere possunt, qui ut in uno Christo salutem omnem contineri sciunt: ita hanc à Christo capite in eos duntaxat deriuari intelligunt, qui corporis Christi, id est, ecclesiæ membra fuerint. Absurdus ergo & perniciosus illorum error est, qui imminentibus persecutionum procellis ecclesias deserunt, uel ubi semel periclitati sunt, quasi officio suo per omnia defuncti, illis amplius coniungi nolunt, ne noua pericula subeant. Ita enim à Christo sese alienant, pro cuius nomine primos assultus sustinuerunt, & dum corpora periculis eripiũt, animabus certam perditionem & interitum accersunt.

II. Ecclesiæ primitiuæ exercitia.

Porrò quales in domo Mariæ Petrus Christianos inuenerit, uideamus. Lucas certè rem maximam paucis uerbis comprehendens, multos illic collectos fuisse, & orauisse scribit. Nec tamen putandum est, omnes totius urbis fideles in unam domum conuenisse: sed alibi quoq; similes conuentus fuisse credibile est: & nocturnos quidem, quòd illis tutum non esset interdiu conuenire. Atqui hinc originem duxisse uidentur nocturni illi Christianorum cœtus & antelucani, quorum mentio ab externis quoq; scriptoribus facta est: non quòd tempori religionem & precum efficaciam alligarent, sed quòd inter persecutiones & hostiles insidias aliter conuenire uix possent. Damnantur hodie à multis eiusmodi cœtus, qui illis in uniuersum putant abstinendum esse, ne uel seditionis uel impurioris licentiæ suspicionem de se pii præbeant. Sed cur non egregii illi censores ad primitiuæ ecclesiæ exemplum respiciunt, & sub cruce constitutis fratribus idem permittunt quod olim factitatum est, quando causæ sunt eædem? Interim non negamus multa & diligenti cautione hic opus esse. Nam ut ea res olim impiis Christiani nominis osoribus occasionem præbuit Christianam religionem atrocibus calumniis insectandi: ita sequentibus seculis superstitionis causa fuit, dum inepti quidam matutinas suas & antelucanos cantus hinc stabiliri posse putauerunt. Interim docet locus hic, quæ & qualia esse debeant Christianorum exercitia, tum quouis alio tempore, tum maxime si quando persecutiones aut aliæ publicæ calamitates incidant. Et hic quidem diligens sacrorum cœtuum ratio habenda est. Nam ut suos unum esse cupit Christus, ita unitatis & cõmunionis studium illos publicè testari conuenit. Quæ causa est, quòd in ueteri Testamento de festis tam diligenter Moses disserit, in quibus omnibus ferè primus locus conuocationi sanctæ tribuitur. Vide Leuit. 23. Et Iohel propheta Assyriaci belli tempore populum officii admonens, nõ semel illos cœtum sacrum indicere iubet. Nec temere factum est, quòd Paulus ad Corinthios scribens, per capita aliquot de sacrorum cœtuũ ratione rectè instituenda disserit. Nouerat enim hos peculiari promissione à Christo exornatos esse, qui se medium illis interesse testatur, qui in suo nomine congregati sunt. Matth. 18. Minimè tamen probabuntur cœtus hominum, quantumuis frequentes, nisi ea fiant in illis, quæ deus fieri præcepit. Vult is uerbum suum publicè doceri. Ad illud ergo audiendum nos conuenire decet. Idem à nobis orari uult. In cœtibus ergo nos preces coniungere conuenit, ut quasi manu facta (Tertulliani uerbis utor) deum orantes ambiamus.

mus. Hæc etenim uis illi grata est, sicuti uiduæ exemplo Christus docuit, Luc. 18. Vtrunq; ab his obseruatum esse, satis constat. Licet enim solarum precum Lucas hoc loco mentionem faciat, quia tamen hæ per dei uerbum diriguntur, & ex illius promissionibus uim concipiunt, illos in huius studio segues fuisse, minimè cogitandum est. Tales quoq; post apostolorum tempora Christianorum cœtus fuisse, uetustissimi scriptores abundè testantur. Quòd si uerò hæc cum nostri seculi moribus conferas, facilè patebit, quantum à ueteris ecclesiæ integritate degenerauerimus. Hæc enim nocturno tempore, cum undiq; pericula circumstarent, conuenire uoluit: nos uerò ne interdiu quidem, cum id tutò facere possemus, conuenimus. Et si qui fortè templa adeunt, eorum mores imitantur, quorum improbitatem & uanitatem Ezechiel cap. 33. accusat. Rursum, si qui noctu conueniunt, hi uel poculis certare, uel alea infami ludere, uel lascivius per uicos discursibus indulgere consueuerunt. Vt interim de illis nihil dicamus, qui si quando persecutiones insurgant, ad execrationes & conuitia conuersi, in insontes uerbi ministros debacchantur, quasi non communis totius ecclesiæ, sed illorum duntaxat causa agatur. Atqui hinc fieri consueuit, quòd nostri seculi calamitates tam pertinaces sentimus. Cur enim percutere desineret deus illos, qui ne inter uerbera quidem manum illius agnoscunt, nec ad deum paternè ipsos castigantem conuertuntur? Vide Isa. 9. Amos 4. cap. Vide Tertull. apologet. cap. 39.

Pergens uerò in cœpta narratione Lucas, ut fideles isti inopino & insperato Petri aduentu affecti fuerint, narrat. Et initio quidem ad pulsum ostij nonnihil turbatos fuisse patet, quòd Rhode ancillula non ad aperiendum procurrit, sed ut tacite auscultando obseruaret, quis nam ad ostium astaret. Quia enim Herodis iram aduersus ecclesiam tanta uehementia exarsisse uidebant, nihil tam tutum erat, quod non illis suspectum esse posset. At Rhode Petrum adesse ex uoce agnoscens, gaudio immodico perfusa & tam lætæ rei nuntia fieri gestiens, prius id intus renuntiat, quàm ostium pulsanti aperiat. Illi uerò, qui tale quid uix cogitare, nedum sperare, ausi fuerant, primò illam insanire dicunt: mox, ubi constantius hoc affirmantem audiunt, non Petrum, sed Petri angelum ad ianuam comparuisse, eiusq; uocem imitatum fuisse suspicantur. Ita uerò insignes Christi cultores, quos omni uirtutum genere exornatos fuisse, dubium non est, affectibus diuersis exagitatos, & inter spem, metum, gaudium ac omnis generis suspiciones, suspensos fuisse uides. Procul ergo ualeat Stoicorum dementia, qui dum affectuum motus à uiro bono & perfecto alienos esse debere docent, ex hominibus fungos & truncos fingere conantur. Atqui Christum Iesum eiusmodi infirmitates sustinuisse, & multifariàm instar ueri hominis tentatum fuisse Paulus fatetur, ut nobis condolere posset. Heb. 2. Sunt tamen hic duo nobis diligentius excutienda, priusquam ulterius progrediamur. Primum consolationi seruit, quo docemur, piorum uota adeò non irrita esse apud dominum, ut is illa plerunq; sua benignitate superet, dum plura largitur, quàm illi petere ausint. Licet enim isti pro Petro assiduè orauerint, illius tamen liberationem illos sperare non potuisse, ex hoc loco patet. Nouerant quidem nihil apud deum impossibile esse. Sed non uidebant, cur Petrum saluum uellet dominus, qui Iacobum indigna morte cadere permiserat. Hoc igitur illos precibus suis petijsse puto, ut in ueritatis confessione per dei gratiam confirmaretur, & pro Christo fortiter mortis terrores uinceret. Atqui præter omnem spem Petrum diuina ope restitutum sibi uident, quod infallibile erat diuinæ bonitatis argumentum, quo edocebantur, nolle ecclesiam suam tyrannis dilaniandam permittere dominum, cum illius ministros tam fideliter asserat. Extant infinita eius generis exempla, quæ scripturas, imò quasuis historias legenti passim occurrunt. Et si in nostris rebus paulò attentius obseruemus dei iudicia, frequenter nobis ipsis idem accidere experiemur. Discamus ergo constanter in domino sperare, & illius prouidentiæ nos nostrasq; res committamus. Alterum hic obseruandum uenit, quòd angelum Petri apparuisse putant. Agnouerunt enim sanctissimi homines, quæ de angelorum præsidio in scripturis dicuntur: nec quisquam putare debet, ipsos aliquid à religione alienum superstitiosius imaginatos fuisse. Extant enim scripturæ miracula, quibus docetur, angelos hominum ministros & tutores diuinitus constitutos esse: ut Psal. 34. & 91. Nec exempla desunt, quibus illos non semel uisibili forma apparuisse constat. Non ineptè ergo nec impiè in tam insperato Petri aduentu, in eiusmodi uerba eruperunt. Interim non ignoramus, hinc apud superstitiosos homines uulgarem errorem de binis angelis unicuiuis homini destinatis, obortum esse: quem meritò reijcimus, cum de angelorum numero nihil certi scriptura tradat, modò unus, modò duo aut tres, imò turmæ angelorum in unius ho

III. Vt Petri aduentu fideles affecti fuerint.

Piorum preces nō sunt irritæ.

Angelorum apparitiones.

minis defensione comparuerint, quemadmodum de Iacobo & Helisæo legimus. Gene. 28. & 32. item 2. Reg. 6. Multò minus illos audimus, qui defunctorum spiritus oberrare & apparere dicunt. Illud enim Christi doctrinæ & fidei ueritati repugnat, qua docemur, piorum animas ex morte in uitã transire, impiorum uerò ad inferos deferri, nec aliquem illis inde ad superos regressum patere. Vide de hac re Christum disserentem. Iohan. 5. & Luc. 16. Sufficiat ergo nobis, angelos dei ministros esse, quibus ille pro suo arbitrio ad electorum suorum salutem uti consueuit: & hominis dignitatem inde agnoscamus, quæ non uulgare ad pietatem incitamentum nobis esse debet.

Petrus dei beneficium prædicari uult.

Porrò ut ad Petrum reuertamur, tempus admonet. Is fratribus partim in gaudium effusis, partim attonitis adhuc manu silentium indicit, & rem omnem, ut gesta erat, ordine recenset, unũ deum tanti beneficij authorem prædicans. Simul uerò, ut hæc reliquis fratribus, & imprimis Iacobo Alphæi filio (quem Hierosolymorum episcopum ueteres fuisse scribunt) renuntient, præcipit. Cuius præcepti duplex ratio fuisse uidetur. Nam & dei gloriam grato officio latius propagare uoluit, & fratres quos sua causa anxios esse nouerat, solicita cura liberatos cupit. Suo igitur exẽplo nos quoq; officij Petrus admonet, ne collata in nos dei beneficia uel ingratis uel inuidis animis celemus. Pius enim & eximius eius prædicationis usus est, dum alij quoq; per nos excitati, in deo sperare & illum uindicem & assertorem suum in periculis inuocare discunt. Meminit huius rei Dauid, Philistæorum manibus ereptus, initio Psal. 34. &c.

Petrus fuga sibi consulit.

Deinde in aliũ locũ secessisse Petrus scribitur. Facile enim uidebat, se absq; fructu in Herodis regno uersaturum. Et præsens miraculosæ liberationis beneficiũ abunde illũ docere poterat, nolle deũ, ut sub Herodis manu mortem subiret, sed apostolatus munere alibi quoq; fungeretur. Vtitur itaq; Christi consilio, dicentis: Si uos persequantur in una ciuitate, fugite in aliã. Matth. 10. Habes ergo quod illis respõdeas, qui uerbi ministros temere in luporũ manus deferri uellẽt, & eos demũ uerè apostolicos esse clamant, qui absq; ulla profectus spe, nõ seipsos modò, uerumetiã doctrinã suam et Christi ueritatem impiorũ iudicijs permittunt. At facilè patet, quid istos moueat. Euãgelij enim ministros ad unũ omnes sublatos uellent, ut Antichristiana superstitio reduci posset. Quare contra illos, iuxta Christi præceptũ serpẽtina prudẽtia uti conuenit, ne nostra temeritate Christi causæ incõmodemus.

IIII. Vt Herodes miraculo dei affectus fuerit.

Restat ultima huius loci pars, qua docetur, ut dei opere & miraculo Herodes affectus fuerit. Et primò quidem, ubi Petrum carceres & uincula euasisse, compertum fuit, non leuis turba & animorum consternatio inter milites oborta est. Quia enim Herodis ferox ingenium perspectum habebant, nihil ab illo boni sperare poterant. Nec illos fefellit opinio. Herodes enim Petrum ad supplicium poscens, ubi de illius liberatione resciuit, furenti similis, custodes per tormẽta examinari iubet, ut quamuis illos extra culpam esse audiat, tamen uel ad carceres, uel (quod uerisimilius est) ad mortem abduci præcipit. Estq; hoc memorabile cumprimis exemplum, quo docemur, impios dei iudicijs non emendari, sed deteriores fieri. Quia enim illi aduersus deum pugnare audent, iusto dei iudicio excæcantur & indurantur, ut nec in aperta luce uidere, nec potenti dei manui cedere possint. Nec est quòd meliora de nostri seculi tyrannis speremus, qui semel susceptum cum deo bellum tam pertinaci ueritatis odio hucusq; gesserunt. Simul uerò diuinæ prouidentiæ exemplum elucet, qua Herodis astutia eluditur, dum ab illis ipsis dei opus prædicari audit, quorum opera aduersus deum uti consueuerat. Nec dissimile huic est, quòd milites à sacerdotibus Christi sepulchro adhibiti, primi illius resurrectionem in urbe diuulgant. Matth. 28. Admonet præterea infelix horum militum casus, quid expectent, qui tyrannis aduersus ueritatem inseruiunt. Incidunt ferè in foueam, quam pijs parauerunt. Psalm. 7. Et illos sibi hostes sentiunt, quorum gratiam in pios grassando demereri uoluerunt. Quò fit, ut licet iniuriam illis faciant homines, iusto tamen dei iudicio puniantur, qui hominibus potius quàm deo placere studuerunt. Meminerint huius, qui in hominum gratiam aliquid contra Christi fideles uel ipsi faciunt, uel alios facere permittunt. Christi uox est: Nolite tangere unctos meos. Psal. 105. Et qui uos tangit, tangit pupillam oculi mei. Zach. 2. Denunciant hæc præsentem interitum ecclesiæ suæ persecutoribus. Horum ergo commercijs & consilijs abstineant, quicunq; uera fidei cultores haberi uolunt, ne cum ijsdem pereant. Interim Christi regis & saluatoris nostri potentiam agnoscamus, qui hostium conatus tanta felicitate eludit, suosq; tam fortiter asserit. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA LXXXV.

Porrò Herodes infensus erat Tyrijs & Sidonijs. At illi unanimiter uenerunt ad eum, & persuaso Blasto, qui præerat cubiculo Regis, petebant pacem: eò quòd aleretur regio ipsorum à ditione regia. Statuto autem die, Herodes indutus ueste regia, consedit pro tribunali, & concionabatur ad eos. Populus autem acclamabat: Vox dei, & nõ hominis. Confestim autem percussit eum Angelus domini, eò quòd non dedisset gloriam deo, & erosus à uermibus, expirauit. Cæterum sermo dei crescebat & multiplicabatur. Barnabas autem & Paulus Hierosolyma reuersi sunt Antiochiam, impleto ministerio, assumpto etiam Iohanne, qui cognominabatur Marcus.

ETsi deus ecclesiam suam assiduis persecutionibus probari & exerceri patiatur, idem tamen omnibus ijs graues & horrendas pœnas constituit, qui hanc persequi & oppugnare audent. Nam apud Zachariam lapidi oneris siue exercitij confertur, in quo pleriq; quidem uirium suarum periculum facere soleant, nemo tamen illud impunè facturus sit. Et huius quidem rei memorabile exemplum in Herode Agrippa proponitur. Qui ut in initio huius capitis dictum est, aduersus ecclesiam Christi persecutionem grauem instituit, tum quòd suæ ditionis homines diuersis religionibus noluit scindi, tum quòd Iudæis placere studuit. Et initiò quidem haud infeliciter hic conatus illi succedere uidetur. Nam duos primarios apostolici ordinis uiros aggressus, Iacobum quidem occidit, Petrum uerò comprehensum catenis ferreis constringit & militibus sedecim custodiendum tradit. Quo tempore omnium mentes uehementer consternatas fuisse, assiduæ illorum preces testantur. Sed in puncto temporis, cùm iam deplorata uiderentur omnia, Christus sese ecclesiæ suæ uindicem esse declarat. Et primò quidem Petrum miraculosè liberat. Deinde in milites transfert pœnam, quæ Petro parata fuerat. Ne quis uerò Herodem perpetuo felici rerum successu usurum putaret, hunc quoque grauis & horrenda dei uindicta assequitur: quam in præsenti loco diligentissimè Lucas describit.

Orditur autem à nouæ historiæ commemoratione, quæ Herodis ingenium euidentius adhuc arguit, ut inde tam grauis supplicij causas melius cognoscamus. Summa omnium est, quòd hostili in Tyrios & Sidonios animo fuerit, quos cum publica necessitate, fame nimirum, circumuentos suppliciter pacem petere coegisset, insolentior factus, dei uindictam accelerarit. Et quamuis inimicitiarũ causas non exponat Lucas, non tamen difficile est uidere, quales fuerint. Constat enim rarò Monarchis cum liberis ciuitatibus conuenire, eò quòd hæ ipsorum libidini & ambitioni aduersentur, & suo exemplo regum subditos ad libertatis studium extimulent. Præterea uerisimile est, Tyrios & Sidonios Agrippæ fastum iniquius tulisse, utpote noui hominis, qui uixdum carcere ereptus à Caligula & Claudio in tantam potentiam euectus fuerat. Et animos illis addere poterant immodicæ opes & longè lateq; patens maris dominium, quod iam seculis aliquot mercibus suis totum ferè obtinebant. Inde enim ipsos quoq; insolentiores factos fuisse, ex prophetarum scriptis patet. Vide Isa. 23. Ezech. 26. 27. & 28. Et dissimulauit fortasse astutus tyrannus latens animo suo odium, donec annonæ caritas oborta, illi aliquid aduersum ipsos moliendi occasionem præbuit. Rursum ipsi quoque, cùm suas vrbes non aliunde quàm ex Herodis uicina ditione, ali posse, & proinde illius amicitiam sibi necessariam esse uiderent, supplices illi fiunt, & ut pacem impetrent, Blastum qui regi à cubiculo erat, in suas partes pertrahunt, quod absq; ingentibus donis & largitionibus fieri non potuit. In his uerò tyrannorum mores tanquam in speculo nobis cõtemplandos spiritus sanctus proponit. Vt enim Herodes hìc amplissimis sui regni finibus non contentus, finitimos quoq; suo imperio subiectos cupit: ita nisi dei timore insatiabilis carnis cupiditas in regum animis coherceatur, nullum tam longè lateq; patens regnum est, quod ipsorum spiritus capere & ambitionem explere possit. Nam ut auari pecuniarum aceruos congerunt & domus domibus agrosq; agris insatiabili studio coniungunt: ita tyranni regna regnis coniungere, & indesinenti desiderio imperium suum in finitimos extendere satagunt, minimè interim in hoc intenti, ut ijs prudenter & rectè præsint, quos ipsis gubernandos deus

Herodes finitimis infensus est.

Mores tyrannorum.

concredidit. Atqui hæc assiduorum bellorum causa est, quibus infelices subditi miserè exhauriuntur, & ab illis sese perdi sentiunt, qui in ipsis pastorum & parentum loco esse debebant. Rursum, cùm Reges inexplebili ambitione turgidi omnibus imperare uelint, ipsi ferè à uilissimis mancipijs regantur, qui adulatorijs artibus in illorum animos sese insinuare, & mox illorum stoliditate & ignauia ad suum quæstum abuti nouerunt. Ex quo hominum genere Blastus hic fuisse uidetur, à quo totius regni administrationem dependisse, uel unus hic locus facilè indicat. Ita apud quosdam Imperatores primum locum liberti habuisse leguntur: ut interim de illis non dicatur, qui histrionibus, moriônibus, scortis, cynædis sese regendos præbuerũt. Hinc fieri consueuit, ut perditissimis hominibus supplices fieri cogantur, quibus cum principibus res est: nisi enim illos sibi propitios habuerint, nunquam ipsis ad regum aures aditus patebit. At quia illi pecunijs inhiant, quibus affectatæ dignitatis locum tueantur, ferè fit, ut in principum aulis uenalia sint omnia, & iuxta poetæ dictum, ibi fas, ubi maxima merces. Dicuntur hæc in eum finem, ut & principes intelligant, à quibus uitijs sibi cauere debeant, & simul omnes homines dei bonitatem agnoscant, qui reges populo suo tam diligenter dissuasit, ut in primo libro Samuelis cap. 8. legitur. Et quibus diuinitus datum est, ut libertate fruantur, tantum bonum tueri, & illo dignè uti discant, ne illo amisso & impotentissimorum hominum libidini subiecti, amissam libertatem anxijs suspirijs & gemitibus frustra requirant.

Impiorum successus ruinæ præludium.

Præterea obseruandum hic uenit, quòd tam felici successu Herodes fruitur, postquàm ecclesiam dei persecutus, innoxio sanctorum sanguine sese polluit. Atqui dignus erat, quem uel fulmen cœlitus delapsum perderet, uel regno amisso inglorius & infamis oberraret. Sed ecce opulentissimæ urbes sponte ad illius pedes deuolutæ: ab illo pacis conditiones accipiunt. Hoc illud est, quod infirmos in fide offendit, quòd nimirum impios lætis rerum successibus uti, & malorum quibus reliqui mortales premuntur (ut propheta ait) immunes esse uident. Psal. 73. Et Ieremias ideò exclamat: Quî fit ut uia impiorum prosperetur, & feliciter agant omnes, qui impudentissimè præuaricantur? Ierem. 12. Adhæc impij inde occasione arrepta, uniuersum religionis ueræ studium inutile & superuacaneum esse colligunt, ut uidere est, Malach. cap. 2. & 3. Cæterum hîc nos meminisse oportet, impios tunc quoq; diuina prouidentiæ nutu gubernari, quando illis contra dei oracula res succedere uidentur. Iusto autem iudicio dei fit, ut fortuna ebrij altius euehantur, ut postea grauiori casu ruant. Quò Solomon respiciens, superbiam siue exaltationem ruinæ præludium esse dixit. Prouerb. 16. Et Dauid impiorum gloriam & felicitatem momentaneam esse docens, ait: Vidi impium uiolentum & sese diffundentem instar lauri frondosæ. Et transiuit, & ecce non erat: quæsiui eum, & non est inuentus. Psalm. 37. Stultum ergo est, impiorum successibus offendi, cùm illi ipsi potissima sint causa interitus illorum, eò quòd illis insolenter aduersus deum abutantur: quemadmodum ex præsentis negotij euentu colligere licet, quem Lucas modò commemorat.

Herodes diuinos honores affectat.

Herodes enim, ubi omnia pro uoto sibi succedere uidet, fortunæ fauore ebrius, diuinos quoq; honores affectare cœpit: quod euidentius patebit, si quæ Iosephus Antiquit. libro 19. cap. 7. scribit, cum Luca conferas. Ludos enim ab illo in Cæsaris honorem institutos fuisse tradit, & quodam die indutum ueste regia, quæ argẽto intertexta erat, consedisse, vt publicè coram populo uerba faceret. Cùm uerò ad solis Orientis radios uestis fulgore suo faciem quoq; regis illustrasset, inde aulici adulatores ipsum diuinis laudibus celebrandi occasionem arripuerunt, quorum exemplum populus quoq; imitari cœpit. Primò itaq; acclamant: Vox dei, & non hominis. Mox uerò ad preces conuersi, aiunt: Propitius nobis esto, quia licet hactenus te uelut hominem timuerimus, attamen nunc superioris naturæ te esse cõspicimus, &c. Videntur autem hæc ideò potissimùm institutæ narrationi interseri, ut populi totius uanitatem uideamus, qua corruptus, à tyranno fœdissimo diuexari meruit. Cur enim meliorem principem illis daret deus, qui impurum & scelestum hominem diuinis laudibus uehere non erubescebant? Atqui eadem uanitas hodie passim dominatur, quando crudelissimos tyrannos qui se totos uentri & inguini manciparunt, nimium ambitiosis titulis, imò diuinis, tantum non obrui cernimus: nec iam sufficit illos beneficos dixisse aut uictores, nisi Inuictissimi dicantur, & diuina illa Gratiæ & Maiestatis nomina ad fastidium usq; inculcentur, quæ soli deo conuenire ex scripturis constat. Et quia hæc primi quidem faciunt aulici, illos uerò non modò ignobile uulgus, uerum etiam seruilia doctorum ingenia imitantur, digni sumus, qui aperta principum tyrannide & manifestis

nifestis eorundem flagitijs magno nostro malo mendacij arguamur. Meminerint simul horum ambitiosissimi homines, qui seruilium hominum stoliditate in hunc finem abutuntur, ut ementitis & nanis titulis magni fiant. Ita enim sese cùm Herodis huius, tum Caligulæ & Domitiani aliorumque eius generis hominum socios esse declarant, & proinde cum illis dei uindictam incurrent, quam Herodes atrocissimam expertus est.

Nam confestim percussit eum Angelus domini, quem illi uisibili specie apparuisse, ex Iosepho Eusebius tradit. Ex qua plaga repentinis alui doloribus excruciari cœpit, qui quantumuis ambitioso pectori aliquam ueritatis confessionem extorserunt. Ad suos enim conuersus, dixit: En ego uester deus nunc uitam cum morte commutare cogor. Et qui à uobis immortalis dictus sum, nunc ad mortem abducor. Lucas uerò morbi genus exprimens, à uermibus erosum expirauisse, dicit. Videtur ergo phthiriasi perijsse, enascentibus ex carne sua uermiculis, qui uiuentem graui simul & fœdo dolore depasti, tandem mori coegerunt. Porro tanti mali hanc unam causam Lucas assignat, quòd deo non dederit gloriam. Primò enim regni decus non à deo, sed à Cæsare sibi obtigisse credit, quem propterea ludis in ipsius honorem editis ueneratur. Deinde uerum dei cultum crudeliter persequi & extinguere conatus est. Postremò blasphemis adulatorum vocibus gauisus est, quas illum abominari & detestari oportebat. Discant igitur hoc exemplo, quid expectent à deo, qui simili impietate aduersus ipsum efferuntur. Imprimis uerò obseruare conuenit, quàm potenter superbiam deus ulciscatur, quando non graues modò, uerumetiam ignominiosas pœnas superbis infligit, ut illorum insolentes spiritus magis coherceat. Ita Pharaonem non in acie fortiter occumbere, sed aquis maris rubri, ignobili utique mortis genere, submergi uoluit. Ita Sanherib in templo dei sui à proprijs filijs misere occidit. Et eodem, qui hîc describitur, morbo antea quidem Antiochus, Herodes Magnus, Sylla, & tandem Maximianus persecutor fœdè consumpti sunt. Verissimè ergo Petrus dixit, deum superbis resistere. 1. Pet. 5. Discant hinc omnis ordinis homines intra suæ uocationis fines sese continere, & si quid in sese eximij uident, illud omne diuinæ bonitatis donum esse intelligant. Ita fiet, ut sub potenti dei manu humiliati, donis suis rectè utantur. Adhæc docet locus hic, quantum mali adulatores principibus parere soleant. Natura enim philauti sumus, & placent nobis nostra omnia. Quòd si ergo adulatores accedant, prorsus excæcati, manifesta uitia non uidemus, & simul ueritatis atque admonitionum impatientes reddimur. Quæ causa est, quòd amplissima regna adulatorum linguis euersa esse, historiæ tradant. Et sanè felicissimus fuisset Herodes, si apostolos potius uitia sua uerbo dei corrigentes, quàm adulatorũ voces audiuisset, quæ nefario & superbo dei contemptu inflatum horrendo interitu mulctauerunt.

Herodis interitus.

Porro post descriptum tyranni exitum ad institutam ecclesiæ & propagati euangelij historiam Lucas reuertitur, ut ostendat huic per Herodem nihil detractum fuisse. Nam sermo dei (inquit) crescebat & multiplicabatur, indies nimirum ad plures diffusus. Id uerò in sequentibus copiose exponet, ad quæ transitum sibi facit, Pauli & Barnabæ reditum ex Hierosolymis perstringens. Illuc enim missos fuisse, ut fame laborantibus in Iudæa fratribus subsidium pecuniarum ab ecclesijs hinc inde collectum, afferrent, circa finem Cap. 11. audiuimus. Quo officio fideliter defuncti, Antiochiam redeunt, vnde paulò post digressi unà cum Marco, quem secum adduxêre, euangelium longè lateque diuulgarunt. Est uerò consolationis plenum, quòd ecclesiam omnibus tyrannis & hostibus suis superstitem esse cernimus. Generatur enim & conseruatur dei uerbo, quod in æternum manet. 1. Pet. 1. Docent hoc omnium gentium & temporum historiæ. Miserè enim & turpiter perierunt Pharao, Chananæi, Sanherib, Babylonij, Antiochus, Herodes tres, Nero, Domitianus, Traianus, Antoninus, Seuerus, Maximini, Decius, Valerianus, Aurelianus, Diocletianus, Maximiani duo, Licinius, Maxentius, Iulianus, & quotquot unquam post hosce omnes Christi ecclesiam oppugnare ausi sunt. Floret autem illa & uiuit, uiuetque perpetuò sub fideli & inuicto uindice & assertore suo Iesu Christo: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Regni Christi propagatio.

CAPVT XIII.

HOMILIA LXXXVI.

ERant autem quidam in ecclesia, quæ Antiochiæ erat, prophetæ & doctores, Barnabas & Simon, qui uocabatur Niger, & Lucius Cyrenæus, & Manaen, qui cum Herode tetrarcha enutritus fuerat, & Saulus. Cùm autem illi ministrarent domino & ieiunarent, dixit Spiritus sanctus: Segregate mihi Barnabam & Saulum in opus, ad quod uocaui eos. Tunc postquàm ieiunassent & precati essent, imposuissentq; illis manus, dimiserunt eos. Illi itaque emissi à spiritu sancto, descenderunt Seleuciam, & inde nauigauerunt in Cyprum. Et cùm essent Salamine, annuntiauerunt Sermonem dei in synagogis Iudæorum. Habebant autem & Iohannem ministrum.

DEscribit duobus iam sequentibus Capitibus Diuus Lucas, ut euangelij doctrina, Paulo & Barnaba ministris, pleno cursu gentibus promiscuè prædicari cœperit. Quia enim (ut sæpe iam dictum est) soli Iudæi hucusq; populi dei & ecclesiæ titulũ sibi uendicauerãt, ad hos quoq; solos redemptionis per Christũ partæ beneficiũ pertinere uidebatur, & quæ de Cornelio Centurione & Antiochenis dicta fuerunt, priuilegio quodam euenisse uideri poterant. Ne quis ergo scrupulus restaret, salutis doctrina modò ad diuersas gentes promiscuè transfertur, & implentur palàm, quæ de gentiũ uocatione olim à prophetis prædicta sunt. Cæterum, ne quis Paulũ & Barnabã aliquid in hac causa priuato cõsilio et temere fecisse putaret, ab illorũ uocatione et missione historiam hanc Lucas orditur: cuius hic præcipuus scopus est, regnum dei & uniuersum salutis negotium, non humano cõsilio, sed diuino iussu & decreto ad gentes esse translatũ, & has nõ minus quàm eos qui ex Iudæis crediderunt, ad ecclesiæ dei communionem pertinere. Et quidem diligenti demonstratione in hac causa opus fuisse, ex ea concertatione patebit, quã infra Cap. XV. describit. Imò et Pauli epistolis uidere est, gentium salutem ab Iudæis subinde oppugnatã & in dubium uocatã fuisse: & idem non aliam ob causam Iudæos sibi tam infensos habuit, quàm quòd incircumcisas gentes ipsis in Christo æquaret, quod illi sine notoria iniuria & prophano cõtemptu tum Mosaicæ legis, tum Iudaici populi, fieri nõ posse arbitrabantur. Quæ etiã causa fuit, quòd in asserẽda uocatione sua tam seriò ubique uersatur, qui alioqui nominis sui contemptum facilè ferre poterat, nisi simul & dei gloriam & gentium salutem periclitari uidisset. SED *ut ad præsentis loci tractationem accedamus, primò quidem Antiochenam ecclesiam describit Lucas, è qua Paulus & Barnabas emissi, euangelium gentibus prædicarunt. Deinde illorum uocationem & missionem unà cum illius circumstantijs explicat. Postremò ut ijdem commisso sibi munere fungi cœperint, docet.*

Antiochenæ ecclesiæ cõmendatio.

Antiochenæ ecclesiæ descriptionem non absq; causa præmittit. Ex ea enim colligi potest, nihil temere ab illis potuisse institui, qui tam præsenti spiritu dei utebantur. Nec etiam accusari possunt Paulus & Barnabas, quasi ecclesiam hanc suo ministerio destituerint, cùm illi etiam ipsis digressis optimè prospectum fuerit. Fuerunt enim in ea quidam prophetæ & doctores.

Prophetæ.

Prophetæ autem dicuntur, tum qui ex spiritus suggestione futura prædicunt, qualem supra Agabum fuisse, uidimus: tum quibus scripturas propheticas dextrè interpretari, datum est: quo sensu prophetiæ uocabulum Paulus in priori ad Corinth. cap. 14. usurpat. Vterq; uerò sensus præsenti loco non malè conuenit. Nam uaticinandi donum in ecclesia primitiua multis annis durauisse, ex historijs certum est: et dici non potest, scripturarum interpretatione ecclesiam tam celebrem caruisse.

Doctores.

Doctores autem dicuntur, qui ecclesiam publicè instituunt, & scripturas sacras omnium institutioni rite accommodant, quos hodie uel pastores uel uerbi ministros dicimus. Antiochiæ ergo non ecclesia modò fuit, quales uulgò esse consueuerunt, uerumetiam schola, è qua eruditi ministri ad alias urbes emittebantur. Et docet locus hic, præcipuum ecclesiæ decus & ornamentum esse, adeoq; omnem incolumitatem in hoc consistere, ut idoneis ministris & doctoribus instructa sit. Horum enim ministerio per uerbum dei ecclesias generari simul & ædificari, deniq; & conseruari, Paulus disertè monet. Nam quomodo credent (inquit)

tis, de quo non audierunt? Quomodo autem audient absq; prædicante? Rom.10. Item: Per euangelium in Christo Iesu ego uos genui. 1. Cor.4. Quò etiam imprimis pertinet, quòd apostolos, prophetas, euangelistas, pastores & doctores, à Christo ad instaurationem sanctorum & in ædificationem corporis Christi, dari scribit, Ephes.4. Quia uerò constat, docendi facultatem non omnibus miraculosè dari, ut olim apostolis, scholis opus est, in quibus instituantur, qui aliquando ecclesiarum ministri futuri sunt. Tales in ueteri populo in Leuitarum ciuitatibus erant, & præstantissimos dei prophetas harum præcipuam curam habuisse, ex Samuelis & Helisei historia patet. Quin & Amos propheta illos acerrimè accusat, qui Nazaræos & sacris studijs destinatos iuuenes uino corrumpebant. Viderunt hoc in ueteri ecclesia potentissimi Reges & Imperatores, qui suis sumptibus collegia instituerunt, ne quando doctorum inopia Christianæ religioni damnum daret. At hodie illa uel ab ignauis fucis occupantur, uel insolentium hominum libidini subiacent, qui ambitiosos titulos potius uenari, quàm ecclesiarum ædificationi consulere consueuerunt.

Porrò ne eximij ecclesiæ Christi ministri digna laude fraudarentur, illorum nomina perpetuæ memoriæ spiritus sanctus consecrari uoluit, ut certò constaret, nequaquam à deo eos negligi, qui ecclesiæ fideli cura & studio inseruiunt. At inter hos Manäen cumprimis eminere uidetur, quem cum Herode Tetrarcha à pueris enutritum & educatum fuisse, Lucas docet. Nobilis ergo & aulicus fuit. Quis enim obscuro genere natum regio puero adhibitum, aut eum postea ab Herode neglectum fuisse putaret, quo cùm ab ineunte ætate consueuerat? Est hoc præclarum diuinæ bonitatis exemplum, quæ in quouis hominum genere electos suos habere, & ubi illi uisum fuerit uocare consueuit. Nam ubicunq; uoluerit, spirat almus ille & cœlestis uitæ author spiritus. Ioban.3. Sic in Syri regis aula Naaman fuisse legitur. Et in Babylone Daniel cum suis ueri dei cognitionem retinet. Quid? quòd Paulus eorum, qui in Neronis domo crediderunt, mentionem facit? Phil.4. Et inter scribas, acerrimos Christi hostes, Nicodemus numeratur. Simul uerò fidei & syncerae pietatis exemplum in Manäe nobis proponitur, qui Mosen secutus, potius cum populo dei affligi, quàm temporarijs peccati commodis frui maluit, maiores nimirum arbitratus diuitias probrum Christi, quàm Herodis thesauros. Hebr.11. Et sanè si ecclesiæ conditionē, qualis illo tempore fuit, cum aulica uita conferas, mirificam in Manae hoc spiritus sancti operationem, & non obscura cùm regenerationis ueræ, tum suipsius abnegationis & mortificationis argumenta deprehendes. At quod illum fecisse audimus, nos quoq; imitari conuenit. Nec enim fieri potest, ut Christum uerè apprehendant, qui mūdum hunc eiusq; honores, opes & uoluptates nondum contemnere & conculcare didicerunt.

Manäen nobilis & aulicus.

Sed ad alteram huius loci partem transeamus, qua Pauli & Barnabæ missio ad gentes describitur. Hic autem duo potissimum excutienda sunt, nimirum totius negotij author & moderator spiritus: deinde modus, quem ab illis obseruatum fuisse, Lucas tradit. Et authorem quidem totius negotij spiritum fuisse, disertè docetur. Nam illis ministrantibus domino & ieiunantibus, dixit spiritus: Segregate mihi Barnabam & Saulum in opus, ad quod uocaui eos. Nec dubium est, de sancto spiritu ista dici, quando & ministerij sacri & ieiunij mentio fit. Ineptiunt hoc loco, Erasmum interpretem secuti Papistæ, & quia is sacrificandi uerbo non minus ineptè Græcam uocem reddidit, de Missæ sacrificio locum exponunt. At λειτουργεῖν Græcis dicuntur, qui publicum aliquod munus obeunt, quod uel inde patet, quòd & magistratus & angeli à Paulo λειτουργοὶ dicuntur, non quòd sacrificent illi, sed quòd publici dei ministri sint. Rom.13. Hebr.1. Et quia in Christi morte Leuitica sacra abrogata esse constat, & Christianorum cultus non in externis ceremonijs, sed in spiritu & ueritate consistit, non aliud ministerium hîc intelligi potest, quàm quòd Christus in ecclesia sua exerceri uoluit. Comprehendit hoc uerbi prædicationem, publicas preces & Sacramenta, quæ non sacrificia, sed actiones sacræ sunt, in sacrificij per Christum in ara crucis semel oblati, memoriam instituta. Et his quidem studijs occupati fuerunt seriò, quando de Pauli & Barnabæ missione illos spiritus admonuit. Seriò enim in his illos uersatos fuisse, ieiunij mentio abundè docet. Insunt autem his multa, quæ gentium uocationem diuinum opus fuisse probant. Nam cum Domino publicè ministrarent, de hac spiritus ecclesiam admonuit. Deinde: Segregate (inquit) mihi Paulum & Barnabam. In dei igitur ministerio fuerunt, quando gentibus prædicarunt. Accedit quòd ait: In opus, ad quod ego uocaui eos. Faciunt hæc ad asserendam nostræ salutis certitudinem aduersus Iudæorum insolen-

II. Pauli & Barnabæ missio ad gentes.

tem gloriationem, qui se solos dei populum esse contendunt, & hinc in tentationibus argumenta peti possunt, quibus Christum ad nos quoque pertinere conscientijs ad desperationem vergentibus persuaderi possit.

Ministerij ecclesiastici ratio.

Est autem hîc nobis consyderanda ministerij ratio, de qua nos iudicare locus iste docet. Author huius spiritus sanctus est, quemadmodum infra quoque cap. 20. patebit. Vt uerò ex eo ministrorũ dignitas elucet, ita liquidò constat, pro legitimis ministris minimè agnoscendos esse, nisi qui per spiritum uocati fuerint. Quomodo enim prædicabũt, nisi missi fuerint? Rom. 10. Quæ causa est, quòd tam prophetæ quàm apostoli uocationem suam toties inculcant & constantißimè asserunt. Nemo tamen uocem cœlitus delatam semper expectet, qua ad ministerium uocentur homines. Diuinitus enim uocatos esse censebimus, quoscunque dei spiritus donis necessarijs instruxerit, & legitimis ecclesiæ suffragijs elegerit. Aliquas enim in hac causa partes ecclesiæ mãdatas esse, hic locus perspicuè tradit. Quòniam enim spiritus sanctus disertè fateatur, se iam uocauisse duos hosce, & Paulus se ab utero matris ad hoc ministerium segregatũ esse testetur, ecclesiæ tamẽ calculum spiritus requirit. Atqui id hoc pressimũ nomine factum esse non dubito, ut præsenti causæ plus authoritatis accederet, quàm multorum calumnijs expositam fore spiritus nouerat. Interim tamen admonemur, ordine in ecclesia opus esse, tum in omnibus alijs rebus, tum maximè in ministrorũ electione, ne quis sibiipsi (ut apostolus ait) honorẽ usurpet. Heb. 5. Quàm enim id deo displiceat, Coræ exẽplo discimus, & multorũ seculorum historijs, quibus probari potest, uix aliunde maiores in ecclesia turbas obortas esse, quàm ex inordinata & illegitima ministrorũ electione. Porro, ut ad ecclesiam ministrorũ electio aliqua ex parte spectat, ita hanc in re maximi momenti summa cũ religione uersari conuenit. Quapropter hi denuò ieiunauisse & orauisse dicũtur. Atqui in personis falli nõ poterant, cùm spiritus sanctus eos nominauisset, qui præsenti negotio destinari debebant. Orant tamen, ut spiritus incremento donentur, quos ad prouinciam laboris simul & periculi plenam uocari audiebant. Hæc utinam expenderent, qui inter pocula ministros eligere, & in re omnium grauißima affectibus, peßimis consultoribus, uti consueuerunt. Quorum impietati maxima ex parte debemus quicquid malorum hodie in ecclesia cernitur. Cæterum Antiocheni isti precibus solennem ceremoniam, manuum uidelicet impositionem, subiungunt, quam externum consecrationis symbolum fuisse, supra diximus, ubi de Diaconorum institutione actum est.

III. Vt gẽtibus prædicare cœperint Paulus & Barnabas.

Restat ultima huius loci pars, ut officio diuinitus simul & ab ecclesia sibi commisso Paulus & Barnabas fungi cœperint: quam ita superioribus connectit Lucas, ut illos absque omni mora iter ingressos fuisse pateat. Est hoc eximium sanctæ industriæ & diuini zeli argumentum. Quàm multa enim prætexere potuerint, facilè intelligunt, qui illius temporis historias uel obiter legerunt. Dominabantur tunc in toto penè orbe terrarum Romani, quos auitæ superstitionis & ueteris cultus abrogationem nunquam admissuros esse, non ignorabant. Sciebant item sibi cum gentium philosophis, astutißimis hominibus & in dicendo exercitatißimis, rem fore. Adhæc uulgi mores nouerant, quòd ueteres superstitiones plerunque ea pertinacia tuetur, ut uitam potius quàm has amittere uelit. Sed non obstant hæc omnia, quò minus sese illicò accingant, quæuis pericula & labores ferre parati. Horum uerò industriã omnes eos imitari conuenit, qui in publicũ aliquod munus à deo constituti sunt, ut & sine mora dei uocationi obtemperent, & in eadem constanter pergant. Nec enim ferre potest cunctatores & tergiuersatores dominus, qui summo iure omnia nostra sibi uendicat. Ideò Mosi olim, officium detrectanti iratus fuisse dicitur. Exod. 3. & 4. Et Christus discipulo, qui patrem prius sepelire volebat, respondet: Sequere me, & sine, ut mortui sepeliant mortuos suos. Matth. 8. cap. Cæterum tria hîc Lucas commemorat, de quibus singulis quædam dicenda sunt.

Apostoli Cyprijs prædicãt.

Primò, quò peruenerint, docet. Seleuciam, quæ non procul ab Antiochia distabat, profecti sunt, & inde ad Salaminem Cypri oppidum traiecerunt. Cypro autem inter omnes Mediterranei maris insulas primam ferè felicitatis & opulentiæ laudem ueteres Geographi tribuunt. Inde uerò ita apud Cyprios luxus & libido inualuit (sicuti nuper diximus) ut insula tota Veneri sacra esset, quæ illic ortum suum habuisse ferebatur. Atqui unum hoc satis docet, quanta in ea gente morũ & totius uitæ corruptio fuerit, quæ sese totam cum sua terra Veneri consecrauerat. Quare non temere factum putabimus, quòd ad hanc primùm peruenerunt, qui ut euangelium gentibus prædicarent, à spiritu sancto

sancto emissi fuerant. Est enim hoc memorabile omnino diuinæ bonitatis exemplum, quæ peccatores non auersari, sed eorum salutem quærere consueuit, ut iuxta Pauli dictum, ubi abundauit peccatū, ibi quoq; abundet gratia. Rom. 5. Quò cumprimis pertinet, quòd Christus se, ut peccatores saluos faceret, in mundum uenisse testatur. Matth. 9. & 18. Luc. 9. &c. Nec desunt insignium peccatorum exempla, quos mirifica bonitate & gratia complexus est, inter quæ præsens hoc non postremum locū meretur. Hæc uerò ut consolationi seruiunt, ita docent peccatores non temere abijciendos, sed fouendos potius esse & instituendos, si quo modo emendari & saluari possint.

Deinde doctrinæ & prædicationis argumentum notatur, quando uerbum dei prædicauisse dicuntur. At uerbo dei omnem salutis rationem contineri, certum est. Quare non opus fuit, ut singulos doctrinæ ipsorum articulos commemoraret, quos ex alijs tum concionibus tum epistolis apostolorum facilè est colligere. Illud potius obseruemus, nullius in ecclesia tantam authoritatem esse, ut illi quidquam prædicare permitti debeat, quando Paulum & Barnabā nihil ex suo cerebro, sed solum dei uerbum prædicauisse, audimus. Quia enim dei domus est ecclesia, in eadem solius dei uox sonare debet, & sacrilega audacia est, in ea sub diuini nominis prætextu aliquid docere, quod dei uerbo non sit consentaneum. Quæ causa est, quòd omnes tam prophetas quàm apostolos ad hoc mandatum astrictos fuisse legimus, ut nihil ecclesiæ obtruderent, quàm quod illi ex dei ore accepissent. Vide Ezech. 3. Iere. 1. Matth. 28. *Apostoli prædicant uerbū dei.*

Tertiò, ubi docuerint, ostenditur: nimirum in Synagogis Iudæorum. Quanquam enim ad gentes emißi essent, seruandus tamen fuit ordo, ut Iudæis primū salus prædicaretur. Ita enim ipsis propria culpa à salute excidentibus, regnum dei ad gentes transferri oportebat, ut illorum lapsus gentium saluti seruiret. Rom. 11. Imò si rem probè expendamus, diuinæ prouidentiæ consilio factū fuisse patebit, ut eo tempore, Iudæi per omnes ferè gentes dispersi habitarent. Inde enim cōmodißima prædicandi euangelij occasio apostolis oblata est. Ex lege etenim & prophetarum oraculis demonstrabatur Iesum esse promissum mundi saluatorem. Quod cum gentes audirent, & Iesu Christi historiam cum propheticis scriptis per omnia conuenire uiderent, de scripturis sacris piè sentire cœperunt, qui primus ad salutem gradus fuit: sicq; factum est, ut prædictum in illis saluatorem uera fide amplecterentur. Rectè ergo & prudenter in Iudæorum synagogis prædicandi initiū apostoli fecerunt. Agnoscamus nos dei bonitatem, cuius beneficio hodie quoq;, quantumuis indignis, salus uera per euangelium offertur in Iesu Christo domino nostro: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen. *Prædicant in Synagogis Iudæorum.* *Vide Theodoret. de Prouidentia dei Sermone 10.*

HOMILIA LXXXVII.

Cum autem peragrauissent insulam usq; ad Paphum, inuenerunt quendam Magum pseudoprophetam Iudæum, cui nomen erat Bariesu, qui erat cum Sergio Paulo proconsule, uiro prudente. Hic accersitis Barnaba & Saulo, quærebat audire sermonem dei. Resistebat autem illis Elymas Magus (sic enim alio uocabulo enuntiabatur nomen eius) quærens auertere proconsulem à fide. Saulus autem, qui idem Paulus, plenus spiritu sancto, & intentis in eum oculis, dixit: O plene omni dolo & omni malitia, fili diaboli, inimice omnis iustitiæ, non cessas peruertere uias domini rectas. Et nunc ecce manus domini super te, & eris cęcus, non uidens Solem usq; ad tempus. Continuò autem cecidit super eum caligo & tenebræ, & circumiens quærebat, qui eum manuducerent. Tunc uidens proconsul quod acciderat, credidit, admirans super doctrina domini.

Perquàm memorabilis est Dauidis regis & prophetæ sententia, qua Iesum Christum in medio inimicorum suorum esse uaticinatur. Psal. 110. Ea enim regnum quidem Christo promittitur, sed simul de diaboli insidijs & tyrannide admonemur, qua regnum illud indesinenti bello oppugnat. Et huius quidem rei multa & præclara exempla hic liber nobis exhibet. Nam hucusq; eos propo-

fuit, qui aperta ui cum Christo congredi ausi sunt, quales primò quidem Hierosolymitanos procurat, deinde uerò Herodem Agrippam uidimus. Vicit tamen illorum conatus Christus Rex, & illi quidem se frustra pugnare sentiunt, Herodes autem quia plus cæteris ausus fuerat, horribiles pœnas pro tanto scelere exoluit. Non tamen idcirco pedem refert satan, sed nouum regni sui propugnatorem in arenam producit, Elymam Magum, si quo modo magicis imposturis Christi milites superare posset, quos ad carcerem & præsentis mortis pericula inuictos esse uidebat. Cum enim Paulus & Barnabas totam ferè Cyprũ euangelij doctrina illustrassent, iamq́ Papho celeberrima urbi immorarent, Magum hunc illis obijcit, ut huius opera felicem apud Cyprios euangelij cursum remoraretur. Vincunt tamen apostoli Christo duce, cuius gloria eò clarior redditur, quò magis illam satan obscurare studet. Est autem diligenti consyderatione digna huius certaminis descriptio, quo cum famosissimo Mago & impostore suos apostolos dominus commisit. Nam præter id, quòd nobis pugnas semper expectandas esse docet, pseudoprophetarum quoq; mores & studia egregiè pingit, & ut cum illis pugnandum sit, admonet. Nos uero, quò plus inde ad nos fructus redeat, primò quidem certaminis huius occasionem, deinde uerò congressum ipsum, & tandem illius exitum consyderabimus.

I. Occasio certaminis Pauli cũ Elyma Mago.

Occasionem tantæ rei felix in Cypro insula euangelij cursus præbuisse uidetur. Cum enim initio à Salamine facto, quæ in Orientali littore posita est, totam insulam Paphum usq; in Occidentis angulo sitam, apostoli perlustrassent, fama nouæ doctrinæ, ab ipsis uulgatæ, ad Sergij Pauli Proconsulis aures peruenit: qui ad se uocatis apostolis, uerbum dei ab illis audire cupit. Vnde apparet illum, licet Romanus esset, ueritatis tamen studiosum fuisse & gentilitiam religionem iam tum suspectam habuisse. Quæ forsitan causa fuit, quòd Iudæo Mago aures præbuit, à quo se ueritatem edoceri posse sperabat. Et eodem studio excitatus Paulum quoq; & Barnabam accersit ut illos docentes audiat. Illud uerò Elymæ Mago, qui Proconsulis familiaritate hucusq; usus fuerat, intolerabile uisum est, qui propterea omnem aduersus apostolos pugnandi occasionem diligentißimè obseruauit, ut paulò post audiemus. Nunc enim, priusquam hinc progrediamur, duo obseruanda ueniunt. Primũ, quòd deus in omni hominum genere suos habet, sicuti in præcedenti Sermone diximus. Hic uerò illud addendum, quòd suos uocat & seruat deus, cum in præcipitio perditionis stare uidentur. Nam Sergius Paulus, de quo hic agitur, à puero quidẽ in gentilismo educatus, idololatriæ assueuerat. Postea uerò, licet errorem agnoscat, nouo tamen & nocentiori inuoluitur, dum in Iudæum Magum & pseudoprophetam incidit. Quis autem hunc deo curæ esse diceret, quem tot tamq́ diuersis erroribus seduci patitur? Sed quærit amissam ouem per mõtes & ualles, imò per maria quoq;, fidelis ille pastor Christus, nec illam è manu sua eripi patitur. Vide Luc. 15. Iohan. 10. Docet ergo locus hic, ne de quoquam temere desperemus, nisi quis palàm se ex reproborum numero esse probauerit. Deinde boni & pij magistratus exemplum in Sergio hoc Lucas proponit. Nam & ueritatis discendæ studio flagrat, & inauditæ hactenus doctrinæ ministros non præcipiti iudicio damnat, sed ad se accersitis doctrinam suam liberè proponendi copiam facit. Debebant hunc imitari nostri seculi principes, quorum plerique ueritatis doctrinam, priusquam illam cognouerint, damnant, & crudelibus supplicijs in eos grassantur, quorum fidem & religionem prorsus ignorant. Sed meminerint ignorantia eos excusari nõ posse, qui nihil ex ignorantia facere, sed in causas omnes diligenter inquirere debent.

II. Pauli & Elymæ Magi congressus.

His præmißis, huius certaminis congressum spectemus, in quo primas partes apostolis deberi liquidò patet. Quia enim hos ideo accersiuit Sergius Proconsul, ut ab illis uerbum dei disceret, illos mox omni mora abrupta tantam occasionem propagandi regni Christi, nequaquam neglexisse, uerisimile est. Hic uerò confestim Magus quoq; prosilit, & dei uerbum prædicantibus resistit. Facilè enim uidebat, sibi posthac apud Proconsulem locum nõ fore, si is ueritatis cognitione illuminaretur. Quanquam autem Lucas non exprimit, quomodo apostolis sese opposuerit, quia tamen & pseudopropheta & Magus fuit, facilè conijcitur, illum nihil eorum omisisse, quæ ad opprimendam ueritatem facere uidebantur. Estq́ nobis diligenter inspiciendus antagonista hic, ut ex eo omnes pseudoprophetas agnoscere discamus.

Pseudoprophetarum mores.

Et primò quidem nomen illud insolens obserua, quo diuini aliquid sibi uendicat. Nam qui uero nomine Elymas dicebatur, Syriaca uoce Bariesu, id est, Saluatoris filius dici uult. Vnde colligimus, illis salutem polliceri ausum fuisse, qui ipsum sequerentur. Ex illorum ergo numero est, quos Christus uenturos, & sui nominis maiestatem sibijpsis uendicaturos esse prædixerat.

lucrat. Matth. 24. Illud uerò omnibus pseudoprophetis proprium est, quòd si non sibijpsis, saltem doctrinæ suæ Dei nomen usurpent, ut hoc prætextu incautis imponant. Sic Zedechias apud Achab de Syriaca uictoria uerba facturus, propheticum illud: Sic dicit dominus, præmittit. Idem in multis alijs uidere est. Imò nemo unquam pseudopropheta fuit, qui non diuini nominis prætextu sibi authoritatem conciliare studuerit. Deinde illud quoq; ex communi pseudoprophetarum more facit, quòd Proconsulis familiaritatem & amicitiam affectat, illiusq; lateri ceu indiuulsus aliquis comes adhæret. Solent enim in magnatum amicitias sese insinuare impostores, cum ut his in suas partes pertractis reliqui illorum exemplo facilius trahantur: tum ut horum præsidio tuti sint. Quia enim ueritatis patrocinio sese destitui norunt, carnale brachium quærant oportet, quo defendantur. Sic Balaam olim, etiamsi oraculo admonitus sit, Balaci tamen Moabitarũ regis amicitiam demereri studet. Et Romanos Antichristos regum amicitijs & armis adiutos ad tantam potentiam ascendisse constat. Quid? quòd hodie impostores & præstigiatores cucullati regum latera ita circumsistunt, ut illis inscijs uix pedere liceat? Atqui hæc ferè causa est, quòd qui tales sunt, doctrinam suam auditorum delicatis auribus accommodant, ne illos sibi infensos reddant, à quibus toti dependent. Finem uerò & scopum hunc unum Elymas sibi proposuit, ut Proconsulem à fide auertat, ne ijs credat, quæ à Paulo dicebantur. Hunc finem Aegyptijs quoq; Magis propositũ fuisse, Paulus tradit. 2. Tim. 3. Et ut ueræ doctrinæ ministri in hoc omnes consentiunt, ut per fidem in Christum deo lucrifiant homines: ita in hoc impostores omnes consentire certum est, ut fidem in Christum euertant, qua euersa, dei regnum inter homines locum habere nequit. Sentit enim satan fide uera uires suas maximè debilitari, cuius rei exempla paßim apud euangelistas extant.

Sed Paulum uideamus, & quomodo is impostorem nequißimum confutarit. Principio spiritu sancto repletum fuisse, id est, maiori & insolito spiritus motu efferbuisse, Lucas ait. Quod ideo actioni præmittit, ne quid carnis affectui tribuamus, cum graue & intolerabile uerborum pondus audiemus. Interim admonemur, non cæco carnis affectu, sed spiritu sancto duce & consultore cum ueritatis hostibus pugnandum esse: quem illi haud dubiè hostem sentient, quantumuis carnali brachio optimè muniti uideantur. Deinde intentis in Elymam oculis causam hanc agit: quod ingenui & intrepidi animi argumentum est. Et sanè intrepidè & constanter Antichristianis resisti oportet, ne sese timeri existiment. Cur enim illos timeremus, cum maior sit, qui à nobis stat? 1. Iohan. 4. Cur item nostra pusillanimitate ferociores fierent, quos iam ante mentis sibi malè consciæ terrores exagitant? Tertiò suis illum coloribus egregiè depingit, & singulis uerbis proprium quasi pondus adhibet. Primùm, ô plene omni dolo, inquit. Doli igitur mali & imposturæ accusat, qui ex magia laudem & authoritatem quærebat. Secundò malitiam & animum ad quiduis perpetrandum audacißimum illi exprobrat. Quid enim malignius & audacius est, quàm sub diuini nominis prætextu hominibus illudere, quæ potißima Magorum & pseudoprophetarum laus est? Ita enim deo quasi medium unguem ostendunt, qui nominis sui prophanationem se non inultam dimissurum esse minatur. Tertiò filium diaboli uocat, ut eam impudentiam exagitet, qua se saluatoris filium dicere audebat. Diaboli uerò filium esse, tum insolens animi superbia, tum pertinax malitiæ studium abunde satis arguebat. Quartò, hostem omnis iustitiæ esse dicit: & meritò quidem, cum Christo aduersaretur, extra quem nulla iustitia inuenitur, quæ deo placere poßit. Quintò, non cessas (ait) peruertere uias domini rectas. Quibus uerbis duo maxima scelera comprehendit, incurabilem nimirum malitiam, & peruertendi uerbi dei studium. Simplex enim illud est & purum, simulq; planißimam salutis rationem nobis monstrat. Hominum uerò malitia fit, ut ea perplexa & incerta uideatur. Postremò grauem supplicij sententiam intonat: Et nunc ecce manus domini super te, & eris cæcus, non uidens Solem usq; ad tempus. Vbi inter terrifica diuinarum minarum fulmina spem salutis pœnitentiam agenti & ad dominum conuerso relinqui uidemus. Ita enim iram suam deus per uerbum reuelare solet, ne per desperationem prorsus absorbeantur, quos ille saluos uult. Præcipuus uerò huius loci usus est, ut discamus quid hodie fidis ecclesiarum Christi ministris agendum sit, quando non unus Elymas regum & principum aures obsident, ut ijs à fide abalienatis, rude & ignobile uulgus pro sua libidine opprimant. Nec enim alios censere possumus Monachos & sacrificulos, qui nugas suas dolo malo sub diuini nominis prætextu uenditant, qui gigantea audacia potestatem sibi in cælis ac

Paulus Elymã confutat.

rogant, qui Christi iustitiam & fidem iustificantem ex professo oppugnant, qui diuini uerbi authoritatem impudenter eleuant, & idem illud humanis traditionibus corrumpunt, qui salutis rationem simplicissimam infinitis Labyrinthis uotorum monasticorum, ordinum, regularum, meritorum, bullarum, indulgentiarum & casuum reseruatorum intricatissimam, adeoq; imperuestigabilē reddunt: qui deniq; his non contenti, principum animos insuper ad cædes & sanguinis innoxij effusionem extimulant. Eos simili constantia & libertate argui oportet, ut ab illis sibi cauere discant, qui ipsorum theatrica maiestate hucusq; decepti sunt. Nec eos audiamus, qui in hac causa modestiæ & charitatis leges nobis præscribunt, quando plerosq; horum incurabiles esse constat, & in hoc unum incumbere, ut semel arreptam tyrannidem per phas & nephas tueri possint.

III. Finis & euentus certaminis, &c.

Restat certaminis huius finis & euentus, tristis quidem Elymæ impostori, Sergio autem proconsuli lætissimus. Illi enim continuò irrogatur à Paulo denunciatum supplicium, & excæcatus quærit qui eum manuducerent. Simile quid supra Ananiæ & Sapphiræ accidisse uidimus: unde nos diuini uerbi uim agnoscere conuenit. Maximè tamen hoc loco obseruandum est, quid impostores & pseudoprophetas maneat, qui uel quæstus uel honoris gratia dei uerbum oppugnare audent. Excæcantur illi plerunq;, si non corpore, saltem animis, quos iusto iudicio in reprobum sensum tradit dominus, ut nec agnitam ueritatem amplecti, nec palàm deprehensos errores uitare possint. Præterea dei iudicio infames facti, carnis brachium amittunt, in quo potissimam spem collocarūt. Ita uerò impletur, quod apud Zachariam cap. 11. scribitur: Væ pastori idolo, qui gregem deserit. Gladius imminebit brachio eius & oculo eius dextero: brachium eius planè exarescet, & oculus eius dexter omnino hebescet. Nec desunt huius iudicij exempla hodie, at nobis oculi desunt, quibus illa obseruemus. Et nostri illi Elymæ eò infeliciores sunt, quòd excæcati adhuc tamen se uidere putant, nec duces quærunt, imò à deo oblatos cum stomacho reijciunt. Porrò ut infeliciter Elymæ cessit pugna hæc, ita magnus inde ad Proconsulem fructus redijt, quem hoc pacto uinculis tenebrarum liberauit dominus. Is enim uiso dei iudicio, credidit, & doctrinam Christi admirari & magni facere cœpit. Est hoc filiorum dei proprium, quòd dei iudicia agnoscunt, & aliorū exemplis emendantur. Porrò mali homines & impostores proficiunt in peius. 2. Tim. 3. Cæterum in tota hac historia consolationis plenum est, quòd ueritatem nec aperta ui tyrannorum, nec subdolis diaboli artibus superari posse uidemus. Pressa siquidem resurgit, & pugnando uires maiores colligit. Hanc ergo amplexi, constanter insistamus huius authori & uindici Iesu Christo domino nostro: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA LXXXVIII.

Cum autem à Papho soluissent qui cum Paulo erant, uenerunt Pergen Pamphyliæ. Iohannes autem digressus ab ipsis, reuersus est Hierosolymam. Cæterum illi peragratis regionibus, è Perga uenerunt Antiochiam Pisidiæ: & ingressi synagogam die sabbatorum, sederunt. Post lectionem uero Legis & prophetarum miserunt præsides synagogæ ad eos, dicentes: Viri fratres, si quis est in uobis sermo exhortationis ad populum, dicite.

MVlta quidem & præclara in Iesu Christi operibus diuinæ ipsius potentiæ & maiestatis argumenta extant: inter illa uerò cumprimis euidens & luculentum est, quòd apostolorum ministerio intra paucos annos totum terrarum orbem subiugauit. Cum enim hos nullis carnalibus præsidijs instructos, imò uilissimos omnium hominum fuisse constet, ijdem uerò res tantas confecerunt, diuinæ uirtutis opus in illis agnoscere oportet, qua factum est, ut noua totius orbis facies induceretur, & liberatæ ueterum superstitionum erroribus gentes, religionem ueram susciperent. Est hoc præcipuum, quod in præsenti Pauli & Barnabæ peregrinatione obseruemus. Duo enim isti ex spiritus sancti mandato emissi, ut euangelium promiscuè gentibus prædicarent, felici cursu omnia ea perrumpunt, quæ illis impedimento fore uidebantur. Et primò quidem in Cyprum delati, opulentissimæ insulæ cultores, luxu simul & nefando Veneris cultu perditos, Christi regno subijciunt: nec

modò

modò ignobile uulgus in suas partes pertrahunt, sed Romanum Proconsulem Sergium, cuius authoritas uel sola resistere potuisset, si humanum illud negociũ fuisset, ueri cognitione illustratum Christo lucrifaciunt, & Elymam Magum, selectum diaboli organũ, cæcitate horribili percussum, in triumpho ducunt: adeò ut uno conflictu simul humanas uires & diaboli artes superatas fuisse constet. Videamus autem, ut tam læta rerum initia felicem ulterius propagandi regni Christi occasionem apostolis præbuerint.

Cypro enim deuicta, in Pamphyliam ex Papho traiecerunt, & Pergen eius regionis oppidum deuenerunt, non paruum itineris spacium per mare & terras emensi. Nec dubium est, quin Pamphyliam quoq; euangelij doctrina illustrarint, cum eo nomine peregrinationem istam suscepissent. Estq; hoc non uulgare apostolici zeli & industriæ exemplum, quòd licet celeberrimam insulam Christo adduxissent, non tamen idcirco sibi quiescendum putauerunt, quasi suo officio iam probè defuncti essent, sed ad ulteriora pergunt, eoq; plus se Christo debere existimant, quò magis ille ipsorum cœptis benignus aspirat. Ita alibi Paulus, cum ab Arabia ad Illyricum usq; omnia longè lateq; euangelio Iesu Christi repleuisset, tam abest, ut ocium sibi polliceatur, ut potius ad Italiam & Hispanias quoq; animum adijciat. Rom. 15. Quibus exemplis illorum ignauia arguitur, qui cum uix dum inceperint, sibijpsis ferias indicunt, suosq; labores maximi æstimare solent, nec iustum æquúmue putant, ut plus quiddam ab ipsis exigatur. At ad finem usq; perseuerare conuenit, ne ulla nos Christo seruiendi satietas capiat, quoad illius gloriam per nos illustrari, & aliquos in salutis cognitionem perduci posse spes est. — I. Pamphylia Euangelio illustratur.

Cæterum sanctissimo studio occupatis, tristissimus casus accidit. Dum enim alios Christo lucrifacere conantur, comitis & Symmystæ sui, quem ex multis sibi delegerant, iacturam faciunt. Fuit is Iohannes cognomento Marcus, Mariæ illius filius, ad cuius domum Petrus carcere elapsus sese contulit, ut supra dictum est. Hic, ut infra cap. 15. patebit, continuis laboribus & periculis assiduis fractus, illis relictis Hierosolymam redijt. Quo facto non modò opera sua destituit, quibus in sanctissimo officio indiuulsè adesse debebat, uerumetiam acerrimæ contentionis, inter Paulum & Barnabam postea exortæ, author fuit. Quia tamen Hierosolymam redijsse dicitur, ubi illi mater erat, uerisimile est, ipsum ignauiæ & pusillanimitati suæ pietatem in matrẽ uiduam prætexisse, ut ex eorum numero censeri posit, quorum typum in euangelio gerit is, qui à Christo uocatus, patrem prius sepelire uoluit. Matth. 8. Luc. 9. Proponit autem eiusmodi exempla spiritus sanctus, non ut imitemur, sed ut intelligamus, semper defectores fore, & tristes casus frequenter oborituros, qui felicem euangelij cursum remorentur. Nec enim ociatur satan, qui apostolos quoq; cribrare desyderauit, & licet illos à Christo prorsus diuellere non posset, effecit tamen, ut uinculis ipsius territi, omnes ab illo diffugerent. Sic Iohannis 6. cap. millia aliquot simul ab illo defecisse legimus. Et Paulus, qui modò Marcum deficere uidet, postea Demadem quoq; præsens seculum amplexum, & se cum Cæsari sisteretur, ab omnibus amicis desertum fuisse conqueritur. 2. Tim. 4. Neminem ergo quorundam leuitas offendat, qui hodie quoq; ubi haud pœnitendos progressus in Christi causa fecerunt, mox deficiunt. Tales enim fore Christus & apostoli prædixerunt. Interim meminerint isti, se grauiter peccare. Nam Christi causam deserunt, quæ abnegationis species est. Deinde infirmiores offendunt, & malignis euangelij fideiq; Christianæ æstimatoribus calumniandi occasionem præbent, ut propter ipsos nomen Christi malè audiat. Præterea quosuis ignotos & exteros reliquis suspectos reddunt, quorum beneficentia subleuari debebant. Postremò dissidiorum authores sunt, dum in partium studia secum abripiunt eos, qui animos & uires in propagando Christi regno debebant coniungere: eoq; grauius nocent, quò sublimiori gradu dignitatis constituti sunt. — II. Iohannes Marcus deficit in euangelij ministerio.

Sed ad apostolos reuersi, illorum exemplo discamus, quid nobis, si quid simile accidat, faciendum sit. Num enim illi subita Marci defectione intellecta, ipsi quoq; commissum sibi munus deserunt? Minimè gentium. Imò peragratis Pamphyliæ regionibus, tandem etiam Tauro monte superato in Pisidiam transeunt, & Antiochiam (quæ Cæsarea quoq; dicta fuit olim teste Plinio) ingrediuntur: ubi maiori quàm unquam aliâs feruore & studio euangeliũ prædicant, sicuti sequentia abunde docebunt. Admonemur exemplo hoc, minimè committendum esse, ut aliorum siue perfidia siue ignauia, nos ab officio reuocari patiamur. Nec enim aliorum culpa nos excusare poterit, quorum lapsus — III. Apostoli in Pisidiam proficiscuntur.

nos potius cauere, quàm imitari decet. Et quia domini causa est, quam sustinemus, facile illi fuerit, hanc etiam per paucissimos & nullius coram mundo authoritatis homines asserere. Imò patitur non rarò, ut illi deficiant, à quibus opem præsentissimã sperabamus, ut sic palàm fiat, in uno deo nobis gloriandũ esse. Accedit his, quòd licet à mundo deseramur, soli tamen non sumus. Nam quod de seipsò Christus pronunciauit, ad omnia illius membra extendi debet. Venit tempus (inquit) ut dispergamini unusquisq; in sua, meq; solum relinquatis: & tamen non sum solus, quia pater mecum est. Iohan. 16. Quid quòd idem ait? Non relinquã uos orphanos. Iohan. 14. Ecce ego uobiscum sum usq; in consummationem seculi. Matth. 28. Quò etiam illud Dauidis pertinet: Vbi pater meus & mater mea destituunt me, dominus colligit me. Psal. 27. Et horum quidem non modò uerbi ministros, uerumetiam principes & magistratus meminisse conuenit. Habent enim hi quoq; suæ uocationis authorem deum, qui se in medio illorum uersari testatur. Quare si in asserenda dei gloria constantes fuerint, non est quòd mundi terroribus commoueantur, quando deum tutorem & uindicem habituri sunt. Idem priuati quoq; cogitent, ne mundi facie commoueantur. Interit enim hæc, at domini uerbum, cui cum salutis tum uocationis nostræ certitudo innititur, manet in æternum. Isa. 40.

IIII. Quid in Antiochia Pisidiæ fecerint apostoli.

Porrò uideamus, quid Antiochiæ egerint apostoli. Die sabbatorum synagogam ingressi, consederunt. Scribit hoc Lucas, ut ostendat, illos docendi siue prædicandi euangelij occasionem quæsiuisse. Diebus sabbatorum enim publicè conuenire solebant Iudæi, ut in lege erudirentur et preces ad deum funderent. Quæ causa fuit, quòd paulò ante apud Salaminen quoq; apostoli synagogas Iudæorũ ingressi fuisse dicti sunt. Nec dubium est, illos hoc ipsum etiam alibi fecisse, cum non alio loco commodiorem docendi occasionem sperare possent. Nec illos fefellit opinio. Finita enim solenni & consueta legis ac prophetarum lectione, Synagogæ præsides, illos non uulgares homines esse suspicati, ipsi quoq; ad populum dicendi copiam faciunt. Nam misso ad illos nuncio, dicunt: Viri fratres, si quis est in uobis sermo exhortationis ad populũ, dicite. Et sic Paulus celeberrimã de Christo Iesu & uniuerso salutis nostræ mysterio concionem instituit, cuius initium cras (deo uolente) audiemus. In præsenti uerò quædam consyderanda ueniunt, de quibus ordine dicendum est.

Veritas publicè doceri debet.

Primò non in œnopolijs inter ebrios comessatores, nec in angulis & obscuris syluis inter rude & imperitum uulgus salutis doctrinam spargunt apostoli: sed locum publicum ingressi, publicè euangelium docere cupiunt. Id uerò iuxta Christi exemplum illos fecisse constat, qui & ipse synagogas frequenter ingressus fuisse, & publicè docuisse legitur. Et cum à Caiapha pontifice tanquam hæreticus de doctrina & discipulis examinaretur, hoc uno argumento sese excusat, quòd in templo & synagogis publicè docuerit, nec totius populi iudicium de doctrina sua reformidet. Iohan. 18. Quæ exempla ijs arguendis seruiunt, qui noua dogmata clanculum apud imperitos disseminant, nec quicquã perinde ut lucem & ecclesiæ iudicium fugiunt & horrent. Id uerò unum abunde probat, ipsos impostores esse, cum ueritas nihil perinde ut lucem expetat. Vbi tamen minimè eos damnamus, qui persecutionum terroribus circumsepti, occultius pietatis officia exercent, quod Hierosolymæ etiam à fidelibus in Mariæ domo & alibi factitatum fuisse, audiuimus: modò parati sint ad reddendam rationem fidei suæ quibusuis hanc exigentibus, nec Anabaptistarum more, pertinaci silentio & subdola dissimulatione eos eludant, qui in illorum fidem & doctrinam inquirunt.

Sabbata religiosè obseruanda.

Deinde non superuacanea est temporis notatio, qua die sabbatorum synagogam ingressi fuisse dicuntur. Ea enim sabbati religionem studiosè ab illis obseruatam fuisse docet: quem diem in prima mundi origine diuinis cultibus consecratum, & per Mosem studiosissimè Israelitis commendatum esse constat. Quia enim diuersis occupationibus distrahimur, necesse fuit, ut tempus aliquod omnibus tam curis quàm negotijs liberum constitueretur, quo nos totos animo simul & corpore ijs impenderemus, quæ ad dei cultum faciunt. Septimum ergo diem huic studio deus destinauit, quem ideo suum dicere consueuit, ut sciremus nobis, quando is agitur, ab omnibus alijs curis & studijs abstinendum esse. Tantam uerò eius religionem esse uoluit, ut capitali supplicio eius transgressores coercendos esse statuerit. Num. 15. Et apud prophetas frequenter inter grauissima peccata, adeoq; inter Babylonicæ captiuitatis causas, hæc quoq; numeratur, quòd sabbata dei prophanauerint. Quæ causa est, quòd & dei filius, licet superstitiosam horum obseruationem non semel reprehenderit, ea tamen studiosè obseruarit, in quib. cultum suum deus consistere uoluit. Nam illis dieb. synagogas ingressus,

cœtibus sacris & publicis precibus interfuit, adhæc ipse docuit & alios docentes audiuit, simulq; beneficentiæ opera diligenter exercuit. Quorum memores apostoli, ipsi quoque præceptoris sui exemplum sibi imitandum esse putauerunt. At hodie eò res deuenit, ut inter Christianos homines optimi haberi poßint, qui operibus manuarijs & victui seruientibus sabbata dei violant, cùm plerique illa nefandis sceleribus prophanent, nec vnquam vel superbia & fastu, vel ebrietate, vel luxu & libidine plus peccetur, quàm illo die, qui totus deo & diuinorum operum æternæq; quietis meditationi consecratus esse debebat. Et cùm ista palàm fiant, adhuc tamen malorum nostri seculi causas inquirimus?

Cæterum quia in sacris cœtibus, quos Moses conuocationes sanctas uocat, religio sabbatorum quoad externam obseruationem maxima ex parte consistit, quid in hoc cœtu factum sit, diligenter narrat Lucas. Et primò quidem consederunt apostoli, haud dubiè cum reliquis, qui illic congregati erant. Est hoc modestiæ & honestatis, cuius ratio tum semper aliâs, tum maximè in templis haberi debet, ne quid inordinatè & inhonestè fiat. Deinde mentio fit lectionis ex lege & prophetis, quam communi & solenni consuetudine inter Iudæos seruatam fuisse, paulò post ex Pauli Sermone, & cap. 15. ex Iacobi uerbis intelligemus. Ita enim Moses ex dei mandato instituerat: quem morem ab Esdra post reditum è Babylone restitutum fuisse constat ex Nehem. 8. cap. Nec alio Christus vti voluit, quando in schola Nazarethana ex Isaia loco salutis mysteria docuit. Luc. 4. Docent hæc in sacris cœtibus dei uerbum, quod scripturis comprehensum est, tractari debere. Ideò enim Paulus ecclesiarum ministris scripturæ sacræ studium commendat, quia non alia uox, quàm quæ in hac sonat, in dei domo audiri meretur. Enormis ergo & absurdus illorum error est, qui in ecclesia rudi populo ineptißimas nugas ex legendis Sanctorum prædicant, vel humanas traditiones vrgent, quibus omnem cultũ vitiari Christus ipse ex propheta admonet. Matth. 15. Isa. 29. cap. Quod vt hodie nimis frequens est, ita si quando aliquis verbo dei locus relinquitur, illud ferè peregrina lingua vel recitari vel etiam cantari solet, vt ne ex illo quidem aliquis ad populum fructus redire poßit. Sed vide de hoc Pauli sententiam, 1. Corinth. 14. Tertiò, illud quoque laudem meretur, quòd nemo nisi legitimè rogatus sibi dicendi copiam usurpat. Nam licet ex veteri consuetudine doctoribus interpretes & prophetæ aßiderent, nemo tamen temere & impudenter sese ingerebat, vt nec rogatus nec vlla neceßitate vrgente, coram populo verba faceret. Quare Paulus quoq; & Barnabas, licet à spiritu sancto missi essent, receptum tamen & vtilem ecclesiæ ordinem minimè turbandum esse putauerunt. Minimè ergo ferenda est Anabaptistarum intemperies, qui loco Pauli 1. Corinth. 14. abutentes, cuiuis in ecclesia dicendi copiam fieri debere clamitant. De illis enim Paulus eò loci loquitur, qui interpretationis & prophetiæ dono instructi, doctoribus (ut modò diximus) aßidebant. Eos verò, qui interpretes non sunt, tacere iubet. Idemq; omnia decenter & legitimè fieri præcipit. Neq; hîc mihi quisquam obijciat, quid apostolos facturos fuisse existimem, si illis nemo dicendi copiam fecisset. Quis enim dubitaret, illos libertate à spiritu concessa tunc usuros fuisse? At quia eadem, etiam seruata ecclesiæ consuetudine, vti poterant, non potuissent non reprehendi, si hanc temere interturbare uoluissent. Præterea illud quoq; ab Antiochenis rectè fit, quòd hominibus peregrinis & ignotis dicendi copiam faciunt. Nolunt enim spiritum extinguere, nec prophetias aspernantur, qua de re Paulus alibi nos admonet. 1. Theß. 5. Hîc verò præcipuè obseruandum, quòd sermonem exhortationis requirunt. Ita enim finem exprimunt, ad quem omnis doctrina & sermo in ecclesia referri debet: nimirum ut non modò quid fieri debeat, obiter edoceatur ecclesia, uerumetiam pijs exhortationibus ad officium faciendũ excitetur, & sic ædificetur super fundamentũ apostolorum & prophetarum, ac sub capite Christo uerè coalescat. Et huc illa scripturæ sacræ commendatio pertinet, quam Paulus vtilem esse dicit ad doctrinam, institutionem, correctionem, redargutionem, ad hoc deniq;, vt homo dei integer sit, & ad omne opus bonum præparatus. 2. Timoth. 3. Erant hæc illis obseruanda, qui ad ostentationem in ecclesia sermones suos instituunt, & de sua potius quam Christi gloria soliciti sunt. Discant potius singuli ita ecclesiæ exercitia omnia instituere, ut exhortationibus sanctis ædificentur in uera fide, ad gloriam Iesu Christi: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Cœtuum sacrorum ratio.

HOMILIA LXXXIX.

Exurgens autem Paulus, cum manu silentium indixisset, ait: Viri Israelitæ, & qui ex uobis timent deum, audite: Deus populi huius elegit patres nostros, & populum in altum euexit, cùm inquilinus esset in terra Aegypti, & cũ brachio excelso eos inde eduxit, & circiter quadraginta annos eorũ mores pertulit in deserto. Ac deletis septem gentibus in terra Chanaan, terram ipsorum illis hæreditaria sorte distribuit. Et post hæc per annos circiter quadringẽtos & quinquaginta dedit Iudices usque ad Samuelem prophetam. Et exinde postularunt regem, deditque eis deus filium Cis, uirum ex tribu Beniamin, annis quadraginta.

DEscribit deinceps D. Lucas electi illius organi, Pauli apostoli, concionem, quam is in schola Antiochena habuit, estque hæc prima, quam ex Paulinis concionibus spiritus sanctus literis mandari uoluit: non quòd reliquas indignas cognitu putarit, sed quòd ex hac de omnibus alijs iudicare licet, quas huic minimè dißimiles fuisse oportet, eò quòd spiritus Christi semper & ubique sibi ipsi conueniat. Interim non temere factum est, quòd hanc potißimum ex omnibus alijs selegit Lucas, in cuius relatione diligentior esset. Vt enim hæc uniuersa Iesu Christi & salutis nostræ mysteria plenißimè comprehendit: ita cùm illam Antiocheni contemnerent, fecerunt apostoli, quod illos rarißimè fecisse legimus. Nam excusso super Iudæos pedum puluere, salutis doctrinam ad alios transtulerunt. Porrò concionis argumentum idem est, quod ipse Christus apostolos obseruare iusserat. In hoc enim totus incumbit, ut Iudæos ab inani legis & legalium ceremoniarum fiducia ad Christi fidem adducat. Quod ut facilius impetret, cõmodißimo ordine procedit. Primò enim, quia illos prærogatiuis aliquot insolentius gloriari nouerat, sic ut superuacaneum illis uideretur, aliam salutis uiam inuestigare uel ingredi, docet illos nihil ex semetipsis habere, quo gloriari poßint, sed ex mera dei gratia accepisse quicquid eximium habeant, qui propter Meßiam promissum illos & seruare & prærogatiuis illis ornare dignatus sit. Inde uerò colligit, necessarium omnino esse, ut Meßiam hunc amplectantur, nisi à gratia dei excidere, & bonis omnibus spoliari uelint. Deinde Iesum dei & Mariæ uirginis filium, Meßiam hunc & promissum saluatorem esse, docet: & ibi quidem de illius officio ita disserit, ut uniuersum nostræ redemptionis negotium breuiter comprehendat, & luculentis scripturæ ueteris oraculis confirmet. Tandem uerò prophetarũ comminationes profert, ut horribile dei iudicium sibi imminere sentiant, quicunque dei filium, et oblatam in hoc salutem aspernari ausi fuerint. Et hæc quidem totius concionis summa est, quam paucis comprehendisse sufficit, cum de singulis suo loco fusius dicturi simus: nunc uerò ad præsentis loci tractationem accedamus.

Paulinæ concionis argumentum & partes.

I. Exordium concionis Paulinæ.

Exordium pro more apostolico breue est, nec exquisiti artificij lenocinijs suspectum. Præmisit uerò extensæ uel eleuatæ manus gestum, quo ueteres publicè uerba facturi, silentium indicebant, sicuti non uno in loco infra uidebimus. Deinde attentionem captans, eiusmodi titulis illos appellat, quibus & beneuolos sibi reddere, & simul officij admonere auditores studet. Nam primo Israelitas uocat, quo nomine illi maximè gaudebant, non modò propter Iacobum patriarcham, qui primus hoc nomine ornatus fuit, sed quòd illo manifesta diuini auxilij & protectionis promißio continetur, de qua re uidere est Gene. 32. cap. Addit uerò: Et qui ex uobis timent deum, audite: ita illos officij sui non obscurè admonens, ut intelligant, se tunc demum ueros Israelitas fore, si dei timentes fuerint, & dei uerbo se morigeros præbeant. Nos uerò apostolica exordij breuitas de duobus, scitu & consyderatu dignißimis, admonet. Primum est, quis in præfationibus titulorum, quibus auditores honorificentius compellari solent, usus esse debeat. Vbi honori quidem nonnihil tribuendum est ad Paulo authore, qui iubet ut nos inuicem honoris & reuerentiæ significatione præueniamus. Rom. 12. diligenter tamen cauẽdum, ne quid adulatoria mente & lingua ambitioni insolentium hominum indulgeatur, qui titulorum fastu inebriari consueuerunt. Et hoc potius uidendum, ut titulis idoneis officij admoneantur, quibus cum nobis res est. Meritò ergo laudatur ueterum simplicitas, qui officiorum nominibus contenti, adulatorios illos titulorum fucos ignorauerunt. Quid enim regis titulo addes, quod illo augustius sit & præclarius, cùm solus hic plus contineat, quàm aliquis hominũ præstare

Tituli ambitiosi.

stare possit? Et inter Christianos uerba facturus, num quid fratris nomine amabilius aut Christianorum titulo honorificentius excogitabis, quo & sacerdotalis dignitas & regia maiestas, in quam nos Christus euexit, exprimitur? At hodie eò stultitiæ peruentum est, ut rustici putentur, qui non ementitis titulis, iisq; ineptissimis & ridiculis, orationes & scripta sua farciunt, quibus homines plus satis mente alienatos prorsus ad insaniã redigant. Quantò rectius Augustus Cæsar, qui domini quoque titulum augustiorem putauit, quàm ut sibi, homini mortali, conueniret? Secundò admonemur, quales esse oporteat, qui uerbum dei dignè & nõ sine fructu audire uoluerint. Primum Israelitæ sint oportet, qui in tentationum lucta dei uerbum constanter apprehendant, nec illud sibi ullis aduersis extorqueri patiantur. Fides ergo exigitur, qua sola nos uincere apostolus testatur. 1. Iohan. 5. Deinde dei timentes sint, & ad uerbum eius magna reuerentia contremiscant, quemadmodum per prophetam dominus admonet. Isa. 66. Nec enim fieri potest, ut dei uerbo sese morigerum præbeat, nisi qui de illo magnificè sentire didicit. Quæ causa est, quòd ad dei colloquium accessurus Moses, calceos, id est pecuinos & carnales affectus, exuere iubetur, quibus uerbi maiestas exinaniri consueuit. Tales uerò auditores cum hodie rari sint, frustra ferè dei uerbum prædicari uidemus.

Cæterum, ut ad Paulum reuertamur, exordio historicam narrationem subijcit, qua prima orationis pars absoluitur. Et narrandi quidem initium à patribus sumit, ut simul ostendat, abs se nec nouum deum, nec nouam fidem prædicari, sed eam, qua patres quoque olim saluati sint. Nam illos quidem præclaris & eximijs bonis illustres fuisse, nihil tamen habuisse, quàm quod ex gratia deus contulit, qui ex illorum posteris promissum orbis saluatorem nasci uolebat. At quia diuinam gratiam difficulter agnoscunt, quos propriæ dignitatis fiducia inflauit, Paulus diligenti beneficiorum dei enumeratione utitur, quæ et gratiam dei contra suorum meritorum iactatores asserit, & luculentos communis omnium nostrum redemptionis typos comprehendit. Quare non alienum à Pauli instituto fuerit, si singula percurrentes, ea quoq; expendamus, quæ nostræ institutioni seruiunt. II. Narratio.

Primò fontem omnium bonorum attingit, gratuitam electionem. Deus populi huius (inquit) elegit patres nostros. Vocat autem deum populi Iudaici, non gentilium more, qui singulis populis deos suos proprios tribuebant, sed quòd deus is, qui omnium gentium unicus dominus & rector est, Iudaicam gentem sibi præ omnibus alijs delegit, per quam toti mundo inclaresceret, ut Dauid monuit, Psal. 76. & 147. Electionem uerò hanc gratuitam fuisse, paßim scriptura docet. Iosue certè Abrahamum, priusquam uocaretur, dijs alienis seruiuisse, testatur cap. 24. Et Moses electionem hanc frequenter inculcat, ut intelligant, ad quem authorem bona illa omnia, quibus donati erant referri debeant. Et huc quoque pertinent, quæ Ezechiel. 16. & apud Amos 3. cap. leguntur, omnesq; Iudæis gloriandi occasionem adimunt. Simul uerò hinc patet, nostram quoq; salutem, & quæcunq; in nobis eximia sunt unius dei gratiæ accepta ferri debere, qua nos quoq; in filio suo Iesu Christo, priusquàm mũdi fundamenta iacerentur, eligere dignatus est. Ephes. 1. Rectè igitur Dauid clamat: Beatus, quem tu elegeris, &c. Psal. 65. Quòd si uerò nihil ex nobisipsis boni habemus, sed diuinitus nos eligi oportet, quæ obsecro uæsania est, nostris operibus aut meritis salutem tribuere, quæ nisi gratuita electio præcedat, deo placere non possunt? 1. Electio gratuita.

Secundò populi huius gloriam & illustrem ex Aegypto liberationem allegat. Cùm peregrinus esset & aduena in Aegypto, illum mirificè exaltauit deus, primò quidem per Iosephum, qui Aegypti dominus factus, ipsis quoq; apud illius gentis reges gratiam impetrauit: deinde uerò, quòd tyrannide oppressos, excelso brachio, id est, miraculis & prodigijs conspicua uirtute in libertatem asseruit, & è domo seruitutis eduxit. Sed & hoc gratuitum beneficium fuisse, ex eo patet, quòd peregrini & abiectissimæ conditionis homines fuerunt. Quid enim tales mererentur? Vt interim de eo dicere omittamus, quòd Aegyptiaca superstitione inquinati, in seruitute retineri potius quàm liberari merebantur. Habent uerò hæc communis nostræ redemptionis typum, præsenti argumento mirificè seruientem. Constat enim omnes nos in terra peregrinos esse, nec ullam hîc habere permanentem ciuitatem. Tales uerò nos, qui nec terræ possessionem merebamur, deus in sublimem cœlestis dignitatis gradum euehere, imò filiorum loco habere dignatus est. Idem quoque nos mortifera diaboli tyrannide oppressos, excelso brachio, id est, per filium suum, quem Isaias propheta cap. 53. brachium domini nominat, liberauit. 2. Liberatio Aegyptiaca.

3. Indulgentia dei erga peccatores.

Tertiò, deum populi huius mores totis annis quadraginta in deserto pertulisse dicit. Nec enim his admiranda & plus quàm paterna dei lenitas siue indulgentia, quali nemo mortalium uel erga filium unigenitum, uel erga seruum sibi omnino necessarium, uteretur. Patet hoc si Mosis historiam legamus. Quoties enim aduersus Mosen murmurauisse? quoties seditiose aduersus eundem insurrexisse? quoties mortẽ illi intentauisse leguntur? Sed omissis ijs, quæ in Mosen patrauerunt, quid non designarunt in ipsum deũ? Huius certè præceptorũ obliti, uitulũ fecêre, & transmutarunt gloriam immortalis dei in formã bouis comedentis fœnũ. Quoties uerò Aegyptiacã seruitutem gloriosissimæ liberationis beneficio prætulerunt? quoties dei uoluntatẽ & potentiã tentauerunt? Tulit tamen incurabilem illorũ malitiã deus, licet quotidie nouis supplicijs excindi mererentur. Stupenda hæc uideretur dei lenitas, nisi eandẽ ipsi quoq; indies experiremur. Quæ enim dies, quæ hora præterit, qua non dei in nos iudicium uel factis uel dictis uel cogitationibus & nefandis desyderijs prouocemus? Attamen parcit nobis dominus, licet illi nunquã non ad manũ sint fulmina & infinita alia arma quibus nos puniat. Nouit enim (ut ꝓpheta verbis vtar) conditionẽ nostrã, recordans ꝙ simus puluis. Psal. 103. Ne quis tamen impunitatẽ peccandi hinc stabiliri putet, obseruemus, hanc dei lenitatẽ hoc tantũ cauisse, ne totã gentẽ pro meritis excinderet. Interim tamẽ incurabiles et pœnitere nescios grauiter uindicauit. Nemo enim illorũ in terrã ꝓmissam ingressus est, sed varijs plagis in deserto ceciderunt: adeò vt nec Aaroni nec Mosi pepcerit deus, cùm illi quoq; offendiculi in populo authores fuissent. Nu. 20.

4. Terræ promissæ possessio.

Quartò terræ promissæ hæreditatem cõmemorat, quam Iudaico populo, septem prius deletis potentissimis gẽtibus, deus sorte distribuit. Exponitur hoc multis in libro Iosue. Et Moses beneficium illud dei diligenter cõmendat, quando ait: Quũ introduxerit te dominus tuus in terrã, quam iurauit patrib. tuis, & dederit tibi ciuitates magnas & bonas, quas tu nõ ædificasti: domos quoq; plenas omnib. bonis quas tu non impleuisti: & puteos excisos, quos tu non effodisti: uineas & oleas, quas tu non plantasti, &c. Deut. 6. Quæ uerba ut dei liberalitatem mirificè amplificant, ita iniustitiæ & crudelitatis notam eidem inurere poterant, nisi causæ consyderentur, propter quas gentes istæ eiectæ fuerunt. Enumerat has alibi Moses, dum libidines uagas, incestus, nefaria sacra, sortilegia & alias eius generis artes curiosas prohibet, & addit: Ne incedatis iuxta ritus gentis huius, quam ego eijcio ante uos. Quoniã omnia ista fecerunt, ideo eos cum fastidio repuli, &c. Vide Leuit. 20. & 18. Deut. 18. Propter peccata igitur gentes istæ excisæ sunt, quibus cum etiam Israelitæ polluerentur, ipsi quoq; eiectos fuisse legimus, ut nemo hic deum uel iniustitiæ uel nimiæ seueritatis accusare possit.

5. Reipub. & regni constitutio.

Quintò loco reipub. diuinis legibus optimè constitutæ beneficium proponit. Nec enim terram modò illis distribuit deus, uerumetiam Iudices dedit, à quibus regerentur & assererentur ab hostium tyrannide. Obseruandus uerò hoc loco manifestus error, qui librariorũ incuria annorũ numeros deprauauit. Nam post Mosen et terrã distributã Iudices usq; ad Samuelis tempora annis circiter quadringentis & quinquaginta præfuisse, scribitur, cùm trecenti tantum anni ex infallibili cõputatione colligantur, cuius Paulus minimè ignarus fuit. Constat enim ab exitu Israelis usq; ad templi Salomonici extructionem, cuius initium in quartum Solomonis incidit, numerari annos quadringentos octoginta. 1. Reg. 6. Ab his subtrahendi sunt 40. anni Mosis, quibus in deserto populum duxit, 40. item Samuelis & Saulis, & totidem Dauidis unà cum quatuor primis regni Solomonici: & remanebunt anni trecenti quinquaginta sex, quibus Iudices rempub. Israelis administrauerunt. Comprehenditur autem his duplex diuinæ bonitatis argumentum. Nam toto illo Iudicũ tempore non semel excindi meruerunt, & tamen seruati sunt. Deinde cùm contempta reipub. forma, quam à deo optimam acceperant, regem postularent, non exterum aliquem tyrannum capitibus ipsorum deus imposuit, sed regem dedit Saulem ex fratribus ipsorũ, & quidem contemptissimæ tribus hominem, ne nimia & intolerabilis in ipso initio esset noui regis potentia. Quid quòd inconsulta illorũ temeritate bene usus est dominus? Ita enim regnum ad Iudam deuoluit, è cuius regali stirpe Messiam oriturum esse, Iacob prædixerat. Gene. 49. cap. Sed de hoc postea agetur. In præsenti uerò obseruemus, reipub. constitutionem inter præcipua dei beneficia numerari. Quia enim natura disciplinam homines refugiunt, sine qua uitam ducere quietam & tutam, impossibile foret: diuinæ uirtutis opus est rerumpub. & magistratuum constitutio. Cuius meminisse cõuenit, quibus pace simul & bonis legibus frui datum est: ne dum ingratos se deo præbent, reges in furore sibi dari sentiant, quod Iudæis accidisse, propheta

propheta testatur. Hos. 13. Imprimis uerò suam felicitatem Christiani agnoscant, quibus æterni & cælestis regni consortium à deo præparatum est in Iesu Christo, rege inuictissimo & immortali: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA XC.

Et sublato Saule suscitauit illis Dauidem in Regem, cui testimonium reddens, dixit: Inueni Dauidem filium Iesse, uirum secundũ cor meum, qui faciet omnes uoluntates meas. Huius ex semine deus iuxta promissionem adduxit Israeli saluatorem Iesum: prædicante prius Iohanne ante faciem ingressus eius baptismum pœnitentiæ toti populo Israel. Cùm autem impleret Iohannes cursum dixit: Quem me arbitramini esse? Nõ sum ego. Sed ecce uenit post me, cuius subligacula pedum soluere non dignus sum.

Diuus Paulus hac concione sua totus in hoc incumbit, ut Iudæos ab inani & superstitiosa legis fiducia ad salutiferam Iesu Christi fidem adducat. Quia uerò illi prærogatiuis aliquot, quibus ipsorum gentem deus exornauerat, ita gloriabantur, ut sibi nullo alio saluatore opus esse putarent, prima concionis parte hanc fiduciam oppugnans, docet, patres non suo merito, sed ex mera dei gratia habuisse, quicquid in illis eximium & præclarum fuit, & id quidem propter Messiam, qui ex illorum stipe enasci debuit. Inde uerò cuiuis cordato colligendum relinquit, Messiam hunc constanti fide arripi simul & retineri oportere, nisi à gratia dei & pristina dignitate omnino excidere uelint. Porrò primam hanc concionis suæ partem diligenti ueterum beneficiorum dei enumeratione absoluit, in quibus singulis diuinæ gratiæ bonitas elucet, quæ ut patres initiò elegit, ita secus quã illi merebantur seruauit, cùm non semel perdere & reijcere potuisset. Deduxit autem historiam usq; ad Saulis tempora, cuius mentionem ideò cumprimis fecisse uidetur, ut commodior esset ad Dauidem transitus, quem promissi saluatoris patrem scripturæ nominant. Et in præsenti quidem, ut ad hunc regni translatio facta sit, docet: deinde ea occasione alteram concionis partem aggreditur, qua probat Iesum esse Christum, cuius officiũ simul & uniuersum redemptionis nostræ negotium fusius exponit.

Facit autem non parum ad Pauli institutum regni translatio. In ea enim insigne bonitatis dei argumentum eluxit, quando reipub. formam mutare ausis, non tyrannum imposuit, sed eo sublato, optimum regem dedit, promissi Messiæ patrem, adeoq; illorum insania & temeritate, præter illorum meritum, bene uti dignatus est. Et ut luculentius esset dei beneficiũ, Dauidis encomium, ab ipso deo prolatum, recitat. Nobis uerò tum de Saule è regni solio deturbato, tum de Dauide in eius locum surrogato, quædam dicenda sunt, quæ & ipsum Paulũ fusius tractauisse verisimile est, cùm nostræ institutioni non mediocriter seruiant. Et primò quidem, ne quis deum in regnorum translationibus tyrannico more ludere arbitretur, sacra historia consuli debet, quæ causas repudiati Saulis diligentissimè recenset. Præcipua in his fuit insolens diuini verbi contemptus, qui priuatæ gloriæ studiosiorem quàm diuinæ fecit. Exempla huius extant in primo Samuelis cap. 13. & 15. Inde secuta sunt horrenda quæq; facinora. Nam non Dauidem modò, quem diuinitus probari videbat, persequi ausus est, verumetiam Ionathæ filio necem molitur, & dei sacerdotes crudeliter occidit. Adhæc veneficam consulit, & reprobæ mentis specimen in ipso uitæ fine exhibet, sibijpsi crudelem manum inferens. Est uerò exemplum hoc cumprimis memorabile, in cuius consyderatione omnes homines, maximè uerò qui in magistratu sunt, crebrò uersentur: ut intelligant cùm suam ipsorum tum rerumpublicarũ suarum salutem ab uno deo pendere, & proinde uerbum dei audiant, gloriam illius prouehant, eiq; (ut Dauides monet) in timore seruiant, & filium dei, Iesum Christum, quem ille regẽ regum constituit, uenerabundi & supplices exosculentur. Psal. 2. At quia hodie regum & principum lusus est, contempto dei uerbo pro sua libidine omnia uersari, nemini mirũ uideri debet, si unà cũ suis regnis miserè pereant. De Christo enim dictũ est: Gens & regnũ, quod nõ seruierit tibi, peribit, &c. Isa. 60.

Regni Iudaici translatio ad Dauidem.

Cur repudiati Saulis.

Sed Dauidem uideamus, quem insigni elogio ipse deus ornare dignatus est, quod partim ex Psal. 89. partim uerò ex cap. 13. primi Samuelis concinnat Paulus, nec quicquam diuinis oraculis interserit, quam quòd filium Iesse uocat, quem Bethlehemitam & obscuræ conditionis hominem fuisse, &

Dauidis encomium.

è re pecuaria cumprimis uictum quæsiuisse, historia sacra docet. Facit hoc ad amplificandam bonitatem dei, qui obscurum hominem, eumq́ inter fratres suos natu minimum in tantam dignitatem euehere uoluit: simulq́ prohibet, ne uel de ipso Dauide insolentius glorientur, quando hunc quoq́ mera dei gratia sic exaltatum fuisse constet. Et sanè si Dauidem ipsum audiamus, hoc ingenuè fatetur. Auditis enim dei promißionibus de Meßia è sua stirpe nascendo, exclamauisse legitur: Quis sum ego domine deus? & quæ domus mea, quòd me tantopere euehis? &c. 2. Sam. 7. Porrò ut Saulem regno excidisse diximus propter immanem uerbi contemptũ & inobedientiam: ita hoc nomine potißimum Dauid cõmendatur, quòd omnes dei uoluntates fecerit. Vnde generalis doctrina peti debet, eos demum probari deo, qui ipsius uoluntati sese accommodant. Nec enim sacrificijs ullis deus placatur, sed obedientia delectari solet. 1. Sam. 15.

Quomodo Dauid dei uoluntatem omnem fecisse dicatur?

Cæterũ quæritur hoc loco, quomodo dei uoluntates omnes fecisse dicatur Dauid, qui tamen adulterio & homicidio sese polluit, quiq́ superbia seductus populi censum aduersus dei uoluntatem instituit? Sed facilis est ad illa responsio. Primò enim cùm se promißi saluatoris patrem fore audiret, hunc constanti fide apprehendit, & propterea deo displicere non potuit, cùm eum haberet, in quo illi complacuit. Deinde ex fide hac omnes illæ uirtutes germinauerunt, quibus deum delectari constat. Hæc enim humilem reddidit, & magnificum beneficiorum dei æstimatorem, ut modò diximus. Eadem, si quando per infirmitatem laberetur, illum denuò erexit, & ad pœnitentiam agendam extimulauit. Hæc ipsa uerbi dei amantem & studiosum effecit, ut illud fauis melle stillantibus præferret. Psal. 19. Fidei quoq́ opus fuit, quòd uerbi disciplinam patientißimè tulit, imò obsequentem se ad omnia ferenda præbuit, quæ sibi propter peccata diuinitus irrogari audiebat. Cum enim Nathan prophetam bella intestina & gladium sibi minitari audiret, non illum reiecit improbè, nec seditionis accusauit, sed hoc unum respondisse contentus fuit: Peccaui domino. Nec socordis aut fastidientis animi ea vox fuit, sed uerè dolentis & culpã deprecantis, quod ex Psalmo 51. quem eodem tempore composuit, uidere licet. Nec illum quicquam simulauisse, res ipsa declarauit. Cùm enim urbe & regno per filium pelleretur, Zadoko sacerdoti, qui arcam ad ipsum detulerat, inquit: Reduc arcam dei in urbem. Si nactus fuero fauorem coram domino, me restituet, ostendetq́ mihi & se & habitaculum suum. Quòd si dixerit, Nihil te delector: præsto sum, faciat mecum, quod illi bonum uisum fuerit. 2. Samuel. 15. Eiusdem animi specimen fuit, quòd maledicentem sibi Semeium non modò patienter tulit, sed eundem sua authoritate, ne quid mali pateretur, defendit. 2. Sam. 16. Quòd item optionem offerenti domino, ut ex tribus plagis quam uellet, eligeret, respondit: Supra modum angor, incidamus quæso in manum domini, &c. 2. Sam. 24. Quid quòd angelo in populo funesta lue grassanti dixit: Ego peccaui, ego iniquè egi, oues autem istæ quid fecerunt? Sit quæso manus tua contra me & contra domum patris mei. Quid hoc animo modestius, sanctius, tractabilius & mansuetius? Vt interim de ijs dicere omittamus, quæ in Saulem multis modis sibi iniurium, omnis officij & pietatis plena designauit. Cùm his si Saulis animum, ambitione, fastu, inuidia, odio, ira, dei contemptu & immani contumacia æstuantem conferas, facilè uidebis, quantum inter utrumq́ discriminis fuerit. Seruiunt autem hæc communi omnium hominum institutioni. Docent enim quales eos esse conueniat, qui deo probari cupiunt. Si enim Christum Iesum uera fide complexi, obseruationi mandatorum dei studuerit, fiet ut quod infirmitate carnis peccatum fuerit, Christi merito sarciatur, & in uitium aliquod prolapsi, huius spiritu duce per pœnitentiam à lapsu resurgent.

Secunda concionis pars, docens Iesum esse Christum.

Porrò ex Dauidis historia occasionẽ arripiens Paulus, ad secundam suæ concionis partem transit, qua Iesum, quem apostoli prædicarunt, promissum illum Saluatorem esse docet, propter quem patribus olim benefecerit deus. Et quia sibi cum Iudæis, infensißimis Christi hostibus rem esse nouerat, multis simul & firmis argumentis illud asserit, è quorum numero tria præsenti hoc loco continentur, quæ ordine excutiemus.

1. Iesus natus iuxta promißionem è semine Dauidis.

Primum est, quod inde natum esse dicit, unde nascendũ prophetæ prædixerant, nimirum ex Dauidis semine. Atqui longum foret singulas promißiones producere, imò superuacaneũ quoq́, cùm ita tritæ fuerint, ut uulgò Meßias Dauidis filius diceretur. Si quis tamen plura cupit, legat quæ habentur 2. Samuel. 7. Psal. 132. Isa. 11. Ierem. 23. &c. Christum uerò è Dauidis semine hominem natum esse diligenti genealogia Matthæus & Lucas euincunt. At hîc simul, obseruemus, quòd secundum

promißion

promissionē Saluator hic excitatus fuisse dicitur. Docet hæc particula, hunc quoq; ex mera dei gratia nobis datum esse, nec alicuius hominis merito tribui debere, quòd deus filium suum saluatorem nobis misit. Promissionem enim ex gratia factam fuisse, ipse Dauides fatetur, ut paulò ante uidimus. Quòd si quis modestiæ tribuere uelit, ea promissione conuincetur, quam primis parentibus, fugitiuis & mortem commeritis, factam fuisse legimus. Gene. 3. Et ipse Christus ingenuè ad dei gratiam omne hoc refert, quando Iohan. 3. ait: Ita deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, &c. Quæ uerba apostolus exponens, scribit: In hoc est charitas, non quòd nos dilexerimus deum, sed quòd ipse dilexerit nos, &c. 1. Iohan. 4. Simul quoq; infallibilis hic elucet dei Veritas, quæ ad omnes promissiones extendi debet, ut inde firmam in omnis generis tentationibus consolationem petamus. Qui enim fallere noluit, cum de filij ipsius morte ageretur, cur in alijs falleret?

Secundū argumentū est, quòd eo modo Iesum uenisse dicit, quo promissum Saluatorem uēturum esse prophetæ prædixerūt. Habuit enim præcursorē, qualis describitur Isa. 40. Malach. 3. & 4. cap. Fuit is Iohannes qui pœnitentiæ baptismū prædicauit, quo hominū animos ad Christū rite excipiendum præparauit. Eodē argumento Marcus euangelista utitur, quando negotiū Iesu Christi ita cœpisse scribit, sicuti à prophetis prædictū fuit. Interim obseruatu dignū est, quòd præcursore opus fuit, qui pœnitentia (quam uerbis simul & sacramento cōmendauit) homines Christo præpararet. Arguit hoc naturæ nostræ corruptionē, qua fit ut salutis minimè capaces simus, nisi toti mutemur & regeneremur. Adhæc eos quoq; confutat, qui Christi doctrina peccandi licentiam plantari existimant, cum nemo ad illū admittatur, nisi qui uera pœnitentia dignè præparatus fuerit. Quia tamen de hoc sæpe iam dictum est, & noua passim sese occasio plura dicendi offert, hæc obiter annotauisse sufficiat. 2. Iesus præcursorem habuit sicuti prædictū.

Tertium argumentum à pronunciatis ducitur. Nam Iohannis testimonium allegat, non quòd Christi causa hominum testimonijs nitatur, sed quòd tanta esset Iohannis inter Iudæos authoritas, ut uulgò pro propheta haberetur, ut uidere est Matth. 21. & apud Iosephum, qui Iohannis indignam necem cladis, quam Herodes ab Areta acceperat, causam fuisse scribit. Quo sensu ipse Christus eiusdem testimonio alicubi usus est. Iohan. 5. Hic (inquit Paulus) cum à quibusdā Messias putaretur, omni suspicione populum liberaturus ait: Quem me arbitramini esse? Non sum ego Christus. Sed ecce uenit post me, &c. Explicantur hæc fusius Iohan. 1. Luc. 3. & Matth. 3. cap. Hic autem quod nam uulgi ingenium sit in æstimandis dei seruis proponitur. Aut enim nimium illis tribuit, aut omnino contemnit, tertium autem uel medium non habet. Qui enim initiò Iohannem Messiam esse suspicantur, eundem paulò post crudelissimo tyranno prædæ fieri patiuntur. Cuius rei exemplum sequenti Capite in Lystrensibus proponetur. Suo aūt exemplo Iohānes docet, qua fide sancti in Christi gloria asserenda uti soleant. Nec enim uulgi stoliditate abutuntur ut ipsi magni fiant: sed ut sua gloria Christo integra maneat, sese prorsus exinanire & uilissimos æstimare solent. Imò in hoc suam gloriam consistere putant, si per ipsos Christus Iesus passim glorificetur. Quòd si uerò Iohannes, quo nemo inter natos mulierum sanctior habetur, Christi comparatione nullus omnino est, quis non intelligat, nostræ redemptionis laudem uni & soli Christo transcribi debere? Docuerunt idem Petri & Iohannis exempla, de quibus supra capite tertio & decimo dictum est. Nostrum est, uni Christo confidere, & hunc agnoscere olim promissum saluatorem: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen. 3. Iohannis Baptistæ testimonium de Iesu.

HOMILIA XCI.

Viri fratres, filij generis Abrahami, & qui in uobis timent deum, uobis sermo salutis huius missus est. Nam qui habitabant Hierosolymis, & principes eorum, cum eum ignorarent, & uoces prophetarum, quæ per omne sabbatum leguntur, eo damnato impleuerunt. Cumq; nullam causam mortis inuenissent, postularūt à Pilato, ut eum occideret. Et postquā consummarunt omnia, quæ de ipso scripta sunt, sublatum è ligno posuerunt in monumētum. Deus autem suscitauit eum ex mortuis, qui uisus est per dies complures his, qui simul ascenderant cum eo à Galilæa Hierosolymas, qui sunt testes eius ad populum.

QVod omnis scriptura, tum ueteris tum noui Testamenti, unanimi consensu tradit, id ipsum hac concione sua Paulus ingenuè simul & constanter docet: nimirum, quòd Iesus Christus unicus humani generis redemptor & saluator sit, in quo uno nobis à deo patre benedictio, iustitia, salus et uita obtingat. Quia uerò cum Iudæis ipsi res erat, quos insuperabili ferè contumacia Christo aduersari nouerat, magna grauitate causam hanc agit. Et initiò quidem tria argumenta præmisit, quibus id euinceret. Subiungit his alia, quæ ita proponit, ut simul ijs occurrat, quæ auditores in fide Christi suscipienda remorari poterant. Primò enim Christum Iesum ad ipsos pertinere testatur, ne quis illum de re prorsus aliena loqui putaret. Deinde crucis offendiculo medetur. Tandem Christi resurrectionem, quæ præcipuum diuinitatis illius argumentum est, allegat & cōstanter asserit. Nos uerò de singulis, quod Dominus dederit, ordine dicemus.

Euangelium Iudæis primis prædicari debuit.

Viri fratres (inquit) filij generis Abrahami, & qui in uobis timent deum, uobis sermo salutis huius missus est. Grauis hæc est interfatiuncula, qua illos excitari uoluit, ne Christi doctrinam nihil ad se pertinere putarent. Verisimile enim est fuisse eo tempore plures, qui à sua professione alienum putarent, sese controuersijs de fide & religione obortis, immiscere: quales hodie etiam passim inueniuntur, qui hac opinione primam prudentiæ laudem & gloriam sibi uendicant. At negat hoc Paulus, & ut facilius illis, quod res erat, persuaderet, magnificis titulis eos compellat. Præterquam enim quòd communi & recepto more uiros fratres uocat, addit: Filij generis Abrahami: quo titulo ipsos propter fœdus dei & promissiones cumprimis gloriari nouerat. Ne tamen generis prærogatiuam sufficere putarent, simul officij illos admonet, cum subijcit: Qui in uobis timent deum. Ita enim docet, tunc demum illos genuinos & ueros Abrahami filios fore, si externæ professioni dei timorem & syncerum religionis studium coniunxerint, de qua re Christus etiam Iohānis octauo disputat. Deinde uerò infert: Vobis sermo salutis huius missus est. Quasi dicat: Si filij Abrahami & ueri dei cultores censeri uultis, salutis doctrinam, quæ singulari dei beneficio uobis primis offertur, nullo modo aspernari poteritis. Nec enim eo sensu hæc à Paulo dicuntur, quòd à salutis consortio gentes adhuc exclusas putaret, quarum uocationi ipsum spiritus sanctus destinauerat. Sed dei consilium respicit, qui ut Christi promissiones Iudæorum patribus proposuerat, eosq; populum sibi peculiarem à reliquis segregarat: ita ipsis quoq; primis salutem in Christo exhibitam prædicari uoluit, quemadmodum in euangelio non obscurè Christus testatur, quando apostolos, cum primùm emitterentur, in uiam gentium abire uetat. Matth. 10. At sublato in Christi morte uelo, quo à Iudæis gentes distinguebātur, illis quoq; ianua patefacta est, ut per fidem Abrahami filij facti, eandem cum Iudæis uitæ hæreditatē adire possint. Prærogatiuæ ergo Iudæos Paulus admonet, qua deus illos ornauerat, ne Christi cognitionem, quasi nihil ad se pertinentem, inconsulta temeritate reijcerent. Est autem omnibus uerbi ministris imitandum Pauli exemplum, ut meminerint ita prædicandum esse dei uerbum, ut quæ dicuntur, auditores ad se pertinere intelligant. Nisi enim id fiat, cantilena insulsa inani sono illorum aures uerbum dei feriet, quemadmodum Ezech. 33. legimus. Ita ergo salutis promissiones proponant, ut singuli certi fiant eas ad se pertinere, & inde consolationem accipiant. Ita dei præcepta ingerant, ut singuli abs se quoq; horum obseruationem requiri sentiant. Ita dei iudicia prædicent, ut qui similia meruerunt, sibi hæc ipsa expectanda esse norint. Ita enim demum rectè fungatur uerbum domini, si singuli ex eo haurire possint, quæ ipsorum uel institutioni, uel consolationi, uel emendationi seruiunt. Præterea insignis euāgelij laus est, quòd salutis sermo uocatur, quo sensu angelum quoq; Cornelio dixisse, supra uidimus: Simon Petrus loquetur tibi uerba, per quæ seruaberis & domus tua, &c. Illud hic monuisse sufficiat, enormem illorum ingratitudinem esse, qui uerbum illud maledictis incessunt, & eosdem propriæ salutis acerrimos hostes esse.

Offendiculo crucis medetur

Hinc uerò Paulus ad crucis offendiculum transit, cui diligentissimè medetur, eo quòd non sine graui causa morte Christi offendebantur, qui eius mysteria ignorabant. Et cumprimis atrox uidebatur, quod Hierosolymitani antistites eius authores essent. Erat enim Hierosolyma religionis, sacerdotij & doctrinæ sedes, & inde iuxta ueteres prophetias uerbum salutis expectabatur. Isa. 2. Quare non poterat non absurdum uideri, eum pro saluatore agnoscere, quem Hierosolymitani proceres pro schismatico & seductore in crucem egissent, et eam doctrinam amplecti, quæ Hierosolymis explosa erat. Tanta quippe erat ciuitatis sanctæ (ita enim à prophetis appellatur Hierusalem) autho-

authoritas, ut pleriq; impoßibile putarent, eam in fidei & religionis caussa errare posse. Cæterum Paulus offendiculo isti sic medetur, ut illius ciuitatis exemplum cauendum potius, quàm imitandum esse doceat, ne simili ingratitudine & impietate deum offendant. Sunt autem quatuor quæ in eum finem adducit.

Primò, qui habitabant Hierosolymis (inquit) & principes eorum, cum eum ignorarent, damnarunt. Ignorantiam ergo tanti facinoris causam fuisse dicit, ut etiam 1. Cor. 2. Quis uerò imitatione dignum esse putet, quod per ignorantiam peccatum esse audit? Nec tamen eiusmodi ignorantia hæc censeri debet, quæ factum excuset. Nam simul scripturas ignorauisse dicuntur, & quidem uulgares illas, quæ omnibus sabbatis legi consueuerant. At turpe simul & nulla uenia dignum scelus est, sacerdotem scripturas nescire, cum ab eo legis scientiam requirere deus iubeat. Malach. 2. Adhæc magnam excusationis partem illis adimit, quòd ab ipso Christo, ut scripturas scrutarentur, admoniti fuerunt. Iohan. 5. Atqui omnis ignorantiæ causam hanc unam fuisse, alibi Paulus docet, quòd sine Christo in Mosis & prophetarum lectione uersabantur. Hoc enim illud uelum erat, quod obstabat, quò minus Mosis faciem, id est uerum legis sensum, intueri possent. 2. Cor. 3. Cum ergo cæci duces fuerint (quales à Christo quoq; dicuntur, Matth. 15.) minimè imitandi erunt. Admonemur itaq; hoc loco, non semper clarorum uirorum iudicijs & exemplis insisti debere, quin potius ad scripturæ regulam facta omnia examinari debent, priusquam in exemplum trahãtur. Si enim turpiter hallucinati sunt, qui in populo dei ex diuina institutione primum dignitatis gradum obtinuerunt, quid de reliquis omnibus sperandum erit? Simul uerò confutantur, qui nobis cum dei uerbum profe rimus, principum uirorum & magnorum antistitum exempla obijciunt. Nec enim quid homines faciant quæritur, sed quid iuxta dei uerbum rectè aut secus fiat. Deinde docemur, non prodesse nobis quãmuis frequentem scripturæ sacræ lectionem, nisi sensus scripturæ nobis probè perspectus sit. Legebantur ueteri & recepto apud Iudæos more in omnibus synagogis Moses & prophetæ. Sed quia propriæ iustitiæ fiducia decepti, finem legis, Iesum Christum, ignorauerunt, nescij scripturas impleuerunt, eum immani audacia occidendo, quem Moses & prophetæ saluatorem fore prædixerant. Idem iam seculis aliquot in Papatu accidisse uidimus. Leguntur enim & canuntur ab indoctis monachis & sacrificulis scripturæ sacræ. Interim tamen Christus, quem illæ tradunt, à plerisq; contemnitur: colitur aũt & adoratur Antichristus, quem unicè cauendum esse monent. Nec alia tam fœdi erroris causa est, quàm quòd Iudaica suorum operum fiducia inflati homines, Christi iustitiã uidere non possunt, dum propriam iustitiam stabilire conantur. Vide Rom. 10.

1. Sacerdotes ignorarunt Christum & scripturas.

Secundo loco diuinæ prouidentiæ authoritatem allegat, docens ideo neminem Christi morte offendi debere, quòd nihil ille passus sit, quàm quòd prophetæ, quibus dei consilia & decreta spiritus reuelauit, passurum prædixerunt. Quare sacerdotes cum scripturas ignorarent, eas tamen impleuerunt, quando Christum damnare & occidere ausi sunt. Nec dubium est, Paulum hoc loco prophetarum oracula adduxisse, quæ de Christi paßionibus ubiq; extant. Nobis uerò obseruandum uenit, quòd prophetias ab impijs Christi hostibus impletas fuisse dicit. Hoc enim docet, impios quoq; dei organa esse, quibus is sua consilia & decreta frequenter expedire consueuit. Nec tamen ideo excusantur illi, quòd ea faciant, quæ deus fieri uult. Quia enim audaci impietate aduersus deum furiunt, & illius consilia impedire, non promouere student, in illis quidem impietatis culpa hæret, deo aũt laus & gloria debetur, qui illorum audacia optimè uti nouit. Simul autem insuperabilis dei potentia & eiusdem infallibilis ueritas in eiusmodi exemplis elucet. Si enim illius consilia per hostes quoq; effectum sortiuntur, illa perpetua & æterna esse oportet. Quare hinc consolationem petant, quorum infirmitas immanibus principum huius mundi consilijs terreri solet.

2. Sacerdotes impleuerunt scripturas.

Cæterum, quia nihilominus obijci poterat, uix credi fas esse, eum à deo saluatorem datũ fuisse, qui infami simul & secundùm legem execrabili mortis genere sublatus sit: tertio loco, innocentem fuisse probat, nec tam mortis genus quàm causam respici debere, docet. Cum (inquit) nullam causam mortis inuenissent, postularunt à Pilato, ut eum occideret. Potuerunt hæc fusius exponi, quod Paulum fecisse uerisimile est, cum apud eos uerba faceret, quibus tota Christi causa suspecta erat. Nobis uerò scopum Pauli tenere sufficiat, non debere quenquam infami Christi morte offendi, quam insons sustinuit, cum non rarò sanctißimi quiq; indignis & iniustis modis occidi soleant. Interim uerus

3. Christus innocens in crucem actus est.

etiam innocentiæ Christi usus obseruari debet, qui in peccatorum nostrorum expiatione uersatur. Quia nisi omnis labis expers fuisset Christus, pro nostris peccatis nũquam satisfacere potuisset. Quomodo enim alios mundaret, qui ipse immundus est? Aut quomodo obæratus aliquis aliorum debita exolueret? Innocentem ergo Christum esse oportuit, ut mortem, quam ipse non meruerat, pro nobis illum subijsse sciremus. Meminit huius Isaias, quando cap. 53. nostræ redemptionis mysterium explicat. Et eòdem illud Pauli pertinet: Deus illum, qui non nouit peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur iustitia dei per illum. 2. Cor. 5. Atqui hæc potißima causa est, quòd in Christi innocentia asserenda tam seriò euangelistæ uersantur. Porrò si Christi morte nemo offendi debet, eò quòd illam innocens perpessus est, eadem ratione indignæ & iniustæ sanctorum cædes neminem debent offendere, quibus fit, ut crucis Christi consortes facti, cum eodẽ glorificentur. Rom. 8. 2. Tim. 2.

4. Sacerdotum conatus non potuerunt Christo obesse.

Quartò, ne quis Christum aduersariorum ui superatum esse putaret, & ideo illum uindicem & saluatorem esse negaret, nihil illum ex infandis sacerdotum conatibus detrimenti accepisse, docet. Consummauerunt quidem illi omnia, quæ de ipso prædicta erant, dum in cruce illum occiderunt, & mortui latus lancea transfixerunt, tandemq́ ipsi è cruce sublatum, deposuerunt in monumentum. At nihil propterea illius gloriæ & potentiæ derogatũ fuit. Deus enim (sicuti prædixerat) illum ex mortuis suscitauit, ut iam æternum uiuat clarificato suo corpore, cui illi miseram hanc & corruptibilem uitam inuiderunt. Cæterum hic neminem offendat, quòd sepulturam Christi impijs hostibus tribuere uidetur, cuius rei honorem fidis Christi discipulis, Iosepho & Nicodemo euangelistæ ascribunt. De eo enim Paulus loquitur, quòd sacerdotes uulgari sepultura non contenti, lapidem monumenti à Pilato obsignari, & milites adhiberi curauerunt, ut uiolenter in sepulchro detinerent, quem humanis uiribus in cruce occisum esse putabant, ignari nimirum, quòd animam suam uolens deposuisset. Iohan. 10. Facit autem ad resurrectionis certitudinem & ueritatem tam diligẽs sepulturæ descriptio. Ita enim constat, nullam in hac fraudem committi potuisse, & mendacem fuisse rumorem, quem sacerdotes, multo auro corruptis militibus, de Christi corpore furtim à discipulis sublato, in uulgus sparserunt. Interim generalis consolatio hinc sumi potest, frustra nimirum aduersus Christum ab impijs hostibus pugnari. Id uerò ad illius membra quoq; transferri debet. Petuntur quidem hæc à malis simul & diris hostibus. Vt ut tamen illi furiant, ne in corpora quidem, adeoq́ nec in pilos fidelium ius habent, nisi id dominus permittat. Quòd si uerò uitam eripere possunt, gloriosam tamen corporum resurrectionem & cœlestis uitæ commercium, quod suis Christus præparauit, eripere nunquam poterunt. Frequenter ergo his meditationibus nosipsos persecutionum tempore consolemur.

Resurrectio Christi asseritur.

Porrò quia in Christi Iesu resurrectionem Paulus incidit, diligentem illius assertionem instituit, eò quòd per hanc diuina Christi maiestas omnium euidentißimè manifestata est, & in eadem (sicut idem apostolus in priori ad Corinth. cap. 15. admonet) præcipua nostræ redemptionis & salutis spes consistit. Et quia hanc à multis negari nouerat, multos quoq; eius rei testes producit. Visus est (inquit) per dies complures his, qui simul ascenderant cum eo à Galilæa Hierosolymas, qui sunt testes eius ad populum. De ijs uerò loquitur, quos in ultima profectione Christo comites fuisse euangelistæ tradunt, quorum non exiguum numerum fuisse uel ex eo constat, quòd ex illis septuaginta ordinauit Christus, quorum concionibus illi paßim uia pararetur. Luc. 10. Quid si eosdem cum quingentis illis fuisse putemus, quibus Christum post resurrectionem apparuisse, idem Paulus author est? 1. Cor. 15. Certè quicunq; fuerint, fides eorum laudari meretur, qua animati, Christo aduersus tot hostes suos testimonium tulerunt. Voluit uerò hos apostolis priores sistere, non quòd illud ipsorum dignitas mereretur, sed quòd minus suspecta esset apud infideles illorum fides, & ne solos apostolos resurrectionis Christi testes esse putarent. Mox uerò apostolorum quoq; testimonium magna cum authoritate allegat, quibus etiam prophetarum oracula coniungit, de quibus sequenti Sermone dicetur. Interea agnoscere nos cõuenit dei bonitatem & fidem, qui tam certa & comperta esse uoluit ea, in quibus nostræ salutis spes maximè uersatur. Amplectamur ergo constanti fide seruatorem nostrum, qui ex mortuis resuscitatus, mortis tyrãnidem fregit, nos in libertatem filiorum dei asserens, qui est unigenitus dei filius, Iesus Christus, deus uerus & æternus: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HO.

HOMILIA XCII.

Et nos uobis euangelizamus promisſionem patribus factam, quòd illam deus impleuerit filijs eorum, nimirum nobis, excitato Ieſu, ſicut & in Pſalmo primo ſcriptum eſt: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quòd autem ſuſcitauerit eum ex mortuis, non amplius reuerſurum in corruptionem, ſic dixit: Dabo uobis ſancta Dauid fidelia. Ideo etiã alibi dicit: Non permittes, ut ſanctus tuus uideat corruptionem. Nam Dauid quidem, cum ſuæ ætati inſeruiſſet, conſilio dei obdormiuit, & appoſitus eſt ad patres ſuos, uiditq́ corruptionem. Quem autem deus excitauit, non uidit corruptionem.

Diuus Paulus ſecunda concionis ſuæ, quam in Antiochena ſynagoga habuit, parte docet Ieſum, qui ab apoſtolis prædicatus eſt, eſſe uerum dei filium, & promiſſum humani generis ſaluatorem, propter quem deus olim patribus benefecerit. Propter Iudæos autem cauſam hanc magna grauitate agit, & quod docere inſtituit, argumentis firmis & ſolidis probat. Oſtendit enim tum genus Ieſu Chriſti, tum aduentus ipſius modum ueterum prophetarum oraculis conuenire. Deinde Iohannis Baptiſtæ teſtimonium adducit, cuius tanta erat apud Iudæos authoritas, ut illi contradicere tutum non eſſet. Quia autem illos cruce Chriſti potiſſimum offendi nouerat, hanc quoq; olim à prophetis prædictam fuiſſe, nec quicquã Chriſto derogauiſſe docet, eò quòd uel inuitis hoſtibus à mortuis reſurrexerit. Porrò ubi in reſurrectionis mentionẽ incidit, hanc multis et diligentiſſimè aſſerit, tum quia hæc euidentiſſimum ueræ diuinitatis in Chriſto Ieſu argumentum eſt, tum quia ex eadem præcipua noſtræ reſurrectionis ſpes dependet. Et primò quidem, ne ſoli apoſtoli hanc nouiſſe & teſtari uiderentur, Galilæos teſtes produxit, quibus Chriſtum à mortuis reſuſcitatum uidere contigit. In præſenti uerò illorum teſtimonio apoſtolorum & prophetarum oracula ſubijcit.

Apoſtolicum teſtimonium magna cum authoritate, quaſi communi omnium apoſtolorum nomine loquens allegat. Nos (inquit) uobis euangelizamus promiſsionem patribus factam, quòd illam deus impleuerit filijs eorum, nimirum nobis, excitato Ieſu, &c. Nemini tamen inſolens uideri debet tanta apoſtolici dicti grauitas, cum illa utatur Paulus, tum quòd Chriſtus apoſtolos teſtes ſuos eſſe uoluerat, tum quod ipſe & Barnabas præſentem legationem ex peculiari ſpiritus ſancti mandato ſuſceperant, ut initio Capitis dictum eſt. Legationis ergo commiſſæ mandata diſertè ſimul & digna cum grauitate proponit, quorum hæc ſumma eſt: Deum in filio ſuo Ieſu Chriſto omnia ea exhibuiſſe poſteris, quæ patribus olim promiſerit. Quo ſenſu ad Corinthios ſcribens Cap. 1. poſterioris epiſtolæ, ait: Quotquot ſunt promiſsiones dei, per Ieſum Chriſtum ſunt etiam, & per ipſum ſunt Amen, id eſt, per ipſum impletæ ſunt. Adeò ut uehementer falli eos conſtet, qui dei promiſsionibus quidem & gratia gloriantur, cum Chriſtum Ieſum reijciant, in quo uno illæ nobis ratæ ſunt. Eò quòd in illo nobis exhibita ſunt, quæcunq; humani generis ſaluti inſeruiunt. In illo enim iuſtitia eſt, quæ coram dei tribunali nos defendit. Hic ipſe ſapientia, ſatisfactio, redemptio & ſanctificatio nobis factus eſt à patre. 1. Cor. 1. In illo uita eſt. Iohan. 1. Idem uia, ueritas & lux eſt. Iohan. 14. & 8. In eodẽ adoptionis ſpiritus datus eſt, per quem clamamus, Abba pater. Rom. 8. Per hunc cœleſtis regni hæredes & conſortes facti ſumus, nimirum ipſo dicente: Ego diſpono uobis, ſicut mihi diſpoſuit pater, &c. Luc. 22. Item: Volo pater, ut ubi ſum ego, ibi quoq; ſint quos dediſti mihi. Iohan. 17. Quàmuis uerò hæc maxima ex parte in ara crucis impleta ſint, Chriſto iam iam morituro dicente, Conſummatum eſt: maximè tamen in reſurrectione horum omnium effectus elucet. Ea enim teſtatur, mortis aculeum hebetatum, adeoq; confractum, & proinde peccatum quoq; exarmatum eſſe, ſicuti multis Paulus docet, 1. Corinth. 15. cap. Ideo horum nunc demum mentionem facit apoſtolus, poſtquam de reſurrectione agere cœperat. Sed priuſquam hinc diſcedamus, quædam paulò diligentius conſyderanda erunt.

I. Apoſtolorũ teſtimonium de Chriſto et eius reſurrectione.

Primò, nos (inquit) euangelizamus promiſsionem patribus factam. Non ergo nouæ alicuius & antehac inauditæ doctrinæ authores ſunt apoſtoli, ſed eam ipſam ſalutis rationem tradunt, quæ patribus olim diuinitus promiſſa fuit. Ideo Chriſtus Moſis & prophetarum teſtimonia allegat. Iohan. 5. Luc. 24. Et Petrus ſupra, omnes prophetas de Chriſto teſtari dixit. Aſſeritur his noſtræ fidei di-

Apoſtolorũ doctrina non noua eſt.

gnitas, & salutis per Iesum Christum nobis acquisitæ certitudo monstratur. Præterea discrimen, quod inter nos & ueteris Testamenti patres est, hic elucet. Promissa his fuit salus, quã nos in Christo exhibitam habemus. Illi item futurum expectarũt, quod nos impletum esse credimus. Adhæc uenturæ redemptionis typi illis dati fuerunt, quibus fidem suam alerent & exercerent: nobis uerò redemptionis peractæ & exhibitæ salutis sigilla dominus instituit. Deniq; nostri oculi uident, & nostræ aures audiunt, quod olim prophetæ & sancti patres uidere & audire desyderauerunt. Matth. 13. Hæc uerò ut fidem nostram confirmant, ita animos nostros ad gratitudinis officia excitare debent, ne exhibitam salutem ingratis animis aspernari uideamur, cuius spes & expectatio patres olim inter omnis generis aduersa in officio continuit.

Veritas diuinarum promissionum.

Deinde diuinarum promissionum ueritas & fides dei infallibilis hoc loco cernitur. Promissionem enim patribus factam ita posteris impleuit, ut filium potius in mundo inopem & inglorium uiuere, tandemq; infami supplicio mori, quàm fidem datam fallere uoluerit. Vbi simul alia etiam circumstantiæ nobis consyderandæ ueniunt, quas omnes dei promißis & prophetarum oraculis consentire constat. Nam promisso tempore in carnem uenit dei filius, quãdo iam quarta Monarchia florebat, & sceptrum à Iuda ablatũ fuerat. Dan. 2. Gen. 49. Natus item est ex solo muliebri sexu, et matre quidem uirgine. Gene. 3. Isa. 7. Locus natalis fuit, Bethlehem, prophetico oraculo olim prædictus. Mich. 5. Miracula per illum edita sunt, qualia sub illius regno euentura Isaias cap. 53. dixerat. De paßione uerò & morte, resurrectione item & ascensione in cælos, quid attinet dicere, quando in his ad literam impleta sunt, quæ Psal. 22. 41. 68. Isa. 53. 63. &c. habentur? De effectu horum, quem olim quoq; per prophetas deus promiserat, supra diximus. Verißime ergo Paulus ait, deũ impleuisse, quæcunq; olim patribus promissa fuerunt. HINC uerò consolationis argumenta in tentationibus peti debent, ne de dei fide in promissa gratia & ope præstanda dubitemus, quem tam fideliter ea præstitisse audimus, quæ non nisi filio suo in mundum & mortis tenebras emisso præstari poterant.

II. Prophetarũ testimonia de Christo & eius resurrectione. Locus Psal. II.

Sed ad Paulum reuertamur, qui quod tanta cum authoritate de Christo dixerat, prophetarum oraculis confirmat. Inter quæ primum locum Dauidi tribuit, quem Psalmo primo (qui hodie secundus numeratur) de Christo uaticinatum esse, ait. Atqui unum duntaxat Psalmi uersum adducit, ita tamen, ut totum Psalmum ipsis in mentem reuocet, quem licet quidam de Dauide exponere conentur, uerè tamen manifestam de Christi regno prophetiam continet, cum pleraq; eiusmodi sint, ut nullo modo in Dauidem referri poßint. Prædicit enim ex spiritus suggestione propheta, Christum multos simul & truculẽtos hostes sensurum, qui regnum ipsius euertere, omnemq; eius authoritatem conuellere cupiant. Irritos tamen illorum conatus fore, eò quòd omnibus illis superior futurus sit Christus. Causa uerò omnium allegatur dei decretum, dicentis: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula à me, daboq; gentes ut sint hæreditas tua, &c. Locum uerò hunc de Christi resurrectione exponit Paulus, eò quòd per hãc deus illum publicè filium suum declarauerit, cũ maximè aduersus eum impia hostium conspiratio fureret. Nam paulò ante blasphemas illas uoces audiuerat: Si filius dei es, descende de cruce. Si rex Israel est, descendat nũc de cruce, & credemus ei, &c. Imò diris mortis terroribus circumuentus clamauerat: Deus meus, deus meus, cur me deseruisti? Nec multò post ita sepulchro inclusus est, ut Romanus præses, Pilatus, Imperatoriæ authoritatis nomine illius operculum obsignaret, & custodes adhiberet milites, qui ipsius resurrectionem impedirent. Quis uerò tunc filium dei putauisset, in quem tantum impijs hostibus licuerat? Sed illo ipso die eum genuit deus, id est, filium suum esse declarauit, quem alioqui ab æterno genuerat, iam uerò deseruisse et abdicauisse uidebatur. Cum enim impij hostes dixissent: Si filius dei es, descende de cruce: non quidem de cruce illum descendere uoluit, sed quod longè maius erat, fecit, ex mortuis nimirum excitando illum, ut ex proprijs uerbis impios illos iudicaret, & Iesum hunc reuera filium suum esse ostenderet.

Resurrectio filiorum dei gloriam patefacit.

Nobis uerò præter hæc obseruandum uenit, quòd Iesu Christi regnum simul & diuinam maiestatem ex resurrectione cumprimis euincit ac asserit spiritus sanctus. Nam alibi quoq; Paulus, de Christo loquens, ait: Qui declaratus fuit filius dei cum potentia, secundum spiritum sanctificationis, ex eo quòd resurrexit è mortuis. Rom. 1. Nam morte deuicta palàm omnibus innotuit, diabolum quoq;, qui mortis habebat imperium, deuictum esse, quæ uictoria non humanarum uirium, sed diuinæ maiestatis opus erat. Debet uerò hoc ad membra Christi extendi. Quia enim & qui sanctificat

& qui

& qui sanctificantur ex uno sunt, nostra quoq; gloria, quæ filijs dei debetur, in resurrectione demum elucebit. Clamamus quidem nunc quoq; Abba pater, & arrhabonem salutis in cordibus nostris gestamus, spiritum sanctum, & nunc filij dei sumus, sed nondum apparuit quod futuri sumus. Scimus autē, quòd cùm apparuerit Christus nouißimo die, similes ei erimus. 1. Iohan. 3. Quæ causa est quod Christus illum diem Matth. 19. regenerationem uocat: non quòd tunc demum filij dei efficiamur, sed quòd eo die filij dei esse declarabuntur, qui in præsenti seculo à deo derelicti, imò deo inuisi putantur. Vide Sap. 5. Petamus hinc consolationem in aduersis contra mundi iniqua de nobis iudicia, & simul abiecta terrestris gloriæ cupiditate cœlestem & futuram gloriam affectemus.

Secundo loco Isaiam producit, apud quem deus Cap. 55. de beneficijs, quæ per Christum collaturus erat, disserens inter alia ait: Feriam uobiscum fœdus sempiternum, misericordias Dauidis fideles. Porrò misericordiæ uocem Paulus, vulgarem Græcorum interpretationem secutus, per Sancti vocabulum reddidit, nec ineptè, cùm Christum intelligat, quo vno omnes promißiones, Dauidi & patribus olim factæ, nituntur. Sensus ergo est: Dabo vobis sanctũ illum, Saluatorem nimirum, quem Dauidi olim pollicitus sum, & in quo ille omnem spem & fiduciam collocatam habuit. Locum verò totum ad Christi resurrectionem refert, ex fœderis perpetuitate argumentum ducens, quasi dicat: Deus cum Dauide æternum fœdus sanciuit, idemq; sempiternum fore posteris quoq; promisit. Atqui fœdus illud Christo inniti certum est, quem paßim Dauidis filium scripturæ uocant. Ergo Christũ quoque æternum & immortalem esse oportet. Nec enim æternum esse posset fœdus illud, nisi æternus & incorruptibilis esset is, in quo illud sancitum est, & qui vnicus est illius mediator. Sequitur ergo, necessarium fuisse, ut ex mortuis resurgeret Christus, semelq; resuscitatus, nullam posthac corruptionem subiret. EST autem obiter obseruandum, quòd semel duntaxat mori debuit Christus. Inde enim sequitur, semel duntaxat illum pro peccatis immolari potuisse, quando absq; sanguinis effusione peccatorum remißio nulla est. Vide quæ de hac re copiose disputantur ad Hebr. 9. & 10. cap. quibus Missæ sacrificium ita euertitur, ut mirum sit, aliquem inter Christianos tam perfrictæ frontis esse, ut illud tueri & stabilire ausit.

Locus Isa. LV.

Christus semel duntaxat oblatus est.

Tertium testimonium ex Psalmo 16. allegat, quo Petrum quoq; in prima concione Hierosolymis usum esse vidimus, & eodem planè modo. Simul enim euincit, locum illum non de Dauide, sed solo Christo intelligi posse. Ita enim argumentatur: Dauidis vox est, Nõ permittes, ut sanctus tuus uideat corruptionem. Dauidem uerò aliorum hominũ more uitæ suæ cursum absoluisse, & postquàm suæ ætati inseruiuit obdormiuisse, & in puluerem abijsse constat. Nõ ergo de seipso Dauid loquitur, sed de Christo, quem ex se nasciturum esse nouerat. Is enim priusquàm corruptionem subiret, tertio die excitatus, glorioso corpore resurrexit. Ita uerò Paulus omnia Christi mysteria paucis uerbis comprehendit, eumq; esse docuit, de quo prophetarum oracula paßim extent. Porrò priusquàm dicendi finem faciamus, obseruemus primò locutionem, qua Dauidem suæ ætati uel suo seculo inseruijsse dicit. Ea nos nostri officij simul & sortis admonet, docens, exigi à nobis mutuæ charitatis officia, quoad in hoc mundo viuimus, postquàm verò vita hac exempti sumus, nos omni officio erga quosuis homines defunctos esse, nec quicquã à nobis vlterius requiri. Nihil ergo defunctis commercij est cum viuentibus, vt rectè apud prophetam sancti dicant: Abraham nos nõ cognoscit, nec Israel nouit nos, &c. Isa. 63. Confutatur his interceßio & inuocatio Diuorum, quorum beatitudo integra esse non posset, si nostris ærumnis illi occuparentur. Arguuntur item apparitiones spirituum siue animarum, ex quibus ingentem quæstum hucusq; fecerunt, qui purgatorium ignem commenti sunt. Deinde Dauidis mortem ita describit Paulus, ut simul quæ omnium nostrum in morte sit conditio, exponat. Nam primò illum consilio dei obdormiuisse ait. Non ergo ab incertis fortunæ euentibus aut hominum uoluntate mortis nostræ hora dependet, sed in dei consilio continetur, qui ut capillos nostros, ita etiam uitæ nostræ dies numeratos habet. Matth. 10. Atqui unum hoc aduersus pericula & mortis terrores consolari poterat. Deinde illum obdormiuisse dicit. Somnum enim Christus quoq; mortem appellat, eò quòd in hac omnibus vitæ molestijs defuncti, sub futuræ resurrectionis spe requiescimus à laboribus nostris. Apoc. 14. Tertiò, ad patres suos collectus esse dicitur, qua locutio in scripturis frequens est, & certas defunctorum animabus sedes destinatas esse docet, de quibus in diuitis epulonis & Lazari parabola Christus quoq; mentionem facit, Luc. 16. Colliguntur enim inter beatos pio-

Locus Psal. XVI.

Defunctorum conditio.

Mortis consyderatio.

rum animæ, quarum sedem Abrahami sinum aliquando scriptura uocat. Rursum uerò apud inferos conueniunt impij & quotquot terrorem suum posuerunt in terra viuentium. Ezech.32. Isa.14. 30. Postremò corruptionē vidit Dauides. Ea enim dei irreuocabilis sententia est, ut qui ex puluere originem ducimus, in puluerem conuertamur: idq; nostræ salutis ratio exigit. Oportet enim ut corruptibile hoc induat incorruptibilitatem, & mortale hoc immortalitati donetur, eò quòd affectibus obnoxia caro regni dei hæreditatem consequi non potest. 1. Cor.15. Magna ergo nobis in ipsa corruptione spes reposita est, quam futuræ regenerationis & gloriosæ resurrectionis initium esse scimus. Atqui hanc unam sanctorum spem fuisse, unius Iobis uerba, quæ cap.19. extant, abunde docent. Eadem igitur nos quoq; consolemur, nec mortem horreamus, post quam filio dei, Iesu Christo, conformes reddemur: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA XCIII.

Notum ergo sit uobis, uiri fratres, quòd per hunc uobis remissio peccatorum annuntiatur, & ab omnibus, à quibus non potuistis in lege Mosis iustificari, in hoc omnis qui credit, iustificatur. Videte igitur, ne superueniat uobis, quod dictum est in prophetis: Videte cōtemptores & admiramini, & euanescite: quia opus ego facio in diebus uestris, cui non credetis, si quis enarret uobis.

POstquàm Diuus Paulus perspicuè & diligenter demonstrauit, Iesum Christum verum esse dei filium & olim promissum humani generis saluatorem, simulq; omnia illa amouit, quæ Iudæos quò minus Christum amplecterentur, impedire poterant, tandem præsenti loco concionem suam concludit, qui duabus partibus absoluitur. Primò enim beneficia, quæ nobis in Christo conferuntur, edisserit, si fortè horum cōsyderatio auditorum animos veræ fidei studio inflammare posset. Deinde horrendum dei iudicium illis ob oculos statuit, quo is filij & uerbi sui contemptum uindicaturus sit, si increduli & incurabiles esse pergant.

Christi cognitio ad salutem consequendam necessaria est.

Primum graui uerborum pondere absoluit, dicens: Notum ergo sit uobis, uiri fratres, quòd per Iesum hunc, quem hucusq; prædicaui, vobis remissio peccatorum nuntiatur, &c. Nec temerè particula hæc: Notum sit vobis, præmittitur. Ea enim illos attentos reddere, & ad diligentem eorum, quæ sequuntur, consyderationem excitare voluit. Ita enim docet, conueniens & necessarium esse, ut Christum nouerint, quicunq; saluari cupiunt. In cognitione enim hac potissimam salutis nostræ partem versari, ipse Christus author est, cùm ait: Hæc est vita æterna (pater) vt te cognoscant solum verum deum, & quem tu misisti, Iesum Christū. Iohan.17. Deinde cum peculiari dei consilio factum sit, vt per euangelij prædicationem Christi cognitio per totum terrarum orbem uulgaretur, non possunt non improbi & ingrati diuinæ bonitatis contemptores censeri, quicunq; diuinitus oblatam salutis notitiam aspernantur. Confutantur igitur hoc loco, qui fidei causam nihil ad se pertinere dicunt, & voluntaria ignorantia in salutis negotio hallucinatur. Solent illi ferè Christi verbis abuti, quibus eum seruum grauius vapulaturum dicit, qui notam sibi voluntatem heri sui facere neglexerit. Luc.17. Ita enim se coram dei tribunali excusari posse existimant, si omnium fidei & salutis nostræ mysteriorum planè rudes & imperiti sint. At simul cogitandū erat, minimè æquum & conueniens esse, ut qui dei serui haberi & dici volunt, heri sui voluntatem ignorent, & eandem discere detrectent. Vult dominus, vt patresfamiliâs inter domesticos suos de ipsius præceptis & operibus disserant: & nos eo prætextu nos excusari putabimus, si volentes ignoremus, quæ scriptis simul & viua voce nobis Deus reuelat? Quin Christum audimus, qui dei verbum eos audire testatur, qui ex deo nati sunt. Iohā.8. Et Iacobus eos, quibus sapientia deest, ad preces relegat, vt illam à patre luminum impetrent. Iac.1. Nec exempla desunt cùm Dauidis, tum aliorum sanctorum, quos in toto hoc studio cœlestis sapientiæ consequendæ flagrantissimos fuisse constat. Vide Psal.25.119. &c.

Remissio peccatorū in Christo confertur.

Sed ad Paulum redeamus, qui paucis uerbis omnium beneficiorum dei, quæ in Christo nobis conferuntur, summam comprehendit, dicens: Per hunc vobis remissio peccatorū annuntiatur. Nam peccatorum remissione omnia ea complectitur, quæ nostræ saluti seruiunt. Constat enim propter peccata deum nobis irasci, & propter illa nos à gratia, spiritu & regno dei excludi. Vnde rursum colligitur

gitur, non posse non deum illis propitium esse, quorum peccata remissa & sublata sunt: ijsdem ergo spiritum suum largitur, quo regenerati & filij ipsius facti, cœlestem regni sui hæreditatem adeunt. Obseruemus autem, Paulum breui hac sententia plenißimè ueram salutis cognitionem tradere, quæ si in certa capita distinguatur, perspicua & facillima perceptu apparebit. Primum inter hæc est, ut nos peccatores esse intelligamus, & grauibus debitis coràm deo obstrictos: quod ex eo patet, quòd remißionis peccatorum paßim scripturæ meminerunt. Eædem etiam nos vbique peccati arguunt, & natura corruptos esse docent. Moses ex dei ore, humani cordis figmenta ab ineunte ætate praua esse testatur. Gen. 8. Idem legem speculi instar proponit, ut in illo corruptionem suam agnoscat caro, quæ alioqui sibijpsi blandiri consueuit. In libro Iobis neminem, qui ex muliere natus est, mundum esse, scribitur. Dauid se in peccatis conceptum & genitum esse, fatetur. Psal. 51. Solomon iustum quoque septies in die cadere, scribit. Et apud Isaiam fatentur fideles, iustitias quoque nostras propter inhærentem illis ex carnis contagio labem & concurrentes affectus, coram deo abominabiles & instar sordidi panni siue centonis esse. Isa. 64. Atqui omnium horum nos ipse Christus admonet, dum orare docet: Remitte nobis debita nostra. Superuacanea enim esset illa oratio, nisi debitis maximis grauaremur. Necesse autem est hoc fundamentum in salutis cognitione iaci, eò quòd de hac homo solicitus esse non potest, nisi se corruptum & perditum esse intelligat.

1. Omnes homines sunt peccatores.

Sed alterũ accedat oportet, nempe ut nobis gratuita remißione opus esse intelligamus. Quia enim peccato æternam mortem meruimus, nec quicquam ex nobisipsis boni habemus, adhæc corrupta sunt & imperfecta quæcunque à nobis in speciem bene fiunt: ex gratia nobis remißio obtingat, necesse est. Admonet nos huius parabola, quæ Matth. 18. habetur. Et hanc remißionem inter fidei articulos profitemur, quando nos remißionem peccatorum credere dicimus, nec aliquam allegamus, quæ ex nostris operibus dependeat, satisfactionem.

2. Peccata remittuntur ex gratia.

Tertiò eum, in quo gratia hæc confertur, nouisse conuenit. Est is unus & solus Christus, in quo patri cõplacuit, quia ille nostras iniquitates in se transtulit, easque sanguinis sui merito in ara crucis expiauit, vnde alibi Paulus illum nobis à deo patre iustitiam, satisfactionem & sanctificationem, adeoque peccatum factum esse dicit, ut nos per illũ iustificaremur. 1. Cor. 1. 2. Cor. 5. Hoc ipsum Iohannes Baptista docuit, quando illum agnum dei esse dixit, qui mundi peccata tollat. Iohan. 1.

3. Gratia confertur in Christo.

Quartò modum, quo Christus hic noster fit, tenere oportet: quem non obscurè Paulus docet, quando peccatorum remißionem nobis per Christum annunciari, ait. Inde enim colligitur, fide illum recipi, quando non aliud medium est, quo annuntiatum siue prædicatum uerbum apprehendi queat. Apertius tamen hoc in sequentibus exprimit, dicens: In hoc omnis, qui credit, iustificatur. Quò referri debent, quæcunque de fide paßim in scripturis habentur, maximè quod in ultimo suo discessu discipulis Christus mandat. Nam apud Lucam 24. cap. in suo nomine pœnitentiam & remißionem peccatorum prædicare iubet. Alibi uerò mox subijcit: Quicunque crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Mar. 16. Atqui omnia hæc breui sententia Paulus complexus est, quæ in epistolis ad Romanos, Galatas, Ephesios & alios complures fusißimè exponit. Quorum si quis breuiorem summam & compendium habere uelit, illud Pauli audiat: Omnes peccauerunt, & destituuntur gloria dei. Iustificantur autem gratis per illius gratiam, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, per fidem, interueniente ipsius sanguine, &c. Rom. 3.

4. Christus apprehenditur fide.

Quia uerò nouerat Paulus, Iudæos, quibus cum illi res erat, iustificationem legi & operibus, quæ secundum legem fiunt, tribuere, & hanc maximam illis esse fidei & salutis remoram, illorum obiectiones præoccupans ait: Et ab omnibus, à quibus non potuistis in lege Mosis iustificari, in hoc omnis qui credit iustificatur. Quibus uerbis Legem cum Christo conferens, ita huic iustificationis nostræ laudem & gloriam uendicat, ut hanc legi nullo modo tribui debere testetur. Lex enim (inquit) non potuit iustificare ab omnibus, peccatis nimirum, quibus tamen liberantur, quicunque Christum uera fide apprehenderint. Nec ideò temeritatis Paulus accusari debet, quasi nimis impudenter Legis authoritatẽ conuellat. Verè enim hoc illum dixisse patebit, si ipsam Legem propius inspiciamus. Potest hæc duabus partibus comprehendi, quarum altera de uirtutibus aut bonis operibus est, altera Ceremonias complectitur. Priori moralia simul & politica præcepta includimus, quorum omniũ breue compendium Decalogus exhibet. Quòd si hunc inspiciamus, patebit quidem quid à nobis deus exigat, quid illi, quid proximo, quid denique nobisipsis debeamus. Simul verò nostra patebit infirmi-

Lex non potest iustificare.

tas & corruptio, qua deprauati, diuinæ legi non modò non obedimus, sed ne possumus quidem obedire.
Quis enim est ex toto mortalium genere, qui animũ simul & omnes carnis affectus, sicuti deus exi-
git, obedientiæ fidei subijcere queat? Quid ergo aliud Lex, quàm speculum est, quo nostra natura
corruptio arguitur, & peccata cùm publica tum occulta in lucem pertrahuntur? Quòd si uerò ad Ce-
remonias transeamus, quibus iustitiam suam Iudæi olim metiebantur, has quoq; inanes esse, & il-
nos accusari potius, quàm iustificari, apparebit. Quid enim Circumcisio, in genitali membro facta,
aliud docet, quàm generationis nostræ principia corrupta esse, nosq; regeneratione opus habere? Quid
sacrificia quotidiana & annua? quid sanguinis aspersiones? quid ablutiones crebræ? quid cæteri ex-
piationum & purificationum ritus, aliud quàm nos expiatione & purgatione indigere, docebant?
Num uerò in ijsdem purificatio uera cõsistebat? Minimè gentium. Nam apud prophetam illorum
manus sanguinibus totas pollutas esse, dominus clamat, qui tamen in his exercendis assidui erant.
Isa. 1. Et alibi: Num comesturus sum (inquit) sanguinem taurorum, & sanguinem hircorum bibi-
turus? Psal. 50. Et Dauid atrocissimi facinoris conscientia exagitatus, ait: Hostijs non delectaris,
alioqui eas obtulissem, holocaustum non uis, &c. Imò in promissi saluatoris sanguinem & meritum
respiciens, orat: Laua me plurimùm ab iniqtate mea, & à peccato meo mũda me. Expia me hyssopo,
& mũdus ero: laua me, & niue ero cãdidior. Libera me de sanguinibus deus, deus salutis meæ, &c.
51. Vnde suum illud dictũ apostolus hausisse uidetur: Non potest sanguis taurorũ & hircorũ auferre

Legis usus.

peccata. Hebr. 10. Verissimè ergo Paulus in præsenti, nos per Legem iustificari posse negat. Nec ideo
circo uel Legem improbè contemnit, uel deũ rei inutilis & superuacaneæ authorẽ facit. Manet enim
illi suus honor, dum in hac pia fuerunt fidei exercitia, & eadem (ut alibi Paulus monet) nobis pæ-
dagogi instar fuit, quo ad Christũ deducebantur, qui illius finem non oscitanter inspiciebant. Gal. 3.

Operum iustitia euertitur.

Est autem diligenti obseruatione dignum, quòd nos ab omnibus peccatis per fidem in Christum
iustificari Paulus ait, quod per legem fieri impossibile erat. Hac enim sententia non modò Iudæorum
operum legis & ceremoniarum fiducia euertitur, uerumetiam totus Papatus corruit, quo uix aliud
iustitiæ dei & saluti, quæ in Christo offertur, magis contrarium inueniri potest. Gloriantur illi qui-
dem Christo saluatore, sed eundem egregiè euacuant, dum illius merito Originale tantum modò pec-
catum & quæ ante baptismum receptum commissa sunt, expiari fingunt, reliqua uerò nostris satis-
factionibus purgari docent. Has uerò maxima ex parte in humanarum traditionum figmentis con-
sistere tradunt, utpote ieiuniorum statis obseruationibus, ferijs, chameunijs, cucullis, passagijs, bul-
larum redemptionibus, & id genus nugis. Ita uerò Paulus mendacij arguitur, qui nos per Chri-
sti fidem ab omnibus peccatis liberari clamat. Mendacij arguitur Christus, qui ex propheta di-
cet, deum patrem frustra coli hominum traditionibus, nosq; seruos inutiles uocat, etiamsi omnia
faciamus, quæ nobis in lege præcepta sunt. Matt. 15. Luc. 17. cap. Firmiter ergo hanc Pauli senten-
tiam teneamus, quæ ut uni Christo tribuit omnẽ salutis nostræ rationẽ, ita omnibus alijs sectis confu-
tandis sola sufficere potest, nec Christianus uerè est, nisi qui hanc secutus, uni Christo indiuulsè hæret,
illum saluatorẽ et redemptorẽ agnoscit, illi fidit, & eundẽ in spiritu et ueritate colit. Impossibile enim
est, eos deo placere posse, qui filium dei aspernari, & sua opera illius merito præferre audent. Paulus
certè, ut hoc loco solum Christum prædicat, ita alibi se nihil præter hunc unum nouisse fatetur, & ab-
ominabile flagitium esse censet, si quis alia in re confidere aut gloriari uelit. 1. Corinth. 2. Gal. 6.

Epilogus Paulinæ concionis.

Porro ut cum apostolo concionandi finem faciamus, epilogus nobis considerandus restat, qui gra-
uem & horribilem comminationem habet: cuius causa fuisse uidetur, quòd in authoribus persona-
incredulitatis contumaciæ indicia cerneret. Nec enim temere tantum efferbuisse apostoli spiritum
credibile est. Ait enim: Videte, ne superueniat uobis, quod dictũ est in prophetis, &c. Ita igitur com-
minatur, ut simul ueniæ spem adhuc relinquat, dum ipsos ne quid patiantur cauere iubet. Producit
autem propheticum oraculum ex Habak. 1. cap. quod per Collationem præsenti instituto accommo-
dat. Constat enim Manasse regnante prædicauisse prophetam hunc, quando idololatria simul & om-
nis generis scelera sub impio & sanguinario rege regnabant. Dicitur enim is in errorem abduxisse
Iudam & ciues Hierosolymitanos, ut malitia superarent gentes, quas ante deleuerat dominus. Ac-
cessit his immanis uerbi dei contemptus & implacabile ueritatis odium, quo irritatus rex sanctam
urbem innocenti sanguine compleuit. Interim tamen diuini fœderis, maiorum, templi & ceremonia-
rum

rum fiducia inflati, se hæc omnia impunè facturos putabant, & meliora monentes aut dei iudicium minitantes improbè subsannabant. Tunc ergo Chaldæorum aduentum prædixit Habakuk, qui urbem cum templo euersuri & populum omnem abducturi sint, quod illis factu impossibile uidebatur. Eò igitur Paulus respiciens, sic dicere uidetur: Scitis quid olim maioribus uestris acciderit, cùm prophetarum sermones contemnerent. Viderunt illi urbis simul & templi excidiū, nec illos superbus ille populi dei titulus & ceremoniarum fiducia imminentibus pœnis eripere potuerunt. Idem ne uobis eueniat, cauete. Licet enim incredibile uobis uideatur, si quis gentem uestram dei iudicio excindendam dicat, maiora tamen & atrociora uos supplicia manent. Transferetur enim à uobis regnum dei, & repudiatis uobis ad gentes transferetur salus, quæ patribus uestris promissa fuit, &c. Docet autem Pauli exemplum, ita prædicandū esse uerbum salutis, ut simul dei iudicium contemptoribus & incredulis ob oculos statuatur. Minimè ergo audiendi sunt, qui illud ab euangelica mansuetudine & charitate alienum esse existimant. Ita enim apostolos instituit Christus, quando Sodomis & Gomorrhæis in die iudicij tolerabiliora euentura esse ait, quàm ijs, qui ipsos audire contempserint. Quid quòd ipse ingratis urbibus, Bethsaidæ, Corozaim & Capernao horrendū illud Væh intonat? Matth. 11. Nónne idem Hierosolymis obsidionem, gladium, famem & excidium minatur? Luc. 19. Matth. 23. & 24. Exigit hoc partim humani ingenij contumacia, quam interdū minis frangi oportet: partim pastoris officium, quem decet ut speculatoris instar imminentem populi ceruicibus gladiū annuntiet, ut quàmuis illi incurabiles esse pergant, ipse tamen suam animā eripiat, ne de ipsius manu pereuntium sanguis requiratur. Vide Ezech. 3. & 33. Admonet præterea locus hic, nullum esse peccatum uerbi dei contemptu atrocius, quando nullum grauioribus pœnis deus cohercere solet. Possunt enim quæcunq; alia cōmittuntur, aliquo modo humanæ infirmitati condonari, qua sanctissimi quoq; dei cultores interdum superati delinquunt. At si quis peccandi licentiæ uerbi dei contemptum coniungat, hoc demum diabolicæ simul & incurabilis malitiæ argumentum est. Quæ causa est, quòd hunc seuerissimè semper uindicauit dominus. Nota sunt, quæ primo mundo, Noam iustitiæ præconem contemnenti, acciderūt. Senserunt idem Pharao, Saul, Achab, Manasses, totus deniq; Israel, in Assyriam abductus. Attamē lusus iocusq; ista fuerunt præ ijs, quæ postea Iudæis propter Christū ab ipsis reiectum acciderunt, de quibus prolixius disserere, temporis angustia non patitur. Interim illud monuisse necessarium est, in Iudæis cōmune omnibus gentibus simul et seculis exemplum nobis diuinitus propositum esse, quo docemur, nemini impune fore, si quis Christi doctrinam contemnere ausus fuerit. Nam qui naturalibus ramis non pepercit, alienis & insititijs, si & ipsi steriles fuerint, multò minus parcere poterit. Rom. 11. Quod iam olim expertas esse uidemus Asiæ & Græciæ ecclesias, quæ ab ipsis apostolis quondam fundatæ, nunc à Christo abscissæ, horribile Mahumeticæ impietatis iugum sustinent. Et utinam non hodie futuri mali præludia uideremus in quàm plurimis, quos euangelicæ salutis nimis fastidiose tædere cœpit. Ad nos ergo transferamus quod hoc loco Paulus dicit, & euangelij doctrinā fide constanti & gratis animis complexi, totos nos cōsecremus saluatori & redemptori nostro, Iesu Christo: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Euangelio coniungendæ etiā minæ & pœnarum denuntiationes.

Verbi dei contemptus atrocissimum peccatum.

HOMILIA XCIIII.

Exeuntibus autem è Synagoga Iudæis, rogabant gentes, ut intermedio sabbato loquerentur ipsis uerba. Soluto autem cœtu, secuti sunt multi ex Iudæis & religiosis proselytis Paulum & Barnabam, qui alloquentes ipsos suadebant, ut perseuerarent in gratia dei. Sequenti autem sabbato, ferè tota ciuitas congregata fuit ad audiendū uerbum dei. Videntes autē Iudæi turbas, repleti sunt zelo, & contradicebant his, quæ à Paulo dicebantur, contradicentes & blasphemantes. Sumpta autem fiducia Paulus & Barnabas dixerunt: Vobis primùm necesse erat annunciari uerbum dei. Quoniam uerò repellitis illud, & non dignos uosipsos iudicatis uita æterna, ecce conuertimur ad gentes. Sic enim mandauit nobis dominus: Posui te in lucem gentium, ut tu sis in salutem usque ad extremum terræ.

PRaeclara simul & plena consolationis est dei de uerbo suo sententia, quam per Isaiam cap. 55. ad hunc modum pronunciat: Vt imber aut nix de cælo descendit, & illuc non redit, sed irrigat terram, & germinare eam facit: ita uerbum meum, quod exit de ore meo, non redibit ad me uacuũ, sed faciet quæcunq; uolo, & prosperabitur in his, ad quæ misi illud. Licet enim multi sint, qui illud improbè repellant, habet tamen ubiq; suos dominus, in quibus fructum ferre consueuit. Cuius rei exemplum cumprimis euidens in præsenti proponitur. Postquàm enim Pauli concionem Lucas recensuit, illi diuersa subijcit auditorum genera, quorum alij nobis imitandi sunt, aliorum autem improbitas & audacia diligenter fugienda est. Et in his quidem diuersus uerbi dei effectus cernitur, quòd alijs quidem odor uitæ ad uitam, alijs uerò odor mortis ad mortem esse solet, sicuti in posteriori ad Corinth. cap. 2. ipse Paulus testatur.

Reprobi uerbum Christi audire nō possunt.

Orditur autem ab ijs, quibus absq; fructu euangelium prædicatum fuit, Iudæis nimirum, quos è Synagoga exiuisse dicit, priusquàm cœtus solueretur. Id uerò non alia causa factum esse, quàm quòd Christi doctrinam non possent ferre, ex sequentibus patebit, ubi illos nouum certamen & ingentes turbas contra apostolos excitauisse scribitur. His uerò ingenium reproborũ pulchre exprimitur, qui dei uerbum nec uolunt nec possunt audire. Vt enim qui ex deo nati sunt, Christi uerbum audiunt & pastoris sui uocem illicò agnoscunt (Iohan. 8. & 10.) ita reprobi & huius seculi filij, uocem illam cane & angue peius oderunt, nec adduci possunt, ut illam sponte quærant: & si quando eam præter spem & animi uoluntatem audire contigerit, illicò aures auertunt, & ex ijs locis sese proripiunt, in quibus uox illa sonat. Est hoc euidens incurabilis malitiæ argumentum, quod Dauidem quoq; obseruauisse legimus, quando illos aspidi surdæ confert, quæ aures suas mirificè obturat, ne incantatoris uocem audire cogatur. Psal. 58. Et licet hoc aliquando modestiæ esse uideatur, semper tamen maioris impietatis initium est. Nam qui primò uerbum dei leuiter duntaxat fastidiunt & audire detrectant, mox ubi illo fortius urgentur, impietatis habenas laxant & indomitum furiunt. Exempla huius in Pharaone, Saule, Achabo & innumeris alijs scriptura proponit, quibus commemorandis immorari superuacaneum foret, cùm de his ipsis paulò post audituri simus, quanta impietate & audacia sese salutis doctrinæ opposuerint.

Electi uerbum dei agnoscũt & recipiunt.

His uerò alij opponuntur, qui apostolicã doctrinam dignè exceperunt, quos partim ex gentibus, partim ex proselytis fuisse ait Lucas. Et hos quidem ad recipiendum Christum magis idoneos fuisse constat, quòd in illis minus locũ haberet insolens illa propriæ dignitatis fiducia, quæ Iudæos (ut alibi Paulus monet) in fide Christi maximè remorabatur. Quàmuis his aliquot etiam Iudæi accedant, cùm gentem illam ita reijceret deus, ut interim reliquiæ saluæ fierent. Isa. 1. & 10. Rom. 10. Porrò ut in prioribus illis reproborum mores proponuntur, ita in alteris istis electorum & filiorum dei ingenium egregiè describitur, quod eò diligentius consyderandum est, ut in his, quantum nobis adhuc desit, quidq; nos facere conueniat, intelligamus. Primò rogant apostolos, ut intermedio sabbato, eandem salutis doctrinam ipsis denuò annuntiare uelint. Amant ergo dei uerbum, nec eos illius satietas capere potest, cùm in hoc patris sui uocem sonare ex occulta spiritus sancti suggestione intelligant. Deinde soluto iam cœtu, sequuntur apostolos, eosq; iam publicè quoq; salutis & ueritatis doctores agnoscunt, quos à plerisq; odio haberi, non ignorabant. Minimè ergo illos uerbi dei pudet corã hominibus, & Christi gratiam totius mundi amicitiæ præferunt. Sunt hæc ueræ pietatis rudimenta, in quibus qui sese probè exercent, haud pœnitendos tandẽ fidei & æternæ salutis fructus percipiunt. Ex his uerò de nostri seculi moribus iudicare licet. Hodie enim pleriq; uerbum fastidiunt, nec quicquam illis à uera prudentia tam alienum putatur, quàm si quis ex hoc suorum consiliorũ & rerum agendarum rationes petere studeat. Etsi illud non alia re, certè hoc uno indicio abunde testamur, quòd ministrorum uerbi nos non pudet modò, sed illos tanquam publicos salutis hostes & malorum omniũ authores, odio ꝓsequimur, abominamur, fugimus, cõuitiamur & omni diuexamus iniuriarũ genere. Interim magnificè, si dijs placet, euangelij studiũ & Christi fidẽ iactitamus. Sed non fallitur inani uerborũ ostentatione deus, qui nullo cultu delectatur, nisi qui cũ ueritate coniunctus fuerit.

Perseuerantia opus in fidei causa.

Quid uerò ad ista apostoli? Suaserunt illis, ut perseuerarent in gratia dei. Nouerant enim illud Christi: Nemo qui manu aratro admota respexerit à tergo, dignus est regno dei. Item: Qui perseuerauerit usq; in finem, saluus erit. Et quia ijdem humani ingenij infirmitatem perspectam habebant,

adhor-

adhortationibus quoq; opus esse nouerant apud illos, qui iam prima fidei & salutis fundamenta iecerant. Frequenter enim fit, ut qui bene cœperunt, uel periculis territi, uel affectibus abrepti, denuò concidant aut exorbitent. Obseruari ergo conuenit apostolorum exemplum, ne superuacaneas esse putemus fidas uerbi adhortationes, sine quibus fides & salutis cognitio rarißimè retinentur. Interim notatu dignum est, quòd in dei gratia perseuerare dicuntur, qui in euangelio perseuerant. Per hoc enim illam nobis offerri constat. Et Christus in ea domo pacem, quæ euangelio prædicatur, mansuram dicit, in qua filij pacis fuerint, qui nimirum uera fide pacem & gratiam dei amplexi fuerint. Matth. 10. Luc. 10. Vnde rursum colligimus, à gratia dei omnes eos excidere, quicunq; euangelium reijcere audent, unicum gratiæ illius nuncium. Hinc uerò omne genus malorum sequitur, sic ut in mundo quoq; infelicißimi habeantur, qui ut mundo placeant, Christum aspernantur. Patet hoc in Iudæorum exemplo, quos euangelij contemptus in miserrimam conditionem detrusit, in qua iam annis plus mille quingentis laborant. Nobis ergo dictum putemus, quod illis in præsenti dixerũt apostoli, & euangelium amplexi, in eodem perseueremus, ut simul nobis stabili gratia dei & eiusdem fido auxilio in omni casu frui liceat.

Euãgelium gratia dei dicitur.

Cæterum graue certamen, quod felicem euangelij successum mox secutum est, Lucas subijcit, quo docemur, nunquam, tam feliciter inchoari in hoc mundo Christi regnum, quin persecutionum procellæ eos maneant, qui illud propagare student. Nec enim fallit Christi uox: Si meum sermonem audiuerunt, & uestrum audient. Iohan. 15. Et quia mundus hic ueritatis lucem alioqui odit, eò magis furere & insanire solet, quò magis illam splendere uidet. Quare nemini mirum aut nouum uideri debet, si quid simile etiam nostro seculo contingat, & turbas inter illos excitari uideamus, quibus euangelij doctrina primum prædicatur: Idipsum enim hic quoque fideles Christi apostoli, Paulus & Barnabas experiuntur. Nã sequenti sabbato, cum tota ferè ciuitas congregata esset ad audiendum uerbum dei, Iudæi tantas turbas ad Christi regnum excipiendum paratas conspicati, zelo repleti sunt, & Paulo primùm quidem contradicere cœperunt, tandem uerò ad blasphemias & conuitia conuersi sunt. Quia autem eòusq; certamen hoc exarsit, ut apostoli pedum puluerem contra illos excusserint (quod rarißimè factum esse legimus) diligentius nos totius historiæ circumstantias expendere conuenit.

Certamen apostolorum cum Iudæis.

Et primò quidem quæ tanti tumultus occasio fuerit, docetur: nimirum quòd omnẽ ferè totius ciuitatis multitudinem ad audiendum uerbum dei confluxisse, Iudæi uiderent. Atqui satis cõstat, non omnes sancto animi proposito conuenisse, alioqui enim apostolos à Iudæis (inuiso omnibus hominum genere) tam indignis modis tractari nunquam paßi fuissent. Quare licet ueritatis studium eos attraxerit, de quibus supra diximus, maior tamen eorum pars fuit, quos inanis curiositas pellexit. Quod quàmuis apostoli facilè suspicari possent, occasioni tamen tam opportunæ deesse nolunt, & ad docendum parati adsunt. Quo exemplo docemur, ardenti studio & zelo opus esse ijs, qui in Christi regno propagando cum fructu uersari uolũt, nec ullam occasionem, siue illa opportuna siue importuna fuerit, negligi debere, sicuti Paulus alibi monet. Phil. 1. 2. Tim. 4. Docet idem suo exemplo Christus, qui ex quauis re docendi ansam arripit, & ita neminem ad se uenientem auersatus est, ut nec Nicodemum nocturno tempore, nec Samaritidem turpi quæstui addictam reiecerit: imò hunc suum cibum esse ait, ut ea exequatur, ad quæ illum deus pater miserat. Iohan. 4. Arguitur his illorũ ignauia, qui sæpius requisiti docere nolunt, & suo potius ocio quàm hominum saluti consulunt.

1. Occasio certaminis.

Deinde causa tumultus indicatur, Iudæorum zelus, quo tot turbis uisis repleti sunt. Videntur autem partim ambitione & inuidia extimulati fuisse, dum priuato honori & gloriæ suæ metuunt (quod ipsum Christus quoq; illis obijcit, Iohan. 5.) partim uerò præpostero legis zelo id fecisse, quo abrepti, indignè tulerunt, gentes incircũcisas ipsis in salutis negotio æquari: quæ res non semel Paulo ingentes turbas dedit, ut suis locis uidebimus. Interim admonet locus hic, non quemuis zelum deo probari, nec ueniam statim eos mereri, qui zelo & bono quidem animi proposito ueritatẽ oppugnant. Nam zelum dei alibi quoq; Iudæis Paulus tribuit, eosdem uerò damnat, quòd non secundum scientiam pro dei gloria æmulentur. Rom. 10. Cauendum ergo, ne quis prauus affectus concurrat, & ne diuinæ uolũtatis ignorantia peccemus, quæ omnium nostrorum consiliorum unica regula esse debet. Vide Num. 15.

2. Causa certaminis.

3. Iudæorum arma & artes.

Tertiò, quid apostolorum antagonistæ Iudæi fecerint exponitur, qui antea cœtu nõdum dimisso exiuerant, ne uerbum audire cogerentur. Illi nunc dum suæ gloriæ timent, contradicunt etiam, & argumentis contra ueritatem pugnare instituunt. Mox uerò ubi se nihil proficere uident, ad conuitia conuertuntur, quibus haud dubiè tum doctrinam tum personas apostolorum prosciderunt, ut illos rudi uulgo inuisos & suspectos facerent. Sunt hæ impiorum artes, quibus hodie etiam pugnatur: & qui argumentis uel scripturis certaturi putantur, postquam dicendo inualuerunt, conuitia iaculantur, & frequenter in ipsum dei nomen & uerbum impiæ linguæ habenas laxant. Simul uerò hic locus admonet, quò tandem infelices homines perducat ueritatis odium, si quando illi indulgere cœperint. Blasphemos enim & apertos hostes impudentesq́; calumniatores reddit, qui initiò tolerabiles, adeoq́; uiri boni uidebantur. Principijs ergo obstent, & aures suas ueritati assuefaciant, qui ulterius progredi nolunt.

4. Apostoli fortiter & libere resistunt.

Num uerò Iudæorum audaciæ cesserunt apostoli? Minimè gentium. Imò maiori fiducia sumpta, se illis fortiter & admirabili dicendi libertate opponunt. Ita enim uerbi ministros instructos esse oportet, ut non ueritatem docere, uerumetiam contradicentes confutare poßint. Tit. 1. Nec decet, ut mundi conatibus cedant, qui se Christi ministros esse nouerunt. Pertinent huc prophetarum exempla, quos eò constantiores fuisse legimus, quò audaciores uidebant uerbi dei hostes. Vide quæ de Michea in priori Regum cap. 22. & de Ieremia & reliquis paßim extant. Nec aliam ob causam Christus apostolos de futuris periculis admonuisse uidetur, quam ut contradicentium audacia sese terreri non paterentur, nec ullum ex hostibus offendiculum arriperent. Horum nos hodie meminisse decet, quando intolerabilis ferè facta est Antichristianæ cohortis in oppugnanda ueritate audacia. Cogitemus igitur nunc maximè nostram constantiam et fortitudinem requiri, qua periclitantem ecclesiæ causam fideliter sustineamus.

5. Apostoli incurabiles excõmunicant.

Est autem cumprimis obseruanda apostolorum oratio, qua graui & diuino planè uerborum pondere horribilem excommunicationis sententiam in incurabiles stringunt. Quid enim de illis sperarent amplius, quos per omnes impietatis gradus ascendisse, & primùm quidem ad uerbum dei aures obturauisse, mox uerò eidem contradixisse, & tandem blasphemos factos esse uidebant? Ante omnia uerò pœnæ causam, ingratitudinem nimirum & incredulitatem illis exprobrant, dicentes: Vobis primùm necesse erat annunciari uerbum dei, quos fœdere suo promißionibus et filij sui cognitione deus exornare dignatus est. At ipsi uos tanta gratia indignos redditis, dum oblatam nobis salutem incurabili improbitate aspernamini. Quid ergo aliud restat, quàm ut ad gentes conuersi, ex ijs deo ecclesiam colligamus, qui hactenus à testamentis & fœdere alieni fuerunt. Ita enim impleri oportet, quod Christus dixit: Transferetur à uobis regnum dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Matth. 21. In his uerò perquàm memorabile est, quòd proprio iudicio increduli pereunt, quibus testimonium Christus prædicatur. Matth. 10. Præterea, quòd propter hominum incredulitatem & ingratitudinem regno Christi nihil decedit. Potest enim deus ex lapidibus Abrahami filios facere qui Christum uera fide amplectantur, quemadmodum in gentium uocatione factum esse uidemus. Qui enim corda ipsis lapidibus duriora gestabãt, dei uerbo & spiritu emolliti, in Christi regnum magna alacritate concesserunt.

Locus Isa. 49. de gentium uocatione.

Cæterum ne quid priuato consilio & temere facere uiderentur apostoli, dei oraculũ ex Isa. 49. cap. allegant, quo iam olim à deo decretum fuisse docent, ut gentibus quoq; salus per Christum innotescat: nec id amplius differri posse, cum Iudæi, quibus illa primùm prædicari debuerat, eam aspernentur. Asseritur igitur hic gentium uocatio, de qua iam ante non semel dictum est. Docet autẽ præterea Isaiæ locus, quid nobis in Christo exhibitũ sit. Primum quidem lux, quæ ueram dei & salutis cognitionem in nobis operatur, quam humanæ rationis industria per se assequi non potest. Deũ enim nemo uidit unquam, filius autem qui est in sinu patris, ipse enarrauit nobis. Iohan. 1. Lucem hanc ipsa salus sequitur. Hæc est enim uita æterna, ut cognoscamus deum patrem, & quem ille misit, Iesum Christum. Iohan. 17. Est autem hæc admiranda dei bonitas, qui breui compendio quæcunq; saluti nostræ seruiunt, nobis proponere uoluit. Ambulemus ergo in luce hac, ne nos tenebræ obruant, ut salutem nobis propositam in hac ipsa assequamur, nempe Iesu Christo: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA XCV.

Audientes autem gentes gauisæ sunt, & glorificabant sermonem domini, & crediderunt quotquot erant ordinati ad uitam æternam. Diuulgabatur autem sermo domini per totam regionem. Iudæi autem extimulauerunt religiosas mulieres & honestas, & primores ciuitatis, & excitauerunt persecutionem aduersus Paulum & Barnabam, & eiecerunt eos è finibus suis. At illi excusso puluere pedum in eos, uenerunt Iconium. Discipuli uerò repleti sunt gaudio & spiritu sancto.

QVàmuis deus filio suo, Iesu Christo, regnum et omnem potestatem tradiderit, eundem tamen plures in mundo hostes habiturum, paßim scripturæ docent: & ipse Christus frequenter de hoc suos discipulos admonuit, ne temporariam regni sui felicitatem sperantes, cruce & aduersis offenderentur. Exemplum uerò eorum, quæ Christus euentura prædixit, cumprimis euidens & præclarum præsens historia exhibet. Venit enim post Cyprum & Pamphyliam conuersam Paulus Antiochiam Pisidiæ, ibiq; pro more in Iudæorum synagoga Christum prædicat. Mox ex gẽtibus simul & Iudæis auditores habet, qui fidei doctrinam amplectuntur: imò tota ferè ciuitas euangelio aures præbere incipit, adeò ut iam confectum uideri posset negotium hoc. Sed ecce subitò Iudæi insurgũt, & publicè docentibus apostolis contradicunt, nec à conuitijs sibi temperant. In qua pugna cumprimis apostolorum constantia & fortitudo obseruari debet, qua improbis hostibus non modò restiterunt, sed ijsdem horrendum dei iudicium denunciauerunt, quòd nimirum repudiatis Iudæis deus regnũ suum ad gentes transferre decreuerit. Nondum tamen certamen hoc sopiri potuit, quin grauiora sequerentur, de quibus in præsenti agitur. Docet enim Lucas, ut inter medios hostes euãgelij doctrina feliciß imè propagata sit. Mox uerò persecutionem nouam subijcit, qua apostoli Pisidia expulsi in Lycaoniam transierũt. Catastrophe uerò tragœdiæ huius pijs quidem felix & læta, impijs uerò cumprimis horribilis & funesta, tandem describitur.

I. Euãgelij doctrina in medijs turbis propagatur.

Ad primam huius loci partem pertinet, quòd ait: Audientes autem gentes gauisæ sunt, & glorificabant sermonem domini, & crediderunt quotquot ordinati erant ad uitam æternam. Diuulgabatur autem sermo domini per totam regionem. Gauisi dicuntur qui ex gentibus erãt, auditis Pauli uerbis, non quidem propter Iudaicæ gentis repudium (hoc enim à fide simul & charitate Christiana alieniß imum foret) sed quòd salutem ad se quoq; pertinere, & Christum, iuxta prophetarũ oracula, non Iudæorum modò, uerumetiam gentium saluatorem esse, audirent. Gratis ergo animis dei uerbum amplexantur & dignis laudibus uehunt: nec intra urbis mœnia salus hæc continetur, sed per uerbi prædicationem in totam Pisidiæ regionem longè lateq; diuulgatur. Sunt in his quædam diligentiori consyderatione digna, de quibus singulis ordine dicemus.

Ordinati ad uitam æternam credunt.

Et primò quidem uidendum, qui nam isti fuerint, de quibus hæc dicuntur: nimirum qui ordinati erant ad uitam æternam. Ita uerò isti à Luca describuntur, ut manifestum fiat, quæ causa sit, quòd euangelio credunt homines, etiam tunc quando illud à multis et acerrimis hostibus impugnari uident: electio nimirum dei libera & gratuita, qui quos uult ad uitam ordinat, quos uult exitio & æternæ damnationi, quam abunde meruerunt, relinquit. Nam si hominem, qualis natura est, spectes, minimè in illius uel uolũtate uel potestate situm esse uidebis, ut euangelio credat, & Christum apprehendat. Animalis siquidem homo, non percipit ea quæ sunt spiritus dei. 1. Corinth. 2. Et ex nobis ipsis ne ad cogitandũ quidem idonei sumus. 2. Cor. 3. Deus ergo operatur in nobis & ut uelimus & ut poßimus, prout illi uisum fuerit. Phil. 2. Docet hoc ipsum Christus dominus, quando nos è superius necessariò renasci oportere ait, nec aliquem ad se uenire testatur, nisi quem pater traxerit. Iohan. 3. & 6. Idem Petro, fidei confeßionem edenti, dixit: Beatus es Simon Bar Ionæ, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus, qui in cœlis est. Matth. 16. Ex quibus luce clarius colligitur, fidem eorum duntaxat esse, quos deus elegit & uitæ æternæ prædestinauit. Atqui electionem illam ante mundi constitutionem ab æterno factam fuisse constat, idq; in Christo, qui & ipse nobis antequam mundus hic conderetur à deo saluator & redemptor præordinatus fuit. Ephes. 1. 1. Pet. 1. cap. Liberam ergo & gratuitam esse oportet. Porrò quos in Christo elegit, eosdem suo tempore per

euangelij prædicationem uocat, & spiritu suo efficaciter trahit, ut per fidem Christo insiti, illum merito iustificentur, & cœlestis gloriæ cum illo consortes fiant, iuxta illud Pauli: Quos præsciuerat, eosdem & præfiniunt: & quos præfiniuerat, eosdem & uocauit: & quos uocauit, eos & iustificauit: quos autem iustificauit, hos & glorificauit. Rom. 8. Et quicunque ex illorum numero sunt, hi Christi uocem facilè agnoscunt, seque uocari à deo intelligunt, eò quòd semen dei in sese habeant, quod occultum antea, per dei uerbum uiuificatur & ad maturam frugem perducitur. Hinc est quòd Christus eos, qui ex deo nati, & sui gregis oues sunt, uocem suam agnoscere & eadem delectari ait, imò eos quoque pro ouibus suis agnoscit, à quibus adhuc ignorabatur, & qui postea demum uocandi & trahendi erant, cum dicit: Alias quoque oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, illas quoque oportet me adducere, & uocem meam audient, & fiet unum ouile, & unus pastor. Iohan. 10. Ex quo ordine Antiochenos hosce Lucas fuisse docet. Nec alicui superuacanea uideri debet ista tractatio, cum non aliud in salutis nostræ negotio consyderatu utilius simul & iucundius sit. Hic enim salutis nostræ fontes patefiunt, hancque ex mera dei gratia pendere docemur, & proinde euersa & sepulta iacet insolens & pharisaica humanæ iustitiæ & meriti gloriatio. Hæc ipsa quoque salutis nostræ certitudinem asserunt, & fidem nutantem in tentationibus mirificè stabiliunt. Nec enim electionis & uocationis suæ deum pœnitere potest. Rom. 11. Et quia in Christo electi sumus, qui insuperabilis illa petra est, cui nec portæ quidem inferorum præualent, quique oues suas è manibus suis eripi non patitur, impossibile est, ut ij à salute excidant, qui se Christo insitos esse sentiunt. Quò etiam referri debet, quòd in præsenti [illegible] credidisse dicuntur, qui ad uitam æternam ordinati erant. Quantumuis enim Iudæi furerent, tamen ne unius quidem electi fidem & salutem impedire potuerunt. Quotquot uerò ad hunc modum dei prædestinationem & electionem consyderāt, fidem suam egregiè augeri sentient. Quòd si qui dei mysteria altius scrutari uolunt, eiusque æterna consilia ad humanæ rationis calculum uocare audent, in tandem delabuntur, ut uel dei iudicia scurriliter reprehendant, uel homini tribuāt, quod nos in sola dei gratia quærere decebat, & Christum, qui nostræ salutis fundamentū est, maxima ex parte euacuent, &c. Vide Rom. 9. & 11. cap.

Effectus uerbi dei in electis, & eorundem officia.

Sed ad nostros illos reuersi, uerbi dei effectus uideamus, qui in illis sese exeruerunt, ex quibus quæ sint electorum dei officia, facilè colligitur. Primò gauisi sunt, quantumuis crudeles contra hostium Christi conatus uiderent. Est hic mirabilis uerbi dei effectus, quòd in medijs periculorum terroribus credentium animos gaudio recreat, dum deum patrem sibi placatum esse intelligunt. Quò Christus respexit, quando nos in persecutionibus exultare iubet, Matthæi 5. cap. Deinde dei uerbum glorificauisse dicuntur, quod gratitudinis argumentum est, quam non possunt nō præstare hi, quicunque gratiæ diuinæ aliquem gustum perceperunt. Glorificant autem dei uerbum, qui illud cum fide amplexi, eidem sese submittunt, omnemque suam rationem & intellectum illi subijciunt, quæ postremus euangelicæ prædicationis finis est, sicut alibi monuimus. Docent hæc quid eos facere conueniat, qui ex electorum numero censeri uolunt: simulque confutantur, qui Christianæ pietatis [illegible]citia per gratuitæ electionis & prædestinationis doctrinam euerti clamitant. Quia enim (ut supra monuimus) electionem uocatio, & ex hac iustificatio per fidem sequitur, fieri nō potest, ut Christiani hominis studia abijciat, qui se electum esse intelligit. Simul enim nouit, in eum finem nos in Christo electos esse, ut hanc uitam puram & irreprehensibilem emensi, æternum cum Christo in cœlis regnemus. Ephes. 1. Quapropter iuxta apostoli præceptum, indesinenti pietatis & innocentiæ studio uocationem & electionem suam firmam ratamque efficere studet. 2. Pet. 1.

Verbum dei aduersariorum conatibus propagatur.

Tertio loco obseruandum uenit, quod uerbum dei per totam regionem diuulgatum fuisse Lucas scribit. Ex eo enim patet, quàm nihil contra Christum, suis conatibus impij proficiant. Spirat enim dei spiritus ubicunque uoluerit, nec hominum authoritate siue potentia mouetur. Idem [illegible] fit quod supra in persecutione propter Stephanum Hierosolymis exorta accidisse uidimus. Est hoc uerbi dei ingenium, quòd eò ualidius uim suam exerat, quò magis oppugnatur, quasi cum aduersariorum potentia colluctari gaudeat. Nec est, quòd quærat aliquis, cur non hodie tam felices regni Christi successus experiamur. Nostra enim ignauia & socordia huius limites in angustum [illegible]buntur, & in omni hominum ordine illud Christi dictū cernitur, quo fidem in terris nouissimis temporibus raram fore testatus est. Luc. 18.

Pauli

Porrò lætis hisce apostolorum successibus & partæ iam contra impios hostes uictoriæ nouus tumultus subijcitur, aperta nimirum persecutio, quam ijsdem Iudæis authoribus excitatam fuisse indicatur: eam nimirum ob causam, quòd priori certamine nihil effectum esset, & quòd firmiorem uiderent Christi doctrinam, quàm quæ Sophistarum artibus, uel calumnijs & conuicijs euerti posset. Frequenter autem in hoc libro Iudæi persecutionum authores introducuntur, & Paulus de ijsdem in priori ad Thessal. cap. 2. scribens, ait: Quemadmodum dominum occiderunt Iesum, & proprios prophetas: ita & nos persequuntur, & deo non placent, & omnibus hominibus aduersantur, qui obsistunt nobis, ne loquamur gentibus, quò salui fiant, ut expleant sua peccata semper, &c. Quæ ideo obseruanda sunt, ut iustum agnoscamus in illis dei iudicium, quodq; merito illis horrendæ illæ & exemplo carentes calamitates acciderint, quas Christus dominus minatus fuerat, & historijs proditæ sunt. Voluit enim illorum exemplo docere deus, quid omnes filij sui contemptores & hostes maneat. Imprimis autem consyderatione dignum est, quibus artibus persecutionem istam excitarint, quiq; illius effectus fuerit. II. Persecutio Iudæis authoribus excitata.

Primum in ijs patet, quos in suas partes pertractos contra apostolos extimulauerunt. Ponuntur inter hos primo loco mulieres, quibus religionis & honestatis laus tribuitur. Nec temere harum operam sibi ad hanc rem idoneam esse putauerunt. Est enim sexus hic ut natura superstitiosior, ita ad decipiendum mirè idoneus, maximè si illud sub religionis & recepti apud illas cultus prætextu fiat. Deinde per illas ad maritos gradus est, apud quos blanditijs suis plurimum possunt, maximè si pietatis & honestatis nomine commendentur. Exempli loco prima omnium mater Heua esse potest, qua ad decipiendum infelix hominum genus olim satan abuti uoluit. Et quia illi tam feliciter primus conatus successit, eodem organo postea quoq; sibi utendum putauit. Per mulieres ergo Solomonem decepit, qui prima apud Israelitas idololatriæ semina iecit, quæ nullis postea uel regum uel prophetarum laboribus prorsus extirpari potuerunt. Et Iesabelis authoritate Baalis cultum inuexit. Taceo infinita alia, quæ adduci poterant. Paulus certè hoc ita obseruauit, ut impostoribus hoc proprium ferè esse scribat, quòd mulierculis insidientur, ijs præcipuè, quarum conscientias grauatas esse animaduertunt. 2. Timoth. 3. Id uerò nostro seculo tam uulgare est, ut talpa cæcior sit, qui hoc non uidet. Nemo tamen ista in huius sexus ignominiam dici putet. Quin potius institutioni seruiat, & discant hinc sibi cauere mulieres, ne falso religionis prætextu sibi imponi sinant. Mulieres contra apostolos incitantur. Eudoxia

At quia contemni poterat muliebris sexus, ciuitatis proceres & magistratus quoq; extimulant, in quibus exacerbandis mulierum opera haud dubiè usi sunt. Magistratus uerò apostolis tanquam publicæ pacis turbatoribus infensos faciunt, quod unicum omnibus seculis argumentum fuit, quo ueritatis doctrinam impij maximè oppugnarūt, quemadmodum prophetarum historiæ docent, quos ferè omnes unà cum Christo Iesu seditionis accusatos fuisse constat. Nec quicquam hodie est uulgarius. Obseruemus autem quòd quicquid Antiochiæ uel sanctitatis uel publicæ authoritatis nomine pollet, contra apostolos armatur, à quorum partibus rude duntaxat stat & ignobile uulgus. Arguuntur exemplo hoc, qui religiones hominum authoritate metiuntur: quæ si ualere debet, apostolorum causa nimium miserè periclitabitur. At longè aliter nos Christus docet, qui regni cœlorum mysteria sapientibus absconsa esse, paruulis autem reuelari testatur. Matth. 11. Refer huc etiam quæ 1. Cor. 1. circa finem capitis in eandem sententiam habentur. Magistratus apostolis infesti.

Cæterum effectus persecutionis fuit, quòd apostoli publica authoritate finibus Pisidiæ eiecti sunt. Non tamen idcirco euangelium omnino profligatum est, cum postea discipulorum mentio fiat, qui spiritus donis omniuarijs donati sunt. Frequens autem omnibus seculis fuit, ut tanquam publicæ pestes exilio mulctati sint ueri dei cultores, impunè interim per medias urbes grassantibus impijs, propter quos ira dei accendi solet. Exilium ferè comitatur bonorum direptio & tristis egestas. Permittit ista electis suis euenire deus multas ob causas. Ita enim suam potentiam declarat, quæ tunc maximè elucet, quando in medijs persecutionum fluctibus ecclesiam suam conseruat. Deinde fidem suorum, ut aurum igne explorat, & infelices carnis reliquias mortificat, ne per hanc seducti exorbitemus. Præterea filio suo conformes reddere studet, ut qui cum illo patiuntur, cum eodem regnent. 2. Timoth. 2. Adhæc mundi huius fastidium suorum animis hoc modo inserere solet, quem alioqui caro nostra nimis impotenter admiratur & colit. Neminem ergo ista offendere Effectus persecutionis, exilium.

debent: quin potius in promißionum Christi meditatione uersemur, quales sunt: Nullus est, qui reliquit domum, aut fratres & sorores, aut parentes, aut uxorem, aut liberos, aut agros, mea causa & euangelij, quin recipiat centupla nunc in hoc tempore cum persecutionibus, & in seculo uenturo uitam æternam. Marc. 10. Item: Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis: & ego dispono uobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo, &c. Luc. 22. Et rursum: Vbi ego sum, ibi & minister meus erit, &c. Iohan. 12, 14, & 17. Hæc qui attentè considerant, ijs nihil molestum & intolerabile uideri potest, cuius tam lætum exitum fore sciunt. Interim Christi exulibus, qui suis sedibus eiecti, ad nos commigrant, charitatis officia sedulò præstemus, nec sinistris suspicionibus eos per nos grauari patiamur, qui eandem cum apostolis Christi sortem sustinent. Consyderemus diligenter illud Christi: Hospes fui, & collegistis me, &c. Matth. 25.

III. Catastrophe persecutionis.

Videamus autem Tragœdiæ huius exitum, quem contumacibus Iudæis horribilem & funestum, pijs uerò & credentibus lætißimum fuisse, scribit Lucas. Apostoli enim, ubi Iudæorum malitiam insuperabilem esse uident, excusso in eos pedum suorum puluere, in Lycaoniæ ciuitatem Iconium transeunt. Quod illos iuxta Christi præceptum fecisse constat, quem discipulis ita dixisse legimus: Si qui non receperint uos, egreßi de ciuitate illa, puluerem quoque è pedibus uestris excutite in testimonium aduersus illos. Luc. 9. Et rursum apud eundem euangelistam Cap. 10. ait: In quamcunque ciuitatem intraueritis, & non susceperint uos, exeuntes in plateas eius, dicite: Etiam puluerem, qui adhæsit nobis de ciuitate uestra, extergimus in uos. Tamen hoc scitote, quòd appropinquauit in uos regnum dei.

Pulueris excußio.

Fuit ergo pulueris excußio solenne & publicum execrationis symbolum, quo significabatur, impios euangelij contemptores instar pulueris dißipandos esse, tamque horribilem illis imminere à deo maledictionem, ut ne pulueri quidem illorum communicare debeant, qui se saluos esse uelint. Et ista quidem aduersus tales in testimoniũ fieri uoluit dominus, ut omnem excusationem illis adimeret. Solent enim ferè ignorantiam prætexere impij, quando dei iudicijs urgentur. Id ne facere possent, sed propriæ conscientiæ testimonio iugularentur, apostoli non sine publica protestatione & pœnæ imminentis denunciatione discedere debuerunt: quasi dicerent: Innoxij sumus à uestro sanguine. Nostro enim officio functi, regnum dei uobis annunciauimus. Quod quia incurabili impietate reijcitis, uos iusto dei iudicio relinquimus, cuius tanta erit atrocitas, ut ne puluerem quidem uobiscum communem habere tutum sit. Nam Christo teste, in nouißimo die Sodomæ multò tolerabilius iudicium, quàm uos, sustinebunt. Quòd si uerò puluis, qui ministrorum Christi pedibus adhæsit, conuincendis & redarguendis euangelij contemptoribus sufficere potest, quid obsecro de eorundem concionibus, uigilijs, lucubrationibus, sanguine denique propter testimonium Iesu Christi effuso, iudicabimus? Transferamus hæc ad nostra tempora, ut intelligamus quàm inexpiabili impietate sese polluant, qui hodie regni dei prædicationem tanta improbitate respuunt. Effugiamus ergo tam immane flagitium, simulque illorum abominemur commercia, quos illo pollutos esse nouimus. Licet enim illis ridiculæ ferè putentur comminationes eiusmodi, sentient tamen suo tempore illis fidem non defuisse.

Persecutionum finis lætus fidelibus.

At non tam funestus fuit impijs huius historiæ finis, quàm lætus pijs Christi cultoribus. De illis enim subijcit Lucas: Discipuli autem repleti sunt gaudio & spiritu sancto. Antea illos gauisos fuisse audiuimus. Gaudium uerò illud persecutione hac nec turbari, nec omnino auferri potuit, sed solidum illis mansit & integrum. Verè ergo illud Christi impletur: Gaudebit cor uestrum, & gaudium uestrum nemo tollet à uobis. Iohan. 16. Gaudij uerò author indicatur spiritus sanctus, qui ipsos animauit & consolatus est, ne sub crucis pondere deficerent, simulque donis uarijs illustrauit, quibus ueterem ecclesiam floruisse, iam sæpe diximus. Elucet uerò in his inuicta spiritus sancti uirtus, quæ Christi fideles aduersus omnem mũdi potentiam & authoritatem sustentare & tueri potest. Consoletur nos illa hodie inter pericula, nec mundi terriculamentis nos frangi patiamur, qui antequam mũdus hic conderetur ex gratia electi sumus, nunc uerò per euangelij prædicationem uocamur, ut fide iustificemur & glorificemur in Iesu Christo: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

CAPVT XIIII.

HOMILIA XCVI.

Factum est autem Iconij, ut simul ingrederentur Synagogā Iudæorum, & loquerentur sic, ut crederet magna multitudo Iudæorum simul & Græcorum. Qui uerò increduli erant Iudæi cōcitauerunt & exacerbauerunt animos gentiū contra fratres. Porrò multo tempore manserunt cōfidenter se gerentes in domino, qui testimonium reddebat sermoni gratiæ suæ, dabatq; ut signa & prodigia fierent per manus eorum. Diuisa est autem multitudo ciuitatis, & alij quidem stabant à Iudæis, alij uerò ab Apostolis. Cùm autem factus esset impetus gentium pariter & Iudæorum, unà cum illorum principibus, ut eos iniuria afficerent & lapidarent, re intellecta fugerunt in ciuitates Lycaoniæ, Lystram & Derben, & finitimam undiq; regionem, & ibi prædicabant euangelium.

Audiuimus in præcedenti Capite, ut ex spiritus sancti mandato Paulus & Barnabas emissi, euangelium inter gentes prædicare cœperint: quibus ita successit negotium, ut breui temporis spacio Cyprum insulam, Pamphyliam & Pisidiam Christi doctrina & fide illustrarint. At felicem euangelij cursum nonnihil impedire uisa fuit Iudæorū, qui Antiochiæ fuerunt, improbitas: qua factum est, ut apostoli Pisidiæ finibus ignominiose eiecti, pedum puluerem aduersus ipsos excutere coacti fuerint, quod uix paucis in locis factum fuisse legimus. Cæterum ne quis uel apostolos ignobili metu succubuisse, uel Christi regnum aliqua ex parte labefactatum esse putaret, pergit in cœpta narratione Lucas, & quid Pisidia eiecti fecerint, commemorat. Et eorum quidem expositionem præsens locus habet, quæ Iconij gesta sunt, quæ tunc perstringemus, ubi de Iconio diximus, quæ ad huius historiæ cognitionem faciunt.

Iconium Lycaoniæ, in quam ex Pisidia Orientem versus tendenti, transitus est, ciuitas celeberrima fuit, sic Græco nomine dicta ab imagine, quam post Deucalionis diluuium Iouis iussu à Prometheo & Minerua factam & inspirante uento animatam fuisse, poetarum fabulæ tradiderunt. Quare ut propter opes luxu perditi, ita propter simulachri ueterem superstitionem idololatriæ & impijs cultibus eius loci ciues addictißimi fuerunt, quales ferè nostro seculo uidere est eos, qui imaginibus à Luca depictis, aut aliqua alia non minus mendaci opinione claris, gloriari solent. Hîc uerò admirabilis dei bonitas elucet, qui eiusmodi urbem uerbi sui splendore inuisere, & ijs qui infami idolorū cultu excidium meruerant, salutem in filio suo tam clementer offerre dignatus est. Nec aliam ob causam alibi quoq; Paulus, qualis ante Christum cognitum fuerit gentium conditio, diligentißimè describit, quàm ut inde pateat, omnem salutis nostræ rationē in mera dei gratia consistere, nec quicquam humanis meritis tribui debere. Fatebuntur hoc ipsum quicunq; in semetipsos descenderint, & quales olim fuerint, priusquam ipsis Christus illucesceret, probè expenderint. SED præmißis istis, præsentis loci historiam uideamus, qua narrat Lucas quid Iconij egerint apostoli, quis studij ipsorū effectus fuerit, utq; fideliter domino suo seruientes noua persecutionum tempestas exceperit. Iconium.

I. Apostoli docent in Synagoga.

Primò Synagogam Iudæorum ingreßi esse, & ibi docuisse dicuntur. Quid autem docuerint, non exprimit Lucas, eò quòd iam ante integras conciones aliquot suæ historiæ inseruit, è quibus quid ubiuis locorum docuerint, facilè colligi potest. Nec enim diuersa & inter se pugnantia docere potuerunt, qui expressum & euidens à Christo mandatum acceperant, & qui spiritu Christi duce & authore omnia agebant, quem ueritatis spiritum esse, & proinde sibijpsi per omnia consentire constat. Quid ergo eadem subinde repetere opus erat? Cæterum illud obseruatione simul & admiratione dignißimum est, quòd Iudæorum Synagogam denuò ingrediuntur, & inter eos docent, quos acerrimos euangelij hostes esse experti erant, & quorum conuersatio ipsis ante non multos dies Antiochiæ satis infeliciter cesserat. Est hoc præclarum constantiæ & fidei argumentum, qua in commisso sibi munere usi sunt. Nam (ut in fine cap. præcedentis uidimus) Iudæis authoribus ita aduersus ipsos Antiochiæ magistratus insurrexerat, ut de uita periclitandum esset, & Pisidiæ finibus non sine publica Constantia & fides apostolorum.

infamiæ nota eijcerentur. Deinde multa erant, quæ ipsos de Iudæorum salute desperare iubebant. Nam & prophetias nouerant unà cum Christi minis, quæ unanimi consensu regnum dei ab ipsis ad gentes transferendum esse docebant: & repudij tempus iamiam instare, multis argumentis deprehendere poterant. Et quid obsecro sperarent de ijs, quos filij dei sanguine madere, & implacabili ueritatis odio laborare uidebant? Pergunt tamen constanti fide à spiritu mandatum sibi munus exequi, ne ipsorum ignauia quisquam pereat. Nec dubium est, quin quod Ezechieli dicitur, illorum auribus insonuerit: Cùm dixero ego impio, Certißimè morieris: atq; tu nō monueris eum disertè, dehortando impium à uia sua mala, ut uiuat: ille quidem morietur in iniquitate sua, sanguinem uerò eius de manu tua requiram, &c. Ezech. 3. At quod prophetæ dictum est, quodq; apostolos seriò obseruauisse uidemus, idipsum omnes alij sibi dictum putent, quorum curæ aliquos commendauit dominus. Quo in loco magistratus, parētes, & si qui alij sunt horum similes uersantur. Qui omnes minimè admittere debent, ut hominum malitia superentur. Licet enim incurabiles sint, quibus cum ipsis res est, magnus tamen ex fideli & constanti studio ad ipsos fructus redibit, si uel suas duntaxat animas liberauerint.

Charitas apostolorum erga hostes.

Deinde memorabile hoc Christianæ charitatis exemplum est, quòd tantis laboribus simul & periculis inimicißimæ gentis, & iamiam ob incurabilem malitiam perituræ, salutem quærunt apostoli. Quia enim nunquam non bene sperat charitas, ipsi quoq; saltem reliquias aliquot, tanquam ex naufragio, saluari posse sperant. Hinc est, quòd Paulus pro illis indesinenter orat, & anathema fieri cupit, modò ipsi saluentur. Rom. 10. & 9. Eundem affectum in Christo cernimus, quem totis uisceribus commotum esse Matth. cap. 9. testatur, cùm tanquam oues pastore destitutas, miserè dispersos cerneret. Idem illachrymauisse dicitur ad sanguinariæ Hierosolymæ conspectum, quòd illam incurabili pertinacia in exitium ruere, nec diem uisitationis suæ agnoscere uideret. Luc. 19. Arguuntur his exemplis barbari illi & nimis craßi homines, quos uel aliena mala ita non tangunt, uel priuatæ uindictæ cupiditas adeò impotenter abripit, ut propter pauculos aliquos, à quibus ipsis iniuria facta est, totam aliquam gentem odisse soleant: ut interim de illis taceam, qui cùm nullam odij sui causam allegare poßint, occulto corruptæ naturæ uitio in odium præcipites feruntur, & aliorum malis gaudent. At quomodo dei filij esse possunt, qui à dei ingenio tam procul absunt? Is enim homines saluos fieri, & in ueritatis cognitionem uenire cupit. 1. Tim. 2. Idem propter paucos bonos totis urbibus parcere solet, quos illi propter paucos malos euersas cuperent. At præcipua huius mali causa est, quòd nec dei bonitatē, qua in nos mille mortes meritos uti consueuit, nec eiusdem fidem, qua suo officio sedulò fungentes remuneratur, ut par erat consyderamus.

II. Effectus doctrinæ apostolorū.

Videamus autem, quid suo tam flagranti studio apostoli effecerint, ut ex eo etiam arguamus, qui ex profectus desperatione deficiunt priusquam rem aggreßi sunt. Ita locuti sunt (inquit) ut crederet magna multitudo Iudæorum simul & Græcorum. Nunquā ergo sine fructu prædicatur uerbum domini, & paßim inueniuntur, qui illud rite excipiunt, ut fructificare poßit, de qua re aliàs diximus. Nec deest sua ope deus ijs, qui in ipsius nomine laborant fideliter. Nam ut Petrus cum domini iussu retia proijceret, ingentem piscium multitudinem traxit, cùm antea nihil cæpisset, suæ rationis consilia secutus: ita quicunq; in dei nomine ad illius præscriptum res suas instituunt, haud uulgarem laboris sui fructum, etiam ubi minimè sperauerant, reportabunt. Nostræ ergo ignauiæ simul & perfidiæ tribui debet, quòd hodie nihil aut parum proficitur. Cur enim præsenti ope illis adesset dominus, qui de illius gloria nihil soliciti, sua duntaxat, nec unquā aliquid pro dei nomine & publica salute audent? Simul uerò etiam hoc loco patet, quod iam sæpe monuimus, irritos nimirum hostium Christi conatus, & illius regnum persecutionibus prouehi potius quàm minui. Docet hoc continuus apostolicæ historiæ cursus, si illum probè inspiciamus. Agnoscamus nos in his dei sapientiam, nec facilè de Christi regno desperemus, quando hostium suorum conatus tam feliciter eludere nouit, &c.

III. Persecutio contra apostolos.

1. Persecutionis authores Iudæi.

Porrò felicem regni Christi successum noua rursum persecutionis tempestas excipit, ut uerissimum esse uideas, quod de improbis mundi conatibus & ministrorum suorum laboribus atq; periculis dominus prædixit. Proderit autem omnium nostrum institutioni, si singulas nouæ huius Tragœdiæ circumstantias penitius inspiciamus. Primò persecutionis authores nominantur, Iudæi [illegible]rum, quos sua incredulitate non cōtentos fuisse, sed simul gentium animos aduersus fratres, qui in Christo

Christo nomen dederant, exasperauisse Lucas scribit: quod absque calumnijs fieri non potuit. Nec dubium est, quin turbarum & seditionum authores esse dixerint, cum his criminibus fidos Christi cultores omnibus seculis petitos fuisse constet. Est autem horrendum planè, Iudæos implacabile istud veritatis odium concepisse, & infelicia iræ vasa factos esse, quos olim filios suos & sacerdotale regnum deus nominare solebat. Nemo igitur maiorum dignitate aut ullis prærogatiuis confidat, sed humilitati studeant & deum vereantur, qui non ipsi quoque præcipitari volunt. Obseruemus autem hoc loco, qui nam seditionũ & turbarum authores sint. Non quidem qui euangelio credunt, sed qui huic credere dedignantur. Illi enim paci student cum omnibus hominibus quantum in ipsis est. Hi verò, quia lucem ferre nõ possunt, veritatis ministros falsis criminibus vulgo suspectos facere, & veritatem seditionibus opprimere solent. Interim turbarum causas miris artibus in pios transferunt, cuius rei exempla in Achabo rege, & in Iudæis, Christum coram Pilato accusantibus, extant. Ista verò in eum finem obseruare conuenit, ne facilè ijs fidem habeamus, qui euangelij doctrina hodie etiam respub. turbari pacemq́ publicam scindi calumniantur. Secundò, quales se in tumultu hoc gesserint apostoli, docetur. Pergunt illi, nec primo impiorum conatui cedunt, sed longo tempore Iconij manentes, magna cum fiducia & libertate domini negotium agunt. Nec illis suo fauore ille deest, sed per miracula & signa testimonium reddit sermoni gratiæ, id est, euangelio, quo nobis gratia dei in Christo prædicatur. Docet nos apostolorum exemplum, ne impiorum conatibus facilè cedant, qui Christi ministri esse uolunt, etiamsi ingentes turbas insurrecturas esse videant. Nec enim aduersus dei gloriam aliquid admitti debet, ut nobis cum mundo conuenire possit, quem prauum & adulterum vel degenerem Christus vocat, & proinde indignum esse docet, cuius tantam rationem dei cultores habeant. Mar. 8. Interim quis miraculorum usus sit, locus hic docet. Fiunt hæc deo authore per ministrorum manus, non vt illis plus aliquid quàm humanũ tribuatur, sed vt apud incredulos, qui dei verbo nondum assueuerunt, doctrinæ sigilla sint. Fatetur hoc de suis miraculis Christus dominus, Ioban. 5. & 10. Nec alium illorum vsum fore docet, quæ apostoli edituri sint. Vide Marc. 16. Arguitur ergo hic duplex error, qui hodie passim regnat. Primus eorum est, qui à nobis miracula exigunt, quorum vsus magnus esse non potest inter Christiani nominis professores, quorum fides dei verbo inniti debet, quiq́ apostolorum doctrinam iam olim miraculis abunde probatam esse fatentur. Alter Papistarum est, qui ineptissima quædam miracula pro Diuorum inuocatione, transsubstantiatione, purgatorio & alijs id genus nugis contra apertam veritatem allegant. Atqui dei verbo dogmata prius probanda erant, quod cùm facere non possint, falsa & mendacia signa censeri debent, quæcunq; in horum assertionem afferuntur, qualia ab Antichristianis nouissimo seculo proditura Christus olim prædixit, Matth. 24. 2. Thess. 2. Tertiò, quousq; persecutionis tempestas progressa sit, docetur. Diuisa est (inquit) multitudo ciuitatis, & alij quidam stabant à Iudæis, alij autem ab apostolis. Non leuis ergo hæc fuit paucorum duntaxat hominum commotio, sed totius ciuitatis populus intestina seditione scissus, in partium studia transiuit, quibus nihil in repub. pestilentius accidere potest. Atqui hoc illud est, quod Christus fore prædixit: Non ueni ut mitterem pacem, sed gladium. Nam ueni, ut dissidere faciam hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & sponsam aduersus socrũ suam, & inimici hominis erunt domestici ipsius. Matth. 10. Hic tamen eorum, quæ supra de incredulis, persecutionis huius authoribus dicta sunt, meminisse oportet. Nec enim propriè Christus dissidiorum author est, cùm pacem passim commendet, & inimicos quoq; diligere iubeat. At tanta est impiorum malitia, ut quò magis urgentur salutifera Christi doctrina, eò magis illi furiant, tandemq́ apertas inimicitias exerceant, quæ res absque seditionibus transigi non potest. Vt enim impij suam impietatem mordicus retinere volunt: ita nec pijs suam stationem, in quam à deo uocati sunt, deserere licet, ne mundi amicitiam Christi gloriæ & animarum saluti præferre uideantur. Quæ etiam causa est, quòd non neutrales se in hoc schismate præbent apostoli, quàmuis peregrini essent, quos in aliena repub. curiosos esse, Cicero quoq; prohibet. Quia enim quidam ab ipsis stetisse dicuntur, facilè patet, ipsos quoq; se partibus iunxisse. Parum ergo apostolici sunt, qui ut primum dissidia in religione oboriuntur, summã prudentiam esse putant, si neutrales fuerint. At Solon bonum ciuem esse negabat, qui seditione exorta, neutralis esse uellet. Et nos Christianos dicemus eos, qui quando de Christi gloria pugnatur, extra omnem teli iactum ociosi spectatores

2. Apostoli seditiosis fortiter resistunt.

3. Scinditur tota ciuitas.

4. Apostoli fugiunt Iconio & alibi prædicāt.

sedere solent? Sunt hi certè tepidi illi, quos euomiturum se Christus minatur. Apoc.3.cap. Quartū idem præsentis huius, qui supra Antiochenæ persecutionis, exitus fuisse ostenditur. Tanto enim furore unà cum primatibus suis insurrexerunt Christi hostes, ut periculum esset, ne lapidibus obruerentur apostoli. Quare Christi consilium simul & exemplum secuti, fugam cœperunt, melioribus nimirum temporibus sese seruantes. Nec tamen illis hoc uitio uertitur, quòd propter ipsos seditione mota, fugerunt. Quid enim facerent, qui aperta ui rem geri videbant? Cumprimis autem obseruemus, quid fuga elapsi fecerint. Nec enim turpi ocio sese dediderunt, sed in Lystram & Derben profecti, euangelij doctrinam per omnem Lycaoniam longè latéq; sparserunt. Vt ergo fugere licet, quando nec Christi gloria, nec ecclesiarum salus in fuga nostra periclitatur, ne nos temere periculis obijciendo deum tentare uideamur: ita cauendū est, ne ignobile timoris consilium secuti, officiū deseramus, cui nos deus destinauit. Semper ergo dei gloriam, unicum consiliorum nostrorū scopum, ob oculos habeamus. Ita enim fiet, ut omnibus periculis superiores, fidem simul & animas seruemus in Iesu Christo saluatore nostro: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA XCVII.

Et quidam uir Lystris sedebat, debilis pedibus, claudus ab utero matris suæ, qui nunquam ambulauerat. Hic audiuit Paulum loquentem. Qui intuitus eum, & uidens quòd fidem haberet se saluum fore, dixit magna uoce: Tibi dico: In nomine domini Iesu Christi surge super pedes tuos rectus. Ille autem exilijt, & ambulabat. Turbæ uerò cùm uidissent quod Paulus fecerat, sustulerunt uocem suam Lycaonicè, dicentes: Dij hominibus similes facti descenderūt ad nos. Et uocabant Barnabam, Iouem, Paulum uerò Mercurium, eò quòd is dux esset sermonis. Sacerdos autem Iouis, qui erat ante urbem illorum, tauros & coronas ad portas afferens, uolebat cum turbis sacrificare.

QVando dominus & saluator noster, Iesus Christus, apostolos suos primò ad prædicandum euangelium emisit, non alia de re illos diligentius admonuit, quàm de persecutionibus, quæ hoc munere occupatis obuenturæ essent. Has enim assiduas simul & graues fore prædixit, non quidem ut inde timore concepto animis deficerent, sed ut fide aduersus præuisa mala armati, illas superare discerent. Intellexerunt hoc electa Christi organa, Paulus & Barnabas, quos singulari spiritus mandato ad prædicandum inter gentes emissos fuisse, supra uidimus. Ea enim constantia & fide in commisso munere versantur, vt ex persecutionibus quasi nouis viribus aucti feruentiores ad officium redeant. Nam Antiochia eiecti Iconium Christi doctrina illustrant. Rursum Iconio per seditionem pulsi, Derbam & Lystram petunt, ibiq; docere incipiunt: & quidem euangelium prædicauisse dicuntur, ne quis illos in hostiū gratiam doctrinæ genus mutauisse putaret. Omnibus verò imitanda proponitur horū constantia, ne quid impijs uerbi hostibus dent, qui Christi cultores uideri volunt. Nec enim Christo dignus erit, qui degeneris huius & adulteri mundi amicitiam pluris quàm illius gloriam fecerit. Cæterum quia miraculorum mentio facta erat, quibus apostolorum doctrinæ testimonium reddidit deus, modò unū ex multis Lucas cōmemorat, quod propter rei euentum, qui inde secutus est, cumprimis dignū narratu uidebatur. Nos uerò, ut uberior ex eius consyderatione ad nos fructus redeat, primò ipsum miraculum cum suis circumstantijs, deinde illius effectum excutiemus.

III. Miraculū claudi sanati.

Claudi conditio miserrima.

Orditur ab eius descriptione, in quo miraculū editum fuit. Fuit is Lystrensis ciuis, non uno duntaxat modo miser. Nam pedibus captus fuisse dicitur, idq; ab utero matris, ut inde pateat, malum fuisse incurabile, qualia ferè sunt, quæ ex natiuitate inhærent. Additur, illum nunquā ambulauisse. Facit autem ad miraculi certitudinem tam diligens claudi descriptio, utq; clarior eluceat Christi potentia, cuius nomine hic paulò post sanatus est. HIC uerò obseruandum uenit, quòd ferè Christus per eos nominis sui gloriam illustrat, qui uel ex natiuitate incurabilibus morbis laborāt, uel aliquin calamitosissimi uidentur. Talem enim cæcum fuisse legimus, quem Iohan.9.cap. uisu donauit. Talis paralyticus, qui post trigesimū octauū annum demum sanitati restituitur. Iohan.5. Talis etiam mulier, quæ octodecim annis contracta fuerat. Luc.13. Tales dæmoniaci, qui indomitùm furentes, il-

lius

sius beneficio liberati sunt. Matth. 8. Seruiunt hæc primùm consolationi nostræ, ne impatienter feramus quæ à deo immittuntur aduersa, quando ex ijs glorificandi nominis sui materiam Christus petere nouit. Tam enim abest, vt propter illa deo inuisi simus, vt potius illa cum fide & patienter ferendo organa gloriæ dei efficiamur. Deinde ad nostram institutionem hæc faciunt, ne ijs temere insultemus, qui à deo naturæ uitijs mulctati sunt. Vt enim iuxta Solomonis sententiam, qui pauperẽ ridet, deum illius factorem contemnit: ita atroci impietatis reatu sese implicat, qui dei manu castigatis aut afflictis intempestiua & mordaci illusione maiorem afflictionẽ affert. Quæ causa est, quòd maledictos pronũtiat lex, qui cæco offendiculũ ponere aut surdo maledicere audẽt. Deu. 27. Leuit. 19.

Videamus autem, quid claudus hic fecerit, priusquàm sanaretur. Audiuit Paulũ cõcionantem, & se saluum fore credidit. Vnde patet de Christi saluifica uirtute Paulũ concionatum fuisse. Quam cùm claudus miraculis multis confirmatam esse audiret, suæ quoq; restitutionis spem animo concepit, cui peculiarem aliquam spiritus sancti suggestionem accessisse, verisimile est, cùm nulla extet vniuersalis promissio, quæ omnibus in Christi nomen credentibus corporis prosperam valetudinem polliceatur. Voluit autem Lucas causam salutis ostendere, quando illum credidisse dicit. Fide enim nos tum ipsius Christi tum omnium bonorum ipsius nos participes fieri, omnis scriptura docet, & ipse Christus frequenter monet, quando aliquem saluaturus ait: Fiat tibi secundum fidem tuam: uel, Fides tua te saluũ fecit. EST autem consyderatu dignissimũ, quòd hũc audiuisse prius dicit, & postea demũ fidei ex auditu verbi conceptæ meminit. Docet id vnde & quo ordine homini fides obtingat. Hanc equidem dei donũ esse cõstat, nec ab alicuius siue arbitrio siue facundia aut prudentia pendere. Nemo enim nouit patrem nisi filius, & cui filius voluerit reuelare. Nemo quoq; nouit filium, nisi pater, & cui is reuelare dignatus fuerit. Matth. 11. Vtitur autem hominibus ministris & verbi sui organo deus, quando homines fide donare instituit, iuxta illud Pauli: Ministri dei sumus, per quos credidistis, quantũ unicuiq; dominus dedit. 1. Cor. 3. Quicunq; ergo fidẽ consequi voluerint, verbũ dei audiant oportet. Quomodo enim credent, nisi audierint? Quomodo autem audient absq; prædicante? Fides etenim ex auditu est, auditus uerò per verbũ dei. Rom. 10. Quapropter ipse Christus duo hæc coniungens, ait: Qui sermonem meũ audit, & credit ei qui misit me, habet uitam æternam. Iohan. 5. Seruiunt ista ad externi verbi commendationem, ne contempto illo aliud quoddam dei verbum imaginemur & incognitas sanctis fidei acquirendæ vias scrutemur. Quod qui faciunt, ferè diaboli insidijs patent, & mirificis illusionibus irretiuntur, ijsq; similes sunt, qui cùm segetes à deo incrementum accipere audiunt, agriculturæ studium omittunt, quam alendo humano generi deus destinauit.

Claudus audit euangelium & credit.

Subiungit his ipsum miraculum Lucas. Paulus enim claudum hunc intuitus, fidei argumenta in illo deprehendit; quod absq; occultiori spiritus suggestione fieri non potuit. Quis enim ex hominis vultu, quo nihil & mutabilius est & fallacius, de fide alicuius certò iudicare posset? Spiritus ergo suggestionem fuisse oportuit, qua Paulus de claudi huius fide certior factus est. Mox verò ad illũ conuersus, integram corporis valetudinem ipsi largitur: & ut vetustiora aliquot fideq; dignissima exemplaria habent, ait: Tibi dico, In nomine domini Iesu Christi surge super pedes tuos rectus. Nec enim credibile est, priorem particulam, qua Christi nomen allegatur, à Paulo omissam fuisse (ut in vulgaribus exemplaribus legitur) cum hic vnus apostolis cùm doctrinæ tum miraculorum scopus fuerit, vt Christo saluatori homines adducerent. Non caruit autem felici successu opus hoc, quod ex fide vtrinq; emanabat. Illicò enim exiliuit qui hucusq; claudus fuerat, & ambulauit. Ita verò apostolicæ doctrinæ testimoniũ miraculo hoc deus reddidit, sicuti heri audiuimus. Quia autem eiusmodi ferè sunt Christi & apostolorum miracula, ut non obscurè salutis & redemptionis nostræ rationem adumbrent, eadem in hoc etiam nobis breuiter perstringenda erit.

Claudus sanatur miraculose.

Claudus hic omnium nostrûm adeoq; totius humani generis conditionem adumbrat. Nam vt hic corpore debilis est, idq; ex matris vtero: ita omnes nos ad ea, quæ saluti seruiunt, infirmi & debiles sumus, hocq; vitij nobis ex matris vtero agnatum habemus, vt qui in peccatis concipimur simul & nascimur. Et si anteactam uitam consyderemus, nunquam nos ambulauisse uidebimus, nimirũ in deuijs, quæ ad uitæ æternæ hæreditatem ducunt. Omnes quippe, vt oues errauimus, singuliq; suas vias secuti sunt. Isa. 53. Et humani cordis figmenta ab ineunte ætate praua esse, ipse deus testatur. Gen. 8. Qualis ergo claudi huius conditio fuit quoad corpus, talis omniũ nostrûm est quoad animam,

Humanæ redẽptionis typus & ratio.

quantoq; illa corpore præstantior est, tanto etiam miseriorem nostram conditionem esse constat. Nulla ergo in nobis ipsis salus est, sed hanc extra nos quæramus oportet: illic loci nimirũ, vbi illam claudus hic noster inuenit. Audiuit is euangelium de Iesu Christo, & huius virtute se saluum fore credit, votiq; sui per fidem compos factus est. Eadem igitur ratione nobis quoq; ad salutem tendendum erit. Euangelium audiamus, & Christũ Iesum, qui in hoc prædicatur, fide complectamur, & sic saluabimur. Is enim omni reatu in se credentes liberat, cùm pro nobis peccatum factus sit, vt nos iustitia dei efficeremur per illum. 2. Corinth. 5. Idem ille nos regenerat & immortali æternoq; cælestis generationis semine corruptæ nostræ naturæ vitijs atq; infirmitati medetur. Hic ipse nouis viribus nos instruit, vt qui ex nobis ipsis non idonei eramus uel ad cogitandũ, in ipso poßimus omnia, dumq; in ipso manemus, fructum multum feramus. Iohan. 15. Phil. 4. Et quia solus hæc operari potest, solus quoq; saluator censeri debet, nec alius miseris nobis iamq; perituris medicus quærendus est. Simul verò quod nam eorum, qui Christi beneficio curati sunt, officium sit, claudi exemplo admonemur. Is enim Pauli voce vocatus, illicò exilit & ambulat. Ita nos Christo vocante, absq; mora exiliamus è luto, cui nimis diu inhæsimus, & abnegatis infelicis ac cæcæ carnis operibus, ambulemus in vijs domini. Poßent hæc latißimè diduci, & exemplis pluribus illustrari, sed paucis his meditandi occasionem ijs præbuisse sufficiat, quos ardentius synceriorís pietatis studium inflammauit.

II. Vt Lystrenses miraculo affecti fuerint?

Accedamus nunc ad alteram huius loci partem, quæ miraculi effectum describit, qui apud Lystrenses longè alius fuit, quàm Paulo propositus esset. Hic enim vt doctrina, ita miraculo quoq; auditores suos Christo adducere voluit. Illi verò à Christo resiliendi occasionem inde arripiunt. Nam vetustis poetarum fabulis decepti, deos hos esse putant, qui humana specie assumpta in terras descenderint. Et fortaßis succurrit de Iouis & Mercurij ad Lycaonem progenitorem ipsorum descensu fabula.

Ouid. Met. 1.

Nam hos ipsos cœlitus descendisse clamant, illorumq; nomina in apostolos ineptißimè partiuntur. Barnabam enim Iouem esse dicunt, quod uel natu maior esset vel vultus maiestate grauior, Paulum verò Mercuriũ putant deorum interpretem, quod is coram populo verba faceret. Superuenit in tempore Iouis sacerdos, qui insanientes magis instigat. Nam adductis simul tauris & coronis, pro more gentilium sacrificiũ parat.

Veteres errores difficulter tolluntur.

EST verò hoc memorabile cumprimis exemplum, quo docemur, quàm procliue sit à vera pietate ad superstitionem & idololatriam hominum ingenium, quamq; difficile sit errores exuere, qui nobiscum unà cum ætate succreuerunt. Paulò ante enim Lycaones isti apostolum de Christo concionantem audiuerunt. Viderunt item in Christi nomine editum esse miraculum. Manet tamen in illorum animis vetus de deorum in terras peregrinatione persuasio, & turpißimi erroris occasionẽ inde arripiunt, vnde pietatis semina petere debebãt. Atqui inepte simul & impiè illos fecisse omnes fatemur. At quantò ineptiores istis sunt Papistæ, qui tamẽ Christi nomine gloriari cõsueuerunt? Fatentur illi apostolos homines quidẽ, sed Christi seruos fuisse, quorum opera ille in propagando regno suo vti voluerit. Interim eosdẽ illos in deorũ numerũ referre solent, & ea illis tribuunt, quæ solius dei sunt, quæq; absq; prophano veri dei contemptu nulli creaturæ tribui possunt. Illos enim in periculis inuocandos esse docent, & officia inter illos non minori inscitia, quàm olim inter suos deos ethnici, partiuntur, dum alium quidem vinctis, alium naufragis, alium iter facientibus, alium in igne periclitantibus saluatorẽ constituunt. Et ne quis ineptiendi modus sit, cùm sanctos pro Christi nomine mortẽ oppetijsse agnoscant, in eosdem tamen præcipuam gloriæ Christi partem transferunt, dum illos suos apud deum intercessores & aduocatos esse fingunt, ipsisq; vota sua nuncupant. Pudeat ergo nos in gentium stultitia confutanda laborem suscipere, cùm maior stultitia inter Christiani nominis professores inueniatur.

Origo & progressus idololatriæ.

Deinde idololatriæ originem & progressum hoc exemplo spiritus sanctus proponit. Erroris quidẽ omnis fons fuit veri dei ignorantia, & quòd aliorum gentium more dei naturam & essentiam ad humanæ rationis calculum reuocarunt. Quæ res deorum multitudinem & crassas simul atq; absurdas de ijsdem opiniones inuexit. Secutus hunc est alius, quòd nimirum cùm multos esse deos putarent, temere proximam quamq; personam sancitam, quæ ipsis alicuius boni causa erat, in deorum numerum retulerunt. Hinc factum ut cæli sydera, elementa, animalia, homines item, quorum natales & sepulchra in terris monstrabantur, pro dijs haberent. Falsos uerò & fictitios deos sacris etiam coli oportuit. Instituti ergo dies festi, erecta aræ, structa templa, cæsæ uictimæ, positæ imagines & statuæ & infinita alia priscæ superstitionis figmenta

ta introducta sunt. Quibus omnibus sese duces & antesignanos præbuerunt Sacerdotes, qui inde honoris simul & quæstus materiam uenabantur. Quòd si ista cum ijs conferas, quæ inter Christianos iam seculis aliquot facta sunt, nullum inter ueterem & nouam superstitionem discrimen inuenies, quàm quòd deorum nominibus mutatis, ijdem ritus & eadem sacra exercentur, eoq; detestabilior error est, quòd sub eorum prætextu & nomine dei patris & Christi gloriæ derogatur, qui sanguinem suum fundendum esse putauerunt, ut sua Christo gloria integra & salua maneret. Et plebis inscitiam sacrificulorum turba adauget, qui inde sibi quæstum uberrimum propositum esse uident. Quàm uerò ista sanctis dei cultoribus displiceant, sequens Pauli oratio abũde docebit. Discamus nos è scripturis ueri dei cognitionem petere, illum colere in spiritu & ueritate, illum solum in aduersis inuocare, & illi soli ubi periculis erepti sumus gratias agere per nomen filij sui Iesu Christi: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas. Amen.

HOMILIA XCVIII.

Porro cum audissent apostoli, Barnabas & Paulus, disruptis uestibus suis insilierunt in turbam, clamantes ac dicentes: Viri, cur hæc facitis? Nos quoq; ijsdem quibus uos malis obnoxij sumus homines: annunciantes uobis, ut à uanitatibus istis conuertamini ad deum uiuum, qui fecit cœlum, & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt. Qui præteritis ætatibus permisit omnes gentes suis ipsarum uijs ingredi. Quanquam non sine testimonio seipsum reliquerit, benefaciens, dans nobis de cœlo pluuias, & tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda nostra. Et hæc dicentes, uix compescuerunt turbas, ne ipsis immolarent.

Homo peccati lapsu nõ modò à pristina dignitate, ad quam conditus erat, excidit, uerumetiam extincta est in eo rationis lux, qua deum simul & dei mẽtem perspicere solebat, adeò ut ea quæ sunt spiritus dei naturali suo intellectu percipere non posit. Quæ causa est, quòd non suis modò figmentis seipsum seducit, uerumetiam ijs perniciosè abutitur, quibus illum deus in ueritatis cognitionem perducere studet. Exempla huius rei paßim in omnium seculorum historijs extant: at inter illa cumprimis memorabile est, quod in Lystrẽsibus proponitur. His etenim euãgelium de Iesu Christo prædicarunt Paulus & Barnabas, nec dubium est eam illos in prædicando adhibuisse diligentiam, qua alibi usos legimus. Acceßit doctrinæ miraculum, quo claudus quidam Christi nomine & uirtute restitutus est, sicq; ipso opere declaratum fuit, talem omnino esse Christum, qualis ab apostolis prædicabatur, humanæ uidelicet naturæ restauratorem & redemptorem potentißimũ. Quid uerò istis apud Lystrenses effectum est, quos diuini spiritus luce adhuc destitutos cæca carnis ratio gubernabat? Non inde Christi cognitionem hauriunt, nec hunc glorificandi occasionem ex tanto miraculo arripiunt. Sed quæ humani ingenij natura est, proxima quæq; temere arripientes, in apostolis hærent, illos solos admirantur, illos miraculi authores unicos esse putant, & nulla Christi Iesu ratione habita, illis sacrificia & diuinos honores parant. Atqui tolerabile uideri poterat, si soli Lystrenses, quos gentilitiæ superstitionis consuetudo dementabat, peccassent. Sed eòusq; progressum est huius exempli contagium, ut inter Christiani nominis professores pietatis & religionis summa ratio in simili Diuorum cultu consistere putetur, quibus propter uetera miracula ab ægrotis, captiuis, naufragis & quouis alio casu periclitantibus uota nuncupari, aræ constitui, imagines fabricari, templa extrui & omnis generis sacrificia offerri consueuerunt: cum interim uix minima meriti Christi ratio habeatur, in quo uno illi nobis omnem salutis spem monstrauerunt. Posset istorum hominum insania multis confutari. Sed præsens locus illis confutandis sufficit, quo narratur, ut Lystrensium facto apostoli affecti fuerint.

Primò enim ipsorum gestus graphicè describuntur, quibus cultum hunc sibi quàm maxime displicere, abunde testati sunt. Nam uestes scindunt pro more gentis, qui summè dolentium & ob intolerabilem blasphemiam indignantium gestus fuit, ut in Ezechia & Caiaphæ exemplis patet, quorum ille quidem auditis blasphemis Rapsacis Chaldæi uocibus, animi dolorem & indignationem

Apostoli gestibus cultum abs sese reijciunt.

hoc gestu testatus est: hic uerò, cum in Christi causa iudex sederet, eodem blasphemiæ impatientem animum egregiè simulauit. At nihil simularunt hoc loco apostoli, qui Christi gloriam omnibus priuatis affectibus anteponere soliti fuerunt. Nec etiam uestium scissione contenti, in medias turbas, ceu incendium publicum extincturi, insiliunt, quod ab hominibus peregrinis sine manifesto capitis periculo fieri non poterat. Præterea non uerbis nudis, sed clamore & uociferatione rem agunt, ut omnis modestiæ simul & mansuetudinis obliti uideri possint, quos in propria causa modestissimos & patientissimos fuisse constat. Ex hoc igitur exemplo, quod nam sanctorum ingenium sit, & quàm feruenti zelo pro dei gloria asserenda pugnent, colligere licebit. Intolerabilis hæc illis blasphemia esse putatur, si quis dei cultum, uel illis ipsis, uel alijs creaturis, tribuat. Ad fœdus enim dei & eiusdem legem anxiè respiciunt, cuius hoc præcipuũ caput est, ut ipsum solum deum nostrum esse agnoscamus, & ipsum solum ueneremur. Et quia zelotem esse nouerunt deum hunc, acerrimumq́ sui honoris uindicem, ipsos quoq́ zelo haud uulgari accendi oportet, si quando deo honorem suũ palàm eripi, & alijs transferri uident. Exempla similia supra quoq́ in Iohanne & Petro apostolis uidimus, cap. 3. & 10. Et eodem ingenio angelos etiam præditos esse constat, utpote fideles dei internuncios. Vide exemplum Apoc. 19. & 22. cap. Discimus ex hoc loco, quales censeri debeant, qui sibiipsis diuinos honores uendicare audent, quales olim Herodem Agrippam, Caligulam, Domitianum, Diocletianum, & alios eius generis homines impuros & naturæ monstra, fuisse legimus: & hodie Romanos pontifices uidemus, qui & sanctitatis titulum, & peccatorum remissionem, & absolutam quiduis impunè agendi potestatem sibi uendicant, adeò ut à nemine sese reprehendi uelint, etiamsi animas hominum cateruatim ad inferos deduxerint. Non possunt omnes isti euidentiori argumento testari, se à Christi spiritu alienissimos esse: cũ apostolos Christi tantopere ab ea gloria abhorruisse uideamus, cuius studio ita illi rapiuntur, ut eius gratia totum orbem nõ modò falsa doctrina seducere, uerumetiam bellis horrendis commiscere non uereantur. Præterea constat exemplo hoc, minimè ab illis Diuos coli, qui inuocationem & externum cultum, quem sibi soli deus uendicat, in ipsos transferre consueuerũt. Quid enim isti homines aliud agunt, quàm quòd (quantum in ipsis est) ignominia & ira diuudos ex ijs faciunt, qui cum in terris uiuerent, se totos in hoc impenderũt, ut sua deo gloria salua & integra maneret. Nec putandum est, uel illos in cœlis ingenium suũ, uel ipsum deum suam uoluntatem mutauisse, qui olim per prophetam dixit: Ego dominus, hoc est nomen meũ, & gloriam meam alij non dabo. Isa. 42. Euidentior tamen omnium horum demonstratio in apostolorum oratione, quam mox subiunxerunt, patebit: cuius singulas partes ordine excutiemus.

Apostoli oratione cultũ abs sese reijciunt.

1. Propositio.

Propositio & summa orationis est, non apostolos aut quamuis aliam creaturam, sed solum uerum atq́ uiuentem deum coli & inuocari debere. Quod cum simpliciter & absq́ omni sermonis inuolucro dicere potuissent, interrogatione mentem suam exprimere uoluerunt. Aiunt enim: Viri, cur ista facitis? Conueniũt hæc pulchrè gestibus, quos modò uidimus. Paucissimis enim uerbis aperiè testantur, impium, illicitum & abominabilem esse cultum hunc, in quo hodie à plerisq́ Christiani nominis professoribus præcipua ueræ pietatis & religionis laus quæritur. Nec mihi quisquam obijciat, gentilitium cultum & fictitiorum deorum nomina apostolis displicuisse, qui fortassis æquanimiter laturi fuissent, si quis eo honore illos coluisset, quo hodie in papatu coluntur. Simpliciter enim cultum omnem abominantur, eiusq́ honorem uni & soli deo uendicant.

2. Confirmatio.

Id uerò in secunda orationis parte euidentissimè patet, quæ propositionis confirmationem habet, duobus ualidissimis argumentis munitam. Primum à sua ipsorum persona siue natura desumunt, dicentes: Nos quoq́ ijsdem, quibus & uos, malis obnoxij sumus homines. Quasi dicant: Stultum & absurdum est eos pro Dijs adorare & colere, qui eiusdem nobiscum naturæ consortes, & ijsdem malis nobiscum obnoxij sunt. Atqui tales nos sumus, homines nimirũ, à quibus nihil humani alienum est. Nam & peccatores sumus, & propter peccata communibus, quas hæc uita fert, molestijs subijcemus. Hoc ipso argumẽto Petrum quoq́ apud Cornelium, ante pedes ipsius prostratum, usum fuisse audiuimus. Ait enim illi: Surge, nam & ego homo sum. At si hoc argumentũ probè expendatur, hoc uno omnem creaturarum cultum euerti patebit. Si enim homines ideo diuinis honoribus indigni iudicantur, quia homines sunt, quid de alijs creaturis dicemus, quas omnes homine inferiores esse constat, utpote quæ in illius gratiam & seruitium creatæ sunt? A quo ordine ne angeli quidem excluduntur,

duntur, cum & ipsi ministratorij spiritus sint, qui propter eos, qui salutis hæredes erunt, in ministerium emittuntur. Heb.1. Neq; hic illorum cauillum admittimus, qui hoc argumento Diuorum cultum minimè euerti dicunt, eò quòd illi iam malis omnibus exempti, et cœlestis gloriæ consortes facti sint. Nam ut fateamur, ex præsenti argumento nihil de illis colligi posse, infiniti tamē scripturæ loci sint, qui illos non magis nunc, quàm olim cū in terris agerent, inuocari debere, docent. De illis enim apud prophetam sancti testantur, quòd nostræ sortis modò ignari sint. Isa.63. Et hoc beatitudinis ratio requirit, quæ nulla omnino futura esset, si nostrarum miseriarum uel spectatores uel uindices esse cogerentur. Deinde immobile & irrefragabile stat ueræ pietatis & religionis principium, quo unum solumq; deum adorandum & colendum esse, docemur. Deut.6. Matth.4. Quòd si uerò homines nec uiui nec defuncti diuinos honores merentur, quis obsecro illorum stultitiam satis ridebit, imò potius deplorabit, qui hos in manuum suarum opera, mutas nimirum imagines transferre consueuerunt? Alterum argumentū ab officio suo ducunt apostoli, dum se in eum finem aduenisse & euangelium apud ipsos prædicauisse testantur, ut à uanitatibus istis conuersi, deum uiuum colere incipiant, cœli, terræ, maris & omnium, quæ his continentur, creatorem. Ita uerò non obscurè fatentur, se oblatos ipsis diuinitatis honores absq; manifesto summæ in deum perfidiæ & impietatis crimine recipere non posse. Quis enim non perfidum dicat legatum & quouis supplicio dignum, qui sub Regis sui nomine & prætextu priuatam causam ageret, suamq; apud illos tyrannidem stabiliret, quos ad Regis sui obedientiam reducere debebat? Quis non sceleratū esse clamaret, qui alterius sponsam sub amicitiæ uterumq; officiorum prætextu domum suam deduceret? At apostolos simul & reliquos uerbi ministros Christi legatos & paranymphos esse constat, eumq; officij illorum finem esse, ut ad fidei obedientiam homines reducant, & Christo despondeant, quos ille sanguinis sui precio redemptos sibi sponsam immaculatam esse uoluit. Ita de suo officio Iohānes Baptista apud suos discipulos, ita alibi Paulus disserit. Iohan.3. 2.Corinth.11. Et ideo in præsenti oblatos sibi honores tanta cum detestatione reijcit, quia se proditionis simul & lenocinij crimen subiturū uidebat, si quid tale admitteret. Hæc utinam obseruarent, quibus hodie cumprimis pium & religiosum uidetur, si rude & imperitum uulgus ad creaturas relegent, aut etiam in hominum meritis salutem quærere doceant.

Porrò obseruatione dignum est, quòd uanitatem uocant cultum hūc apostoli, quem ipsis Lystrensis impendere conabantur. Inde enim colligimus, uanam & inanem esse omnem religionem, quæ ex humanæ rationis figmento citra dei uerbum instituitur, maximè si non in unum deum, sed in creaturas dirigatur, quibus cum gloriam suam Deus communem habere non uult. Consentiunt his, quæ Christus ex propheta allegat: Frustra me colunt, docentes doctrinas hominum. Matth.15. Isa.29. Respondeant heic Papistæ, quorum religio ut circa creaturarum cultum maximè uersatur, ita non alio fundamento, quàm humanis traditionibus nititur. *Vanus est omnis cultus, qui sine dei uerbo instituitur.*

Deinde ministrorum uerbi officium his uerbis apostoli complectuntur, dum se in hunc finem prædicare dicunt, ut à uano creaturarum cultu ad unum uiuentem deum homines conuertantur. Duo igitur hæc coniungere debent fideles Christi ministri, ut & falsam religionem euertant, & uerā plantent. Quò illud apud prophetam referri debet: Ecce ego constitui te ut euellas & extirpes, ut ædifices & plantes. Iere.1. Vt enim in agricultura irritus erit labor omnis, qui uel arādo uel rigando insumitur, nisi radicitus extirpentur quæ segeti officiunt, & semen bonum rite spargatur: ita in animorum cultura infelicissimè laborarunt, qui non utrunq; hoc summo studio & cura coniunxerint. Peccatur autem bifariam à nostri seculi hominibus. Sunt enim, qui Antichristum & illius impia sacra sic abominantur, ut solis illis euertendis occupati, de syncerioris religionis restauratione nunquam cogitent. Rursum alij inueniuntur, qui uerbi prædicatione homines ueram pietatem edoceri uolunt, abusus autem & superstitiones taxari non uolunt, ne mundum hunc sibi inimicum faciant. Et sperant quidem posteriores isti sponte cessuras superstitiones, ubi ueri dei cognitionē homines perceperint: non uident aūt, eam nisi illis sublatis in animis hominum locum habere non posse. Vtrunq; ergo coniungant, quicunq; in religionis negotio cum laude & fructu uersari uoluerint. *Ministrorum uerbi officium.*

Tertiò, qualis à nobis deus agnosci debeat, docent apostoli: Creator nimirum cœli, terræ, maris & omnium quæ in his continentur. Talem nobis deum scriptura passim proponit, & talem ex apostolorum traditione in fidei nostræ articulis publicè profitemur. At qui creatorem agnoscunt, gu- *Deus omnium creator & gubernator.*

bernatorem quoq; fateantur necesse est. Nec enim fas esset, eiusmodi opificem deum fingere, qui operis sui curam omnem abiecisset. Et Dauid illum in alto quidem habitare, sed simul omnia inspicere dicit, quæcunq; uel in cœlis uel in terris geruntur. Psal. 113. Illius enim prouidentia fit, quòd ad regni solia plebeij homines ascendunt, quòd regna transferuntur, quòd steriles fœcundæ fiunt, quòd terra fœtus omnis generis producit, quòd maria crescunt & decrescunt, quòd uicibus uarijs totus mundus mutatur. Deniq; adeò nihil à dei prouidentia excluditur, ut hæc uagos quoq; auium uolatus, flores agri & capitum nostrorum pilos in numerato habeat. Confutatur his illorum delirium, qui mundum hunc æternum esse docent, qui primus ad impietatem gradus est. Inde enim sequitur, incertis uicibus omnia ferri, & deum aut omnino nullum esse, aut ociosum circa cœli cardines uagari, nec curare ea, quæ in terris geruntur. Descripsit eorum hominum, qui ista fingunt, sectam diligentissimè Dauid Psalm. 14. & 53. Sed ita hodie regnat, ut paucos esse uideas, qui deum omnium creatorem et gubernatorem esse, sibi uerè persuasum habeant. Sed eorundem finem Petrus in posteriori epistola capite tertio pulchre exponit.

3. Refutatio.

Cæterum ad apostolos reuertamur, qui tertia orationis suæ parte ea confutant, quæ ipsis obijci poterant: nimirum longi temporis præscriptionem & unanimem totius ferè orbis terrarum consensum. Quibus argumentis hodie etiam contra ueritatem pugnari solet. Indignum enim & absurdum uidetur, tot seculis nationes omnes errauisse, & nunc demum ueritatis lucem paucis quibusdam et obscuri nominis hominibus innotuisse. At paucis uerbis ad ista respondent apostoli. Deus (inquiunt) permisit præteritis ætatibus omnes gentes suis ipsarum uijs ingredi. Inest his duplex argumentum. Alterū est, gentes non in dei præceptis, sed in suis uijs & adinuentionibus ambulauisse, quare quæ illæ fecerunt, minimè in exemplum trahi debere. Alterum est, dei permißione hoc factum esse, non quòd ipsi illarum superstitio placeret, sed quòd ita meruisset curiosorum hominum audacia, qui (ut alibi Paulus docet) humani ingenij acumine dei mysteria altius scrutati sunt, quàm par erat, nec ijs medijs, quibus is sui cognitionē reuelauerat, contenti fuerunt. Rom. 1. Docet uerò locus hic, hominum uias in salutis negotio cæcas, & proinde fallaces esse, cum animalis homo (ut initio huius Sermonis monuimus) non percipiat ea quæ sunt spiritus dei. 1. Corinth. 2. Nisi ergo dei uerbo subijciatur humani ingenij solertia, in ueram salutis cognitionē minimè perueniet, imò quò altius euolabit, proprijs freta uiribus, eò grauiori lapsu in mare errorum decidet. Enormis ergo illorum error est, qui religionis causam, & in hac obortas controuersias, humanis rationibus componi posse existimant. Qui perinde faciunt, ac si quis forensium causarum iudices constitueret, qui auribus simul & oculis capti, nihil uel audire uel uidere possent. Admonemur præterea hoc loco, miserè omnes eos falli, qui in religione multitudinem allegant, & ecclesiam errare posse negant. Constat enim omnibus seculis maiorem fuisse eorum numerum, qui & falsis de deo opinionibus decepti fuerunt, & eidem non rite seruierunt. Vnus Noe cum sua familia, quæ non plures octo personis continebat, diuersam à toto mundo de deo & religione sententiam sequitur, eiusq; testem & uindicem habet ipsum deum. Et patriarchæ paucißimi numero, ceu stellæ quædam obscuro & nubilo cœlo micantes, per incredulas gentes sparsi fuerunt. Quid uerò de Israele, dei peculio, dicemus? Nónne illos unà cum suo antistite turpiter simul & impiè errauisse legimus, quando contra dei præceptum uitulum conflare, & maiestatem Dei imagine bouis (ut propheta ait) comedentis fœnum, mutare ausi sunt? Psal. 106. Et ut de nouo dei populo dicamus, nonne hunc Christus pusillum gregem uocat, & paucos esse dicit, qui per angustam portam ad salutem ingrediantur? Luc. 12. Matth. 7. Quid, quòd Paulus ex ecclesia graues lupos exorituros esse dicit, qui gregi non parcāt, idemq; Antichristi sedem in ipso dei templo sublimem fore docet? Acto. 20. 2. Thessal. 2. Desinant ergo nobis multitudinis suffragia & ecclesiæ authoritatem obijcere, qui manifestæ ueritati aduersantur. Dei uerbum & Christi uocem requiramus, quæ unica in dijudicandis doctrinæ controuersijs regula esse debet.

In deum non reiici debet idololatriæ culpa.

Porro ne quis idololatriæ & superstitionis gentilitiæ culpam in deum reijceret, cum ille permiserit, ut suis ipsarum uijs gentes ingrederentur, præoccupatione utuntur apostoli, qua deū extra omnem culpam constituunt. Is enim (inquiunt) nunquam non de se suaq; natura & uoluntate testatus est, & per uisibilia opera sua inuisibilem suam essentiam & naturam mundo declarauit. Omitto autem maioribus illis & stupendis dei operibus, quæ humani ingenij captum superās, ea in medium adducunt

adducunt, quæ & quotidiana sunt, & hominum bono fiunt, ut uel eo nomine quemuis in supremi illius numinis diligentem consyderationem rapere poßint. Quis enim adeò cæcus aut hebes est, ut tempestatum uices & qui inde enascuntur frugum prouentus, non uideat? Quis illa fortuitò fieri dicat, quæ certis legibus ita astringuntur, ut portentũ putetur, si quid præter solitum naturæ cursum fiat? Et quanta obsecro ingratitudo est, deum non agnoscere, qui non necessaria modò, uerumetiam quæ uoluptati & lætitiæ seruiunt, nobis liberaliβimè largitur? Aut quam excusationem ignorantiæ suæ afferre possunt, qui quoties cibum capiunt, de dei in nos beneficentia admonentur? EST autem in hoc loco utilis doctrina, & ad quorundam superstitiosam curiositatem cohercẽdam cumprimis necessaria, in quem authorem cœlestes influentiæ & terræ prouentus referri debeant. De deo creatore dicunt apostoli, quòd is nobis de cœlo pluuias mittat & tempora fructifera, quòdq; nos cibo simul & lætitia impleat. Consentiunt his, quæ paβim scripturæ tradunt. Dauid certè inter dei opera hoc ipsum diligenter connumerat, cum ait: Ipse operit cœlum nubibus, & parat pluuiam terræ, & producit fœnum in montibus. Ipse dat pecori pastum suum, & pullis coruorum inuocantibus se. Ipse dat niuem tanquam lanam, & pruinam spargit ut cinerem. Proijcit glaciem suam ut laminas, missoq; uerbo suo liquefacit ea, & uento suo afflat, ut aquæ fluant. Psal. 147. Item: Rigat montes è suis cœnaculis, & de fructu operum eius satura fit terra. Producit fœnum pecori, & herbam ad usum hominis, ut proferat panem de terra, &c. Psal. 104. Omitto infinita alia, quæ adduci poterant. Temperat autem hæc pro sua iusta uoluntate deus, dum in lege sua ambulantibus felicem & uberem rerum prouentum, immorigeris autem sterilitatem immittit: cuius rei luculenta testimonia extant, Leuit. 26. & Deut. 28. capite. Confutantur his astrologi, qui dum syderum positionibus ista tribuũt, prophana deorum nomina, adeoq; totum penè gentilismum reuocant. Arguuntur etiam superstitiosi, qui horum authores Diuos faciunt, à quibus etiam pluuias & tempestates institutis in eum finem publicis sacris, petere solent. Videant utriq; quid dominus apud Hoseam Cap. 2. loquatur. Nos uerò apostolorum doctrinam secuti, unum solumq; deum horum omniũ authorem & gubernatorem agnoscamus, qui nec syderum legibus astringitur, nec naturæ subiacet, sed pro sua bona uoluntate iusto iudicio omnia moderatur.

Sed effectum apostolicæ concionis Lucas exponit, tamq; graui uerborum simul & sententiarum pondere uix prohiberi potuisse Lystrenses testatur, quò minus ipsis sacrificarent. Adeò contumax est in retinendis superstitionibus humanum genus. Maior tamen nostri seculi contumacia est. Potuerunt isti una concione coherceri, cum hodie paβim inueniantur, quos multorum annorum labores & quotidianæ conciones, ut ad mentem redeant, mouere non possunt. Oremus itaq; deum patrem, ut suo spiritu tam illos quàm nos illuminatos, in ueram & salutiferam suijpsius & filij sui, Iesu Christi, cognitionem perducat: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen. *Effectus concionis apostolicæ.*

HOMILIA XCIX.

Superuenerunt autem ab Antiochia & Iconio Iudæi, qui cum persuasissent turbis, & Paulum lapidassent, extraxerunt eum extra urbem, existimantes ipsum esse mortuum. Circumdantibus autem eum discipulis, surrexit & ingressus est ciuitatem. Et postridie cum Barnaba exiuit Derben: cumq; euangelizauissent illi ciuitati, multosq; formauissent discipulos, reuersi sunt Lystram, & Iconium, & Antiochiam, denuò confirmantes animas discipulorum, & exhortantes ut perseuerarent in fide, & quòd per multas afflictiones oporteat nos ingredi in regnum dei.

QVemadmodum dominus noster Iesus Christus humani generis salutem indesinenti studio prouehere & tueri contendit: ita uicißim totus in hoc est Satan, ut euerso Christi regno, à salutis uia homines retrahat. Exemplum eius rei cumprimis euidens in præsenti historia proponitur. Nam apostolis apud Lystrenses prædicantibus, primùm superstitiosos quosdam Satan commouet, qui illis diuinos honores impendere instituerunt, nec dubium est hoc etiam quæsiuisse malignum hu-

manæ salutis hostem, ut ambitione tentati apostoli succumberent, cum hoc ipso ariete Christum antea oppugnare ausus fuerit. Sed non succedit conatus hic. Olfaciunt enim diaboli artes Paulus & Barnabas, & maiori quàm antea zelo inflammati, ueri dei gloriam constantissimè asserunt. Iam Lystrenses illius cognitionem gustare & ab auitis erroribus discedere inciperent. Quare alia uia Satan rem aggreditur, & ueritatis hostes apertos armat, quorum opera alibi quoque apostolos loco cedere coegerat. Nam Iudæos Antiochia & Iconio euocat, qui calumnijs suis Lystrensium animos ita aduersus apostolos commouent, ut furiosè in illos insurgentes, Paulum lapidarent, & seminecem extra urbis suæ portas extraherent. Et præcipuus quidem totius historiæ usus est, ut Satanæ artes, quibus ille ueritatem oppugnat, obseruare, & aduersus easdem apostolorum constantiam imitari discamus. Quia uerò alia simul insunt, quæ nostræ tum institutioni tum consolationi seruire possunt, singulas huius certaminis partes inspicere, non parum proderit.

Satan passim sua habet organa.

Primò ijdem turbarum authores producuntur, qui etiam antea apostolis negotium fecerant, Iudæi nimirum, de quorum horribili cæcitate & deplorata aduersus Christum pugnandi contumacia iam sæpe dictum est. Hic uerò haud uulgare Satanæ stratagema obseruãdum uenit, quòd illos Antiochia & Iconio, ceu ueteranos milites, adducit. Curat enim ut ubique organa sua habeat, quibus Christi regnum euertere, suum uerò stabilire possit. Quare si alicubi homines suis conatibus parum commodos esse uiderit, alios aliunde adducit, quorum industria & cura res suas conficiat. Possent huius rei multa exempla recenseri, si ueteribus exemplis opus esset, ubi quotidiana abunde suppetunt. Nam eiusdem artis est, quòd hodie episcopos & malè feriatos monachos submittit, qui passim obrepentes impiorum consilia adiuuant, rude & ignobile uulgus calumnijs aduersus Christi doctrinam exasperant, nobiliores promissis & interdum donis solicitant, toti denique in hoc incumbunt, ut renascentis euãgelij fructum in herba suffocent. Atqui hoc obseruauisse uehementer prodest, ut non minori studio & zelo, pio tamen & ab omni fraude alieno, ipsi quoque pro ueritatis defensione & propagatione inuigilemus.

Vulgi inconstantia.

Secundò uulgi inconstantia nobis consyderanda uenit. Nam qui paulò ante apostolos deorum loco habebant, & illis sacra parabant, repentè ab hominibus exteris, & quidem diuersæ religionis sectatoribus, persuasi, ijsdem crudelem necem moliuntur. Quid ergò illos facturos fuisse putas, si uel à suæ gentis proceribus, uel Romanis præsidibus solicitati fuissent? At non tam turpis quàm uulgaris & passim obuia est ista uulgi leuitas, quæ & beneficiorum acceptorum obliuionem parit, & benefactores atrocibus iniurijs adobruit. Huius exemplum in Aegyptijs cernitur, qui cum Iosephi consilijs non modò famis tempore seruati, uerumetiam in summum potentiæ & gloriæ fastigium euecti essent, eiusdem tamen uix fato functi memoriam planè abiecerunt, & in illius posteros iniquissima tyrannide & enormi crudelitate grassati sunt. Idem Moses expertus est, qui cum Israeliticæ gentis saluator fuisset, ab ijsdem tamen omni conuitiorum genere obrutus, uix euasit quò minus lapidaretur. Quid autem de Dauide & infinitis alijs, quorum exempla in gentilium historijs leguntur, dicere attinet, quando hanc ipsam sortem Christo quoque contigisse, constat? Nam qui huic regis titulum deferre, & Hierosolymas ingredienti magno cum applausu acclamare solebant, paulò post sacerdotibus & scribis coniuncti, illum ad crucis supplicium postulauerunt. Est uerò non uulgaris horum exemplorum usus. Docent enim ne auræ populari fidamus, qua nihil mobilius & inconstantius in rerum natura habetur. Nam si uel te solum inspicias, facilè uidebis quàm multis quamque diuersis & contrarijs affectibus simul distraharis. Et fieri posse speras, ut uulgus, multorum capitum bellua, sibi semper constet, quæ quot capita habet, tot sensibus ducitur, nouaque quotidie eorum consilia admittit, qui illius mobilitate ad suum quæstum abuti consueuerunt? Quin potius soli deo studia nostraque probare studeamus, apud quem certa uirtutum merces nobis reposita est, quam nec uulgi inconstantia, nec tyrannorum uiolentæ manus nobis eripere possunt. Matth. 6.

Dei prouidentia pios in periculis seruat.

Tertiò ipse deus nobis inspiciendus est, cuius nutu & prouidentia res omnes administrari constat. Permittit is, ut fidelissimus Christi apostolus & electum gratiæ suæ organum lapidetur, & quidem ijs authoribus, quorum saluti ille cumprimis studebat, & pro quibus indesinenter precabatur. Non nouum ergo aut insolens nobis uideri debet, si quid simile hodie contingat, nec ex euentu de cuiusquam fide aut doctrina iudicare debemus, quando olim prophetis hoc ipsum euenisse, Christo

teste

testatur. Matth. 5. Quin potius ex prouidentia dei consolationem petamus, quæ hoc loco non obscuris argumentis eluxit. Quis enim non singulare dei opus & consilium in eo agnoscat, quòd Paulus quidem lapidatur, illæsus autem manet Barnabas; Pauli collega, & quem antea Paulo prætulisse uidentur, cùm Iouem illum esse dixerint? Quis hunc alia quàm diuina ope seruatũ fuisse dicat, cùm nemo affuisse legatur, qui furentis uulgi conatibus sese opponeret? Quòd si quis interroget, cur hunc potius quàm Paulum defendere voluerit dominus, certa quidẽ ratio adduci non poterit, quàm quòd sic deo visum est, cuius iudicia sunt iustitia & veritas. Si quis tamen pijs coniecturis locus est, ideò Barnabæ pepercisse uideri potest deus, quòd tam graui pugnæ adhuc imparem & infirmiorem sciret, quàm qui tantum pondus posset sustinere. Fidelis enim est deus, nec nos vltra quàm ferre possumus, tentari sinit. 1. Corinth. 10. cap. Nec minor in ipso Paulo dei bonitas & cura elucet. Nam & hunc inter furiosi populi clamores & undiq; volantia saxa ita seruat, vt lethale vulnus nullum accipiat, vel si quod accepit, saltem illius quoq; periculum euadat. Imò ita illum restituit, vt qui mortuus putabatur, & extra urbis portas cadaueris instar extractus erat, postridie itineri faciundo idoneus esse posset. Nemo igitur in medijs periculis desperet, quando diuinæ prouidentiæ limites vltra omnes periculorum fines extendi constat. Nam siue uiuamus, siue moriamur, domini sumus, nec quicquã nos ab eius dilectione separare poterit. Rom. 8. & 14. Atq; ex hoc exemplo generalem doctrinam peti debere, ipse Paulus in posteriori ad Timotheum cap. 3. his verbis admonet: Tu uerò assecutus es doctrinã meam, institutionẽ, propositum, fidem, lenitatem, charitatem, patientiam, persecutiones, afflictiones, quæ mihi acciderunt Antiochiæ, Iconij, Lystris, quas persecutiones sustinuerim, & ex omnibus eripuit me dominus. Sed & omnes, qui volunt piè uiuere in Christo Iesu, persecutionem patientur. Quare primum hoc animis nostris fundamentum insideat, nihil citra dei consilium & uoluntatem nobis accidere, qui etiam capitis nostri pilos numerauit. Matth. 10. cap. Deinde iusto simul & sancto iudicio illum omnia administrare cogitemus. Tertiò firmiter persuasum sit, illum nostri curam & paterni animi affectum nunquam exuere, & tunc maximè nos tueri, quando hostium libidini planè permissi esse videmur. Liberabit ergo ex periculis, si ita è re nostra fore nouerit. Quòd si illi secus uideatur, qui omnia nostra melius quàm nos ipsi perspecta habet, nos qui sumus obsecro, vt illi obloquamur? Sed de his circa finem Sermonis plura dicendi locus erit commodior.

Quid verò in istis turbis discipuli fecêre, quorum animis syncerior cognitionis Christi lux iam affulserat? Num abnegata fide, in gentilium partes denuò transierunt? vel num Pauli lapidati & ignominiose per vrbem tracti illos puduit? Nequaquam. Imò hunc circumstetisse dicuntur, quod illos officij causa fecisse, verisimile est. Cùm enim illũ aduersus furiosæ plebis apertam vim tueri nõ possent, quod possunt, faciunt. Et quem mortuum putabant, circumstant, cum planctu nimirum; & extremum sepulturæ officium fortissimo Christi ministro præstare cupiunt, quod ipsum Hierosolymitanos fideles in Stephani martyrio fecisse, supra audiuimus. Atqui periculo res hæc non poterat carere, si quis & implacabile in Iudæis Christi odium, & uulgi animos ex recenti facinore adhuc ferocientes, probè consyderet. Sed non deest tam pio officio Christus dominus. Nam quem illi vt mortuum plangunt, eum ille miraculose restituit, vt subitò exuscitatus in vrbem redeat. Admonemur exemplo hoc, quid fidis Christi membris, pro communi causa periclitantibus, debeamus. Primum officium est, ut qui possunt, fideli ope laborantes subleuent: ubi varia officiorũ genera occurrunt, in quibus nullum tam vile & contemptum est, quod non suam coram deo remunerationem habeat, quando ne is quidem mercedem suam amissurus est, qui Christi discipulo poculum aquæ frigidæ dederit. Matth. 10. cap. Quòd si qui opem, quam ferre poterant, negauerint, sibi dictum esse intelligant, quod Hester reginæ Mardocheus olim dixit: Si omnino tacueris hoc tempore, aliunde oborietur populo dei respiratio & liberatio, tu verò & domus patris tui peribitis, &c. Secundus officij gradus est, vt qui iuuare non possunt, saltem impiorum Christi hostium consilijs non consentiant, & quocũq; modo possunt, se illis non vnquam consensisse, testentur. Exemplum huius in Iosepho Arimathæo euangelica historia proponit. Marc. 15. cap. Tertius & vltimus gradus est, ut aliorũ improbitate & tyrannide afflictos, quibus possumus officijs consolemur, & si omnes uires desint, saltem illorum sortem pijs lachrymis doleamus: nec nos eorum pudeat, in quorum corpore Christũ vinciri, eijci, affligi & cõtristari scimus. Hoc ipsum Iosephus quoq; fidelissimè præstitit, dũ honorificè sepeliendũ curat

Christianorum erga periclitantes fratres officia.

Christum, quem aduersarij ignominiose in crucem suspenderant. His officijs si Christi membra [...] die prosequamur, diuinã opem, vnde minimè speres, nobis obtingere videbimus. Nec enim deus [...] suorum labores irritos esse, vel impiorum conatibus Christi filij sui regnum superari & euerti pa[...] tietur. Sed ad apostolos reuersi, quid tam graui certamine superato fecerint, uideamus, de quibus in præsenti hæc commemorantur.

1. Apostoli ex afflictione animosiores ad officium redeunt.

Postridie Paulus, Barnaba ipsum comitante, Lystris digressus, Derbam proficiscitur, [...] euangelium Iesu Christi annuntiat, & non paucos Christo discipulos adducit. Est memorabile & præclarum Christianæ cõstantiæ & fidelis industriæ exemplum, quòd ex periculo animosiores facti, maiori & feruentiori zelo ad officium redeunt. Arguuntur hoc ignaui desertores, qui ut primùm p[...] riclitati sunt, quasi suo iam officio functi sint, nunquam adduci possunt, ut aliquid amplius pro Christo audendum esse putent. Atqui cogitandum erat, ex recenti liberationis & auxilij diuini benefi[...] cio argumenta peti debere, quibus ad maiorem fortitudinem excitemur. Num enim ideò nos peri[...] lis eripit deus, vt securi posthac certaminum, quibus alij exercentur, spectatores simus? Quin potius promißiones suas sancire solet, vt maioribus animis pro illius nomine pugnemus. Horum memor Paulus, vix unius dieculæ quietem sibijpsi concedit, qui tamen humano iudicio dignus videri po[...] terat, qui iam rude donaretur. Illud verò simul obseruandum venit, quòd quotiescunq; de apostolorum doctrina Lucas disserit, non alterius quàm euangelij mentionem facit, cuius ministerium & prædicationem illis Christus commiserat. Marc. 16. Est hoc magnum fidei argumentum, quo in commisso sibi munere usi sunt, simulq; quid in ecclesia prædicari debeat, admonet. Si enim apostoli sibi minimè tantum permittere ausi sunt, vt à Christi mandato digreßi, nouas traditiones ecclesijs obtrude[...] rent, næ inexcusabilis est illorum temeritas, qui illud hodie sub illorum nomine & prætextu tam impudenter facere audent.

2. Redeunt in urbes ex quibus eiecti fuerunt.

Deinde in tres vrbes vnde eiecti antea fuerant, reuertuntur apostoli, Antiochiam nimirum, Iconium & Lystram, ut quos illic Christo lucrifecerant, in fide cõfirmarent & in officio retinerent. Vt enim in re domestica non minor laus est, parta seruare, quàm acquirere: ita in ecclesia non tantum per verbum dei homines lucrifieri debent, sed studiose vigilandum est, ne quis nostra negligentia à fide & officio excidat. Et vt semen non modò spargi, verumetiam custodiri & foueri necesse est, ne vel spinis succrescentibus suffocetur, aut alio vitio pessum eat: ita verbi semen, ubi semel inter homines sparsum fuerit, indesinenti studio rigari & conseruari oportet. Nota enim est Christi parabola de inimico nostro, qui dormientibus nobis zizania aspergere consueuit. Non parum ergo peccant, qui vbi verbum prædicarunt, suo se officio defunctos esse putant, cùm tunc maximè illorum fides & industria exigatur, ne satanæ insidijs seducantur, qui Christi uocem iam audire & sequi cœperunt. Simul uerò insigne Christianæ charitatis & apostolici zeli exemplũ est, quòd ad eos reuertuntur Paulus & Barnabas, à quibus ignominiose & summa cum iniuria eiecti fuerant. Nemo igitur hominum ingratitudine offendatur, nec ideò sibi licere putet, ut officium suum deserat, quòd parũ æquos laborum suorum censores esse sentit, quorum saluti inuigilat. Cur enim eum imitareris, quem reprehensione dignum esse vides? Damnantur tuo iudicio, qui officium non faciunt. Cur ergo illorum iniquitate te superari patiaris, ut ipse quoq; officium negligas? Memineris potius dei seruum te esse, & proinde ab illo mercedem expectes, non à mundo hoc stolido simul & ingrato, cuius proprium est pessimam suis benefactoribus gratiam referre. Testantur hoc abunde quæ Mosi, Dauidi, prophetis, Christo & apostolis acciderunt. Imò gentium historiæ huius generis exemplis referta sunt. Huc enim Aristides, Themistocles, Miltiades, Cimon, Camillus, Scipiones, Catones, Cicero & infiniti alij referri debent, qui cum patriæ liberatores fuissent, ab ingratis ciuibus vel ignominiose patria pulsi, nibus eiecti, uel etiam indignè occisi sunt. Sed paulò diligentius inspici debet, quid in vrbibus ipsis, ad quas reuersi sunt, Paulus & Barnabas egerint.

3. Confirmant animas discipulorum.

Primò discipulorum animas confirmauisse dicuntur. Atqui solius dei opus est animos hominum regere, confirmare & inclinare pro suo arbitrio. Confirmant tamen apostoli, quorum ministerio ad eam rem deus uti voluit, qui cum solus omnia operetur in omnibus, medijs tamen & certo quodam runq; ordine uti consueuit. Quare vt per verbi prædicationẽ animos fide illuminat, ita per eosdem hominum animos in fide confirmat. Et ita in horum consyderatione nos versari conuenit, ut [...]

minum ministerio tribuamus, quod solius dei opus est, vel ministerium à deo institutum improbè contemnamus. Grauis enim & detestabilis illorum error est, qui cũ in deo suam gloriam uendicare videri volunt, à deo traditum ordinem improbè contemnunt, verbi doctrinam aspernantur, cœtus sacros fugiunt, preces negligunt, & ita sub diuini nominis prætextu impietati securè student.

Cæterum ab ipso Luca exprimitur, vt discipulorum animas apostoli confirmauerint, cùm addit: Exhortantes vt perseuerarent in fide. Exhortationibus ergò è dei verbo deductis hominum mentes confirmari solent. Obseruemus autem, non sufficere ut semel Christo crediderint homines, sed necessariam esse in fide vera perseuerantiam. Hæc enim nisi accedat, fiunt postrema peiora primis, nec regno dei digni putantur, qui ubi manum aratro admouerunt, à tergo respiciunt. Matth.12. Luc.9. Hinc est quòd Ephesinã ecclesiam, multis alioqui nominibus celebrem, hanc unam ob causam Christus in gloria sua agens reprehendit, quòd priorem charitatem & feruentis fidei zelum amisisset: Thyatirensem uero hoc potissimum nomine commendat, quòd maiores quotidie in pietate & fide vera progressus faceret. Apoc.2.cap. Diligenter ergo in horum meditatione omnes ecclesias versari conuenit, ne præclara fidei principia turpi & ignaua defectione & negligentia corrumpant. Simul verò hinc omnis ordinis & loci homines doctrinam petant, qua sui officij admoneantur, quando omnium ea conditio est, vt frustra bene cœperis, nisi in finem vsq; perseueres. Interim fidei doctrinam certam & inuiolabilẽ esse, locus hic admonet. Nec enim laudabilis esset fidei perseuerantia, si quid in eius doctrina vel corrigi vel mutari oporteret. Id quod ijs obijciendum est, qui cum apostolorum dogmata apertè damnare non audeant, multa tamen posterioribus seculis accessisse aiunt, non minus necessaria obseruatu, quàm quæ illi tradiderint. At si ea cum apostolorum doctrina conferas, huius ueritatem minimè saluam esse posse deprehendes, si ista admittantur. Discamus ergo ita in apostolica fide & doctrina perseuerandum nobis esse, ut nihil huic contrarium admittamus, adeoq; ne angelo quidem credamus, qui nouum siue aliud euangelium prædicauerit. Galat.1.

4. Exhortatur ad perseuerantiam.

Præterea crucis offendiculo medentur, quod fieri cumprimis oportebat, quando ex temporarijs euentibus ferè de fidei causa ratio humana iudicat. Et credibile est multorum animos non mediocriter tentatos fuisse, cùm apostolorum doctrinam passim explodi, & illos ipsos quotidianis periculis exerceri uiderent. At breui sententia efficacissimam consolationem infirmis in fide apostoli adhibent, cùm dicunt, quòd per multas afflictiones oporteat nos ingredi in regnum dei. Habet sententia hæc duas rationes ad consolandum cumprimis idoneas. Prima est, quòd ita fieri oportere dicunt, nec aliter fieri posse. Atqui communis sensus dictat, patienter & moderatè ferendum esse, quod mutari non potest. Ita uerò conditionem fidelium, quæ in hoc mundo ipsis sustinenda est, exprimunt: quam omnis generis afflictionum refertam esse, Christus quoq; testatur, quando nos quotidie nostrã crucem tollere, & ita se sequi iubet. Luc.9. Et sanè, si uitæ huius cursum inspicias, nihil à malis immune uidebis. Scatet enim uita hæc communibus molestijs, quarum origo ex peccato est, quales sunt morbi, labor, cura, uigilia, egestas, incertæ rerum vices, & infinita alia huius generis, propter quæ uita molestissimæ periculosissimæq; peregrinationi & perpetuæ luctæ confertur. Sed accedunt his aliæ afflictiones, quæ pijs Christi cultoribus ex mundo enascuntur, qui lucem ueritatis ferre non potest. Hinc est quòd odio mundi subiacent, quòd contumelias & ignominiam sustinent, quòd omnium iniurijs expositi sunt, quòd aperta ui petuntur, quòd carceres, vincula, compedes, exiliũ, bonorum direptionem, mortes deniq; infames & horribiles ferre coguntur. Ita uerò impletur quod David ait, multas esse tribulationes iustorum, & quod Christus nobis euenturum prædixit, Psalm.34. Iohan. 15.16. Porrò in omnibus his cogitandum est, hæc ita fieri oportere, non quidem eam tantummodo ob causam, ut sua constet verbo dei veritas, sed quia sic carnem nostram coherceri, & præsentis vitæ fastidium ac cœlestis desyderium in nobis excitari necesse est. Experimur enim in nobis ipsis, quantus carni nostræ mũdi amor inhæreat, & quàm difficulter ad cœlestium bonorum studia excitari possit. Quid verò futurum putas, si nihil illi in hoc mũdo aduersum, sed læta & secunda omnia acciderent? Nunquam certè adduci posset, vt mundo renuntiaret, cuius fortunam tot aduersis vexari solitam, tanto desyderio admirari solet. Altera ratio est, quòd finem tribulationum lætissimum indicant, dum per has nobis in regnum dei aditum patere docent. Quæ uerba non ita accipi debent, quasi afflictionibus ferendis regnum dei mereamur, quod unius Christi sanguine nobis acquisitum esse con-

5. Medentur crucis offendiculo.

stat. Sed uiam hanc Christi exemplo nobis consecratam esse docent, ut quemadmodum ille per crucem in gloriam patris ingressus est: ita nobis quoq; afflictionum finem propositum esse, cælestis uitæ hæreditatem, iuxta Christi promissum: Volo ut ubi ego sum, ibi etiam sit minister meus, Iohan. 14. & 17. Quis ergò posthac crucem horreat? Quis afflictionibus offendatur, quando eas impijs quidem accidere, pijs autem propter Christum ad salutẽ seruire audit? Meditemur ista hodie, ô fratres. Cogitemus à deo ita constitutum esse, vt varijs ærumnis exerceamur, nec aliter fieri posse, quando ita exigit nostræ carnis improbitas. Respiciamus in Christi exemplum, qui ut se nobis ducem præberet, prior hæc omnia sustinuit. Præterea in promissam cælestis vitæ gloriam animi oculos defigamus, & eorum quæ à tergo sunt caduca & friuola obliuiscamur. Coniungamus his ardentes preces, ut bonum opus in nobis consummare dignetur. Ita fiet, ut illius spiritu & gratia animati, vitæ huius cursum feliciter absoluamus, & cælestis gloriæ brauium assecuti uiuamus & regnemus cum Christo Iesu domino nostro: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA C.

Quum autem suffragijs creauissent illis per singulas Ecclesias presbyteros, precati cum ieiunijs, cõmendarunt eos domino, in quem crediderant, & per Pisidiam transeuntes, uenerunt in Pamphyliam. Et cùm locuti essent Pergæ sermonem, descenderunt in Attaliam, atq; inde nauigarunt Antiochiam, unde fuerant cõmissi gratiæ dei in opus, quod compleuerant. Cùm autem aduenissent, congregata ecclesia, narrarunt quanta per illos fecisset deus, & quòd gentibus aperuisset ostium fidei. Commorati sunt autem illic non exiguum tempus cum discipulis.

QVemadmodum apostoli ex omnibus gentibus domino nostro Iesu Christo discipulos allicere, & euangelij prædicatione ecclesiam colligere debuerunt: ita officij illorum fuit, ecclesias diligenti cura & sedulo studio conseruare. Id verò summa fide Paulus & Barnabas præstant. Postquàm enim Antiochiæ, Iconij & Lystris ecclesias non sine periculo constituerunt, easdem aduersus satanæ insidias omni studio tueri conati sunt. Et quia illas à Iudæis mirificè vexari nouerant, ad eas reuertuntur, licet inde non sine publica ignominia eiecti essent. Nec sine fructu ad illas redeunt, sed animas discipulorum fidis admonitionibus & consolationibus confirmant, ad perseuerantiam exhortantur, & crucis offendiculo mederi student, de quibus singulis præcedenti Sermone dictum est. Illis uerò coniungi debet, quod initio huius loci de presbyteris, per eosdem apostolos institutis, dicitur. Id ubi per dei gratiam exposuerimus, de eorundem reditu ad Antiochenam ecclesiam, cui legationis suæ & actorum omnium rationem reddiderunt, dicemus.

Apostoli singulis ecclesijs creant presbyteros.

Cum (inquit Lucas) suffragijs creauissent illis per singulas Ecclesias presbyteros, precati cum ieiunijs, commendarunt eos domino, in quem crediderant. Dicuntur autem presbyteri siue Seniores, partim quidem uerbi ministri & pastores, partim uerò qui pastoribus in ecclesia administranda adsunt, & publica authoritate morum disciplinam tuentur. Et quia per singulas ecclesias hos institutos fuisse dicit, facilè patet, ad ecclesiarum conseruationem cumprimis requiri eos, quorum ministerio uerbi doctrina in continuo usu conseruetur. Postulat hoc carnis infirmitas & humani ingenij corruptio, quod assiduis admonitionibus in officio retineri oportet, ne diaboli insidijs & artibus in perditionem & interitum abripiatur. Quæ causa est, quòd Christus non apostolos modò emisit, quorum ministerio euangelium inter gentes, toto terrarum orbe dispersas, prædicaretur: sed idem ecclesiæ suæ pastores quoq; ac doctores dedit, quorum studio fides & dei cognitio, ab apostolis tradita, in hominum mentibus confirmaretur & conseruaretur. Vide Ephes. 4. & prioris ad Corinth. 12. cap. Et Paulus Titum hanc unam ob causam se in Creta reliquisse scribit, ut per singulas eius insulæ urbes presbyteros constitueret. Et huc respexisse constat pijssimos reges & principes, quorum liberalitate ecclesiæ olim ditatæ sunt, ne illarum inopia uerbi ministerio officeret. Absurda ergo et turpis est illarum ignorantia & proteruia, qui verbi doctrinam, vt superuacaneam & planè inutilem, contemnunt. Nam si isti vel seipsos probè nouissent, hanc unam ad salutem consequendam cumprimis necessariam

r.sum esse intelligerent, quod olim Martham, circa infinita alia occupatam, Christus admonuit. Quotquot ergo ecclesias conseruatas volunt, in hoc præcipuè incumbant, ne ministris idoneis & dignis destituantur.

Porrò ritum quoq;, quo in elegendis presbyteris vsi sunt, Euangelista exprimit. In quo primus locus precibus & ieiunijs tribuitur, quorum mentionem supra etiam in simili causa factam fuisse uidimus. Act.1.& 13. Quando autem duo ista scriptura coniungunt, solennem ecclesiæ cœtum institutum fuisse, significatur. Solebant enim ueteres, si quæ magna vrgeret necessitas, cœtus sacros indicere, in quibus ad vesperum vsq; ieiunijs simul & precibus vacabant, cuius rei non obscura testimonia apud Ioelem in 2.cap. & Regum historijs inueniuntur. Non leuibus autem causis mota est vetus ecclesia, quòd hæc ipsa in ministrorum electione obseruari debere putauit. Quia enim homines falli posse intellexit, nihil in re summopere necessaria humano iudicio permittere voluit, & proinde diuini spiritus illuminationem pijs precibus quæsiuit. Rursum, quia homines maximis donis instructos ad hoc munus requiri nouerat, illa quoq; à deo supplicibus votis postulauit. Quæ ut magis feruerent, ieiunia coniunxit, vt alibi quoq; monuimus. Deinde χειροτονίας mentionem facit Lucas, per quam non modò suffragiorum collectio, verumetiam manuũ impositio, quæ consecrationis symbolum erat, intelligi potest. Et posterius quidem magis conuenire videtur. Nec enim verisimile est, apostolos à primo ritu, quem in Matthiæ electione obseruatum fuisse vidimus, recedere, & quicquam humano iudicio (vt in suffragijs fieri consueuit) permittere voluisse, cùm ad preces & ieiunia ecclesiam uniuersam excitarint. EST autem diligenti obseruatione digna religiosa hæc & sancta ueteris ecclesiæ simplicitas, cum qua si quæ hodie fiunt conferas, facilè patebit, quàm fœda tyrannide ecclesiarum status oppressus sit. Auaritia enim & ambitione antistitum factum est, vt omni libertate ecclesiarum conculcata, ministrorum electio ab ijs pendeat, quibus uel sacra omnia venalia sunt, vel hoc unum studium est, ut se dignos ministros habeant, qui ad ipsorum scelera conniuere & quiduis uel simulare vel dissimulare norint.

Ritus ueteris ecclesiæ in eligendis presbyteris.

Adijcit ministrorum electioni Lucas, quòd apostoli ecclesias domino commendarint, cui crediderant. Est hoc humanitatis officium, dei tutelæ & defensioni eos commendare, quibus sua omnia salua esse cupias: simul uerò fidelem apostolorum curam arguit, qui ecclesiarum salutem sibi nunquam non commendatissimam habuerunt. Quò illud Pauli referri debet: Incumbit mihi quotidiana cura omnium ecclesiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis offenditur, & ego non uror? 2. Corinth.11. Interim admonemur, infirmitatem nostram dei tutela & gubernatione opus habere. Nam ut ipsi ad lapsum procliues sumus, ita non quiescit satan, si quo modo in insidias abducere possit: ut nõ temere Christus, è mundo discessurus, discipulos patris protectioni commendet. Ioban.17. Debet hoc in nobis ardens excitare religionis studium, ne salutem nostram propria ignauia prodamus. Rursum hinc nos consolationem petere decet, quòd salutem nostram à dei protectione & prouidentia dependere constat. Quis enim non desperet, si ea à nobis pendeat & carnis arbitrio, qua nihil magis lubricum & fallacius? At desperandi causa nulla est, si hanc in dei tutela consistere cogitemus, cui non potest non commendatissima esse, cùm ab illo flores agri & uolucres cœli curentur, idemq; capitis pilos numeratos habeat. Promisit is per filium suum, quòd nos nolit orphanos relinquere. Ioban.14. Et Christus, cui credimus, se fidum simul & fortem pastorem esse profitetur, è cuius manu oues nemo rapere possit. Ioban.10.cap. Quid quòd alibi Paulus docet, deum nouisse suos, nec aliquid esse quod nos à dei dilectione separare queat? 2.Tim.2. Rom.8.cap. Quoties ergo fidem nostram tentat satan, ad diuinæ gratiæ asylum confugiamus, cui nos ipse Christus commendauit. Admonet præterea apostolorum exemplum, quid nos, postquàm officio nostro functi sumus, facere conueniat. Deo euentum omnem commendemus, cuius prouidentia res omnes administrari scimus. Est hæc unica ratio, quæ consilia nostra moderari & pacare potest. Quam qui ignorant, mirificè torquentur, & sæpe ab officio suo discedunt, dum suo consilio & prudentia res confici oportere arbitrantur. Nam spe simul & metu dubij, consiliorum suorum certum portum inuenire non possunt. Atqui abs se in exequendo suo munere fidem & diligentiam requiri, à deo autem rei euentum pendere norunt, ubi se suo officio functos esse uident, quæcunq; incidunt pericula facilè contemnere possunt, nec etiam periculorum metu sese reuocari patiuntur, quò minus officium faciant.

Apostoli ecclesias commendant domino.

Apostoli Pergæ euangeliū prædicant.

Cæterum peractis his Antiochiam Syriæ, vnde dimissi erant, redire instituunt Paulus & Barnabas: quod ne absq; fructu fieret, in transitu Pergam quoq; Pamphyliæ ciuitatem euangelij prædicatione illustrant. Fuit hæc Dianæ cultu infamis, quam inde Pergæam dictam esse, gentilium scriptores prodiderunt. Singulare ergo bonitatis diuinæ opus fuit, quod superstitione & idololatriæ fames salutis uerbo inuisere dignatus est. Denuò autem obseruanda uenit apostolorum sedulitas & indefessa industria, qua in euertendo satanæ regno usi sunt. Imitentur zelum hunc, quicunq; apostolici videri volunt, & vel inuito mundo & illius principe superstitiones extirpent, & Christi regnum prouehere studeant. Nec enim illi audiendi sunt, qui uel ob mundi ingratitudinem, vel vndiq; imminentia pericula, officium facere negligūt, &c. SED tempus admonet, ut quid apostoli Antiochiam reuersi fecerint, uideamus.

1. Rationē reddunt legationis suæ.

Primò ecclesia congregata totum suæ peregrinationis cursum exponunt, & fidelium legatorum instar rerum abs se gestarum rationem toti ecclesiæ reddunt. Non ergo dominatores fidei fuerunt apostoli, qui absoluta potestate quiduis pro suo arbitrio egerint. Quin potius sese Christi seruos esse agnouerunt, nec illius sponsam, quæ est ecclesia, impudenter contempserunt, ut hodie solent, qui illorum nomine & successione turgidi, nefas esse putant alterius imperio subijci, aut factorum suorum rationem cuiquam reddere. Legant illi obsecro quæ habentur 1. Pet. 5. cap.

2. Omnia ad deū authorem referunt.

Deinde nihil de seipsis arrogantius prædicant; sed ad deum authorē referunt omnia. Nec temere fieri putemus, quòd his terùe dei gratiam & opus Lucas inculcat. Principio enim illos gratia dei in opus hoc commissos fuisse dicit, nimirum ut tota ecclesia teste, se absq; dei gratia nihil effecturos esse scirent. Deinde ipsi narrant, quanta per ipsos fecisset deus. Quæ sola locutio omnem legationis huius & ministerij ipsorum effectum uni deo transcribit. Præterea deum gentibus ostium fidei aperuisse testantur. Dicitur autem fidei ostium aperiri, quando externæ prædicationi efficax spiritus sancti operatio accedit, qua mentes hominum illuminantur & trahuntur, ut in fidei obsequium se totos tradant. Id uerò solius dei opus est, Christo teste, qui ait: Nemo uenit ad me, nisi pater meus traxerit eum. Iohan. 6. Docemur itaq; apostolorū exemplo, ne quid nostræ vel industriæ vel prudentiæ tribuamus. Exigitur quidē à nobis in rebus agendis fides & industria. Cæterū ut studiorum nostrorū conatus deo cōmitti debet, ita ad eundē omnis referri debet rerū bene & feliciter gestarū laus & gloria. Cuius doctrinæ non modò uerbi ministros, verumetiā magistratus, patresfamiliâs, coniuges, seruos, deniq; omnis loci & ordinis homines in rebus agendis meminisse conuenit, ut sæpe aliâs monuimus.

3. Quiescunt à laboribus & periculis.

Postremò non exiguum tempus in Antiochena ecclesia mansisse dicuntur, nimirum ut honesto sancto ocio recrearentur, qui tot tantisq; laboribus & periculis per terras perq; maria exercitati fuerant. Aequum enim iustumq; est, ut laborum suorum fructum percipiant, quorum fides & industria non obscuris argumentis perspecta est. Ita Christus apostolos ab euangelij prædicatione ad se reuersos, in semotiorem locum secedere & paulisper quiescere iubet. Marc. 6. Nemo tamen hæc ita intelligat, quasi inertes & ignaui aliorum spectatores Antiochiæ apostoli sederint. Docuerunt enim haud dubiè sedulò, & aliorum laboribus suo auxilio adfuerunt fideliter. Ad tempus verò peregrinationibus, laborum & periculorum plenissimis, abstinuerunt. Faxit deus, pater misericordiæ, ut quotquot hodie euangelij nomine gloriantur, uitæ suæ cursum eadem, qua apostoli, industria & felicitate absoluant, & in cœlesti patria quiete nunquam finienda fruantur cum Iesu Christo saluatore nostro: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

CAPUT XV.

HOMILIA CI.

ET quidam qui descenderant à Iudæa, docebāt fratres: Nisi circumcidamini secundum ritum Mosis, non potestis salui fieri. Quū itaq; orta esset seditio & disceptatio non exigua Paulo & Barnabæ contra illos, statuerunt ut Paulus & Barnabas, & quidam alij ex ipsis, ascenderent ad apostolos ac presbyteros Hierosolymam super quæstione hac. Illi ergo deducti ab ecclesia transierunt Phœniciam & Samariam, nar-

rantes conuersionem gentium, & attulerunt gaudium magnum omnibus fratribus. Cum autem uenissent Hierosolymam, excepti sunt ab ecclesia, & ab apostolis ac presbyteris, annunciaruntque quæcunque fecisset deus cum ipsis.

Intestinis dißidijs apostolorū doctrina petitur.

PRæcedenti operis sui parte exposuit Lucas, ut primitiua ecclesia apostolorum prædicatione ex Iudæis simul & gentib. collecta, & admirabili dei præsidio inter continuas persecutionum procellas & fluctus conseruata sit. Istis uerò noua historia hoc Cap. subijcitur, qua docet, ut eandem ecclesiam aduersus falsos fratres & impostores dominus conseruarit, ne uel doctrinæ simplicitatem uel fidei puritatem amitteret. Hactenus enim totis annis quatuordecim Paulus euangelium prædicarat, & iuxta communem apostolicæ doctrinæ consensum in uno Christo Iesu uniuersam salutis rationem contineri, docuerat. Quæ doctrina cum paßim reciperetur, quidam qui ex Iudaismo, maximè autem ex Pharisæorum secta ad Christi fidem transierant, illi se opponere cœperunt. Qui licet Christum faterentur, cum hoc tamen Circumcisionem & reliquas legis ceremonias necessariò coniungi oportere contendebant. Quorum sententiæ cum acriter sese Paulus opponeret, ingens contentio oborta est, quæ totam ecclesiam horribiliter concussura uidebatur. Sed non deserit pro sui meriti gloria pugnantes Christus dominus, cuius prouidentia fit, ut communi & publico omnium apostolorum & totius ecclesiæ testimonio simplex Christi doctrina asseratur & confirmetur. Plurimum uerò communi ecclesiarum institutioni simul & consolationi seruit huius historiæ consyderatio. Nam ut apostolorum exemplo docemur, qua ratione aduersus falsas doctrinas pugnandum sit: ita ueritatis doctrinam aduersus quasuis incursiones firmam & inuictam consistere discimus. Quare singulas præsentis loci partes ordine inspiciemus.

I. Authores dissensionis.

Primò qui dissensionis & turbarum authores fuerint, indicatur. Nimirum quidam qui ex Iudea, adeoque ex ipsa Hierosolyma, descenderant. Non potuit ergo non maxima esse illorū authoritas, cum Hierosolymitana ecclesia, quasi communis quædam omnium mater esset, & non immerito ab omnibus alijs obseruaretur, eò quòd ex hac euangeliū salutis primùm prodijsset: quo nomine illam Paulus quoque commendat, cum æquum esse ait, ut gentes corporalia subsidia Hierosolymitanis subministrent, à quibus ipsæ spiritualia & æterna salutis dona receperint. Rom. 15. cap. Nec dubium est, quin apostolorum nomen & authoritatem impostores illi magnificè iactitarint, & Pauli nomen pro uirili eleuarint, quasi is in apostolorum numero minimè censeri mereretur, eò quòd non cum Christo Iesu, in carne agente, conuersatus esset. Id enim ex Pauli epistolis colligere licet, quibus contra illos apostolatus sui authoritatem acerrimè uindicare & asserere coactus fuit. Porrò heic uidere est, ex ipsa ecclesia plerunque seductores exoriri, eos nimirum, qui uera ecclesiæ membra nunquam fuerunt. Qui enim reuera ex ecclesia sunt, cum illa manere consueuerūt. 1. Iohan. 2. Ideo Christus ouium pellibus uestitos esse ait. Matth. 7. cap. Et Paulus alibi dicit: Ex uobis ipsis exorientur lupi graues, &c. Act. 20. Et est hæc admirabilis satanæ calliditas, qua cum se hominibus inuisum & execrabilem esse norit, lucis angelum mentiri, & sub sanctorum persona imperitis & incautis illudere consueuit. 2. Corinth. 11. Seruit autem illis redarguendis locus hic, qui Romanam ecclesiam falli & errare posse, constanter negant, & oraculi iustar recipiendum esse contendunt, quicquid ex illa profectum fuerit. Atqui ex Hierosolymis pestes eiusmodi prodierunt, cum illic Apostoli suo officio summa fide fungerentur. Quid ergo de ijs speres, apud quos iam seculis aliquot nulla extiterunt apostolicæ doctrinæ uel uitæ uestigia?

II. Status dissensionis.

Deinde concertationis status, quem impostores isti maximè asseruerunt, exprimitur. Gentium enim fideles ad Circumcisionem & legales ceremonias reuocarunt, dicentes: Nisi circumcidamini, non potestis salui fieri. Quam sententiam ipsos multis argumentis confirmauisse, uerisimile est. Habebant enim legem dei, qui circumcisionem perpetuum in Israelitis fœderis sui signum esse uoluit. Gen. 17. cap. Habebant item Hierosolymitanæ ecclesiæ exemplum, in qua Iudæorum infirmitati hoc dabant apostoli, ut infantes circumcisionis sacramento initiarent. Præterea, quia circumcisione ad legis obseruationem obstringebantur (iuxta illud Pauli, Contestor omnem hominem qui circumciditur, quòd debitor est totius legis seruandæ, Galat. 5.) illa sublata legem totam abrogari, &

effrænem peccandi licentiam inuehi clamabant. Interim Christum fatebantur, & euangelij sectatores uideri uolebant: egregij nimirum compositores, cum legem euangelio & operum iustitiam cum fide commisceri posse putarent. Totius ergo controuersiæ status hic fuit, An sola fide in Christum per dei gratiam iustificentur homines, uel num legalis iustitia ad salutem necessaria sit. Quòd si uerò rem propius expendas, eandem controuersiam hanc fuisse patebit, quæ nobis hodie cum Papistis intercedit, qui & ipsi Christum quidem profitentur, interim uerò nostrorum operum meritis nos iustificari & saluari contendunt: nisi quòd minus firma est Papistarum causa, quòd illi non Mosis lege, quæ diuinitus olim tradita fuit, sed hominum traditionibus nituntur, quas iam olim dei sententia damnatas esse constat. Isa. 29. Matth. 15. Frustra me colunt, docentes doctrinas hominum. Ad nos igitur cumprimis pertinet huius controuersiæ cognitio. Si enim legis diuinæ operibus nullus in iustificationis nostræ gloria locus debetur, miseri reuera & cæci sunt, qui laudem hanc frigidissimis humanarum traditionum obseruatiunculis uendicare audent. Interim prodit se hoc loco hominum peruersitas, qui cum salutem nobis deus gratis offert, contempta illa, sumptuosam potius & laboriosam eius consequendæ rationem inquirunt. Extant huius peruersitatis exempla omnibus seculis, & de hac dominus apud Isaiam cap. 55. conqueritur, dicens: Cur expenditis pecuniam pro eo quod cibus non est, & laborem uestrum pro eo quod non satiat? Item Iere. 2. cap. Duo mala fecit populus meus, me deseruerunt fontem aquarum perennium, ut effoderent sibi puteos, puteos inquam pertusos, qui aquas continere non ualent. Atqui utinam non maior similiter conquerendi occasio hodie passim deo præberetur, &c.

III. Effectus. *Sequitur tertio loco falsi dogmatis, quod Iudaizantes Christiani inuehebant, effectus. Fuit seditio & apertum schisma, quo Antiochenam ecclesiam, quæ hucusque pacatissima et instar communis asyli omnibus pijs fuerat, turbatam fuisse Lucas scribit. Ecclesiarum ergo turbatores sunt, quicunque à simplici ueritatis doctrina recedentes, noua & falsa dogmata ecclesijs obtrudunt. Hoc nomine nostros illos Paulus exornat, cum ait: Miror quòd à Christo tam citò transferamini in aliud euangelium, quod non est aliud, nisi quòd sunt quidam qui turbant uos. Galat. 1. Et alibi illos canes, malos operarios, concisores adeoque crucis Christi inimicos appellat. Phil. 3. Scimus equidem nobis hodie à Papistis obijci, quòd ecclesiam turbauerimus & turbemus. At crimen hoc à nobis alienissimum esse constabit, si apostolicæ doctrinæ ueritas inspiciatur, cuius puritas ut reduci queat, illorum otium sedulò turbamus, quibus sub falso Christi & ecclesiæ prætextu de miserarum ouium pellibus & carnibus ludere uolupe fuit. Porrò præcipuus huius loci usus est, ne propter dissensiones, quæ nostro seculo in religionis causa oboriuntur, ita offendamur, ut omnem fidei & religionis doctrinam incertam & dubiam esse putemus. Veritatis enim doctrinam omnibus seculis uariè oppugnatam, & proinde dissensiones frequenter excitatas fuisse constat. Id autem iusto iudicio & nostræ salutis commodo fieri permittit deus. Primò enim iuxta Pauli sententiam, sectas esse oportet, ut qui probati sunt, manifesti fiant. 1. Cor. 11. Deinde hac occasione fit, ut maiori diligentia & studio præcipui fidei & salutis nostræ articuli examinentur: qui nisi in controuersiam adducerētur, maxima ex parte inexpensi & sepulti iacerent. Ita enim quæ mala sunt moderari nouit deus, ut suorū saluti seruiant, & ijs qui deum diligunt, omnia cooperantur in bonū. Id uerò in præsenti disceptatione luce clarius cernimus. Per hanc etenim factum est, ut uera iustificationis ratio maiori diligentia ab apostolis tractata sit, & inter Iudæos quoque uilescere cœperint legales ceremoniæ, quibus plerique adhuc nitebantur. Ita nostro seculo non alio fortiori ariete Missæ sacrificium euersum est, quàm concertatione illa, quæ circa Cœnæ negotium oborta fuit. Absurdi ergo & nimis inepti illorum clamores sunt, qui propter frequentes dissensiones, fidei & salutis negotium dubium omnino & incertum esse conqueruntur. Ita enim prophanos animos, quos gerunt, mendaci prætextu occultare student.*

Gal: 1
phil: 3

IIII. Paulus & Barnabas acriter resistunt. *Porrò uideamus, quid in disceptatione hac Paulus & Barnabas, quid item Antiochenæ ecclesiæ fideles fecerint. Et Paulo quidem ac Barnabæ non paruas cum turbatoribus istis disceptationes, adeoque disputationes quotidianas intercessisse dicitur. Non ergo canes muti fuerunt, qui quamlibet doctrinam in ecclesiam subrepere permitterent, quin potius acerrimè obstiterūt, ne impostorum commentis fidei ueritas euerteretur. At alibi Paulus omnia fit omnibus, & ijs qui in fide firmi sunt serió præcipit, ut infirmiores modestè & æquanimiter ferant. Cur ergo hic tam difficilem & intractabilem*

tabilem sese præbet? Quia maioris momenti res erat, quàm quæ aliquam dissimulationem admitteret. Euertebatur enim hoc dogmate fidei iustitia, quæ in solo Christo nobis obtingit. Nam qui circumcisione legi sese subijciunt, ijs Christus inutilis redditur, & qui per legem iustificari uolunt, à gratia excidunt. Gal. 5. Deinde periclitabatur hic Christiana libertas, quæ non alio precio, quā Christi sanguine acquiri potuit: & legis imperio iugoq́ intolerabili (ut Petrus postea docebit) subijciebantur, qui fide in Christum iustificati, & libertate filiorum dei donati erant. Adhæc uerus legis usus peruertebatur, qui est, ut nobis pædagogi instar sit, qui nos Christo adducat. Gal. 3. Isti uerò eos, qui iam Christo insiti erant, ad legis elementa relegabant. Præterea fieri nō poterat, quin legalibus umbris euangelij lux obscuraretur. Nihil ergo impostoribus istis dare potuit Paulus, nisi parum fidus Christi minister esse uellet. Quo exemplo docemur, pacis & cōcordiæ studio nihil admittendum esse, quod Christi gloriam & fidei simplicem confessionem aliqua ex parte obscurat. Verè enim exitialis est concordia, quæ nominis Christi prophanatione & fidei abnegatione redimitur. Firma enim & rata manet Christi sententia: Qui amauerit patrē & matrem supra me, non est me dignus. Matth. 10. Item: Quemcunq́ mei puduerit coram mundo hoc adultero & prauo, eius etiam pudebit me, cum uenero in gloria patris mei, &c. Mar. 8. Adhæc persuasum nobis sit, Christianos homines nullam extra Christum pacem habere posse. Si enim Christiani esse uelint, in mundo afflictionem, in solo autem Christo pacem habebunt. Iohan. 16.

Cæterum Antiochenæ ecclesiæ fideles, ubi concertationem hanc indies magis magisq́ exardescere uident, tandem communi decreto statuunt, ut Paulus & Barnabas cum alijs quibusdam Hierosolymam profecti, quæstionem hanc apostolis & presbyteris, qui illic erant, discutiendam proponant. Et huic decreto facilè acquiescit Paulus: non quidem ea mente, quòd ueritatis causam hominum iudicio subijciendam esse putaret, sed quòd probè sciret, impostores illos apostolorum nomine abuti. Quare ut imperitis & rudibus mederetur, quorum oculos illi apostolicæ authoritatis fulgore perstringebant, consilium hoc, quo nullum commodius & expeditius excogitari poterat, facilè recipit. Atqui hanc præcipuam omnium Synodorum siue Conciliorum causam fuisse constat, quæ à sanctis episcopis & regibus olim collecta sunt. Nunquam enim ea fuit sanctissimorum uirorum sententia, quòd hominum iudicijs fidei & salutis causa subijci deberet. Sed quia hæreticos impudenti audacia & improbitate apud rude uulgus apostolicæ doctrinæ et uniuersalis ecclesiæ consensum iactare nouerant, Synodis & communi ecclesiæ testimonio illos commodissimè coherceri posse putabant, ne fidem apud aliquos posthac inuenirent. Nobis uerò diligenter obseruanda est Pauli modestia, qua heic utitur. Ea enim constantia illum præditum fuisse certum est, ut ne apostolis quidem diuersum quid à ueritatis doctrina pronunciantibus, cedere uoluisset. Nam Petrum Antiochiæ palàm reprehendere ausus fuit, & idem ne angelo quidem credendum esse docet, qui aliud euangelium prædicet. Galat. 2. & 1. cap. Idem tamen pacis consilium, à pijs fratribus proditum, minimè aspernatur, cum illo Christi gloriam nullo pacto obscurari, paci autem & infirmorum offendiculis eodē consuli posse uideret. Hanc modestiam constantia coniungi oportet, ne dum constantes uideri uolumus, præfracti & pertinaces efficiamur. Tractabilis enim est Christi spiritus, & Christi gloriæ uerè studiosos efficit, qui illo consultore utuntur. Interim minimè probanda est illorum leuitas, qui dum faciles & tractabiles uideri uolunt, ijs quoq́ consilijs obsequūtur, quibus & Christi gloriam, & fidei ueritatem palàm euerti & dissipari uident. Docet præterea locus hic, quæ optima sit componendorum dissidiorum ratio, quæ in religionis & fidei causa oboriri solent. Sunt qui humana prudentia commodissimè res transigi posse existiment, si utrinq́ aliquid concedatur: quasi uerò in diuinis perinde ut humanis rebus ludere liceat. Quin potius ad apostolos ascendere conuenit, ut quid illi docuerint & statuerint audiamus, quorum doctrinam ipsius Christi testimonio confirmatam esse cōstat. Illis enim dictum est: Qui uos audit, me audit, &c. Luc. 10. Et pro illis Christum orauisse scimus, qui in ipsum iuxta illorum sermonem crediderint. Iohan. 17. Adhæc spiritu sancto palàm donati fuerunt, qui non obscura suæ præsentiæ & operationis argumenta in illis edidit. Quare anxiè cauendum est, ne uel latum unguem ab illorum doctrina discedamus. Monet id Iohannes apostolus, cum in priori sua epistola cap. 2. ait: Quod ab initio audiuistis, in uobis maneat. Si in uobis manserit, quod audiuistis ab initio, uos quoq́ in filio & in patre manebitis, &c. Paulus quoq́ cum de ijs monuisset, qui ueritatis doctri-

V. Antiochena ecclesia cōtrouersiam ad apostolos refert.

nam peruertere audent, addit: Tu persistito in his quæ didicisti, & quæ tibi concredita sunt, cum scias à quo didiceris, & quòd à puero sacras literas noueris, quæ te possunt erudire ad salutem per fidem, quæ est in Christo Iesu. 2. Tim. 3. Turpissimè ergo falluntur, qui hoc exemplo Concilia nobis obtrudere uolunt, quasi horum iudicijs religionis causa subijci debeat, cum constet, iam seculis aliquot eiusmodi Concilia fuisse, in quibus nullum planè apostolici spiritus uestigium apparuerit. Quòd si illi apostolos & prophetas audire uoluerint, libenter iuxta Pauli & Barnabæ exemplum cum ipsis ad illos ascendemus, ut audiamus, quid in illis dei spiritus olim locutus sit. At si homines audiri uolunt, procul facessant, cum nobis alium magistrum, præter Iesum Christum, audire nefas sit.

Profectio Pauli & Barnabæ Hierosolymã.

Cæterum ipsam quoque profectionem Pauli Lucas describit, cum in hac etiam quædã contineantur obseruatu dignissima. Inter quæ primum est, quod ab ecclesia deducuntur Paulus et Barnabas, quæ nimirũ dignos & fidos itineris comites illis adiunxerat. Vnde patet ecclesiam ab illorum partibus stetisse, nec ipsorum fidem suspectam habuisse. Imitentur hoc omnes ecclesiæ, ne fideles Christi ministros suo patrocinio destituant. Quid enim illi aliud quàm commune bellum pro ecclesijs sustinent? Et sanè execrabilis illorum ingratitudo est, qui si quid turbarum in religionis causa oboritur, extra teli iactum certaminis spectatores esse uolunt, quasi nihil ad ipsos ea res pertineat, sed priuata duntaxat ministrorum causa agatur. Deinde, ne infrugifera illis esset profectio, & sine fructu omne illud profectionis tempus transiret, passim gentium conuersionem prædicant. Atqui hæc potissima erat litis causa, quòd indignè nonnulli ferrent, gentes nondum circumcisas in Christi & ecclesiæ communionem receptas esse. Sed intelligunt sanctissimi uiri, dei opera, quæ gloriæ Christi illustrandæ seruiunt, propter iniqua quorundam iudicia minimè dissimulari debere. Quin potius cum mundi improbitate nobis luctandum est, ne per hanc gloriæ dei aliquid decedat. Nam quod sacerdotibus, puerorum acclamationes indignè ferentibus, olim Christus respondit: Si isti tacuerint, lapides clamabunt: hoc ipsum nobis dictum putemus. Licet enim ipsi ignauiæ nostræ consulentes, pro dei gloria nihil audendum esse putemus, facilè tamen illius assertores fidos dominus inueniet, & nos iræ & ignominiæ uasa efficiemur, qui gratiæ & gloriæ uasa esse noluimus. Tertiò, gaudent gentium conuersione fratres, & nec illis salutis communionem, nec Paulo & Barnabæ tam præclaram sui ministerij laudem inuident. Est hoc proprium piorum, ut ex gloriæ Christi propagatione & aliorum salute præcipuam gaudendi causam arripiant: rursum uerò non aliud illis perinde dolet, quàm si Christi regnum minus feliciter promouere uideant. Quartò, ubi Hierosolymam peruentum est, ab apostolis simul & tota ecclesia tanquam præclara Christi organa excipiuntur. Decet enim ut dei dona in illis ueneremur, quorum ministerio deus cum fructu & laude uti dignatur. Illi rursum, quæ cum ipsis deus egerit, prædicant, eò quòd hæc præsenti causæ plurimùm seruiebant, cum gentium uocationem inepto suo dogmate aduersarij omnino euertere conarentur. Faxit deus, ut hodie quoque sopitis contentionibus, apostolorum doctrinam omnes audiant, et omnium mentes per fidei unitatem ueræque charitatis uinculum firmissimè coniungantur in Iesu Christo, saluatore nostro unico: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CII.

Surrexerunt autem quidam ex secta Pharisæorum, qui crediderant, dicentes, quòd oporteret eos circumcidere, & præcipere ut seruarent legem Mosis. Conuenerunt autem apostoli & presbyteri, ut dispicerent de hoc negotio. Sed cum magna disceptatio fuisset exorta, surgens Petrus dixit ad eos: Viri fratres, uos scitis quòd ab antiquis diebus deus in nobis elegit, ut per os meum audirent gentes uerbum euangelij, & crederent. Et cognitor cordium deus, testimonium præbuit illis, dans eis spiritum sanctum, sicut & nobis: nihilque discreuit inter nos & illos, cum fide purificasset corda illorum. Nunc ergò quid tentatis deum, ut imponatur iugum super ceruices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus? Sed per gratiam domini nostri, Iesu Christi, credimus

dimus nos saluari, quemadmodum & illi. Tacuit autem tota multitudo, & audiebant Barnabam ac Paulum, narrantes, quæ deus edidisset signa & prodigia inter gentes per ipsos.

Postquam euangelij doctrina Pauli & Barnabæ ministerio inter gentes propagata, & hæ etiam in Christi & ecclesiæ consortium receptæ fuerunt, grauis inter ipsos fideles controuersia incidit: eò quòd nonnulli gentes circumcidendas & ad legis Mosaicæ obseruationem cogendas esse dicerent, id quod alij constantissimè negabant. Diligenter uerò controuersiam hanc ex spiritus sancti suggestione Lucas describit, quòd non parum omnium nostrûm institutioni seruiat. Docet enim non nouum & insolens censeri debere, si etiam hodie inter eiusdem fidei & doctrinæ professores controuersiæ aliquot exoriantur: cum illas deus non sine publico aliquo bono incidere patiatur. Rursum, quid in his agendum sit, admonet. Nam Pauli & Barnabæ exemplo fortiter contra quosuis ueritatem asserere, nec ullorum hominum iudicia audire, sed apostolos Iesu Christi consulere debemus, quos ille orbi doctores dedit.

Disceptatio de iustificatione corā apostolis.

Pergens autem in cœpta historia Lucas, maiorem de hac causa disceptationem exortam esse ait, postquam Hierosolymis in apostolorum & presbyterorum conuentu proposita est. Authores huius fuerunt, qui ex Pharisæis Christo nomen dederant, ex ueteri tamen fermento illud retinentes, quòd legalis iustitiæ obseruationem pertinacius urgerent. Constat enim uel ex euangelica historia, pharisæos iustificationem omnem in externis legalium operum exercitijs collocauisse. Quare fieri non potuit, quin in his retinendis pertinaciores essent. Cuius rei exemplum in Monachis hodie extat, quos difficile est ita à ueteri secta retrahere, ut nulla illius uestigia supersint. EST *autem diligenti obseruatione dignum, quòd præcipuus Christianæ religionis articulus in sanctissimorum hominum consessu & apostolorum conspectu tanta concertatione agitatur, ut utra pars rectius sentiat, non statim possit intelligi. Inde enim docemur, non mirum uideri debere, etiamsi magna ingenia interdū hallucinentur, uel etiam conceptos errores pertinacius retineant. Ita enim deus nostræ naturæ corruptionem, quam interdum non obseruamus, nobis cognoscendā offert, ut eius cognitione humiliati, non altum sapiamus. Cæterum in disceptatione hac tacuit hucusque Petrus apostolus, nimirum ne cui arrogantius præscribere uideretur, & quòd singulorum mentes reuelari, non inutile esset. Vbi uerò animos contendentium plus satis incaluisse uidet, modestè simul & grauiter assurgens suam authoritatem interponit, qua Pauli & Barnabæ sententiam ingenuè tuetur, qui iustificationis & salutis humanæ rationem in sola fide Iesu Christi consistere, nec ulla legalium ceremoniarum obseruatione opus esse, imò in uniuersum nullam huius rei laudem & gloriam ad legem transferri debere, docebant. Constat tota oratio duabus omnino partibus, quarum altera à deo non aliam iustificandi rationem obseruari docet, quàm quæ in euangelio traditur, fides nimirum in Iesum Christum: altera autem ingens scelus esse ostendit, si quis legis obseruationem ad salutem necessariam esse, affirmare ausit. Sed de singulis ordine dicemus.*

Petri de iustificatione sententia.

Deus ex gratia iustificat per fidem in Christū

Prima pars dei exemplum habet, qui primitias credentium ex gentibus non alia ratione quàm fide in Christum iustificauit. Debet autem de Cornelij Centurionis historia locus intelligi, quam Petrus commodissimè allegat, eò quòd iam ante eadem inter fideles disputationibus exagitata esset, ut Cap. 11. uidimus. Summa argumenti est: Deus, cum Cornelium & illius domesticos ex gentilismo ad Christum uocare, & in ecclesiæ suæ communionem adoptare uellet, simul in illorum exemplo ueram & perfectam salutis consequendæ rationem proposuit. Ab illis uerò non aliud requisiuit, quàm ut ex me euangelium audirent, & crederent. Ergo ad iustificationem & salutis rationem duo ista sufficiunt, nimirum ut euangelium audiant homines, & Christum qui per hoc prædicatur, uera fide amplectantur. Firmissimè autem ex singularibus uniuersale dogma colligit Petrus, quia certa & inuiolabilis est deo saluandi ratio erga omnes homines, nec uerisimile uideri potest, deum in prophano milite saluando eam rationem negligere uoluisse, quæ filij sui sanguine sancita erat. Vt uerò plus ponderis haberet argumentum, ipsos rei gestæ testes producit. Vos ipsi scitis (inquit) quòd antiquis diebus, id est, primo nascentis ecclesiæ tempore, deus inter nos elegit uel instituit, ut per os meum gentes euangelium audirent, & crederent. Quibus inferre poterat: Cur ergo uos præter ea, quæ deo sufficere uisa sunt, circumcisionem & legis obseruationē requiritis? Vel unde ea uobis authoritas, quòd

dei ordinem mutare, & aliquid huic adijcere uel adimere audeatis? Sed hoc ipsis colligendum relinquit. Interim duo adijcit, quibus exemplū hoc illustrat. Primò, deus (ait) qui cordium cognitor est, qui corda hominum respicit, nec externa specie fallitur, hanc rationem, de qua modò diximus, sufficere, abunde suo ipsius testimonio comprobauit. Vt primùm enim euangelio prædicato crediderunt, spiritum sanctum illis, perinde ut nobis, misit. Quem cum mundus hic & prophani homines, uel ipso Christo teste, capere non possint, luce clarius constat, deum hos pro ecclesiæ suæ membris & Christi cohæredibus agnoscere, licet nec circumcisionem recipiant, nec ulla legali ceremonia lustrentur. Deinde modum iustificationis quasi digito monstrans ait: Nihilq; discreuit inter nos & illos deus, cum fide purificauisset corda illorum. Ante quidem lege Iudæi à gentibus distinguebantur. Christus autem legis maceriam diruit, & ex duobus populis unam constituit ecclesiam, & ut Iudæos, ita gentes quoq; fide deus purificauit. Pertinet huc Pauli locus, Ephes. 2. Et quæ idem ad Romanos cap. 3. in hæc uerba scribit: Arbitramur igitur fide iustificari hominem absq; operibus legis. An Iudæorum deus tantum? annon & gentium? Certè & gentium. Quoniam unus deus, qui iustificabit circumcisionem ex fide, & præputium per fidem.

Iohan. 14.

Iustificationis ratio.

Porrò breui sententia Petrus comprehendit, quæcunq; de iustificatione nostra dici possunt. Primò enim corda purificatione opus habere fatetur. Totus igitur homo pollutus sit oportet, quādo cor omnium actionum nostrarum fons est. Testatur hoc ipse deus, quando figmenta cordis humani ab ineunte ætate praua esse dicit. Gen. 8. Atqui unum hoc ad euertendam nostrorum operum iustitiam abunde sufficit, ut alibi monuimus. Deinde purificationem fide fieri docet, eò quòd illa Christum apprehendit, quem nobis iustificatorem deus constituit. Is à peccatis nos sui sanguinis merito emūdat. 1. Iohan. 1. Idem suam iustitiam nobis cōmunicat, ut propter fidem, qua illi inserimur, iusti coram dei conspectu reputemur: quare Paulus illum nobis à deo iustitiam factum esse, docet. 1. Cor. 1. Item 2. Cor. 5. Adhæc unus hic carnis nostræ reliquias mortificat, dum uerbo & spiritu suo regeneratos innouat, & uires suggerit, ut dignos professione nostra fructus feramus. Quò ipsius uerba referri debent: Iam uos mundi estis propter sermonem meum, quem locutus sum uobis. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, &c. Iohan. 15. At quia nulla nobis absq; fide cum Christo cōmunio esse potest, rectè per fidem nos purificari & iustificari, scriptura tradit. Quæ locutio non ita accipi debet, quasi fides uirtus sit, cuius merito peccata expientur, sed quòd illa Christum, in quo omnis iustitia nostra sita est, apprehendimus. Tertiò deum purificationis huius authorē facit. Hic idem ergo unicus fidei nostræ author est, quam Paulus quoq; dei donum esse testatur. Ephes. 2. Et Christus neminem ad se uenire dicit, nisi quem pater traxerit. Iohan. 6. Quia enim animalis homo spiritus mysteria non percipit, & ex nobis ipsis ne ad cogitandum quidem idonei sumus, diuinitus nos illuminari & duci oportet, ut fides in nobis locum habere possit. Ita uerò ad unum deum redit tota nostræ iustificationis gloria, nec quicquam humanis siue uiribus siue meritis relinquitur. Vidit hoc olim Dauid, quando deum pro peccatorum remissione inuocans, ait: Laua me tu ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Expia me hysopo, & mundus ero: laua me, & niue ero candidior. Libera me de sanguinibus ô deus, deus salutis meæ, &c. Psal. 51. Atqui haud uulgaris inde consolatio peti potest, qua in tentationibus fidem nutantem erigamus. Quia enim à deo pendet iustificatio & salus nostra, certissimam & infallibilem hanc esse oportet. Hinc illa Pauli: Quis intentabit crimina aduersus electos dei? Deus est qui iustificat, quis ille qui condemnet? Rom. 8. Tanta autē huius doctrinæ in populo dei certitudo fuit omnibus seculis, ut Pharisæi quoq; id non obscurè confessi sint, quòd solus deus peccata remittendi potestatem habeat. Matth. 9. Non temere ergo illorum stultitiam simul & arrogantiam hodie deploramus, qui gloriam hanc uel suis ipsorum operibus, uel arrogantissimis hominibus & audacissimis hypocritis tribuūt, &c. Quàm uerò isti homines peccent, altera orationis suæ parte Petrus docet, quam modò inspiciemus.

Iustificationem operibus legis tribuere, scelus est.

Nunc ergo (inquit) quid tentatis deum, ut imponatur iugum super ceruices discipulorum, quod neq; patres nostri, neq; nos portare potuimus? Docet grauissimis hisce uerbis, omnem salutis rationem prorsus euerti, nec sine atroci flagitio intolerabile iugum credentibus imponi, si ad legis obseruationem adigantur, ut in hac iustificationem quærant. Et deum quidem hoc dogmate tentari dicit. Hunc enim tentant, quicunque absque dei præcepto, uel ipsi facere conantur, uel ab alijs exigunt

gunt, quæ humanas vires superant. Quotquot item de dei voluntate alijs rationibus edoceri volunt, quàm quas ipse nobis proposuit. Ita deum Israelitæ tentauisse dicuntur, quando post infinita illius beneficia, bonitatem & omnipotentiam eius tum demum se agnituros esse dixerunt, si in deserto carnes largiri possit. Psal. 78. Num. 11. Et deum Christus tentauisset, si diaboli consilium secutus, sese de templi pinna præcipitans, illius erga se voluntatem & promissionum ipsius ueritatem uoluisset experiri. Vtrunq; uerò ab ijs fieri constat, qui legis operibus iustificari volunt. Nam quæ humanas vires longissimè superant, nullo dei uerbo uocati, cùm ipsi aggrediuntur, tum ab alijs exigunt. Legem enim ab ullo hominum impleri, tam impossibile est, quàm cœlum digito contingere. Spiritualis enim est, nec externa modò opera, sed totum animum omnesq; hominis facultates in dei obedientiam uendicat. Nos uerò carnales sumus, & sub peccatum venundati. Rom. 8. Et in sanctis etiam carnis reliquiæ apparent, & lex peccati, quæ uel inuitos multumq; reluctante dei spiritu, peccatis subijcit, sicuti de semetipso Paulus fatetur. Rom. 7. Adhæc maledictionis & mortis sententiam omnibus illis lex intonat, quicunq; non omnia illius præcepta impleuerint. Deut. 27. Quid ergo aliud quàm deum tentant, qui per hanc iustificari volunt? Et quia ijdem salutis rationem, quam in Christo deus exhibuit, negligunt, nouamq; comminiscuntur, qua in dei gratiam perueniant, bifariàm illum tentant. Quòd si alios quoq; ad eandem salutis rationem cogere uelint, iugum imponunt, quod ne sanctissimi quidem patres olim ferre potuerunt. Horum enim uoces sunt: Si iniquitates nostras obseruaueris domine, quis sustinebit? Ne intres cum seruo tuo in iudicium. Psal. 130. & 143. Omnes iustitiæ nostræ tanquam vestis centonum, uel ut pannus menstruæ mulieris. Isa. 64. Vide ergo quàm non temere cum illis contendamus, qui hodie etiam ad operum iustificationem homines adigunt, & pharisæorum exemplo contempta dei iustitia, quam ille nobis in Christo offert, propriam stabilire conantur. Neq; hîc aliquis obijciat: Ergo frustra lex data est? Ergo impunè quod lubet faciemus? Manet enim verus legis vsus, dum nos pædagogi instar ad Christum perducit, & uitæ piè instituendæ regulam exhibet. Nec bonis operibus ideò renuntiandum est, quòd illis iustificationis gloria non tribuitur. Licet enim hæc ad solũ deum pertineat, constat tamen perpetuum eorum, quos deus iustificauit, officium esse, ut innocentiam & vitæ puritatem, quæ ipsis in Christo contigit indefesso studio tueantur, de qua re multa Paulus habet ad Rom. 6. cap. Quid uerò grauius dici poterat, quàm quòd in eos Petrus dicit, qui pro gloria dei, pro bonis operibus, pro uitæ Christianæ officijs pugnare uideri volebat. Deum illos tentare dicit, quod nulla venia dignum facinus esse, scriptura docet. Iidem iugum imponunt alijs, & Christi sanguine redemptos nouæ seruituti subijciunt. Plagij ergo crimine aduersus ipsum Christum peccant. Hæc si hodie expenderent aduersarij nostri, facilè uiderent, se nullam in nos debacchandi causam habere: quin potius culpam suam agnoscerent, nec tam improbè dei gratiam & Christi meritum fœda sua hypocrisi conculcarent.

Legis usus.

Porrò ne patres audacius damnare videretur Petrus, dum illos quoq; legem non potuisse ferre dicit, rationem qua illi saluati sunt, conclusione infert, dicens: Per gratiam domini nostri Iesu Christi credimus nos saluari, quemadmodum & illi. Ita uerò infirmioribus medetur, quibus durum uidebatur, ab ea religione discedere, in qua patres suos olim deo placuisse & saluatos fuisse credebant: quasi dicat: Longè fallimini, si maiores nostros legis operibus iustificatos & saluatos esse putatis, cùm ipsi legem se nũquam impleuisse, ingenuè confessi sint. Quòd si scire velitis, quæ salutis ipsorum ratio fuerit, non alia monstrari poterit, quàm quæ nobis hodie in Christo prædicatur. Quem enim nos exhibitum esse scimus, illi uenturum expectarunt, nec alium, quàm hunc, saluatorem sperauerunt. Vna ergo & eadem est veteris & noui Testamenti fides, una quoq; & eadẽ utrobiq; salutis ratio. Testatur hoc de Abrahamo loquens Christus, quando hunc diem suum vidisse, & in hoc exultauisse dicit. Iohan. 8. Et Paulus patres eundem spiritualem cibum nobiscum comedisse, & de petra Christo salutem hausisse, fatetur. 1. Cor. 10. Eam deniq; inter nos & patres communionem facit, vt nunc quidem illorum sacramenta ad nos transferat, nunc verò nostra illis applicet. Turpis ergo illorũ error est, qui veteris Testamenti libros nihil ad nos pertinere clamant, nosq; Iudæos esse negant, quibus hæc olim scripta sint. Quin potius cogitandum erat, dei populũ Iudæos fuisse, quos non alia ratione deus saluos fecit olim quàm qua nos hodie saluari solemus. Rursum uerò salutis rationem Petrus breuiter perstringit. Et eius quidem fundamentum in gratia dei collocat, qua una uoce operum iustitia

Conciliatur patrum ueteris Testamenti & nostra fides.

& meritum excluditur, cùm hæc inter se opponantur. Nam si per gratiam (vt Paulus ait) salus obtingit, non iam ex operibus, quãdoquidem gratia non esset gratia, si nimirum operum merita admitterentur. Sin verò ex operibus saluamur, non iam ex gratia. Siquidem opus meriti nomen amittit, vt primùm gratia admittitur. Vide Rom.11.cap. Qui locus abunde docet, gratiam dei & operum nostrorum merita simul consistere non posse. Deinde verò gratiæ illius mediatorem siue [illegible] Christum Iesum esse, Petrus ostendit, in quo patrem nobis reconciliatum esse, cælesti oraculo edocemur, Matth.3. & 17. Postremò fide gratiam hanc apprehendi, testatur. Nam credimus (inquit) nos per gratiam domini nostri Iesu Christi saluari. Paucis ergo & minimè ambiguis verbis vniuersa salutis ratio comprehendi poterit, si nos gratia dei in Iesu Christo per fidem saluari dicamus, quæ omnis tum propheticæ tum apostolicæ doctrinæ summa est.

Concilij in spiritu sancto congregati exemplum.

Postquàm verò dicendi finem Petrus fecit, uniuersa multitudo conticuit, & silentio consensum testata est. Hinc autem omnium euidentißimo argumento colligitur, eos in spiritu sancto congregatos fuisse. Vt enim is veritatis spiritus est, ita veritati non possunt non cedere, quoscunq; ille afflauerit. Nec vnquam credendum est, huius auspicijs ea Concilia gubernari, in quibus veritati aures præclusæ sunt, & aduersus hanc linguæ effræni & tumultuosa licentia laxantur, qualia fuisse constat, quæ iam seculis aliquot à Romanensibus indicta & celebrata sunt. Nam vt in illis dogmata palàm falsa & impia constituerunt, ita illorum decretis nemo sine manifesto vitæ periculo contradicere potuit. Cæterum Paulus & Barnabas ex Petri verbis occasione sumpta, miracula & prodigia exponunt, quibus ipsorum ministerium inter gentes deus confirmauerat, vt plenius pateret hunc nullum inter has & Iudæos discrimen posuisse, quando eadem inter gentes miracula fieri voluerit, quæ inter Iudæos fieri solebant. Ita verò miraculorum omnium hunc usum esse videmus, vt euangelicam doctrinam confirment, de quo iam sæpe dictum est. Nostrum est, salutis rationem, quam Petrus exposuit attentis animis & firma fide amplecti. Ita enim fiet, vt ipsi quoq; ex gratia purificati cum Christo cælestis regni hæreditatem accedamus: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CIII.

Postquàm uerò illi conticuerunt, respondit Iacobus, dicens: Viri fratres, audite me. Simeon narrauit, quemadmodũ primùm deus uisitauerit, ut sumeret ex gentibus populum in nomine suo. Et huic consonant uerba prophetarum, sicut scriptum est: Posthæc reuertar, & rursus ædificabo tabernaculum Dauidis, quod collapsum est, & diruta eius instaurabo, & erigam illud: ut requirant qui reliqui sunt homines dominum, & omnes gentes, super quas inuocatum est nomen meum, dicit dominus qui facit hæc omnia. Nota à seculo sunt deo omnia opera sua. Quapropter ego censeo, non esse obturbandum his, qui ex gentibus conuertuntur ad deum: sed scribendum ad eos, ut abstineant ab inquinamentis simulachrorum, & scortatione, & suffocato, & sanguine. Moses enim ab ætatibus antiquis habet in singulis ciuitatibus, qui ipsum prædicent, cùm in Synagogis per omne sabbatum legitur.

Controuersiam, quæ in primitiua ecclesia circa iustificationis causam exorta fuit, Lucas euangelista studiosißimè describit. Vidimus in ea descriptione Diui Petri sententiam, qui solam fidem iustificandis gentibus sufficere, nec illas legis iugo onerandas esse docuit. Et quia plerosq; patrum exempla mouebant, quos per legem iustificatos esse arbitrabantur, offendiculo huic pulchrè medetur, ostendens illos quoq; non alia ratione saluari potuisse, quàm gratia dei, cuius author & mediator nobis sit Christus dominus. At quia de his priori Sermone diximus, videamus nunc Iacobi Apostoli, qui Alphæi filius fuit, & cuius mentionem Paulus ad Galat.cap 2.facit, orationem, quæ & ipsa duabus maximè partibus constat. Primò enim Petro subscribit: deinde consilium affert, quo inter Iudæos & gentes pax constitui & vera concordia foueri siue conseruari poßit.

Priusquàm uerò Iacobi verba attingamus, obseruandum erit, illum non anteà dicendi initium fecisse quàm conticuisse videret alios. Ex eo enim Concilij huius uerè apostolici ordinem æstimare licet, & quòd modestè omnia egerint, nec aliquis fuerit, qui reliquis insolenter præscriberet. Huius specimen supra quoq; vidimus. Nam cùm multi acriter contenderent, Petrus tacuit. Vbi uerò tempus postulare uidebatur, modestè simul & grauiter assurgens, sententiam dicere cœpit, & ab alijs ea patientia auditus est, qua ipse paulò antea disceptantes audiuerat. Post hunc audiuntur, nemine eos interturbante, Paulus & Barnabas, qui miraculis Petri sententiam confirmant. Hi verò vbi dicendi finem fecerunt, Iacobus prodit, & tantum non vltimus sermonem habet, qu amuis inter ecclesiæ columnas numeraretur. Fuit modestia hæc non obscurum spiritus sancti argumentum, qui illorum mentes gubernauit, ne nimio contendendi feruore abrepti, immodestius tumultuarentur, & ueritati aures præcluderent. Obseruari debet ordo hic in publicis actionibus, vt singuli non tam ad dicendum quàm ad audiendum aliorum sententias procliues sint. Nam vt ineptum, ita inutile etiam & perniciosum est illud hominum genus, qui ut soli sapere videantur, sibi solis dicendi ius faciunt, & atrocem sibi iniuriam fieri putant, si quis ab illorum sententia latum unguem discedat. — *Ordo Concilij apostolici.*

Sed omißis istis, Iacobum audiamus, qui prima suæ orationis parte in Petri sententiam descendit, dicens: Simeon narrauit, ut deus primùm uisitauerit vel decreuerit, vt sumeret ex gentibus populum in nomine suo. Agnoscit dei consilium Iacobus, qui in Cornelij vocatione abunde declarauerat, gentibus non alia præparatione, quàm fide in Christum ad iustificationem & salutem opus esse, & proinde Petro ingenuè subscribit. Porrò ne apostoli soli hoc sentire putarentur, sententiam hanc unanimi prophetarum consensu probat, licet unum duntaxat ex his testimonium adducat. Nec enim plura adduci necesse erat, cùm omnes prophetas uno eodemq; spiritu animatos fuisse, & in tradenda salutis ratione consensisse constet. Est autem diligenti obseruatione dignum, quòd nihil pro sua authoritate ecclesijs obtrudunt apostoli, sed scripturis probant quæ docent. Christi enim & ecclesiæ seruos se esse agnouerunt, & proinde nihil tradendum esse putarunt, quod cum Christi uoluntate & scripturis sacris pugnaret. Quam modestiam si seruassent, qui illorum successores dici & uideri volunt, minus in ecclesia superstitionum, plus verò pietatis & synceræ religionis hodie haberemus. — *I. Iacobus Petri sententiæ subscribit.* — *Prophetæ apostolis consentiunt.*

Quo ad autem prophetæ oraculum, extat illud apud Amoz nono cap. Prædixerat paulò ante excidium Iudæis, quod effræni peccandi licentia meruerant. Sed quia Iudaicæ gentis excidio promißiones de æterno Meßiæ regno intercidere & collabi uidebantur, consolationem instituit dominus, qua se tabernaculum siue regnum Dauidis restauraturum pollicetur. Reuertar (inquit) & rursus ædificabo tabernaculum Dauidis, quod collapsum est, & diruta eius instaurabo, & erigam illud. Et tabernaculi quidem non temere mentionem facit. Ita enim externum quoq; cultum comprehendit, quem abrogari & aboleri oporteat sub Meßiæ regno. Et inde argumentari uidetur Iacobus, non contendendum esse cum gentibus de ceremonijs & legis obseruatione, cùm iam olim prædictum sit, omnem illam Mosis disciplinam Meßiæ tempore abrogandam esse. Simul verò ecclesiæ populus, qualis sub Christo futurus sit, describitur. Et in hoc primus locus reliquijs Iudæorum tribuitur, ijs nimirum, qui ex communi totius gentis interitu peculiari diuinæ gratiæ beneficio saluati fuerint, iuxta illud Isa. 10. Si fuerit numerus filiorum Israel, ut arena maris, reliquiæ saluæ erunt. Sed his accedent omnes aliæ gentes, quæ & ipsæ dei nomine censebuntur, & cum Iudæis dominum requirent. His uerò duplex argumentum continetur. Nam primò una eademq; Iudæorum & gentium dignitas sub Meßiæ regno fore dicitur. Deinde, unum & idem utriusq; populi officium in illo regno fore docet. Dignitas ea erit, quòd super omnes illos inuocabitur nomen domini: id est, utriq; dei nomine & dei populus esse censebuntur. Nota enim locutio est Hebræis usitata, quæ & Gen. 48. & Isa. 4. cap. inuenitur. Officium uerò utriusq; populi erit, dominum quærere. Id uerò non externis ritibus, nec legalium operum obseruatioue, sed fide vera fieri consueuit. Ex istis ergo prophetæ verbis firmißimè concludit Iacobus, stultum & iniquũ esse, si quis propter legis ceremonias ea gloria gentes spoliare uelit, qua illos donare iam olim deus dignatus sit. Porrò ut magnam consolationem affert, quòd hominum perfidia & interitu promißionibus dei nihil derogatur: (Quid enim, si quidam fuerunt increduli? Num incredulitas illorum fidem dei faciet irritam? Imò sit deus verax, omnis autem homo mendax, Rom. 3.) ita officij hoc loco admonentur, quicunq; dei populus censeri volunt. — *Locus Amos IX. cap.*

Ordo Concilij apostolici.

Est hoc, ut dominum quærant, qui cùm spiritus sit infinitus & omnia penetrans simul & gubernans, non loco certo alligatur, sed sola fide quæri & inueniri potest, quæ illum apprehendit, dum uerbo suo se nobis manifestat. Ne uerò alicui absurdum & insolens uideretur, gentes subitò Iudæis æquari, Amos deum huius rei authorem facit, & illud ipsum Iacobus exponens, ait: Nota à seculo sunt deo omnia opera sua. Quasi dicat: Non est quòd uel ista miremur, uel deum iniustitiæ accusemus. Licet enim hæc nobis absurda uideantur, certa tamen deo constat omnium suorum operum ratio. Nec illum falli posse putemus, quando iam olim, priusquam mundus hic crearetur, æterno suo consilio omnes optimè disposuit. Hinc verò generalis doctrina peti debet, ne æterna salutis nostræ consilia ad humani ingenij calculum reuocemus, sed dei iustitiam simul & sapientiam unà cum eiusdem bonitate venerabundi exosculemur. Vide de hoc Paulum ad Rom. 9. & 11. cap.

II. Consilium de concordia inter Iudæos & gentes concilianda.

Altera suæ orationis parte consilium profert Iacobus utile simul & necessarium. Videbat enim graues exerceri inter gentes & Iudæos inimicitias, ex quibus tandem pernitiosum & exitiale in ecclesia schisma enasci poterat. Quare necessitas postulabat, ut de concordia cõcilianda & fouenda maturè consultaretur, & quid sibi factu optimum uideatur docet. Summa consilij est, saluam & integram seruari debere Christianorum libertatem, ita uerò hanc temperandam esse, ne in licentiam erumpens, offendiculis causam & materiam præbeat. Ad prius pertinet quòd dicit: Quapropter censeo, non esse obturbandum his, qui ex gentibus conuertuntur ad deum. Sensus est, non imponendum esse legis iugum, nec huius obseruatione, tanquam ad iustificationem necessaria, grauandas esse illorum conscientias, qui relictis gentilismi superstitionibus, Christo nomen dederunt. Ne uero gentes legem ita abrogatam putarent, quasi impunitas quædam & quiduis faciendi licentia constituta esset, de quibusdam illas admonendas censet, quibus cùm in Christianam puritatem & sanctimoniam tum in fraternam charitatem à gentibus peccabatur. Quatuor autem probibet, quorum duo quidem per se illicita sunt, duo uerò altera media sunt & indifferentia.

Iacobus Petri sententiæ subscribit.

Prophetæ apostolis consentiunt.

Inquinamentũ idolorum, & scortatio.

Ad primum ordinem pertinent, Inquinamentum idolorum & scortatio. Admonendi uerò de his erant gentes, quia in utroq; turpissimè peccabant. Erant enim, qui cum Christo nomen dedissent, idolorum tamen templa ingrediebantur, ab amicis inuitati sacris gentilium intererant, idolothytis uescebantur, adeoq; sacris alienis cõmunicabant, ut ex Pauli ad Corinth. epist. priori facilè patet. Nec uerò se hac re peccare putabant, eò quòd scirent idolum nihil esse, & de fide bene essent instituti. At illorum rationibus uno uerbo Iacobus occurrit, dum illos ab inquinamentis idolorum abstinere iubet. Ita enim docet, idololatriam per se illicitam & abominabilem esse, ut nemo illi absq; manifesta pollutione communicare possit. Id verò ex lege sumpsisse uidetur, in qua per Mosen dominus ait: Sculptilia deorum igne combures, argentum & aurum quod in illis est ne concupiscas, ut tibi tollas, ne fortè impingas in eo: quoniam abominanda res est domino deo tuo. Ne ergo inferas abominationem in domum tuam, ne fias anathema quemadmodũ illud est. Omnino execreris illud, planeq; abhorreas: anathema enim est. Deut. 7. Quoad uerò scortationem, quanta illius impunitas & licentia fuerit inter gentes, notius est, quàm ut multis explicari mereatur. Extant fœdæ libidinis exempla passim in historijs & poetarum scriptis, qui ex Venereorum descriptione maximam ingenij laudem quæsiuerunt. De utroq; ergo gentes diligenter admoneri, necesse fuit. HINC uerò perpetuum & generale præceptum colligi debet, Christianorum esse, ut sese deo per omnia puros & immaculatos seruent. Nec enim alienis sacris communicare debent, cùm deus totum hominis cor & animum requirat. Deut. 6. Et notum est illud Pauli: Non potestis mensæ domini participes esse, & mensæ dæmoniorum. 1. Cor. 10. Rursum quoad uitæ conuersationem, hanc quoq; deo consecratam esse conuenit. Constat enim corpora nostra Christi sanguine in templa spiritus sancti dedicata esse. Deus ergo in corpore nostro glorificari debet. 1. Cor. 6. Quare turpis & nefandus illorũ error est, qui scortationem Christianis hominibus licitam & liberam esse contendunt, cùm Paulus hanc inter Christianos ne nominari quidem velit, & non adulteris modò, verumetiam scortatoribus horrendum dei iudicium minitetur. Ephes. 5. Hebr. 13.

Locus Amos 15. cap.

Suffocatum & sanguis. Genes. 9. Leuit. 17. et 19.

Secundo ordine suffocatum & sanguis comprehenduntur, à quibus gentes abstinere debeant. Licet enim præceptum hoc inter Ceremonias numeretur, quas in Christo abrogatas esse cõstat, quia tamen de his antiquissima lex extat, quam à diluuio toti mundo deus imposuit, eademq; in quotidianis

comitijs

conuictu frequenter occurrebant, non poterant non vehementer offendi quotquot inter Iudæos infirmiores erant, si gentes his promiscuè vesci uiderent. Aequum ergò esse censet Iacobus, ut gentes hac parte libertatem suam restringant, & charitatis ergò ab ijs abstineant, quæ per se licita & diuinitus concessa erant, ne quem incautius libertate sua abutentes offendant. Atqui hanc apostolorū mentem fuisse, ex Pauli uerbis patet, quæ ad Rom. 14. cap. habentur: Noui siquidem & persuasum habeo per dominum Iesum, nihil esse commune per se, nisi ei qui existimat aliquid commune esse, illi commune est. Verùm si propter cibum frater tuus contristatur, non iam secundùm charitatem ambulas. Ne cibo tuo illum perdas, pro quo Christus mortuus est. Ne igitur uestrum bonum hominum maledicentiæ sit obnoxium. Non enim est regnum dei cibus & potus, sed iustitia & pax & gaudiū in spiritu sancto, &c. Idem se à carnibus potius perpetuò abstinere velle dicit, quàm alicui offendiculum præbere. 1. Corinth. 8. Minimè ergo illis patrocinatur locus hic, qui sibi permissum putant, vt eadem authoritate ieiunia & ferias & alia eius generis præscribant, qua apostoli à suffocato & sanguine abstinere iusserunt. Nec enim eadem ipsis est ratio, cum humanas duntaxat traditiones vrgeant, quarum nulla esse debet in religione authoritas, & conscientijs laqueos injiciant, quod apostoli omni modo cauendum esse censuerunt. Sed facit huc quoq; ratio, quam ipse Iacobus affert. Moses enim (inquit) ab ætatibus antiquis habet in singulis ciuitatibus, qui ipsum prædicent, cùm in Synagogis per omne sabbatū legitur. Quibus non aliud docet, quàm eam adhuc esse inter Iudæos Mosis authoritatem, ut illos ab huius decretis subitò reuellere, impossibile sit. Tempori ergo & charitati hoc dandum esse, ut interim salua & incolumi animorum libertate, cum honore veteres ceremoniæ sepeliantur. Interim obseruemus, veterem hunc in dei populo morem fuisse omnibus seculis, ut legis & scripturæ sacræ studio festis diebus exercerentur. Eundem ergo nos quoq; retinere decet, & in hoc unum incumbere, ut libertatem nostram constanter tueamur, charitatis uerò & puritatis memores, ab offendiculis nobis caueamus. Ita fiet ut tum ipsi saluemur, tum alios adducamus Iesu Christo: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen. Mosis lectio.

HOMILIA CIIII.

Tunc uisum est Apostolis & Presbyteris cum tota Ecclesia, delectos uiros ex ipsis mittere Antiochiā cum Paulo & Barnaba, Iudam cognomine Barsabā & Silam, uiros primarios inter fratres, missis per manus eorum literis in hanc sententiam: Apostoli & Presbyteri & fratres, his qui sunt Antiochię, & in Syria & Cilicia fratribus, qui sunt ex gentibus, Salutem. Quoniam audiuimus, quòd quidam ex nobis egressi, turbarūt uos uerbis, labefactantes animas uestras, iubentes uos circumcidi & seruare Legē, quibus non mādaueramus: uisum est nobis unanimiter congregatis, delectos uiros mittere ad uos, cum dilectis nostris Barnaba & Paulo, hominibus qui exposuerunt animas suas pro nomine domini nostri Iesu Christi. Misimus ergo Iudam & Silam, qui & ipsi uobis sermone referent eadem. Visum est enim spiritui sancto & nobis, ne quid amplius imponeremus uobis oneris, quàm hæc necessaria, ut abstineatis ab his, quæ immolata sunt simulachris, & sanguine & suffocato, & scortatione: à quibus si conseruaueritis uos ipsos, bene facietis. Valete.

QVoniam Christo Iesu à deo patre omnis potestas data est, regnum suum non modò tueri & seruare potest, sed ita res omnes moderatur & regit, ut quæ contra hoc satan molitur, ad illius propagationem faciant. Exemplum huius præsens historia exhibet. Postquàm enim persecutionibus & aperta ui euangelij cursum Satan impedire non potuit, intestinis dissensionibus ecclesiā aggressus, grauem de iustificatione (qui præcipuus & summus Christianæ religionis articulus est) concertationem excitauit, eo nimirum consilio, ut omnem euangelij doctrinam suspectam & inuisam redderet. Sed adeò nihil profecit, ut potius hac occasione ueritas magis illustrata, & fidei iustitia contra Pharisæos ualidissimè asserta & defensa sit: quemadmodum in Petri, Pauli & Barna-

bæ, & postremò Iacobi etiam sermonibus hucusq; uidimus. Quò cumprimis pertinet felix & victoriosus concertationis totius exitus, quem in præsenti Lucas describit: primo quidem totius ecclesiæ consensum, deinde verò Synodicæ eipistolæ exemplum commemorans, de quibus singulis ordine dicemus.

Consensus Synodi Hierosolymitanæ.

Primò unanimem omnium consensum exprimit, dum apostolos unà cum Senioribus & tota ecclesia decreuisse scribit, ut legati cum publicis literis Antiochiam mitterentur, ubi incendium hoc primò exortum fuerat. Prudenter uerò ista decernunt, quibus non modò præsentem litem sopiri, verumetiam in posterum rixandi occasiones declinari poterant. Et primò quidem quia Pauli & Barnabæ fides apud eos, quorum animi contentionibus exacerbati erant, dubia & suspecta fuisset, legatos non postremæ dignitatis ipsis adiungunt. Rursum uerò, ne Silas & Iudas dolo circũuenti & malis artibus in Pauli partes pertracti esse uiderentur, publicis literis illorum authoritatem muniunt atq; tuentur. Quo exemplo admonemur, prudentiam in publicis ecclesiarum causis cumprimis adhibendam esse, ne inconsulta temeritas causæ per se bonæ & sanctæ obsit. Interim hoc loco ueteris & primitiuæ ecclesiæ ordo considerandus uenit, quo in publicis causis illa uti solita fuit. Præfuerunt quidem rebus gerendis apostoli vnà cum Senioribus, quibus publica ecclesiæ cura mandata erat. Iidem tamen non ita dominium & imperium sibi vendicauerunt, ut populum ab eorum cognitione excluderent siue arcerent, quæ ex æquo ad totam ecclesiam pertinebant. Rursus in populo summa modestiæ ratio fuit, qua factum est, ut veritati omnes libenter cederent, nec quisquam uel ambitione uel alio prauo affectu extimulatus, temere tumultuaretur. Hunc ordinem quia antistitum ambitio turbauit, qui contra Petri apostoli præceptum in Christi hæreditatem siue ecclesiam sibi dominium vendicauerunt, nouis indies concertationibus vexantur ecclesiæ, nec aliquis uel errorum uel acerbissimarum contentionum finis apparet. SED epistolam Synodicam uideamus, qua res maximi momenti breuissimè & simplicissimè tractatur. Vt enim Veritas facilis & ab omni fuco aliena est, ita uerborum ambages & affectatum ornatum minimè requirit. Sunt autem epistolæ huius partes quatuor, quas perspicuitatis causa singulas seorsim tractabimus.

1. Inscriptio epistolæ Synodicæ.

Prima inscriptionem habet, quæ authores epistolæ nominat vnà cum ijs ad quos hæc scribitur. Ita verò omnes illi nominantur, ut nihil hîc vel arrogantius vel ambitiosius dictum deprehendas. Seruatur tamen ordo, cuius in omni re potissima ratio haberi debet. Primus ergo locus apostolis tribuitur, eò quòd hos orbis totius doctores & testes suos Christus constituit, & ea dignitate ornauit, ut sal terræ & lux mundi dicti sint. Deinde Seniores ponuntur, de quorũ officio iam ante diximus. Postremò omnes credentes fratrum nomine comprehenduntur. Totius ergo Synodi & ecclesiæ nomine literæ hæ scriptæ sunt. Scribuntur autẽ ad fratres, qui Antiochiæ, in Syria item & Cilicia habitabant, inter quos schismata & turbæ impostorum malitia & dolo excitatæ fuerant. Obseruanda autem est fraterni nominis appellatio, qua se inuicem compellant, & quam inter Christianos vetustissimam & ab apostolorum tempore vsitatam fuisse constat. Est verò duplex nominis huius ratio. Fratres enim dicimur, cùm quod unus & idem omnium nostrum pater in cælis est, qui unà & eandem nobis regni sui hæreditatem præparauit: tum quòd dei filius Iesus Christus, nos fratrum loco habet, nosq; sibi cohæredes facere dignatur. Vt ergo concordiæ inter Christianos fouendæ titulus hic plurimùm seruit, ita consolationem singularem in omni tentationum genere affert. Quia impossibile est, ut Christus Iesus eos negligat, quos pro fratribus semel agnouit, & regni sui consortes habere uult. Huius tituli rationem utinam expenderent, qui hodie odiosa nationum discrimina obseruant, quasi nullum Christianæ charitatis officium illis debeatur, quos natalis soli diuersitas à nobis distinxit. At qui apostoli Syros & Cilices, longissimè à se dissitos, & quidem ex gentibus oriundos, fratres suos esse agnoscunt. Quæ ergo improbitas est, Christianos homines, quos Christus fratrum loco habere dignatur, ob patriam à nobis alienos ducere? An uerò maior esse debet terrestris quàm cælestis patriæ authoritas? Vide Ephes. 4. &c.

2. Pseudoapostoli perstringuntur.

Secunda parte impostores & pseudoapostolos perstringunt grauissimè, prout causæ grauitas & ab illis exortum salutis periculum merebantur. Et primò quidem hos ab ipsis egressos esse fatentur, ita uerò ut nihil sibi cum illis commune esse doceant. Id autem uanissimæ illorum gloriationi opponunt. Nam se Hierosolymis aduenire, & suam doctrinam ab apostolis hausisse dicebant, qui eadem

dem in Hierosolymitana ecclesia docerent. Non negant ergo ex sua ecclesia illos exiuisse apostoli, sed non propterea quiduis recipiendum esse monent, quod illi tradāt. Ita enim ferè comparatum est, ut ex ipsa ecclesia seductores exeant, quemadmodum alibi monuimus. Minimè ergo sufficit inanis titulorum & successionis gloriatio, qua hodie Romani præsules suam dignitatem tuentur, dum ueteris Romanæ ecclesiæ authoritatem & apostolos antecessores allegant. Atqui non ignoramus eam olim fuisse illius ecclesiæ fidem, ut illam meritò laudarit Paulus. Scimus præterea multos in ea sedisse pietate, fide & eruditione insignes episcopos, quorum non pauci martyrio coronati sunt. Sed quid hæc ad nostros illos, quorum fides, doctrina ac conuersatio ab illis toto cœlo dissidet? Veteris ecclesiæ uestigijs insistendum erat ijs, qui huius authoritate sese tueri uolunt. Deinde quid impostores illi fecerint, exprimunt. Turbauerunt uos uerbis & labefactauerunt animas uestras. Turbatores ergo sunt ecclesiarum, non ædificatores, quod ipsum Paulus obseruauit, cum Galatis scribit: Miror quòd tam citò transferamini in aliud euangelium, quod non est aliud, nisi quòd quidam sunt qui turbant uos. Item: Vtinam & abscindantur qui uos labefactant. Gal. 5. HIS uerò falsæ doctrinæ effectus indicatur, quem in omnibus illis deprehendere licebit, qui non uni Christo omnem nostræ salutis rationem & laudem tribuunt. Primò turbant & salutis incertos reddunt auditores suos, dum fidem omnem euertunt. Nec enim fieri potest, ut quicquam stabile & certum habeant, quicunq; legis operibus nituntur, quando hæc perfectam & omnibus numeris absolutam obedientiam exigit, quam humanæ uires præstare non possunt. Quare iuxta Pauli dictum fides euacuatur & irrita fit promissio, ut primùm in operibus salutis ratio monstratur. Rom. 4. Nec hac tantum ratione homines turbare dicuntur pseudoapostoli, uerumetiam quòd schismatum authores sunt, quæ sequi necesse est, ut primùm non uni Christo salus tribuitur. Exemplo nobis est Corinthiorum ecclesia, quam falsorum doctorum imposturis in multas & diuersas factiones diuisam fuisse Paulus conqueritur. Vtrunq; autem experti sunt, quotquot ante euangelicæ lucis cognitionem Monachorum doctrinis circumducti fuerunt. Sed addunt memorabilem sententiam impostorum descriptioni apostoli, qua disertè testantur, se pseudoapostolis illis nihil omnino in mandatis dedisse. Mendacij itaq; illos accusant, simulq; mendaces fore omnibus seculis docent, quotquot sub apostolici nominis prætextu operum iustificationem prædicant. Clament illi ad rauim usq;, se legatos à latere esse, prætexant patres & Concilia, scripturas torqueāt, principum & regum authoritate glorientur, nos uerò omnibus istis Synodicam & uerè apostolicam authoritatem obijciemus, quæ publicè testatur, apostolis nihil cum omnibus illis commune esse, quicunq; fidei iustificationem euertere, & nostræ salutis gloriam operibus aliquo modo tribuere audent. Imò huc Pauli dictum referemus, qui angelum quoq; aliud euangelium prædicare audentem, anathemate ferire non dubitauit. Gal. 1. &c.

Tertia parte Paulum & Barnabam magnificè laudant, eò quòd horum authoritatem ab impostoribus summa cum improbitate oppugnari scirent: quæ etiam causa fuit, quòd Paulus non semel apostolatum suum non absque ambitionis suspicione asseruit, ut illius epistolæ ad Galatas & Corinthios testantur. Vocant ergo dilectos suos, qua appellatione mendacij arguunt omnes eos, qui Paulum ab apostolis dissentire clamabant. Addunt autem præconium, quo nullum magnificentius excogitari poterat, cum hos animas suas pro nomine Iesu Christi exposuisse, dicunt. Docet autem primitiuæ ecclesiæ exemplum, asseri debere eorum famam & nomen, qui de publica hominum salute bene meriti sunt. Nec id adulationi tribuendum est, quando modestè fit, & in eum finem, ut sua illis authoritas integra maneat. Ita Christus Petrum & Zebedei filios magnificis titulis ornare uoluit, cum hoc illorū uirtutes mereri uideret. Et Paulus quandoq; in Titi, Lucæ, Timothei, Epaphroditi & similium laudes digreditur, cum ut ipsis stimulos adderet, tum ut fructuosius esset illorum ministerium. Nec in ecclesia modò, uerumetiam in repub. hoc obseruari conuenit, quando generosi animi non alijs incitamentis efficacius, quàm laude & honoribus, ad uirtutis studia & res magnas obeundas extimulari possunt. Et exempla passim extant, quibus docetur, nullas respublicas floruisse, in quibus nulla laudis & honorum brauia bene meritis proposita fuerunt. Porrò quæ uera ministri laus sit hoc loco exprimitur, nimirum si ubi necessitas ita exigit, animam suam ponat pro nomine Iesu Christi. Nam ut bonus miles, dici non meretur, qui non mori paratus est, si ita ducis sui imperium & publica salus requirat: ita fidelis Christi minister non erit, qui non omnia sua,

3. Commendantur Paulus & Barnabas.

& cum his uitam quoque pro Christi gloria deponere paratus fuerit. Et id quidem optimo iure à nobis Christus exigit, cum is prior animam suam pro communi hominum salute deponere dignatus sit. Nec tamen ita hæc intelligi debent, ut nemo pro fideli Christi ministro agnoscatur, nisi qui uitæ periculum adierit. Non enim temerarios & uitæ prodigos nos esse uult Christus, quin potius serpentinam prudentiam nos in cauendis periculis adhibere iubet. Et frequenter fit, ut nullum sese periculum offerat, propter quod uitæ nostræ timere necesse sit. Interim tamen animi promptitudo & uoluntas prona requiritur, ne pedem referamus, si quãdo cum præsenti uitæ periculo Christi gloria asserenda sit. Exprimit hanc animi promptitudinem Paulus, quando de uinculis admonitus, se non ad uincula modò, uerumetiam ad mortem sustinendam pro Christi nomine paratum esse fatetur. Vide Acto.20.& 21.cap. At quod de uerbi ministris dicitur, ad singulos Christianos pertinet. Vniuersalis enim regula est, quæ Christum coram mundo confiteri iubet, & regno dei parum idoneum esse docet eum, qui ubi manum aratro admouit, à tergo respicit. Luc.9.

4. Decretum Synodi exponitur.

Quarta pars Synodi decretum exponit, in quo Petri & Iacobi sententiæ repetuntur & conciliantur: quo in loco tria nobis ordine consyderanda ueniunt. Primò authorem decreti allegant, spiritum sanctum. Visum est (inquiunt) spiritui sancto & nobis. Seipsos autem spiritui sancto adiungunt, non quòd suam authoritatem illi æquare, uel sibi priuatim absq; spiritus suffragio credi uelint, sed quòd à Christo ministri spiritus facti erant, per quos ille oracula sua proderet. Quo sensu etiam dicitur: Qui uos audit, me audit: & qui uos spernit, me spernit: qui autem me spernit, spernit eum qui misit me, Luc.10.cap. Quia ergo nihil quàm quod spiritus dictauit, pronuntiarunt apostoli, non insolenter, sed modesta & iusta grauitate sese spiritui coniungunt, ne ab hoc dissentire uideantur. Spiritus uerò oraculum esse quod illi scribunt, ex eo patet, quòd nihil scripturis sacris repugnans tradiderunt. Idem si de suis decretis dicere possunt papisticorum Conciliorum præsides, illos quoque in spiritu sancto congregari, & quæ ab ipsis sanciuntur, spiritus placita et decreta esse fatebimur. Quoties autem dogmata à scripturis diuersa & cum his pugnantia proferent, toties illos spiritu sancto duci negabimus, eò quòd is secum ipse dissidere non potest, cum ueritatis spiritus sit. Secundò, quid spiritui sancto uisum sit exponunt, nimirum, Ne quid amplius oneris uobis imponeremus. Onus ergo est quicquid præter fidem in Iesum Christum traditur. Grauantur enim conscientiæ inutili traditionum obseruatione, quæ salutis causam iuuare non possunt. Repetunt autem, quæ de idolothytis & scortatione, de suffocato item & sanguine Iacobus admonuerat, eaq; necessaria obseruatu esse dicunt. Hic uerò notandum est quod præcedenti Sermone diuersam horum præceptorum rationem esse diximus. Duo enim priora absolutè & simpliciter necessaria sunt, eò quòd Christianos hominem omnem idololatriæ communionem horrere, & uas siue corpus suum sanctum & impollutum seruare decet, nec scorti membrum ex eo facere, quod ut spiritus sancti templum sit, Christus suo sanguine consecrauit. At quæ de suffocao & sanguine dicuntur, necessaria obseruatu sunt per accidens, nimirum propter offendiculum, quod horum esu infirmis ponebatur. Quia enim nefas est cibo eum destruere, quem Christus mortis suæ merito redimere dignatus est, necessariò illis propter infirmiores abstinere debemus, quæ alioqui licita & concessa sunt, ne libertas nostra alijs perditionis causam præbeat. Alioqui firma & rata manet Christi sententia, Nibil quod per os ingreditur, hominem inquinare posse, Matth.15.cap. Et Paulus, si nullum scandali periculum subsit idolothytis uesci permittit, nec his conscientiam simpliciter pollui testatur .1. Corinth.10.cap. Et alibi dæmoniorum doctrinã uocat, quæ ciborũ discrimina, quasi in his salutis ratio consistat, introducit. 1. Tim.4. Ineptissimè ergo hoc loco abutuntur, qui Conciliorum decreta obseruatu necessaria esse clamant, cum pleraq; ex his eiusmodi sint, quæ graue conscientijs onus imponunt, & cum disertis scripturæ oraculis ex diametro pugnant. Fatemur quidem infirmis multum tribui debere, ne quem offendamus. Interea tamen Christiana libertas minimè euertenda est propter eos, qui pertinaces potius quàm infirmi, semel conceptos errores abijcere nolunt, sed eosdem mordicus tuentur. Contra quos Christi parum sententia uibrari debet: Sinite eos, nam cæci sunt cæcorum duces. Matth. 15. Postremò fructum & utilitatem subijciunt, dicentes: Ab his si conseruaueritis uos ipsos, bene facietis. Nam & uos ipsos puros & immaculatos conseruabitis, & nemini eritis offendiculo. Debet uerò hic omnibus nobis scopus unicus esse, ad quem studia nostra omnia dirigamus. In uno Christo per fidem quærenda iustitia &

tio & salus. Interim ab omni contaminatione tum idololatriæ tum reliquæ impuritatis nos ipsos conseruemus, & aliorum hominũ saluti pro uirili studeamus, ne ijs offendiculo simus, pro quibus Christus mori dignatus est. Hæc qui sedulò obseruant, falli & errare non poterunt, & ijdem huius uitæ cursum feliciter emensi, æternæ uitæ consortium obtinebunt cum Iesu Christo, domino & saluatore nostro: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CV.

Illi ergo dimissi uenerunt Antiochiam, & congregata multitudine reddiderunt epistolam. Quam cum legissent, gauisi sunt super consolatione. Iudas autem & Silas, cum essent & ipsi prophetæ, multo sermone adhortati sunt fratres, confirmaueruntque. Commorati autem illic ad tempus, dimissi sunt cum pace à fratribus ad Apostolos. Visum est autem Silæ manere ibidem. Paulus uerò & Barnabas demorabantur Antiochiæ docentes & euangelizantes cum alijs etiam compluribus sermonem domini. Post aliquot autem dies dixit ad Barnabam Paulus: Reuertentes iam uisitemus fratres nostros per omnes ciuitates, in quibus annunciauimus sermonem domini, quomodo se habeāt. Barnabas autem consulebat, ut simul assumerent Iohannem, cognomento Marcum: Paulus autem dedignabatur, ne is qui defecisset ab ipsis ex Pamphylia, nec iuisset cum eis in opus, simul assumeretur. Tam acris autem fuit inter eos disceptatio, ut alter ab altero seiūgeretur: & Barnabas quidem assumpto Marco, nauigaret in Cyprum: Paulus autē allecto Sila profectus est, traditus gratiæ dei à fratribus. Perambulabat autem Syriam ac Ciliciam, confirmans Ecclesias.

Postquam Diuus Lucas Hierosolymitani Concilij acta diligenter descripsit, & ostendit qua dexteritate ea contentio sopita sit, quæ circa iustificationis causam inter Christianos exorta fuerat, ultima huius capitis parte, quam modò recitauimus quatuor res, cumprimis memorabiles, commemorat, de quibus ordine dicemus, quantum uestris precibus exorata dei gratia dederit.

Principiò, legationis quam ad Antiochenos Hierosolymitani miserunt, executio describitur, in qua quid legati simul & Paulus cum Barnaba egerint, deinde ut hos ecclesia Antiochena exceperit, considerandum uenit. Et de illis quidem tria dicuntur. Primò ubi Antiochiam peruenêre, mox tota illius ecclesiæ multitudine congregata, epistolam à Synodo ipsis creditam reddiderunt. Quia enim de publica causa & ad omnes ex æquo pertinente agebatur, minimè admittendum censuerunt, ut aliquid populum celaretur. Vbi rursum ueteris ecclesiæ morem uidere licet, in qua publicè tractata sunt, quorum cognitio communi omnium saluti seruiebat. Sustulit morem hunc magna cum publicæ salutis iactura laruatorum episcoporum ambitio, qui populi ignorantiam & cæcitatem præcipuum tyrannidis suæ præsidium duxerunt. Deinde Iudas & Silas multis adhortationibus & consolationibus fratres in agnita & recepta ueritate confirmauisse dicuntur. In quem finem illos missos fuisse, epistola abunde docet. Redditur tamen facti illorum ratio, eò quòd prophetæ essent, id est, publici & legitimè ordinati sacræ scripturæ interpretes. Eo enim sensu prophetæ nomen usurpari ex priori ad Corinth. epistola cap. 14. clarissimè patet. Admonet interim locus hic, neminem sibi in ecclesia aliquid publicè agendi ius uendicare debere, nisi qui legitimè uocatus & donis dignis atq; necessarijs instructus fuerit. Perniciosa enim & detestabilis est Anabaptistarum impudentia, qui nec uocati nec donis instructi, ad docendi munus temerè irrumpunt. Tertiò, non ante Antiochia discedunt, priusquam cum pace & solenni benedictione dimittūtur, & turbas omnes rite compositas esse uident. Quæ omnia si in unum conferas, illos in legatione hac summo studio simul et fide usos fuisse patebit: nec dubium est, quin generali exemplo docere uelit spiritus sanctus, qua fide & industria publica ecclesiarum & rerumpub. negotia tractari debeant. Porrò quoad ecclesiam, illa hos cum gaudio excepisse, & non uulgariter recreata fuisse dicitur. Antea quidem dissidijs tur

I. Executio legationis ad Antiochenam ecclesiam.

batos fuisse, epistola Synodica ostendit. Dolebat enim pijssimis uiris, Christianæ fidei articulos non sine graui offendiculo in disceptationem trahi. Altera rursum dolendi causa erat, quòd apostolos suos, Paulum & Barnabam, indignis modis proscindi, adeoq; ecclesias suas obliquè perstringi uiderent. Quare non possunt non uehementer gaudere, quando pacem restitutam, doctores suos calumnijs liberatos, & ecclesias suas apostolorum testimonio confirmatas esse audiunt. Hoc ingenio fideles & Christianos omnes præditos esse decet, à quo alienissimi sunt, qui dissidijs, ministrorum ignominia & contemptu, deniq; ecclesiarum dissipationibus delectantur.

II. Industria Silæ, Pauli & Barnabæ in propagando Christi regno.

Secundò fidelem omnium horum in propagando & conseruando Christi regno curam atq; industriam Lucas describit, quæ multis ijsq; non obscuris argumentis deprehendi potest. Et de Sila quidem dicitur, illum cum ad sua redeundi ipsi copia facta esset, Antiochiæ tamen manere uoluisse, nimirum quòd operam suam, cuius fructum iam ante expertus erat, illi ecclesiæ adhuc utilem esse uideret. Maiorem ergo ecclesiæ Christi, quàm suarum rerum, rationem Silas habuit, quando Antiochiam Hierosolymorum urbi et antiquis laribus præfert. Quod exemplum omnes Christi ministros imitari decet, ut seipsos & terrena omnia abnegent, quo in Christi & ecclesiæ ministerio expeditiores uersari possint. Execrabilis ergo est illorum sordities, qui in ecclesiæ ministerio constituti priuatas suas rationes hominum saluti præferunt, & lucri gratia ecclesias relinquunt, quibus maximo cum profectu inseruire poterant. Sed de Paulo quoq; & Barnaba quædam dicuntur, nimirum quòd aliquandiu Antiochiæ commorati, euangelium unà cum multis alijs symmystis prædicarint. Non ergo turpi ocio sese dediderunt, licet post tot labores atq; pericula iustissimam ocij quærendi causam habere uiderentur. Ex eo autem quòd multi in Antiochena ecclesia euangelium prædicasse dicuntur, facilè colligitur, qui animorum in illis candor fuerit, et quòd ab omni æmulatione alieni, nihil aliud magis, quàm Christi gloriam & multorum salutem quæsiuerint. Est autem dignissimũ obseruatione apostolorum exercitium, quos euangelicæ prædicationi cumprimis uacauisse uidemus. Nouerant enim hoc salutis nuncium esse. Nouerant his armis Christo gentes subijci & mundum sub fidei obedientiam redigi. Nouerant deniq; Christum dominum uni huic rei cumprimis intentum fuisse, nec aliud fecisse frequentius. Nec ueterem typum ignorabãt, quo sacerdotis uestem tintinnabulis sonoram esse iusserat dominus, ut eo argumento doceret, à ministris uocis sonum, id est, euangelij doctrinam maximè requiri. Exod. 28. At hodie eò deuentum est, ut episcopi à nulla re magis, quàm à uerbi ministerio abhorreant, & id potius sibi laudi ducant, si ex ecclesiarum redditibus canes equosúe & ignauam seruilemq; aulicorum turbam pascant, quàm si Christi oues cœlestis doctrinæ pabulo saturent. Ita suo exemplo apud reliquos quoq; hominum ordines dei uerbum uile & contemptum reddunt, quæ potissima calamitatum nostri seculi causa est. Additur autem aliud quoq; Paulinæ industriæ argumentum, quòd nimirum pro alijs etiam ecclesijs solicitus, cum Barnaba de illis inuisendis consultarit. Intelligebat enim non sufficere, ecclesias semel constituisse, sed ijs conseruandis maximè studendum esse, cum præter ingenitam humano generi leuitatem infinita alia quotidie occurrant, quæ à fide nos abstrahere, & optimè constitutas ecclesias turbare atq; euertere possunt. Quare strenui militis instar in excubijs frequens consistit, nec ullis laboribus parcit, ut sua maneat ecclesijs sua incolumitas, in quam semel constitutæ fuerant. Quòd exemplum si cum ijs conferas, qui toti in hoc sunt, ut aliorum fide & industria constitutas ecclesias turbent & dissipent, facilè patebit, quo spiritu ducantur, & cuius principis ministri sint.

III. Dissidiũ Pauli & Barnabæ.

Tertiò graue & infelix inter Paulum & Barnabam dissidium commemoratur, quod multis nominibus memorabile est. Hos enim spiritu sancto authore collegas & symmystas factos fuisse supra cap. 13. audiuimus. Iidem multa simul pericula terra mariq; sustinuerunt, quo non aliud est firmius ad animorum coniunctionem uinculum. Adhæc mirificos suorum laborum successus ex dei benedictione experti fuerant. Nunc uerò atroci inter ipsos contentione oborta, dissociantur, nec post hac laborum socij fuisse leguntur. Contentionis uerò & dissidij materia Iohannes Marcus fuit, de cuius defectione cap. 13. dictum est. Hunc denuo in gratiam & ministerij societatem recipiendum esse, Barnabas censebat, & haud dubiè consilij sui rationes graues allegabat. Apud deum enim peccatoribus, si culpam agnoscant, ac fateantur, ueniæ locus est. Et Petrum post Christi abnegationem in pristinum dignitatis suæ gradum restitutum esse constat. Nec parum Marco patrocinari uidebatur

batur Mariæ matris pietas, quæ cum maximè fureret persecutionis tempestas, domum suam fidelibus portum quendam & asylum esse uoluit. At rationibus hisce omnibus nunquam adduci potest Paulus, ut eum collegam habere dignetur, quem tam turpiter in medio cursu, & fortaßis non sine graui multorum offendiculo, defecisse meminerat. Occurrebat enim Christi dictum, Nemo qui manu aratro admota, respexerit à tergo, dignus est regno dei. Luc. 9. Et si circumstantias consyderemus, ecclesiæ calculo Paulum adiutum fuisse, uerisimile uidebitur. Is enim allecto Sila, à fratribus gratia dei commendatur, id est, solenni cum benedictione ad opus dimittitur. De Barnaba uerò hoc unum Lucas refert, quòd assumpto Marco, in Cyprum nauigarit (quam illi patriam fuisse supra Cap. 4. dictum est) indignabundus nimirum & æstuans. Quamuis uerò non per omnia excusari posse uideatur Pauli seueritas, uoluit tamen hoc in apostatas siue defectores exemplum extare spiritus sanctus, quo discamus ad dei gratiam aditum quidem patere peccatoribus, non temere tamen ad ecclesiæ ministerium admittendos esse, qui grauiores alicuius offendiculi authores fuerunt, quorumq; fides ob ante commissa facinora non immerito suspecta est. Episcopum enim irreprehensibilem esse oportet, & nouitium hoc potißimum nomine Paulus arcere iubet, quòd tales calumnijs facilè pateant. Hodie quia nimium faciles sumus in quibusuis admittendis, non mirum si indies magis uilescat ministerij authoritas. Porrò mirum alicui uideri poterat, quòd deus electißima gratiæ suæ uasa tam atroci dißidio implicari passus est, & quòd illorum errores spiritus sanctus scriptis mandatos ad posteros transmittere uoluit. At penitius rem consyderanti iustæ & graues huius rei causæ patebunt. Primò enim docent hæc, sanctos quoque homines esse affectibus obnoxios, & proinde dei gratia indigere. Agnoscit hoc Paulus, quando sibi stimulum carnis & nuncium satanæ immissum fuisse scribit, cui non alijs armis, quàm dei gratia resistere potuerit. 2. Corinth. 12. Idē de lege peccati scribens, qui in singulis hominibus aduersus spiritum dei pugnas ciet, tandem exclamat: Miser ego homo, quis me eripiet ex hoc corpore mortis? Illicò uerò subdit: Gratias ago deo per Iesum Christum, &c. Rom. 7. Vsus horum est, ut quæ à sanctis egregiè facta sunt, ad deum authorem referamus, & illum prædicemus unicè. Deinde ad ardens & irremissum pietatis studium isti sanctorum lapsus nos excitant, ut iuxta Pauli dictum cum timore & tremore salutem nostram operemur. Phil. 2. Quis enim non expauescat? quis non ad uigilandum & ad preces excitetur, quando præclaros dei cultores tam grauiter lapsos esse uidet? Quis non à lapsu sibi timeat, etiam tum quando sibi stare uidetur? 1. Corinth. 10. cap. Est præterea alius quoq; huius dißidij usus, ne hodie ministrorum uerbi dißidijs offendamur, nec propter hæc diuini uerbi doctrinam suspectam habeamus. Nec enim ex hominibus dependet huius authoritas, sed ut Isaias clamat, in æternum manet, etiamsi omnis caro cum gloria sua instar floris exarescat & collabatur. Isa. 40. capite.

1. Tim. 3

Quartum & postremum huius loci caput est, Pauli & Barnabæ peregrinatio, qua suum de uisitandis & ijsdem uerbo dei confirmandis consilium executi sunt. Licet enim inter se toti dißideant, neuter tamen propterea sui officij immemor est, & Barnabas quidem in Cyprum, Paulus uerò in Syriam & Ciliciam, & inde in Lycaoniam transit. Estq; hæc laude digna constantia, quam omnes imitari decet, ne contendendi libidine & hominum importunitate nos superari patiamur, ut nostri officij immemores, deo parum fidi simus. Interim dei bonitatem & sapientiam nos admirari conuenit, qui electorum suorum delictis optimè uti nouit. Ex tristi enim apostolorum dißidio hoc boni oritur, ut plures uno eodemq; tempore inuisantur & confirmentur ecclesiæ. Imò impiorum peccatis frequenter ad suæ gloriæ illustrationem & hominum salutem deus abutitur: cuius rei exempla in Iosephi uenditione & multis alijs historijs extant. Nemo tamen idcircò nos culpa uacare putet. Peccant enim homines, & peccatis, ut iræ uasa fiant, merentur. Quòd si quis ex illorum delictis fructus bonus oritur, id uniuersum diuinæ bonitati & sapientiæ tribui debet. Faxit hæc, ut per nos quoq; diuini nominis gloria illustretur, & omnibus nostris in eum finem utatur clementißimus pater, qui multorum saluti seruiat, nosq; in cœlis uiuamus cum Christo Iesu: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

IIII. Paulus & Barnabas inuisunt ecclesias.

CAPVT XVI.

HOMILIA CVI.

PEruenit autem Derben & Lystram: & ecce discipulus quidam erat ibi, nomine Timotheus, filius cuiusdam mulieris Iudææ fidelis, patre autem Greco. Huic testimonium bonum reddebatur à fratribus, qui Lystris erant & Iconij. Hunc uoluit Paulus secum proficisci, & assumptum circumcidit propter Iudæos, qui erant in illis locis. Sciebant enim omnes, quòd pater eius esset Græcus. Cum autem pertransirent ciuitates, seruanda illis tradebant placita, quæ decreta erant ab apostolis & Senioribus, qui erant Hierosolymis. Itaque ecclesiæ confirmabantur fide, & abundabant numerò quotidie.

DIuus Paulus ecclesias, quas euangelij prædicatione collegerat, inuisere & in fide semel recepta confirmare instituit, ne uel securitate immersi, uel satanæ dolis circumuenti, uel persecutionibus superati deficiant. Id uerò sic facit, ut simul ubicunque sese offert occasio, nouas ecclesias lucrifacere studeat. Eam historiã in præsenti Lucas describit, qui in hac peregrinatione Paulo indiuiduus comes fuit, & proinde tanquam oculatus testis, res omnes compertissimas habuit. Et principiò quidem Syriam & Ciliciam ab illis lustratam fuisse audiuimus. Sequitur quid in Lycaonia factum fuerit, cuius ecclesiæ propter Iudæos, acerrimos Christi hostes, præ alijs confirmatione opus habuisse uidentur; nec potuit non illis timere Paulus, cum Iudæorum hostiles conatus & implacabiles animos ipse non semel expertus esset.

Timothei uocatio. *Porrò narrandi initium à Timothei uocatione facit euangelista, quem Paulus profectionis suæ comitem & laborum omnium socium assumpsit. Nouerat enim absque idoneis uerbi ministris, Christi regnum & fidem in hunc propagari nõ posse. Quare ut huius seculi principes, qui regnorum suorum fines longè latéque extendere student, in rerum peritis & longo usu exercitatis belli ducibus ac animosis militibus undique conquirendis toti occupantur: ita Pauli hæc præcipua cura fuit, ut quàm plurimos ecclesiæ Christi fideles & idoneos ministros acquireret, quorum opera Christi regnum ad plures propagaretur. Imitari debent exemplum hoc, quicunque ecclesias saluas esse uolunt, siue illi doctrinæ antistites siue magistratus fuerint. Nam ut absque uerbi prædicatione ecclesiæ nouæ plantari non possunt, ita sine hac nec in officio retinebuntur, quæ iam plantatæ & collectæ sunt. Hinc illa prophetarum ueteris Testamenti circa scholas cura & industria, quam maiores nostri, prudentissimi & pijssimi uiri, imitati sunt, quemadmodum passim uetustissimorum Collegiorum fundationes testantur. Sunt autem in Timothei uocatione duo consyderanda, de quibus ordine dicemus.*

Timotheus quis & qualis fuerit? *Primò quis & qualis ille fuerit, describitur. Iudæa matre, eáque fideli, natus, patrem Græcum, id est, gentilem habuit. Et matris quidem Eunicæ simul & Loidis auiæ pietatem multis in posteriori ad Timotheum epistola Paulus prædicat, cuius hoc cumprimis euidens argumẽtum est, quòd filium in Christiana fide & religione probè institui curauit. Et hic illum discipulũ, id est, Christianum iam antea fuisse dicit Lucas, priusquam à Paulo ad ministerij ecclesiastici munus uocaretur. Adhæc eundem communibus omnium fratrum suffragijs commendatum fuisse testatur, & quidem non Lystrensium modò, inter quos domicilium habebat, uerumetiam Iconiensium, adeò ut exteris quoque illius uirtus cognita & perspecta esset. Docet hæc Timothei descriptio, quales ad uerbi dei & ecclesiæ ministerium eligi debeant. Vbi prima religionis cura haberi conuenit, ne uel omnino alieni à fide, uel saltem neophyti aut nouitij eligantur. Nam ut hi plerunque rerum omnium incerti, tum etiam leues & inconstantes sunt: ita illi religionem quæstum ducunt, quam & ipsi in sinu improbè rident, & alijs quoque deridendam exponunt. Inde uerò eruditionis quoque ratio habenda est, ut ij ecclesiæ gubernaculis præficiantur, qui in sacris literis probè uersati sint, in quibus Timotheum à pueris institutum fuisse Paulus testatur. 2. Tim. 3. Impossibile enim reuera est, ut alios doceat, qui non ipse prior didicit, & tales non alij quàm cæci cæcorum duces esse possunt, quales illos Christus nominat. Matth. 15. At quia ex scripturis sacris ecclesiæ doctrina peti debet, in illis exercitatissimos esse oportet eos*

tet ecclesiarum ministros: nec illis quicquam tribuendum, etiamsi in omni philosophia peritissimi, sacrarum autem literarum imperiti & rudes fuerint. Quæ causa est, quòd ne apostolos quidem, nisi prius plenissimè instructos, ad prædicandum erumpere Christus voluit. Tertiò probatæ uitæ testimonium accedat oportet, ne propter ipsos doctrina uel contemnatur, uel saltem suspecta fiat. Irreprehensibilem ergo episcopum esse uult Paulus. 1. Tim. 3. Tit. 1. Et quantùm religioni simul & doctrinæ per impuram antistitum uitam derogetur, filiorum Eli exemplum abundè docet, quorum libidine & sacrilega audacia factum fuit, ut omnis ferè populus à dei cultu abhorreret, eaq; occasione ita apud omnes ordines impietas inualuit, ut non nisi publica clade & multo sanguine fuso expiari posset. Imitanda ergo hodie quoq; Pauli prudentia & solertia, qui non nisi omnibus numeris absolutissimum & talem sibi in ministerio collegam adoptauit, qui spem de se conceptam ita confirmauerat, ut eam fallere nunquam posse uideretur.

Timotheus circumciditur.

Secundò, quid cum Timotheo nouo symmysta siue collega primò omnium egerit, uideamus. Hunc (inquit) cùm uellet secum proficisci Paulus, assumptum circumcidit. Quid (inquis) audio? Quæ illa leuitas & inconstantia? Non multò antè acerrimè se illis Paulus opposuit, qui circumcisionem à gentibus exigebant, & tanta propter hanc turba concitata fuit, ut coram apostolis & tota Hierosolymitana ecclesia causa hæc difficulter componi & sopiri potuerit. Nunc uerò postquàm gentes circumcisione nequaquã grauandas esse, apostoli decreuerunt, Paulus Timotheum, qui iam aliquanto tempore Christianus fuerat, circumcidit. At nihil hic uel leuitati uel pertinaciæ tribuendum est, cùm facti sui rationem grauissimam habuerit, nec ipse secum dissideat, si rem ipsam penitius inspiciamus. Pharisæis enim siue Nazareis, circumcisionem ut necessariam urgentibus, meritò sese opposuit Paulus, cùm ea opinio Christi meritum euacuaret, fidem inanem redderet, & libertatẽ Christianam euerteret. Et propter hos Titum circumcidere noluit, eò quòd illos libertati fidelium astutè insidiari uideret, Gal. 2. Hîc uerò Timotheũ propter Iudæos circumcidit, qui in illis locis frequentes erant, ut ea occasione Timotheo euangelium inter Iudæos prædicandi aditus pateret. Notum enim est, quàm uehementer gentes incircumcisas abominati fuerint Iudæi, quando Petrum hoc nomine palàm accusauerunt, quòd ad gentes esset ingressus, & Paulum postea seditiose comprehendũt, quòd gentes in templum adduxisset. Nisi ergo circumcidisset Timotheum, nunquam illi inter Iudeos docendi facultas fuisset data, & ipsi Paulo in posterum, tanquam legis prophanatori & auitæ religionis hosti, Iudæorum aures clausæ fuissent. Prudenter itaq; hoc illorum infirmitati tribuit, & Timotheum circumcidit, ut illius ministerio ad Iudæos uiam sternat, & paulatim eos edoceat, ut circumcisionem cum reliquis ceremonijs in Christo abrogatam esse intelligant. Nec alia ratione Timotheum circumcidi uoluit, quàm qua suffocati & sanguinis esum apostoli in Synodo prohibuerunt. Ita ipse fatetur se Iudæis Iudæum factum esse, ut Iudæos Christo lucrifaceret, non ut illos in superstitiosa legis obseruatione confirmaret. 1. Cor. 9. Ex his uerò vniuersalis regula constitui potest, qua docemur, quando & quomodo in externis dispensare liceat. Nimirũ quando id charitas iubet, & ecclesiæ ædificatio postulat. Vt primũ uerò cultum illis alligari, aut meriti humani fiduciã erigi, aut Christianæ libertati insidias strui uidemus, ne minima quidem ferri aut admitti debent. Nam quæ pro medijs & indifferentibus haberi poterant, indifferentia esse desinunt, quàm primùm sub his fidei nostræ professio & meriti Christi gloria periclitatur. Ineptè ergo & nimis impudenter Pauli exemplũ pro suis traditionibus Pontificij allegant, dum ea ratione Missas, imagines, exequiarum pompã, preces pro defunctis, ieiunia, vestiũ & ciborum discrimina, cælibatũ, monastica uota, confessionem auricularem, absolutionẽ, satisfactiones & sexcenta alia eius generis à nobis retineri & obseruari debere contendunt, qua Timotheum Paulus circumciderit. Nam ut illud omittamus, quod inepta & superstitiosa humanarum traditionum figmenta cum circũcisione, cuius origo ex deo fuit, conferunt, lippis & tonsoribus notum est, illos in his omnibus præcipuam cultus diuini partem constituere, in ijsdem maximam iustitiæ & salutis suæ fiduciam repositam habere, deniq; his saluis Christianam libertatem subsistere non posse, imò hæc ipsa insignem illum bestiæ characterem continere, quem absq; Christi abnegatione nemo uel suscipere vel retinere potest. Quamobrem Christianos homines ista oppugnare potius, quàm Christiani nominis professionem minima ex parte violare decet.

Timotheus ex impari coniugio natus.

Priusquàm uerò hinc discedamus, parentum Timothei impar coniugium inspiciendum erit, cùm huius mentionem disertè Lucas faciat. Matrem enim Eunicam Iudæam, patrem uerò Græcum

sive gentilem fuisse dicit. At Iudæis coniugia cum gentilibus interdicta fuisse legimus. Ea tamen fuit illo tempore Iudaici populi conditio, ut Romana tyrannide oppreßis & hinc inde dispersis multa præter animi sententiam ferenda fuerint. Interim pijßimæ fœminæ Eunicæ ex connubio hoc illud periculum enatum esse uidemus, quod in lege deus prædixit. Nam Timotheum filium, qui haud dubiè ante Christum passum & ante legem abrogatam natus erat, circumcisione in populi dei consortium adscribere, deoq; consecrare non potuit, obstante nimirum marito, quẽ à uera religione alienißimum fuisse verisimile est, cùm nullibi ipsius pietas prædicetur à Paulo, qui Eunicæ & Loidis fidem dignã putauit, quæ scriptis suis commendaretur. Debent hæc absterrere Christianæ fidei professores, ne cum incredulis iugum ducant, sicuti alibi apostolus monet. 2. Cor. 6. Simul tamen memorabile est Eunicæ exemplum, quæ filium, uel inuito marito, ab ineunte ætate sacris literis imbui curauit, ne gentilium superstitione & idolomania corrumperetur. Obseruent hoc matronæ, quibus impari coniugio diuexari cõtingit. Meminerint liberos suos propter fœderis promißionem sanctos esse, quod disertè Paulus docet. 1. Cor. 7. Eosdem ergo ueræ pietatis doctrina imbuant & deo adducant, cuius honor si ipsis cordi fuerit, veracem illum in suis promißis experientur, quibus se suis tutorem & vindicem fore pollicetur.

Pauli & comitum ipsius doctrina.

Sed redeamus ad præsentis loci tractationem, quo post Timothei vocationem, quid in ecclesijs docuerint, qui cum Paulo fuerunt, indicatur. Cùm transirent (inquit) ciuitates, seruanda illis tradebant placita, quæ decreta erant ab apostolis & Senioribus, qui erant Hierosolymis. Quæ verba ad nescio quas traditiones Papistæ detorquent, quas ab apostolis illorumq; successoribus quasi per manus ecclesijs traditas, nunquam verò scriptis mandatas fuisse fingunt. Quod asylum ubi semel sibi constituerunt, apostolicam traditionem esse dicunt, quicquid nulla scripturæ authoritate confirmari posse vident. At nihil tale Lucas dicit, sed de ijs decretis loquitur, quorum mentio superiori capite facta est. Illa verò fuerunt: Sola dei gratia per fidem Iesu Christi, non ex legis operibus, hominem iustificari & salutem consequi. Abstinendum esse ab ijs, quæ vel fidei nostræ professionem, vel sanctitatem nostram polluunt, qualia sunt Idololatriæ cõsortium & Scortatio. Studendum esse charitati, & in externis aliquid dandum esse infirmioribus, vel etiam adhuc à fide alienis, quos lucri fieri posse spes est. Interim cauendum ne quis laqueus inijciatur conscientijs, aut onus imponatur intolerabile. Hæc Paulum cum suis paßim inculcauisse Lucas tradit, ut & Iudæos reprimeret, qui gentes ad legis obseruationem adigebant importunius, & gentium licentiam frænaret, qui Christiana libertate non sine graui offendiculo abutebantur. Pacem enim in ecclesijs florere voluit, qua illa cum primis propagari nouerat. Simul verò, ubi nullum erat scandali periculum, libertatem Christianam constanter asseruit, ne huic præiudicaret, quod infirmis duntaxat dandum esse apostoli consuerunt. Docet id prior ad Corinthios epistola, in qua idolothytorum esum liberum facit quoad conscientiam, si nemo adsit quem ille offendat. 1. Corinth. 10. Interim admonet nos Pauli exemplũ, non sufficere, si bonæ leges condantur, nisi illarum executionem constanter vrgeant, quibus ea cura commissa est. Executionem enim legum animam & neruum esse, communis experientia docet. Hanc si auferas, mortuæ iacebunt leges, & iuxta Anacharsis dictum aranearum telæ erunt, quas cuiusuis audacia facilè perrumpet. Imitentur ergo Paulum cum ecclesiarum ministri, tum qui in magistratu versantur, siquidem officio suo fungi voluerint, & non potius inani simulatione deo simul & hominibus illudere.

Fructus studij apostolici.

Postremò sanctißimi studij & laboris insignem fructum Lucas subijcit, dum ecclesias in fide confirmatas fuisse, & indies numero creuisse ac magis abundauisse scribit. Quia uerò fidei mentionem, hanc maximè, non inanes ceremonias aut frigidas traditiones, Paulum inculcauisse constat. Sunt autem hi perpetui effectus verbi dei, quòd imbris instar, nunquam sine fructu redit ad eum, qui misit illud. Hæc quoque arma sunt, quibus regnum Christi in mundo hoc felicißimè propagatur, diligens nimirum verbi prædicatio, & ardens illius conseruandi studium. Hæc ubicunq; cessauerint, ibi quoq; fides intercidit & omnis intermoritur veræ religionis amor. Exempla huius paßim sunt obuia, quibus illi conuincuntur, qui sufficere putant, si nullius tyrannide cogantur, vt impijs sacris communicent, interim verò ijs locis degunt, vbi dei verbum exulat, nec vlla exercentur Christianæ religionis officia. Studeamus ergo omnes diuini verbi propagationi, vt & ipsi in fide confirmemur, &

quotidie

quotidie credentium numero crescat ecclesia, in qua solus regnet Iesus Christus, humani generis saluator & ecclesiæ sponsus unicus: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternũ. Amen.

HOMILIA CVII.

Quum autem peragrassent Phrygiam & Galaticam regionẽ, uetiti à spiritu sancto loqui sermonem in Asia, profecti in Mysiam, tentabant ire in Bithyniam, & non permisit eos spiritus. Quum autem pertransissent Mysiam, descenderunt Troadem. Et uisio per noctem Paulo apparuit: Vir Macedo quidam erat stans & deprecans eum, & dicens: Profectus in Macedoniam succurre nobis. Vt autem uisionem uidit, statim quæsiuimus proficisci in Macedoniã, certò persuasi, quòd uocasset nos dominus ad euangelizandum eis. Cùm ergo soluissemus à Troade, recto cursu uenimus in Samothracẽ, & postero die Neapolin, & inde Philippos, quæ prima est partis Macedoniæ ciuitas, colonia.

Spiritus domini nostri Iesu Christi apostolorum peregrinationes, & inter has Pauli cumprimis, diligentißimè describi voluit, eò quòd hæ ad nostram institutionem haud mediocriter faciunt. Elucet enim in his eximia dei bonitas, qui tam breui temporis curriculo totum orbem euangelij & salutis doctrina illustrare, & prophanas gentes, tunc cum modis omnibus corruptißimæ essent, in filij sui cognititionem & consortium adducere dignatus est. Patet item ex historia hac, quibus armis & medijs Christi regnum in terris tum propagari tum conseruari soleat: nimirum euangelij prædicatione, per quam etiam inuito mundo spirat dei spiritus, sicuti Christus alibi testatur. Et quia ad hanc hominum ministerio deus uti dignatur, ab ijsdem sedulam industriam & uigilantem zelum requirit. Qua in re Paulus maximè nobis imitandus erit, de cuius flagranti studio multa Lucas commemorat: cuius hoc haud vulgare argumentum est, quòd non contentus multas ecclesias Christo lucrifecisse, easdem denuò inuisit, & fidis verbi admonitionibus confirmat: docens nimirum, vigilandum nobis esse in salutis negotio, quando nemini non notæ sunt satanæ artes, quibus incautos à salutis uia auertere satagit. Ita tamen Paulus ecclesias inuisit, ut simul nouas quoque colligere & Christo adducere studeat, de quo in præsenti potißimum agitur. *Peregrinationis apostolorum usus.*

Principiò Phrygiam & Galaticam regionem peragrauisse dicitur, & illic quidem ecclesias nouas fundatas esse, Pauli ad Galatas epistola abundè testatur, quæ omnem euangelicæ doctrinæ summam breui & absoluto compendio comprehendit. In ea autem profectione hoc cumprimis memorabile accidit, quòd à spiritu sancto probibiti sunt, ne in Asia euangelium prædicarent. Intelligitur autem sub Asiæ nomine ea pars, quæ ad occasum mari proxima, in mediterraneis Aeoliã & Lydiam supra Ephesum & Smyrnam, deniq; ipsam quoque Ioniam complectitur. Quæ regiones ut omnium fertilißimæ & opulentißimæ, ita hoc nomine plus satis infelices fuerunt, quòd illas tunc temporis salutis doctrinam audire Christus noluit. Eadem Bithyniæ quoq; sors fuit, in quam idem Christi spiritus Paulum transire non permisit. Quo argumento facilè patet, apostolos non temere per orbem circumuagatos esse, sed dei spiritu authore & auspice fecisse omnia. Hunc enim illis à Christo promissum simul & exhibitum fuisse, scimus. Accesserunt item singulares reuelationes, si quando opus fuit, cuius rei exempla in Petro & Philippo supra habuimus, quãdo horum ministerio Eunuchus, Aethyops & Cornelius Centurio conuerti debuerunt. Facit hoc ad apostolicæ doctrinæ commendationem, ne ut humanam aspernemur, quam tam euidenti spiritus sancti ductu inter homines vulgatam fuisse constat. At quæstionem mouent hoc loco aliqui grauem, cur alicubi Paulus docere permissus, alicubi verò prohibitus fuerit? Quam nonnulli commodißimè solui putant, si ad dei præscientiam omne hoc negotium referatur. Hunc enim præuidere aiunt, qui uerbo & salute digni, qui rursum indigni sint. Sed isti homines, dum de dei iustitia asserenda soliciti sunt, ne hunc alicuius peccati authorem faciant, eiusdem gratiam euacuant, dum salutem ex hominum dignitate metiuntur: quod facere non possunt, nisi simul meritum hominis & insolentem humanæ iustitiæ fiduciam stabiliant. Quàm uerò friuolum sit commentum hoc, uel ex eo patet, quòd omnes homines ex sese salute indigni *Phrygia & Galatia conuertuntur.* *Paulus prohibetur in Asia prædicare.*

sunt. Nam Paulo teste, omnes peccauerunt & destituuntur gloria dei, & non est iustus, ne unus quidem. Nec quisquam ad percipiendum salutis verbum dignus fuerit, nisi quem deus dignum & idoneum fecerit. Nam non sumus idonei ex nobis ipsis vel ad cogitandū, sed omnis nostra dignitas & facultas percipiendi quod bonum est, à deo contingit. 2. Cor. 3. Celebris deniq; & omnibus nota est Christi sententia, Nemo venit ad me, nisi quem pater traxerit. Ioban. 6. Cuius exemplum cap. 14. habuimus, ubi credidisse dicuntur, qui prædestinati fuerant ad uitam æternam. Et sequenti Sermone Lydiæ exemplum habebimus, quæ ideò docenti Paulo credidit, quòd dominus illius cor aperuisset. Restat ergo non aliam huius consilij rationem allegari posse, quàm liberam & gratuitam dei electionem, qui quos uult misericordia sua complectitur, quos verò vult indurat. Nec tamen quisquam deum vel iniustitiæ uel crudelitatis accusare debet: quando ille nemini quicquam debet, & iudicia sua sic regit, ut haud vulgaris ex illis doctrina ad nos redeat. In electis enim gratuitæ bonitatis exemplum edit: in reprobis autem iustitiæ suæ seueritatem exerit, vt hanc timere, illam verò amplecti & exosculari discamus. Est præterea uarius & necessarius omnino eiusdem doctrinæ usus. Nam consolationi in tentationibus mirificè seruit, quòd salutem nostram non in nostris uiribus, aut nostræ iustitiæ merito, sed in dei gratia ac Christi merito fundatam esse scimus. Quis enim illam euerterit? Quis à dei dilectione separaret, quos ille semel complexus est? Rom. 8. Vel quis è Christi manibus ouem eriperet, cùm illi omnis potestas data sit in cœlo & in terra? Ioban. 10. Consolationis huius neruos planè eneruant, quicunq; ex nostra dignitate salutis rationem æstimare docent. Adhæc officij nos admonet doctrina hæc, & dei immensam bonitatem agnoscere docet, quando nos præ alijs à deo quasi & salutis verbo uisitari sentimus. Vt enim non meritis nostris illud tribuit deus, sed mera gratia nos saluare studet: ita si qui illius bonitatē agnoscere dedignantur, & ingratos sese illi præbent, horribilem in eos iustitiæ suæ seueritatem exerit. Exemplo sunt Corozaim, Bethsaida, Capernaum, tota deniq; Iudæorum gens, quam non alio nomine à deo reiectam esse legimus, quàm quòd diem uisitationis suæ noluerunt agnoscere. Luc. 10. & 19. Eiusdem seueritatis exempla hæ ipsæ vrbes sunt, quas Pauli ministerio præ alijs deus illustrari voluit. Eas enim hodie immani Turcarum tyrannide oppressas, cernimus, eò quòd erga dei bonitatem sese non satis gratas præbuerunt. Meditemur quæso hoc nos, quibus iam annis aliquot libera euangelij prædicatione frui, adeoq; ocio & pace euangelica abundare licuit, multis interim miserè egentibus & famelicis undiquaq; bolum aliquem euangelicæ consolationis captantibus.

Paulus uocatur in Macedoniā.

Sed ad Paulum eiusq; comites redeamus, qui licet alicubi prædicare probibeantur, non tamen officium facere desinunt, sed Mysiam transeuntes tandem in Aeolidem & eius oppidum Troadem perueniunt, ubiq; nimirum docendi occasionem auidè captantes. Illic uerò oraculo admonitus Paulus sibi in Macedoniam transeundum esse intelligit. Apparet enim illi vir Macedo, quem angelum fuisse nemini dubium esse potest, & patriæ opem ferri postulat. Et hic quidem non pauca cumprimis utilia nobis obseruanda ueniunt. Primum in his Pauli exemplū est, quo docemur, non turpiter cessandum esse ab officio, etiamsi in bona quoq; causa primus & alter conatus non pro voto successerit. Illud enim non rarò prophetis simul & apostolis euenisse legimus, qui tamen uocationem suam in maiori constantia secuti sunt, quò plura ipsis resistere videbantur. Pergant horum exemplo singuli, nec deerit illorum conatibus deus, qui suo loco & tempore occasionem simul agendi & successum felicem dare consueuit. Deinde præclarum diuinæ bonitatis exemplum locus iste proponit, qua fit, ut nescientibus quoq; nobis, adeoq; ne cogitantibus quidem, salutem nostram operetur dominus. Quid enim apud Macedones de Paulo & salutis uia cogitauisse putas, quando aduenientem vix paucas aliquot mulieres audire & sequi dignatæ fuerunt? Ita uerò propheticum illud impletur: Inuentus fui his qui me non quærebāt, & conspicuus factus sum his qui de me non interrogabant. Isa. 65. Quod autem in Macedonibus accidisse Lucas scribit, hoc ipsum in omnibus alijs, quotquot salutem consecuti sunt, & hodie consequuntur, uidere licet. Nam priusquam mundus hic fundaretur, nos in Christo electos esse, Paulus ait. Ephes. 1. Et primus parens Adam, cùm in peccatum prolapsus deum non modò non quæreret, sed etiam fugeret, ipse tamen à deo quæsitus & vocatus, salutis promissionē gratuitam accepit. Gen. 3. Huc quoq; facit, quòd in scripturis homines ouibus cōferuntur, quæ ubi semel à grege deuiarunt, nunquā redeunt, nisi pastoris cura reducantur. At pastor noster Christus est, qui

amissam ouem per valles & montes quærere, & inuentam humeris imponere & gestare solet. Vide Isa.53. Luc.15. Nec in ijs solis, quæ animarum saluti seruiunt, hæc dei cura cernitur, uerumetiã in illis sese exerit, quæ corpori seruando sunt necessaria. Vt enim illud benignè pascit deus, dum ex terra victum largitur: ita angelos nobis custodes dedit, qui circa cultores ipsius castrametentur, & eosdem sedulò defendant. At quia de hoc iam ante dictum est, hæc modò sufficiant. Obseruemus tamen huius doctrinæ vsum, qui in eo potissimum versatur, ut deo grati simus, & inuicta spe atq; fiducia diuini auxilij per omnia aduersa ad tuendam nostram vocationem eluctemur. Præterea euangelij & ministerij euangelici dignitatem exemplum hoc nobis commendat. Primò enim præclarum hoc est, quòd per angelum & diuino oraculo ad docendum Paulus vocatur. Ita Petrus cœlesti visione, vt Cornelio & gentibus prædicaret, admonitus fuit: & Philippum spiritus duxit, ut Aethyopi salutis doctor fieret. Frustra ergo humanum ministerium, vt exile & ignobile, quidam contemnunt, & angelos doctores requirunt, quando angeli nos ad homines audiendos relegant. Quid? quòd Paulus ne angelo quidem credendum esse docet, si quid diuersum ab apostolica doctrina prædicauerit? Galat.1. Deinde ministerij dignitatem angeli verba quoque commendant. Ait enim: Profectus in Macedoniam, succurre nobis. Atqui solius dei est tam corporibus quàm animabus succurrere. Quia verò euangelij verbum potentia dei est ad salutem omni credenti, non temere eius ministri hominibus opem ferre, imò eosdem saluare dicuntur. Et hanc ob causam Abdias de Christi regno vaticinans, apostolos Saluatores vocauit. Arguitur ergo hîc illorum temeritas & impietas, qui ex euangelio turbas & rerumpub. interitus exoriri clamant, cùm certò constet, non posse non ad interitum ruere homines, nisi Christi prædicatione ad salutis viam reuocentur, prophetia dicente: Gens & regnum, quod non seruierit tibi, peribit. Isa.60.

Quid verò Paulus, ubi se diuinitus in Macedoniam, ad homines ignotos, adeoq; in aliam orbis partem, Europam scilicet, vocari audit? Num tergiuersatur & moras nectit, eò quòd antea semel & iterum docere prohibitus esset? Minimè gentium. Imò mox profectionem instituit, & diuinæ vocationi se totum accommodat, tandemq; recto & felici cursu ad Philippos, celeberrimam coloniam, peruenit. Quo exemplo admonemur, absq; dei quidem vocatione nihil temere instituendum, at ubi de illa certi sumus, maturè faciendum esse quod dominus iubet. Adeò enim ille procrastinatores auersatur, ut ne pietatis prætextum patienter ferat, si sub hoc vocationem nostrã negligere velimus, quemadmodum illius exemplo docemur, qui ne patrem quidem sepelire permissus fuit, cùm à Christo ad verbi ministerium vocaretur. Luc.9.cap. Atqui hæc vicissim commodissima ratio est res feliciter agendi, si in dei vocationem respicientes, hanc bona fide & sedulò sectemur. Nam qui suis consilijs freti, ad vanitatem respiciunt (ut Dauides ait) non possunt non grauiter impingere. Faxit deus, vt huius memores, vocationem nostram singuli ornemus, ut officio nostro in terris defuncti, tandem in cœlis uiuamus cum Iesu Christo saluatore nostro: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Pauli transitus in Macedoniã.

HOMILIA CVIII.

Eramus autem in eadem urbe diebus aliquot commorantes, & die sabbatorum egressi sumus ex urbe iuxta flumen, ubi solebat esse precatio, & sedentes loquebamur mulieribus quæ conuenerant. Et quædam mulier, nomine Lydia, purpurarum uenditrix, ciuitatis Thiatirorum, colens eum, audiuit: cuius dominus aperuit cor, ut intenderet his, quæ dicebantur à Paulo. Cùm autem baptizata esset & domus eius, deprecata est, dicens: Si iudicastis me fidelem domino esse, introite in domum meam, & manete. Et adegit nos.

Diuus Paulus à deo per angelum uocatus in Macedoniam trãnsijt, ut illius gentis hominibus euangelium prædicaret. Quo exemplo partim euangelij dignitas asseritur, partim docetur, ex mera gratia nobis salutẽ obtingere. Nam si Macedones spectemus, eadem illorum, quæ & aliarum gentium fuit conditio, quas Paulus alibi potestati tenebrarum subiectas, idololatras, immani peccatorum seruitute oppressas, & proinde à deo alienas fuisse scribit. Accedit nunc, quòd ne cogitan-

tibus quidem de vera salutis ratione deus Paulum doctorem transmittit. Sed quid is Philippis primæ Macedoniæ ciuitate, egerit uideamus.

Paulus Philippis prædicat.

Eramus (inquit Lucas) in eadem urbe diebus aliquot commorantes. Moræ autem huius causa fuit (ut omnes circumstantiæ docent) quòd nulla sese offerret prædicandi occasio, quam apostoli ubiq; venabantur. Quare tandem hanc extra vrbem quærere cœperunt. Egreßi enim ad flumen diebus sabbatorum, mulieribus, quæ illic ex more ad preces publicas conuenire solebant, euangeliũ prædicauêre. EST uerò hoc cumprimis memorabile exemplum, quo docemur, vt deus suorum fidem & constantiam exercere soleat. Nam ut dictum est, per angelum vocatus erat apostolus, qui quaſi communem patriæ totius causam ageret, opem postulauerat. Quare speraret aliquis, Macedones aduenientem Paulum summa alacritate & publica lætitiæ significatione excepturos, iamq; omniũ mentes ad percipiendam euangelij lucem paratas esse. Sed adeò fallit hæc spes, ut in celeberrima & populosißima urbe ne vnus quidem euangelio aures præbeat, nec per dies aliquot multum captata sese offerat prædicandi occasio. Extra vrbem verò solæ mulieres verbum audiunt, sed ita ut ex omnibus illis una tantummodo Lydia, eaq; peregrina, fide donetur. Quis ergo non lusoriam fuisse putaret Pauli vocationem, cuius nullus omnino effectus fore uidebatur? Sed solet deus in sua vocatione ambulantibus multa obijcere, quæ hanc impedire & remorari poßint, vt suorum fidem probet, illos ad constantiam erudiat, & per aduersa quæuis eluctari doceat. Ita Moses ad liberandum populum missus multa sibi obijci sentit, quæ cum dei voluntate siue decreto pugnare uidebantur. Nam angelus domini ob neglectam in filio circumcisionem illi mortem machinatur, & non Pharaonem modò postulationi suæ iniquum, verumetiam Israelitas rebelles & murmuratores habet: iamq; Aegypto egreßis mare occurrit, sic ut ipsa rerum natura aduersus Mosen pugnare videretur. At omnia aduersa vincit fidei constantia & firmum diuina mandata exequendi propositũ. Ita Dauidi ad regni solium uocato immanis Saul hostis insurgit, cuius tyrannide prius patrijs finibus pellitur, quàm ad regni fastigium perueniat. Et multa huius generis quotidie accidunt, quibus fides nostra tentari consueuit. At nostrum est constanti animo pergere, & dei opem firma spe expectare, nec illum vel promißionibus suis vel nostris conatibus defuturum sentiemus.

Lydia conuersionis ueræ exemplum.

Porrò memorabile conuersionis exemplum in Lydia proponitur, quod propter multiplicem doctrinam per singulas circumstantias Euangelista diligentißimè describit. Et quidem à personæ descriptione exorsus mulierem fuisse ait, vt eius sexus admoneat, per quem peccatum in mundum introiuit. Conditione autem purpurarum uenditrix fuit, & mercaturã exercuit, quæ fastui potius & superbiæ, quàm neceßitati hominum, inseruiebat: ut iam de auaritia, imposturis, dolis & alijs vitijs, quibus ferè istud hominum genus laborat, nihil dicamus. Adhæc peregrina erat, ex Thyatyrenorum (quæ Lydiæ urbs est) oriunda. Cõmemorantur hæc, ut discamus, deum nullius ordinis aut conditionis homines negligere, sed ex omni ordine eos gratia & fauore suo complecti, qui ad ipsum conuerti cupiunt. Docent idem infinita alia huius generis exempla. Nam Christus alibi cum meretricibus de salutis ratione disserit. Iohan. 4. Luc. 7. Alibi publicanis ad cœlorum regnum uiam aperit. Matth. 9. Luc. 19. Idem nec pharisæorum ordinem fastidit, quando Nicodemum noctu in colloquium admittit, & eundem amicißimè instituit. Quid, quòd Centurionem, qui ipsius supplicio præerat sui cognitione illustrauit? Matth. 27. Vsus horum est, ne propter vitæ genus, quod aliquando secuti sumus, de dei gratia desperemus, quãdo nemini non salutis ianuam patere constat, qui non ficato illius amore ardet. Elucet præterea in hoc exemplo dei consilium, qui filij sui regnum paruis initijs prouehit. Lydiam enim eius ecclesiæ primitias esse vult, cuius fidem postea Paulus satis commendare nequit. Ita Christus ex piscatorum & publicanorum ordine primos discipulos elegit. Ne temere fieri putemus, quòd Christi regnum in terris, quoad externã speciem, humile, vile & contemptum est. Inde enim colligitur, illud non esse de hoc mundo, nec ea quæ mundi sunt in hoc quærenda esse. Patet item ijs, qui Christi consortes esse cupiunt, non in carnis prudentia, nobilitate, splendore aut alijs eius generis rebus, sed in solo domino esse gloriandũ, ut multis Paulus in priori ad Corinth. epist. Cap. 1. docuit. Habes hîc quod ijs respondeas, qui euangelij doctrinã & fidẽ eo nomine proscindunt, quòd non nisi infimæ sortis homines & ignobile vulgus illã amplecti soleant: eodem nimirum argumento utentes, quo Pharisæi olim & scribæ aduersus seruos suos, qui Christi doctrinam commendabant

mendabant, usi sunt. Iohan. 7. Quin potius ipsum Christum audiunt dicentem: Gratias ago tibi pater, quòd absconderis hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelaris ea paruulis. Certè pater, sic fuit bona uoluntas apud te. Matth. 11. Luc. 10.

Conuersionis modus et ordo.

Cæterum post descriptam Lydiæ personam, modum & ordinem conuersionis ipsius commemorat. In quo primum locum habet, quòd religiosa & dei timens fuisse dicitur: nimirum ut multi alij inter gentes & Iudæos, qui tamen ueram religionis & salutis rationem ignorabant, eoq; acrius ueritati resistebant quò maiori zelo suas superstitiones defendebant. Interim necesse hoc est in salutis causa, ut animi à dei timore non alieni, sed ad ueritatem amplectendam procliues, adeoq; ueræ religionis appetentes sint. Nisi enim terra bona fuerit, uerbi semen in illa germinare nequaquam poterit. Luc. 8. capite. Atqui non ita hoc accipiendum est, quasi ex nobis ipsis sit hæc animorum promptitudo siue facilitas. Ex nobis ipsis enim ne ad cogitandum quidem idonei sumus, & cordis humani figmenta ab ineunte ætate praua esse, ipse deus testis est. Dei ergo opus & donum est, si ad religionis & ueritatis studium homines propensi sint, à quo aliâs ob ingenitam sibi corruptionem totis animis abhorrent. Deinde Paulum docentem audiuit Lydia. Eo igitur medio & organo utitur, quo deus fidem dare & excitare consueuit. Hæc siquidem ex auditu est, auditus autem per uerbum dei. Rom. 10. Huic ergo eos studere necesse est, quicunq; in salutis cognitione proficere uolunt, nec audiendi sunt, qui nouas quasdam reuelationes expectant. In scripturis enim nobis loquitur deus, quas qui audire dedignantur, ferè diabolo prædæ sunt, qui præstigiosis & lusorijs reuelationibus miserè deceptos seducit. Postremò dominus Lydiæ cor aperuisse dicitur, ut ijs animum intenderet, quæ à Paulo dicebantur. Nisi enim id fiat, frustra uerbum uel prædicatur uel auditur, de quo quia iam sæpe dictum est, pluribus agere in præsenti minimè necessarium uidetur. Quòd si quis interroget, cur non aliorũ quoq; corda aperuerit deus, illi cum Paulo respondemus: Atqui ô homo, tu quis es, qui ex aduerso respondes deo? Quis prior dedit deo, & reddetur ei? Arcana enim dei consilia nos non curiosius scrutari, sed in illis immensam eius bonitatem, iustitiam, ueritatem & sapientiam admirari conuenit. Nostrum est, ex hoc loco ueræ conuersionis ordinem agnoscere, qui in tribus hisce potissimum consistit, ut animos religionis sensu imbutos habeamus, ut uerbum audiamus, & ut dei spiritu illuminemur.

Conuersionis & fidei ueræ effectus.

Restat ut ueræ fidei effectus consyderemus, qui in Lydia sese exeruerunt. Primùm ipsa baptizatur iuxta Christi præceptum & morem ecclesiæ traditum. Comprehendit hoc fidei confessionem, qua & pristinæ superstitioni ualedicit, & Christo nomẽ dat, inter ecclesiæ ipsius membra censeri uolens. Simul uerò exemplo hoc admonemur, sanctos sacramenta nequaquam contemnere, sed ijs religiosè uti, tum quòd ea à Christo instituta esse intelligunt, tum quòd his salutis beneficium, cuius nobis author Christus est, obsignari gaudent. AT non contenta suo baptismo Lydia, domum quoq; suam & omnem familiam baptizari curat. Est enim hoc proprium fidelibus omnibus, quòd unà secum omnes homines salutis consortes fieri cupiunt, maximè uerò eos, quos sibi diuinitus commissos esse norunt. Nec id priuato affectu faciunt, sed dei præceptum sequuntur, cuius hæc perpetua uoluntas est, ut nostros omnes illi consecremus. Ita Abraham non seipsum modò, sed omnes in sua familia mares ex dei mandato circumcidit. Et in lege patribusfamiliâs mandatur, ut in dei præceptis suos erudire satagant. Vide Deute. 6. Psal. 78. Et quod illis mandatum fuit, hoc ipsum ad se quoq; pertinere magistratus putent, & in hoc incumbant, ut sublatis superstitionibus ueræ religionis studium in populo floreat: quod sanctißimos reges, Dauidem, Asam, Iosaphat, Ezechiam, Iosiam & horum similes, diligenter fecisse legimus. Et sanè manifesta impietatis nota non caret, si quis ita in alios imperiũ obtinere uelit, ut deum suo iure, quo omnes homines sibi uendicat, spoliet. Postremò apostolos domum suam inuitat Lydia, & illis hospitium offert, idq; seriò. Si (inquit) iudicauistis me fidelem domino esse, introite in domum meam, & manete. Quæ uerba obtestationis uim habent, adeò ut oblatum beneficium apostoli respuere non possent, nisi simul illam damnarent & Christiano nomine indignam censerent. Quanquam principiò domum illius subire ciuiliter renuant, tum ne (quod impostores solent) muliercularum simplicitate abuti, & illarum fortunis insidiari uiderentur, tum quòd neminem grauare unquam Paulus uoluerit, sicuti non semel testatur. 1. Corinth. 9. 2. Thess. 3. Cæterum inuitatione sua fidem charitate flagrantem & intrepida animi constantia munitam Lydia prodit.

Charitatis enim est, quòd eos excipere & alere cupit, à quibus illa salutis doctrinam hauserat. Rursum fortis animi indicium est, quòd peregrina noua fidei & religionis doctores in domum suam recipit, id quod sine periculo fieri non posse, facilè intelligebat. Sed illud fidei ingenium est, ut nec fortunis nec corpori timeat, modò Christi gloria propagari possit. Inspiciant quæso mulieris huius exemplum, qui hodie fidem iactitant, & mox uidebunt, quàm procul à fidei ingenio absint. Oremus itaque dominum, ut nostrum omnium corda aperire dignetur, ut uera fide instructi, Christum tota uita referamus, & cum eodem in cælis uiuamus: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas. Amen.

HOMILIA CIX.

Accidit autem euntibus nobis ad precationem, ut puella quædam habens spiritum Pythonis occurreret nobis, quæ quæstum magnum præstabat dominis suis diuinando. Hæc subsecuta Paulum ac nos, clamabat dicens: Isti homines serui dei excelsissimi sunt, qui annunciant nobis uiam salutis. Hoc autem faciebat multis diebus. Paulus autē ægrè ferens, & conuersus spiritui dixit: Præcipio tibi in nomine Iesu Christi, ut exeas ab ea. Et exijt eadem hora.

QVàmuis dei filius, Iesus Christus, mortis suæ merito diaboli regnum ita euerterit, ut nullæ huic contra ipsum uires sint reliquæ: non cessat tamen is pro ueteri suo ingenio Christi regnum oppugnare, & quemadmodum hic nihil eorum intermisit, quæ ad humani generis redemptionem faciebant, ita uicissim nihil intentatum relinquit satan, ut homines à Christo saluatore & salutis uia abstrahat. Exemplum huius rei cumprimis euidens in præsenti historia proponitur. Postquam enim ad Philippenses Paulus uenit, illius prædicatione ad fidem conuersa Lydia, purpurarum uenditrix, præclaros fidei fructus edere cœpit. Nam gratitudinis officium apostolis exoluens, illos domum suam inuitat & hospitio excipit, Qua occasione fit, ut officio suo strenuè fungentes apostoli, quotidie alios quoque discipulos lucrifaciant, sicque ecclesia colligi incipiat, quemadmodum in fine capitis patebit. Id uerò intolerabile putans satan, primis regni Christi initijs resistere tentat: & primò quidem dolo malo & insidiosis blanditijs rem aggreditur, mox uerò (ubi primus conatus non successit) aperta ui apostolos oppugnat, & tandem urbe eijcit. In præsenti tamen primum duntaxat congressum uidebimus.

Puella Pythonica, diaboli organum.

Orditur autem historiam Lucas ab eius personæ descriptione, cuius opera in hoc certamine satan usus est. Fuit hæc puella, Pythonis spiritu afflata, quæ diuinando quæstum magnum faciebat dominis suis. Porro Pythonis spiritum Apollinis numen esse gentiles credebant, cui ex Pythone serpente, ipsius sagittis confecto, nomen istud obuenisse, poetæ fabulantur. Apollinem uerò uaticinijs præfuisse notius est, quàm ut multis demonstrari oporteat. Celebrantur enim ubique Delphi, Clarus, Delus & infinita alia eius generis loca, in quibus sub Apollinis nomine satan olim oracula edidit. Idem priuatas quoque personas afflare solebat, ut subito furore correpti, ambiguas uoces ederent, quas superstitiosi homines pro fide dignis uaticinijs amplectebantur. Et eò tandem deuentum est, ut stulti homines nihil, nisi uatibus istis consultis, sibi tentandum esse putarent, & ad illorum oracula in quauis necessitate concurrerent. Quare fieri non potuit, quin ex ea re ingens quæstus colligeretur, cum ea sit humani ingenij natura, ut nos nullius uel laboris uel sumptus pigeat, in ijs rebus, quæ curiositati nostræ aliqua ex parte satisfacere uidentur. Et eius quidem generis organum apud Philippenses ueritatis doctoribus satan opponit, ut illos uel cordatioribus suspectos, uel imperito et rudi uulgo inuisos reddat. Interim obseruandum uenit, quibus armis regnum inter homines affectet satan: mendacijs nimirum, et curiosis siue fatidicis artibus, quibus prophetiæ spiritum imitatur, ut ea occasione à dei uerbo homines abstrahat, quæ nobis unica debebat esse in rebus agendis regula. Harū artium professores in Aegypto Magi fuerunt, quos Mosi restitisse historia sacra docet. Exod. 7. 8. &c. Inter hos Balaam quoque censeri meretur, quàmuis ueritatis studium egregiè simulet. Tales fuerunt inter Chananæos multi & uarij uates, quos excindere lex diuina iubet. Ad quem ordinem referri debent

augures, aruspices, somniorum interpretes, genethliaci, astrologi, necromantæ, geomantæ, hydromantæ & infiniti alij, quorum consilia & dictata apud reges quoq; & magistratus in regnorum & rerumpub. administratione summam authoritatem habuerunt. Et sanè si rem probè expendamus uix alia in re regni sui uires potentius satan exercuit, quàm oraculorum uanitate, qua totum terrarum orbem seculis aliquot dementauit. Et hodie uates quosdam frequenter excitat, qui uel futurorum cognitionem sibiipsis uendicant, uel incantationum præstigijs morbos pellere & alia quædam humanis uiribus impossibilia conficere tentant. At quærat aliquis, cur hæc fieri olim deus permiserit, & hodie permittat? Sed in promptu causa est. Quia enim gentes olim dei reuelationibus non contenti, humani ingenij acumine diuinæ maiestatis mysteria inuestigare conati sunt, meruit illorũ audacia, ut in reprobum sensum traditi, diabolicis dolis & imposturis miserè seducerentur. Vide Rom. 1. Idẽ nouissimo tempore euenturum esse Paulus monuit, quando Antichristo in eos duntaxat ius fore dicit, qui ueritatem diuinitus oblatam amplecti noluerint. 2. Thess. 2. Quòd si Philippenses inspicias, dignos fuisse deprehendes, quos diaboli furijs agitata puella seduceret. Tanta enim in hanc illorum fuit liberalitas, ut haud uulgarem inde quæstũ haberent puellæ domini. At ijdem apostolos Christi ita negligunt, ut hospicio illi caruissent, nisi Lydia, quæ & ipsa peregrina erat, illos in domum suam recepisset. Eadem nostri seculi ingratitudo est & peruersitas. Nolunt enim ueritatis lucem amplecti homines, & qui in mutas imagines, in impostores sacrificulos, in exorcistas & incantatores, in diuinos & hariolos, ingentes sumptus faciunt, ijs nimium uidetur, quicquid in ueritatis doctrinam insumitur. Digni ergo sunt, qui satanæ præda fiant, cuius dolo tũ fortunas suas diripi, tum corpora quoq; diuexari sentiant. Discamus itaq; dei legem audire, quæ ab omnibus huius generis impostoribus cauendum esse docet, & unius uerbi dei studium præcipit. Vide Deute. 18. Leuit. 20. Isa. 8. Hoc qui facere negligunt, Saulis exemplo discant, quid ipsos sperare oporteat. Vide 1. Sam. 28.

Sed postulat tempus, ut quid per puellam hanc egerit satan, uideamus. Hæc apostolos, ex more ad precationem euntes, subsecuta, illis acclamabat dicens: Isti homines serui dei excelsissimi sunt, qui annunciant nobis uiam salutis. Quid (inquis) audio? Hæc ne diaboli, apostolos oppugnãtis, uox est? Maximè. Atqui maiori elogio illos ornare non poterat, quando illos dei seruos & salutis præcones esse fatetur. Cæterum non tam uerba, quàm mentem & institutum diaboli, cuius suggestione hæc dicuntur, inspicere conuenit. Ita enim deprehendes, illum Christo tunc maximè insidiari, quando illius causam tueri uidetur. Et in præsenti apostolorum doctrinæ testimonium fert, ut illã apud cordatos omnes (maximè si qui ex Iudæis aderant) suspectã reddat. Nouit enim satan, se apud omnes homines mendacem haberi. Eo igitur nomine apostolos dei seruos & salutis nuncios esse clamat, ut omnibus cordatis suspecti fiant. Deinde hoc etiam quærit, ut si qui apostolis credant, ipsius simul responsis fidem habeant, quibus apostolorum doctrinam cõmendari audiuerint. At fidem Christi consistere impossibile est, ubi aliquid diabolo tribuitur, cuius destruendi causa Christus in mundum uenit. Sub Christi igitur prætextu subrepere conatur, ut paulatim à Christo rursum abstrahat, si qui huic credere incipiant. Adhæc ambitione & inani gloriæ cupiditate apostolorum animos titillare uoluit, ut hac incensi, dei gloriam negligant. Vides ergo quantum ueneni sub honorificæ istius et sanctæ acclamationis prætextu lateat? Hoc ipso proposito illum Christo etiam blanditũ fuisse, & testimonium tulisse, legimus. Mar. 1. Luc. 4. Obseruemus aũt hoc loco ingeniũ satanæ, qui ueritatis odium mirificè dissimulare, & in lucis angelum sese transformare nouit. Suspecta ergo nobis sint quæcunq; ab illo proueniunt. Nec etiam ipsius organis credamus, quantùmuis grauiter simul & magnificè sanctos dei cultores commendent, & sacra uerba plenis buccis resonent. Seruit itaq; ijs refutandis locus hic, qui nos Papatui absq; iusta causa tam iniquos esse dicunt, cum in hoc Christi nomen prædicetur, sanctorum laudes celebrentur, scripturæ sacræ lectiones in quotidiano usu sint, nec quicquam absq; diuini nominis inuocatione instituatur. Sed ignorant isti homines, Antichristi sedem in ipsa ecclesia esse debere, nec illud Christi expendunt: Non omnis, qui dicit mihi, domine domine, &c. Matth. 7. Quòd si rem penitius inspiciamus, sub religionis & ecclesiæ Christianæ prætextu & uenerando Christi nomine, illos non aliud quærere patebit, quàm ut humanis traditionibus fidem facientes, suam tyrannidem stabiliant. Confutantur præterea hoc loco, qui exorcistis & incantatoribus, siue diuinaculis, patrocinantur, quòd ab illis tremenda dei nomina inuocari, & grauissimas scri-

Satan ueritati fert testimonium.

pturæ ſententias demurmurari audiunt. Atqui id mirum non eſt, quando aduerſus Chriſtum dominum ſcripturas allegare diabolus auſus fuit. Imò eò grauius ab illis peccatur, quòd impietati ſuæ dei nomen prætexant, cuius abuſum & prophanationem ille impunitam abire non ſinit.

Satan per Christi nomen eijcitur.

Porrò quid de omnibus iſtis ſentiendum ſit, Pauli exemplum præſens docet. Is enim puellam ipſis uera acclamantem fert quidem ad tempus, nimirum ſpiritus ſuggeſtionem expectans, ne quid cæco & præcipiti affectu peccaret: tandem uerò ſancta indignatione & zelo inflammatus, clamantem increpat, & ſpiritum malignum Chriſti nomine eijcit. Quod exemplum quàmuis omnium institutioni ſeruiat, imprimis tamen uerbi miniſtros officij ſui admonet, quibus ueritatis ſtudium ita commendatum eſſe debet, ut nihil ferant quod huic aliqua ex parte derogare queat, etiamſi cum ipſorum laude & gloria coniunctum ſit. Nam (ut ſupra monuimus) ſolet blanditijs eos aggredi ſatan, quos alioqui inuictos eſſe nouit. Quæ cauſa eſt, quòd Chriſtus malignos ſpiritus loqui uetuit, ne illorum teſtimonijs uoluit commendari. Quare uehementer errant, qui cum ijs colludunt, quos à ueritate alieniſsimos eſſe conſtat. Occultant illi interdum uirus ſuum, ſed eò grauius nocent, quò magis blandiuntur. Chriſtiani hominis eſt neminem amicum habere, quem Chriſti inimicum & Chriſtianæ doctrinæ impatientem eſſe nouerit. Cæterum cumprimis memorabile eſt, quòd Chriſtum Ieſum diabolo opponit Paulus, & quòd is cedere cogitur, ut primùm Chriſti nomen enunciari audiuit. Eſt hoc irrefragabile potentiæ Chriſti argumentum. Nemo enim poteſt domum potentis alicuius ingredi, & illius uaſa diripere, niſi prius illum deuictum conſtrinxerit. At Chriſtus Ieſus in mundum ueniens, huius principem diabolum ita deuicit, ut is audito duntaxat Chriſti nomine, poſſeſsionem ſuam relinquere, & Chriſto in hominibus locum dare coactus fuerit. Longè maiorem ergo Chriſti quàm diaboli potentiam eſſe, fateamur oportet. Et hinc nos in tentationibus conſolationem petere conuenit, ne illum timeamus, cuius adeò nulla eſt aduerſus Chriſtum, cui nos per fidem inſiti ſumus, potentia. Rurſum admonemur hoc loco nihil prorſus Chriſto cum diabolo commune eſſe, cum ne teſtimonium quidem, quātumuis honorificum, ab illo accipere dignetur. Quæ enim inter hos communio eſſe poterit, cum iuxta primam promiſsionem ideo in mundum Chriſtus uenerit, ut diaboli caput conterat, & illius opera deſtruat? Gene. 3. 1. Iohan. 3. Hoc ipſum uerò officij quoq; Chriſtianos admonet, ne quid ipſi cum diabolo commune habeant. Nec enim par eſt, ut cum diabolo colludant aliqua in re, quicunq; Chriſto ſemel nomen dederunt. Fugiant ergo fatidicas artes, quas ſatanæ calliditas & improba hominum curioſitas excogitauit. Fugiant incantationum præſtigia, quibus ille uel in morbis uel in alijs afflictionibus auxilium pollicetur. Fugiant falſos & prophanos cultus, ſuperſtitionem, idololatriam, & quæcunq; à deo abſtrahunt. Exoſam habeant peccati tyrannidē, qua libertas à Chriſto nobis parta euertitur. Vigilent deniq; & reſiſtant diabolo conſtantes in fide, & recedet ab ipſis: unde fiet, ut illius imperio excuſſo, uitam deo probatam ducere, & olim in cælis uiuere ac regnare poſsint cum Ieſu Chriſto, domino & ſaluatore noſtro: cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA CX.

Videntes autem domini eius, quòd abijſſet ſpes quæſtus ſui, apprehenſum Paulum & Silam traxerunt in forum ad principes, & offerentes eos magiſtratibus, dixerunt: Iſti homines conturbant ciuitatem noſtram, cum ſint Iudæi: & annunciant inſtituta, quæ non licet nobis ſuſcipere, neque ſeruare, cum ſimus Romani. Et concurrit turba aduerſus eos: & magiſtratus ſciſsis ueſtibus eorum, iuſſerunt uirgis cædi. Cumq; multas plagas eis impoſuiſſent, coniecerunt eos in carcerem, præcipientes cuſtodi carceris, ut diligenter cuſtodiret eos. Qui cum tale præceptum accepiſſet, coniecit eos in carcerem interiorem, & pedes eorum ſtrinxit ligno.

QVemadmodum dei filio, Ieſu Chriſto, in terris agenti & euangelium prædicanti, diabolus partim blanditijs & dolis, partim uerò aperta ui ſeſe oppoſuit: ita ijſdē armis aduerſus apoſtolos

stolos Christi idem ille pugnauit olim, & hodie etiam pugnat. Est id in præsenti historia uidere. Nã Paulo apud Philippenses prædicanti puellam Pythonis spiritu afflatam obijcit, per quam illi præclarum defert ueritatis testimonium, ut hac ratione euangelij doctrinam cordatis quibusuis suspectam reddat, & sibi apud Christianæ fidei professores locum aliquem reliquum faciat. Sed facilè animaduertit dolum Paulus apostolus, & Christi nomine adiuratum spiritum è puella discedere cogit, simul suo exemplo docens nec ipsi Christo nec Christi cultoribus quicquam cum diabolo commune esse debere, cum ideo in mundum hunc Christus uenerit, ut diaboli opera dissoluat. At non propter reiectationem suam diabolus deserit: quin potius ubi se blanditijs nihil efficere uidet, in furorem conuersus, per puellæ dominos apertas cum Paulo inimicitias exercet, eoq; rem deducit, ut primò quidem uirgis cæsi apostoli in publicos carceres abripiantur, mox autem urbe eijciantur. Estq; singulari consyderatione dignus locus hic, ut qui communis hostis nostri dolos & conatus omnes, ceu in speculo inspiciendos, nobis proponit.

Ante omnia uerò causam indicat Lucas, quæ puellæ huius dominos aduersus apostolos extimulauit. Viderunt (inquit) eiecto Pythonis spiritu, spem quæstus sui intercidisse. Auaritia ergo præcipua huius mali causa fuit, quæ non oculos modò perstrinxit, ut ueritatem uidere non possent, uerumetiam ita illos exacerbauit, ut illam hostiliter persequerentur. Estq; hoc memorabile exemplũ, quo docemur quàm magna quamq; noxia auaritiæ pestis sit. Paulus illam omnium malorum radicem uocat. 1. Tim. 6. Et auaro nihil sceleratius esse, alibi scriptura docet. Ecclesiastici 10. Extant præterea paßim exempla, quæ per auaritiam iura corrumpi, bonos mores uitiari, uirginum & matronarum pudicitiam expugnari, amicitias dissolui, deniq; respub. florentißimas euerti probant. At nusquam euidentius, quàm in religionis causa, huius mali uis cernitur. Auaritia enim animum hominis à deo reuocans, idololatras reddit eos, qui in uno deo spem & fiduciam omnem repositam habere debebant. Nam ubi thesaurus noster est, ibi quoq; est cor nostrum. Matth. 6. Auari uerò thesaurus in opibus & pecuniarum aceruis est. Iisdem ergo animum quoq; auari addictũ esse oportet. Vnde constat religionem omnino nullam esse posse, ubicunq; auaritia imperium obtinet. Quæ causa est, quòd hanc Paulus idololatriam nominare non dubitauit. Colos. 3. Ephes. 5. Quòd si uerò religionis nomen auari iactant, illam quoq; sibi quæstum faciunt, eoq; turpius peccant, quo sanctiori cupiditatis suæ prætextu utuntur. Ita Iudæorum sacerdotum auaritia factum est, ut templum domini emporiũ fieret, & sub longæ precationis prætextu domus uiduarum & pupillorum deuorarentur. Et apostolus nouißimorum temporum seductoribus hoc maximè tribuit, quòd abnegato domino, qui ipsos redemit, ex illius membris quæstũ capturi sint. 2. Pet. 2. Quod oraculũ, si ad nostri seculi mores transferas, Petrum rem acu tetigisse fateberis, quando iam seculis aliquot in Papatu omnia sacra uenalia fuerunt. Imò huic uni causæ tot hominum traditiones, tot monachorum ordines, tot ceremoniarũ Chaos, exequias, & quæcunq; alia huius generis sunt, debemus. Sed accedit omnibus istis longè grauißimũ, quòd eadem auaritia Veritatis impatientes, adeoq; hostes Veritatis homines reddit. Nam ut multa alia ferre poßint auari, quæstum tamen suum minui ferre non possunt, imò toti furiunt, ut primùm huius materiam subtraxeris. Inde ergo impiæ aduersus ueritatem consultationes, proditiones, turbæ & omnis generis persecutiones exoriri solent. Exempla, quibus hoc probetur, paßim sunt obuia. Auaritia excæcatus Caiaphas, Christum occidendũ esse decernit. Iohan. 11. Eundem auaritia extimulatus Iudas prodidit. Iohã. 12. Et Pythonicæ puellæ domini non aliam ob causam apostolos sublatos uolunt, quàm quòd horũ doctrina quæstui ipsorum officeret. Possunt ferre ad Christũ conuersam esse Lydiam, in huius domo diuersari apostolos, eosdem ad flumen congregatis cœtibus prædicare, & nouos quotidie Christo discipulos adducere. Sed quæstũ suum euerti, ferre non possunt. Simile quid paulò post in Demetrio apud Ephesios uidebimus. At quid ueteribus exemplis cõmemorandis immoramur, quando nostro seculo sola auaritia ueritatis cursum maximè impedit? Quæstus cupiditate excæcati antistites, reformationẽ omnem fugiunt. Eadem principes Antichristo deuincit & nobiles uiros, cum ecclesiasticis opibus multos generis sui nobilitatem & splendorem tueri posse uideant, qui alioqui ad ignobile uulgus & mechanicas artes relegandi essent. Hæc ipsa causa mercatores, publicanos, milites, deniq; omnis loci & ordinis homines euãgelio iniquos reddit, eò quòd hoc admisso ditescendi studium, quo hodie pleriq; occupantur, subsistere non posse uident. Quid uerò de

Auaritia ferè Christi hostes exagitat.

euangelicis dicemus? Nónne etiam isti ad hunc scopulum maximè impingunt, dum sub euangelij prætextu opes & honores uenantur? Quæ spes si ipsos fallat, manifesti ueritatis hostes fiunt, eodem nimirum animo præditi, cuius exemplum supra in Simone Mago uidimus. Fugiamus ergo immanissimam pestem, & nostra sorte contenti, nihil antiquius ducamus euangélicæ ueritatis cognitione, quæ sola æternæ salutis consortes reddere potest.

Apostoli accusantur seditionis & seductionis.

Cæterũ ad Pythonissæ dominos reuersi, quid aduersus apostolos egerint, uideamus. Primò Paulum & Silam, quasi totius negotij duces, comprehendunt: comprehensos in forum trahunt ad ciuitatis proceres: inde eos τοῖς στρατηγοῖς, *id est, militum præfectis (qui à Romanis præsidij loco impositi fuisse uidentur) offerunt. Accusationem uerò instituunt amarulentam simul & artificiosam. Isti homines (inquiunt) conturbant ciuitatem nostram, cum sint Iudæi: & annunciant instituta, quæ non licet nobis suscipere neq; seruare, cum simus Romani. Duo igitur atrocissima crimina obijciunt, seditiosam ciuitatis conturbationem, & seducendi populi studium. Posterius autem per Romanas leges amplificant, quibus noui cultus prohibebantur, nec cuiquam deum aliquem nouum colere licebat, priusquam illum Senatus pro deo haberi censuisset, quod ipsum uetustissimus ecclesiæ scriptor Tertullianus adnotauit. Adhæc utrunq; crimen personarum circumstantijs exaggerant. Se enim Romanos esse gloriantur, & proinde dignos qui defendantur, ut ipsis tutò secundum leges Romanas uiuere liceat: apostolos autem odiosè Iudæos nominant, eò quòd Iudæorum nomen omnibus exosum & inuisum esset, adeò ut Claudio regnante omnes Roma & Italia decedere coacti fuerint. Et sanè indignum uideri poterat, homines Iudæos, tantumnon publica infamia notatos, Romanis ciuibus, qui tamen orbis totius domini habebantur, iura legesq; præscribere: tantæq; authoritatis fuit ista accusatio, ut totus populus aduersus apostolos, tanquam ad commune incendium restinguendum, concurreret. Obseruabis autem hoc loco, quæ hostium ueritatis artes sint. Priuati commodi & quæstus cupiditate hos inflammatos fuisse audiuimus. At quia turpe fuisset, propter paucos totam ciuitatem conturbari, miro artificio ex priuata causa publicam faciunt, perinde agentes, ac si publicæ salutis studio causam hanc agendam susceperint. Ita Caiaphã rhetoricari audimus, quando contra Christum consultantibus scribis, ait: Expedit nobis, ut unus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat. Et hodie nihil tam uulgare est, quàm quòd publicæ salutis studium priuatis suis affectibus prætexunt, qui ueritatis doctrinam explosam uellent. Habent autem artificium hoc à capite suo, diabolo, quem à primo rerum exordio hoc ipso callidissimè usum fuisse legimus. Nónne enim primos parentes ad transgressionem sollicitaturus, ita causam suam proponit, ut nihil sibijpsi quærere, sed pro horum salute solicitus uideri possit? Idem cum Christo disputationem instituens, uideri uult hoc quærere, ut Christus miraculosè suam diuinitatem mundo patefaciat, nec diutius suspensam teneat totius mundi expectationem. Huc enim faciunt, quæ de lapidibus in panes conuertendis, & de præcipitio è pinna templi suggerit. Occurrunt passim huius generis exempla, quorum hic præcipuus usus est, ne subdolis tum ipsius diaboli tum membrorum ipsius artibus nos circumueniri & falli patiamur. Admonet præterea locus hic, quorum criminum ferè in mundo Veritas accusari soleat. Nimirum quòd respub. turbet, & nouis falsisq; religionibus imperitũ & rude uulgus seducat. Hinc est quòd huius doctores siue ministri pro seditiosis & seductoribus uel impostoribus habentur. Audiunt hoc à Pharaone tyranno fidelissimi dei serui, Moses & Aaron. His enim populi libertatem flagitantibus ille respondet: Tu Moses & Aaron, cur abstrahitis populum ab operibus suis? Hoc ipsum multò amarulentius Eliæ prophetæ impius Achab obijcit, dicens: Annon tu es ille, qui conturbat Israelem? Grauius adhuc est, quòd Amos prophetam apud Ieroboamum regem Amasias sacerdos accusat his uerbis: Amos coniurationem fecit contra te in medio domus Israelis, nec poterit terra sermones eius omnes ferre. Quid quòd Ieremiam proditionis & defectionis ad hostes Assyrios impij Sedechiæ regis aulici accusant? & eundem unicum publicarum calamitatum & ipsius excidij authorem esse clamant? Atqui mira hæc non sunt, quando hæc ipsa accusationis contra Christum institutæ capita fuerunt. Pilato enim dicũt sacerdotes: Hunc deprehendimus euertentem gentem, ac uetantem tributa dare Cæsari, dicentem se Christum regem esse. Item: Si hunc absolueris, non es amicus Cæsaris: Quicunq; se regem facit, contradicit Cæsari. Grauia sunt hæc, & enormem mundi improbitatem & impudentiam arguunt. Tolerabilia tamen*

Apol. Cap. 5.

uideri

uideri possunt, si cum ijs, quæ nostro seculo fiunt, conferantur. Dixerunt hæc olim, qui ex professo prophetarum & apostolorum hostes erant, quiq; Christum saluatorem ignorabant. At hodie, qui Christiani esse & haberi uolunt, qui ecclesiæ Christi supremam administrationem sibi uendicant, qui deniq; se ecclesiæ nutritios, pastores & tutores esse profitentur: Christi & euangelij ministros persequi solent, & eam doctrinam nouam, seditiosam & seductoriam esse dicũt, quæ iuxta ueteris, & noui Testamenti scripturas in uno Iesu Christo omnem salutis rationem monstrat, quæ sacramentorum legitimum usum docet, quæ innocẽtiam & uitæ puritatem tradit, quæ charitatis officia instituit, quæ inimicos diligere iubet, quæ magistratibus sua iura suasq; leges liberas permittit, quæ Cæsari quæ Cæsaris sunt, & deo quæ dei sunt exoluere iubet, quæ publicæ pacis studium unicè cõmendat, & quantum in nobis est, nos cum omnibus hominibus pacẽ tueri præcipit. Quis igitur nõ exclamet, O mores, ô tempora? Agnoscamus ergo mundi cæcitatem, nec unius aßis æstimemus calumnias, quibus salutarem euangelij doctrinam suspectam reddere & infamare studet.

Restat, ut Philippensis magistratus iudicium de præsenti causa consyderemus. Quid uerò iudicium dico, cùm absq; omni iudicio, immani furore in apostolos debacchati sint? Mox enim ipsi illorũ uestes dilacerant, quasi sceleris ministri desint. Deinde insontes, indicta causa, uirgis cædere iubent. Apostoli cæsi incarcerantur. *Et postquàm multis plagis miserè mulctati sunt, demum in carcerem conijciunt, simulq; mandant, ut singulari cura custodiantur, quasi præ alijs facinorosis maiori supplicio digni sint. Quæ causa fuit, ut in interiorem carcerem coniectis pedes cippo astringerentur. Quid uerò indignius, quid iniquius ab ijs, qui magistratu funguntur, fieri poterat? Peccat, qui reo sese excusandi copiam denegat. At isti insuper uirgis cædunt homines peregrinos, & cæsos demum custodiæ tradunt, ut ipsorum causam postea cognoscant. Furoris huius causa fuit, quòd calumnijs sibi bilem cõmoueri paßi sunt. Caueant ergo pestem hanc, quicunque iudicijs præsunt, sibiq; duas aures ideò datas esse meminerint, ut altera quidem actori, altera autem reo pateat. Cogitent deniq; deum iudiciorum præsidem esse, cui ipsi quoq; aliquando rationem reddituri sint. Interim admonemur, quæ piorum in hoc mundo sors sit. Licet in hoc tutò uiuere hominibus palàm flagitiosis & sceleratißimis. Soli pij, omnibus ferè exosi, persecutionem sustinent, & cùm malefaciant nemini, benefaciant uerò omnibus, peßimam in mundo gratiam ineunt. Beneficium summum erat, dæmonis imperio liberauisse puellam. At pro beneficio tanquam publici ciuitatis hostes uirgis & carcere mulctantur. Exempla huius generis hodie paßim extant. At quia hæc nobis euentura esse olim Christus prædixit, nostrum est non offendi, sed constanti fide & inuicta patientia ad propositam nobis metam contendere, ut promissum nobis brauium asequamur in Christo Iesu: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.*

HOMILIA CXI.

Media autem nocte Paulus & Silas orantes laudabant deum. Exaudiebant autem eos qui uincti erant. Subitò uerò terræmotus factus est magnus, ita ut concuterentur fundamenta carceris. Et statim aperta sunt omnia ostia, & omnium uincula soluta sunt. Experrectus autem custos carceris, cùm uideret ianuas carceris apertas, euaginato gladio seipsum erat interfecturus, existimans aufugisse uinctos. Clamauit autem Paulus uoce magna, dicens: Ne quid feceris tibijpsi mali: uniuersi enim hìc sumus. Postulatoq; lumine irrupit, ac tremefactus procidit Paulo & Silæ ad pedes, & productis illis foras, ait: Domini, quid me oportet facere, ut saluus fiam? Illi uerò dixerunt: Crede in dominum Iesum, & saluus eris, tu & domus tua. Et locuti sunt ei sermonem domini, & omnibus qui erant in domo eius.

QVemadmodum scriptura sacra paßim pios dei cultores de persecutionibus, in hoc seculo ferendis, admonet: ita uicißim ijsdem dei opem abundè pollicetur, nec desunt exempla, quibus promißionum suarum ueritatem deus ab ipsa mundi origine declarauit: cuius generis sunt, quæ in hoc libro habentur. Supra enim apostolos simul omnes, per angelum ex carcere eductos, in templo

docuisse audiuimus. Et Petrus vinculis liberatus, Herodis crudele consilium elusit, totiusq; populi in necem suam intenti, expectationem fefellit. Cumprimis uerò memorabile est, quod modò recitari audiuit Charitas uestra. Hîc enim non modò ex carcere liberantur fideles Christi apostoli, Paulus & Silas, verumetiam & carceris custos, homo barbarus & crudelis, impietatis vinculis liberatus, & uera salutis cognitione illuminatus, ad Christum conuertitur. Quia autem historia hæc nostra tum institutioni tum consolationi multiuariam seruire potest, singulas illius circumstantias diligentius excussisse non parum proderit. Videamus igitur, quid in hac causa ab apostolis, quid rursum ab ipso deo factum sit: quibus inspectis ipsam quoq; Carcerarij conuersionem consyderabimus.

Apostoli cæsi & uincti laudant deum & orant.

Apostolos quidem, Paulum & Silam, indignißimè tractatos & uirgis laniatos tandem in carcerem coniectos fuisse audiuimus. Quare non immeritò aliquis muliebriter illos suum infortunium planxisse & aßiduis querelis dei iustitiam solicitauisse putauerit. Sed longè aliud de illis Lucas commemorat. Illos enim media nocte preces fudisse, deumq; laudauisse scribit, nec id tacitis animi uotis siue suspirijs, sed tam alta uoce, ut à uinctis, qui in exteriori carceris parte asseruabantur, facilè exaudirentur. Est hoc constantis fidei simul & lætæ conscientiæ argumentum, quæ non apud alios alios homines, quàm solos Christi fideles in aduersis inuenitur. Illis enim hoc quasi proprium Paulus tribuit, quòd in afflictionibus quoque glorientur & gaudeant. Rom. quinto. Causam gaudij huius capite quinto expreßit Lucas, quando apostolos, cum uirgis in Concilio cæsi essent, lætos & cum gratiarum actione exiuisse scribit, eò quòd digni habiti essent, qui pro Christi nomine affligerentur. Respiciunt enim in promißionem Christi, qui cœlestis regni consortium illis pollicetur, qui cum ipso in tentationibus suis permanserint. Luc. 22. Vnde cum Paulo colligunt, eos gloriæ Christi consortes fore & cum Christo æternum uicturos esse, qui in hoc seculo crucem ferendo illius imagini conformes facti fuerint. 2. Tim. 2. Rom. 8. Est autem obseruatione dignißimum, quòd apostolos tam solicitè & aßiduè orauisse audimus, qui spiritu sancto & uera fide illuminati, omnia diuinæ prouidentiæ consilio geri nouerant. Confutantur exemplo hoc nimium arguti & plus satis curiosi homines, qui precibus minimè opus esse contendunt, eò quòd deus omnia nostra per se norit, & diuina prouidentia res omnes administrentur, cuius consilia nullis precibus reuocari aut interrumpi poßint. Nec enim deo tanquam ignoranti causam nostram exponimus, sed fida & anxia illius commemoratione fidem nostram testamur. Norunt præterea sancti, hoc quoq; perpetuum diuinæ prouidentiæ decretum esse, ut exaudiantur à deo, quicunq; in afflictionibus ad illum conuersi, illius opem inuocant. Dei enim præceptum est: In die tribulationis tuæ, inuoca me, & liberabo te, &c. Psal. 50. Item, Conuertimini ad me, & ego conuertar ad uos, &c. Orant ergo in afflictionibus apostoli, & iuxta horum exemplum non alibi, quàm apud solum deum, pij omnes in aduersis opem & liberationem quærere debent. Admonemur præterea, non modò liberationem ex aduersis petendam esse, uerumetiam nos deo gratias agere, & illum laudibus uehere debere, si quando affligimur. Est enim hoc uerè pij & æterni animi argumentum, quando carnis nostræ petulantiam crucis disciplina cohercet. Nec alibi efficacior elucet diuinæ consolationis uis, quàm cum afflictionibus varijs tentamur, iuxta illud prophetæ: Pro æstu multarum cogitationum intra me recrearunt animam meam consolationes tuæ. Psal. 94. Et Paulus ait: Sicut abundant afflictiones Christi in nobis, ita per Christum abundat & consolatio nostra. 2. Corinth. 1. Quò Petrus quoque respexisse videtur, quando dispersis per varias gentes fratribus scribens, à δοξολογια & diuinæ gratiæ cōmendatione exordium facit. Horum nos meminisse decet, si quando carnis impatientia tentamur, ne hac superati aduersus deum murmuremus, quo peccato ira dei quàm maximè prouocatur, vt Israelitarum in deserto murmurantium exempla abundè docent. Vide 1. Corinth. 10.

Deus se inuocantes apostolos liberat.

Transeamus nunc ad secundum huius loci caput, quo quid deus fecerit, docetur. Subitò (inquit Lucas) terræmotus factus est magnus, ita ut concuterentur fundamenta carceris: & statim aperta sunt omnia ostia, & omnium uincula soluta sunt. Id uerò non alterius cuiuspiam, sed solius dei opus fuisse, nemini dubiū esse potest, quando non alius in scripturis proponitur, qui hæc facere poßit. Exprimitur autem hoc loco, quanta sit fidelis orationis uis atq; efficacia. Nam (ut sapiens monet) nubes penetrat, & in dei conspectum ascendit, qui illam minimè negligit. Ecclesiastici 35. Hinc fit quòd oratione impetrantur, quæ humanas vires longè superant, quodq; rerum natura illis deesse

dere cogitur. Ita Mosen maris rubri aquas precibus scidisse, legimus. Idem Amalekitis orando cladem horribilem intulit. Eliam precibus cælum clausisse, ne pluuias daret, & idem rursus aperuisse, Iacobus apostolus testatur. Hic verò ad Pauli & Silæ preces carceris fundamenta concutiuntur, vincula soluuntur. & fores omnes reserantur. Cui simile est, quòd supra Petrum ecclesiæ precibus è carcere liberatum fuisse audiuimus. Hinc ergo consolationem petamus in aduersis, ne mundi minis toti consternemur, quando preces, quas omnibus alijs armis validiores esse constat, nemo nobis eripere potest, eoq; maior illarum vis est, quò grauius ipsi premimur. Rursum innocentium oppreßione omnes abstinere discant, quorum preces & gemitus tantæ apud deum authoritatis esse videmus.

Porrò principalem miraculi huius effectum videamus, nimirum custodis carceris conuersionem, in qua vniuersale exemplum, quod omnes homines imitentur, spiritus sanctus proponere voluit. Habet autem conuersio hæc certos gradus, quos ordine inspexisse, non parum proderit. Primùm terræ motu expergefactus, fores omnes apertas videt, & quia captiuos omnes aufugisse putat, mox euaginato gladio seipsum occidere instituit, nimirum legum seueritatem pertimescens, quæ carcerum custodibus, si illorum negligentia captiui elapsi essent, mortis supplicium decernebant. Cuius nimiæ seueritatis exemplum supra Herodes in illos edidit, quos Petro custodes adhibuerat. Vult ergo publicæ infamiæ notam subterfugere custos hic, communi gentilium errore deceptus, qui summæ fortitudinis laudem ex eo venabantur, si ignominiæ declinandæ causa sibijpsis manum violentam inferrent. Adeò illorũ mentes satan fascinauerat, vt in interitu salutem, & in infamia laudem sibi quærerent. Reuera enim nihil vel exitialius vel turpius est, quàm violenta morte à deo impositum crucis onus subterfugere velle, planeq; degeneres & ignauos animos iste timor arguit, qui nihil ferre velint aut poßint. Rursus hoc ipsum euidens desperati animi indicium est, quando vitam (qua nihil homini dulcius & exoptatius videtur) nemo sibijpsi eripiet, nisi qui de dei ope & gratia iam ante desperauerit, id quòd Iudæ proditoris & huius similium exempla satis probant. Rectè ergo Pauli voce custos hic reuocatur, ne quid sibijpsi mali inferat. Et minimè admittendæ sunt à Christianis hominibus satanæ suggestiones, quæ vt nobis ipsis mortem consciscamus, suadent. Quocũq; enim illæ fuco & prætextu velentur, reuera tamen diabolicæ & exitiales sunt, quando constat eam esse dei voluntatem, vt peccator non moriatur, sed conuertatur & viuat. Vide Ezech. 18. Interim docemur exemplo hoc, quæ ferè illorum sors sit, qui impijs vel seruiunt vel consentiunt, quod nostrum hunc, de quo iam agitur, fecisse constat. Diligens enim & nimis industrius impij mandati, ab impijs magistratibus accepti, executor, apostolos in interiorem carceris locũ conclusos cippo constrinxit. At dum re omni quasi probè curata securus dormit, is casus incidit, qui vt anima simul & corpore periclitetur, causa est. Imò iam iam totus perierat, nisi illum singulari gratiæ suæ beneficio per Paulum salutis præconem ab interitu reuocauisset dominus. Memorabilem ergo & verè auream putemus sententiam illam, quæ primo Psalmo extat: Beatus vir ille, qui non ambulauit in consilio impiorum, nec in via peccatorum stetit, nec in consessu irrisorum sedit, &c. Præterea Christianæ charitatis exemplum in Paulo habemus, qui eius saluti tam studiosè consulit, à quo paulò ante indignißimè & iniquißimè tractatus fuerat. Imitemur nos factum hoc, & diligamus eos, qui nos odiunt, eorumq; salutem quæramus, qui nos perditos volunt. Ita enim genuini dei patris filij censebimur, qui Solem suum super iustos & iniustos exoriri patitur, &c. Vide Matth. 5.

Custos carceris conuertitur.

Sed ad carceris custodem reuertamur, quem subitò transformatũ, imò planè alium factum fuisse, Lucas scribit. Postquàm enim captiuos non fugisse, sed dei manu retentos esse audit, cum præsenti miraculo apostolorum fortitudinem & ingenuitatem, hactenus in nullis hominibus obseruatam, conferens, propiori numinis afflatu tactus, toto animo consternatur. Sentit enim quàm graui peccato sese polluerit, eos iniquius & inhumanius tractando, quos deo tantopere commendatos esse videbat. Quare illicò postulato lumine ad eos irrumpit, pedibus illorum aduoluitur, & tandem foras eductis (Id quod contra magistratus mandatum facit) ait: Domini quid me oportet facere, vt saluus fiam? Quis verò hîc non potentem dei manum agnoscat, quæ omne hoc operata est? Huic certè tribui meretur, quòd virgis cæsos & publica infamia notatos veneratur, quòd magistratus impium & iniustum mandatum transgreditur, quòd de vera salutis ratione interrogat. Docet tamen exemplo suo, non leuiter ea præterire aut oscitanter negligi debere, quæ in seruis suis miraculosè operatur domi-

nus. Vix enim quicquam aliud pernitiosius stupore illo, qui ut in manifestis dei operibus cæcutimus, facit. Hunc olim Pharaoni exitium attulisse constat, & hodie multis hoc unum nocet, quod fortuitis casibus res omnes ferri arbitrantur, nec dei iudicia in illis inquirunt, quæ præter naturæ cursum fieri uident. Præsenti igitur animo in veram salutis rationem inquirendam semper intenti simus, de qua custodem hunc magno cum fructu interrogauisse modò videbimus.

Summa salutis, fides in Christum.

Mox enim amicè respondent apostoli, & quærenti paucis verbis veram & absolutam salutis humanæ rationem monstrant, dicentes: Crede in dominum Iesum, & saluus eris tu & domus tua. Vnam fidem prædicant, & eam quidem, quæ non alio salutis authore, quàm Iesu Christo, nititur. In hoc enim omnis satisfactio, iustitia, redemptio & sanctificatio continetur, quæ omnia nobis non alia ratione, quàm per fidem obtingunt: quæ causa est, quòd fide nos iustificari & saluari scriptura docet. De quo cùm non semel dictum sit, in præsenti paucula hæc sufficiant. Illud tantùm obseruemus, non aliud in scripturis fidei obiectum, quàm Christum tradi. Inde enim colligitur, fide carere & incertis opinionibus miserè uagari omnes eos, qui extra Christum salutem quærere solent. Quia tamen breuior erat doctrina hæc, quàm quæ ab homine gentili & barbaro statim intelligi posset, pleniorem institutionem apostoli subijciunt. Nam domini verbum, id est, euangelium, tam ipsi quàm domesticis ipsius omnibus annuntiant, cuius ea summa est, quòd Christi merito per fidem iustificemur & saluemur. Interim admonemur, fidem non temere conceptam opinionem aut imaginariam persuasionem, sed certam & plenam Christi Iesu cognitionē esse, quæ ex dei verbo æterno dependeat. Ex eo igitur fides disci debet, nec quicquam admittendum est, quod non euangelio disertè comprehendatur. Quicquid autē illo traditur, id omne fide constanti cōplectamur, vt sic ipsi quoq; saluemur per dominum Iesum Christum: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CXII.

Et assumptis illis in illa hora noctis, abluit plagas: & baptizatus est ipse & omnes domestici illius continuò. Cumq; perduxisset eos in domum suam, apposuit eis mensam, & exultauit quòd cum uniuersa domo sua credidisset deo. Cùm uerò dies ortus esset, miserunt magistratus apparitores, dicentes: Dimitte homines illos. Nuntiauit autem custos carceris sermones hos Paulo: Miserunt magistratus ut dimittamini. Nunc igitur exeuntes, ite in pace. Paulus autē dixit eis: Cæsos nos publicè indicta causa, cùm simus Romani, coniecerūt in carcerem: & nunc occultè nos eijciunt? Non profectò: sed ueniant ipsi, ac nos educant. Nuntiauerunt autem magistratibus apparitores uerba hæc. Qui timuerunt, audito quòd Romani essent. Et uenientes deprecati sunt eos, & eductos rogabant, ut egrederentur ex urbe. Egressi autem è carcere introierunt ad Lydiam, & uisis fratribus consolati sunt eos, & profecti sunt.

SIcuti Diuus Lucas Philippensis magistratus tyrannidem & iniustitiam, qua in fideles Christi seruos, Paulum & Silam sæuierunt, diligentißimè descripsit: ita non minori studio commemorat, vt custos carceris, qui non minima patrati sceleris pars fuerat, ad fidem Iesu Christi conuersus sit. Finis autem totius narrationis est, vt partim dei gratiam agnoscamus, qui hostes quoq; veritatis cognitione illuminare dignatur: partim vt discamus exemplo hoc, quæ veræ cōuersionis ad deum ratio sit, quidq; eos qui conuertuntur præstare aut facere conueniat. Et ad posterius quidem membrum prima præsentis loci pars pertinet, qua quid custos hic, postquàm Christum amplexus est, fecerit narratur. Eam igitur ante omnia exponemus, postea quoq; de apostolorum liberatione aut dimißione, quantum dominus dederit, dicturi.

I. Fidei fructus & opera. 1. Obedientia.

De carceris custode, iam ad Christum conuersio, quatuor ferè dicuntur. Primò apostolos ea ipsa noctis hora è carcere educit, eorumq; plagas abluit. Id verò contra magistratus mandatum facit, qui illos diligentißimè asseruare iusserat. Imò qui eam nouerat iudicum seueritatem esse, ut sibi ipsi mortem inferre voluerit, cùm vinctos aufugisse putaret, nunc illos sponte educit & liberat, ita nimi-

rum manifesto vitæ periculo sese obijciens. Docet locus hic, hunc primum & principalem fidei effectum esse, quòd deo obedientes reddit homines, ac animosos facit in ijs exequẽdis, quæ diuinitus mandata esse deoq́ probari nouerunt, etiamsi longè aliud mundus iste censeat. Ea enim omnium credentium, quæ & Petri apostoli sententia est, deo nimirum potius quàm hominibus obediendum esse. Arguuntur itaq́ hoc loco, qui hodie principum authoritatem, publica iura, leges, mundi amicitiam, & infinita alia huius generis allegant aduersus dei præcepta, & ignauo metu torpidi nihil unquã pro Christo & gloria illius audendum esse existimant. Imitemur potius hunc carceris custodẽ, quem nec magistratus sui authoritas, nec publicæ leges, nec violati carceris ius, nec præsens periculũ absterrere potest quin carcere educat, quos illuc iniustè conclusos & plus satis indignè tractatos esse nouerat.

Deinde baptizatur illicò, simulq́ domesticos suos omnes baptizari curat. Ex euangelio enim per apostolos prædicato didicerat, eam Christi institutionem esse, ut per baptismum colligerentur in unum ecclesiæ corpus, qui in illum vellent credere. Quare à Christo institutum baptismi sacramentum minimè negligendum esse putat, nec ex præmissa fidei doctrina paralogizat: Si sola fides in dominum Iesum ad salutem sufficit, quemadmodum paulò ante docuistis, cur nunc baptismum exigitis, qui non potest non superuacaneus esse & inutilis? Nec enim Christi instituta contemnere possunt, quotquot illi verè crediderunt, quando illa cum fide non pugnare, sed potius eius appendices, & diuinarum promißionum, quas fide percipimus, externa sigilla esse norunt. Interim zelus fidei in custode hoc obseruandus venit, quo accensus, suos quoq́ per baptismum deo consecrari uult, cuius exemplum supra in Lydia quoq́ habuimus. Quod vt Anabaptistis confutandis seruit, qui Christianorũ liberos à baptismo priuata temeritate arcent: ita illorum ignauiam & minimè ferendam socordiam arguit, qui suorum domesticorum adeò nullam curam gerunt, vt ne externis quidem symbolis illos Christo & ecclesiæ suæ cõsecrari curent, eo argumento abundè testantes, se nec de dei gloria multum solicitos esse. 2. Externa religio.

Tertiò mensam illis domi suæ apponit, nimirum quòd illos in carcere nimis tenuiter, aut fortaßis omnino nõ cœnatos esse sciret. Est hoc charitatis & beneficentiæ Christianæ opus, qua qui Christo crediderunt, carere non possunt. Fidem enim à dei dilectione separari impoßibile est. At qui deũ verè diligit, proximum negligere non potest, quem ad dei imaginem conditum & deo ita curæ esse nouit, ut illum filij sui sanguine redemptum voluerit. Quæ causa est, quòd Paulus fidem per charitatem operari ait. Gal. 5. Nam licet multa sint fidei opera, ea tamen omnia ferè ad unam charitatem referri possunt, eò quòd per hanc lex tota impletur. Matth. 22. Rom. 13. Et Iohannes apostolus eum, qui proximum negligit, nec dei amantem esse, nec fidem habere docet. Rectè ergo noster hic charitatis operibus fidem suam probat, quibus & nos studere unicè conuenit, siquidem non inanes fidei professores dici & haberi uolumus. 3. Charitas.

Quartò cum tota domo sua exultat, eò quòd credidisset deo, seq́ iam ad Christi ecclesiam pertinere sciret, in qua sola salutis thesauri repositi sunt. Atqui (ut modò monuimus) graue illi periculum imminebat. Nisi enim subitò mutati fuissent Iudicum animi (quos tamen ille mutatos esse nondum nouerat) capite pœnas luisset, quòd contra magistratus sententiam vinctos liberasset. Sed ut fides deo obedientes reddit, ita omnes labores & omnia pericula vincit, nec gaudij cœlestis sensum, quem Christi spiritus suggerit, ullis tentationibus superari aut excuti patitur. Ideò Paulus ad hos ipsos Philippensiũ fideles scribens, illos perpetuò & indesinenter gaudere iubet. Porrò, si quæ de Carceris custode hactenus dicta sunt, in unum conferas, fidem minimè ociosam esse, nec à bonorum operum studio separari posse patebit. Quid enim bonorum operum hîc desyderaueris? Emendat fideliter ante illatas apostolis iniurias. Deo cum præsenti uitæ periculo debitam obedientiam præstat, uno facto declarans quàm promptus ad omnia alia in posterum esse velit. Sacramentis ritè utitur. Quia enim baptismum confestim recipit, haud verisimile est illum à Cœna abstinuisse, quando inter fideles agebatur. Adhæc de suorum quoq́ salute solicitus, illos Christo & ecclesiæ suæ consecrari curat. Præterea charitatem & beneficentiam liberaliter exercet, totusq́ inter media pericula spirituali gaudio exultat. Atqui de salutis ratione interroganti vnam fidem in Iesum Christum apostoli præscripserant. Fides verò hæc fructus tam eximios tam citò protulit, quibus tamen salutis gloria minimè tribui debet, eò quòd nihil horum ille facere potuisset, nisi fide Christo insitus & illius spi- 4. Gaudium spiritus.

ritu animatus fuisset. Confutantur hîc primùm, qui fidei doctrinam bonis operibus inimicam esse clamant, cùm non aliunde uberior bonorum operum seges enascatur. Deinde illi quoq;, qui falsò Euangelij titulo inflati, sub fidei prætextu effrænem carnis licentiam & peccandi impunitatem quærunt. Vide de his Rom. 6. Iacob. 2. &c.

II. Apostolorũ plena & perfecta liberatio.

Cæterum absoluta custodis carceris historia ad Philippensium magistratus Lucas transiens, ut horum quoq; authoritate & sententia apostoli liberati sint, docet. Perfecta enim sunt dei opera, nec vana & imaginaria salutis siue auxilij spe hominum mentes ludunt. Interim mirificè illos dominus exagitat, ut illum etiam inuitis impijs ad suam voluntatẽ exequendam uti uideas. Sed singula ordine excutiamus, vt plus inde ad nos consolationis & institutionis redeat. Primùm statim exorto die à magistratibus missi apparitores adsunt, qui apostolos dimittere iubent: & occultam quidem dimissionem, qua simul vrbe extruderentur, intelligi debere, ex Pauli verbis postea patebit. Qualiscunq; verò illa dimissio fuerit, constat Iudices hosce tum apostolorum innocentiam tum suam, qua in illos sæuierant, iniustitiam agnouisse. Siue verò interposita noctis mora huius cognitionis causa fuerit, siue terræmotus illorũ mentes concusserit, ut in cœpta tyrannide pergere timuerint, incertũ est. Certè tam subita & improuisa animi mutatione suam tum iniustitiam tum leuitatem abundè testantur. Mira tamen astutia cõmissum flagitium, cuius iam illos pudet, tegere instituunt. Ideò enim clam dimitti volunt apostolos, ut in ipsos omnem culpam deriuent, quasi illi malè sibi cõscij effractis carceribus aufugerint. Ita ferè impij, dum illos suæ nequitiæ pudet quidem, non autem pœnitentiam seriò meditantur, illam dolo malo tegere & fraudulenter iustitiæ speciem captare solent: quæ causa est, ut maiori suo dedecore pristinis peccatis noua accumulent. Docet igitur locus hic primò, qualis fere sit impiorum pœnitentia.

Pœnitentia impiorum.

Fucata nimirum, & quam hominũ reuerentia sola illis extorquet, cùm interim minimè ex animo pœniteant, nec de emendatione quicquam cogitent. Ita Saulem pœnituisse legimus, quando Samuelem, ne abs se recedat, sedulò precatur, ne coram senioribus & populo sua authoritas in uniuersum corruat. 1. Sam. 15. Inanem verò & inutilem esse pœnitentiam hanc vel ex eo constat, quòd interea dei verbum cane & angue peius odiunt, eò quòd huius luce illorum nequitia arguitur. Discant igitur singuli peccata sua sic agnoscere, vt simul horum dolore tangantur, nec illa cum aliorum dedecore cælata cupiant, imò ipsi potius illa publicent ad aliorum emendationem & diuinæ gratiæ illustrationem, cuius rei exempla in Dauide & Paulo scriptura proponit.

Magistratus impij.

Deinde admonet locus hic, quàm facilè sibijpsis atrocißima flagitia impij magistratus condonare soleant. Quid enim isti iniquius & sua conditione indignius facere poterant, quàm quòd innocentes indicta causa inter furentis vulgi clamores virgis cædunt, & cruentos adhuc, nondum ablutis plagis in teterrimũ carcerem detrudunt? At nunc sufficere putant, si non maiori ignominia affectos è viuis tollant, sed clàm vrbe eijciant. Interim de satisfactione verbum nullum. Est hoc nimis frequens hodie, maximè si illorum causæ agantur, qui mundo ob syncerioris religionis & veritatis studium exosi sunt: imò magnæ modestiæ & æquitatis laudem se mereri putant, qui honoribus simul & fortunis spoliatos Christi cultores patrijs sedibus eijciunt. Sed cogitent magistratus, se diuinitus in illum honoris & potentiæ gradum collocatos esse. Rom. 13. Meminerint item iudiciũ dei esse. 2. Par. 13. Deut. 1. Ad hæc crebrò recordentur, se quoq; olim Christi iudicio esse sistendos, ubi omnium iudiciorũ suorum rationem reddituri sint. Et proinde iuxta prophetæ admonitionem, pretiosum ducant sanguinem subditorum suorum in oculis suis. Psal. 72.

Dei potentia in liberandis suis.

Præterea elucet hîc inuicta dei potentia, qua impiorum manibus suos eripere & extorquere potest, licet illi impij esse pergant. Non enim istos sui facinoris pœnitet, nec de emendatione cogitant, vt modò diximus, imò haud dubiè malè perditos voluissent Christi apostolos. Attamen occulta dei manu coguntur illos liberos dimittere. Sic Aegyptij, licet animus non verè mutauerint, Israelem etiam auro & argento oneratum dimittere coacti fuerunt. Exod. 12. Eòdem referri debet, quòd Saul Dauidem proprio ore iustum pronuntiat, & quem diu ad mortem quæsierat, inuentum non sine publico innocentiæ testimonio dimittit. 1. Sam. 24. & 26. Ita apostolos quoq; in Hierosolymitano Senatu absolutos fuisse legimus, cùm tamen nemo Senatorum pristinam impietatem exuisset. Consoletur hoc nos aduersus incurabilem mundi huius malitiam. Pergant ut lubet impij, attamen dei vasa sunt, qui illis etiam pro suo arbitrio utitur, perq; illos etiam inuitos suam gloriam interdum illustrare consueuit.

Renuntiat

Renunciat autem Paulo Senatusconsultum custos carceris, lætus nimirum, quòd fraudem subesse non uideret. Ea enim ferè est filiorum lucis simplicitas, ut impiorum consilia non semper uidere possint. Et hodie multi huius similes, rem optimè gestam putant, si qui uiui dimittantur, quorum uita periclitabatur, nec uident interea iniquissimis præiudicijs totam euangelij causam grauari, & illi ostium præcludi. Rectius ergo Paulus oblatam ab impio magistratu gratiam fortissimè respuit, dicens: Cæsos nos publicè indicta causa, cum simus Romani, coniecerunt in carcerem, & nunc occultè nos eijciunt? Non profectò, sed ueniant ipsi, ac nos educant. Quibus uerbis de illata sibi & collegæ suo Sila iniuria conqueritur, & ut grauior sit accusatio, Romanas leges allegat, quibus cauebatur, ne quis in Romani ciuis corpus indicta causa sæuiret. Adhæc non occultè ex urbe eijci, sed honorificè dimitti uult. Nemo tamen propterea Paulum uel fastus & insolentiæ, uel impatientiæ accuset, cum sui facti causas grauissimas habeat. Primò enim curat, ne euangelij doctrina aliqua suspicione sinistra grauetur, quæ uel teneros adhuc in fide offendat, uel apertis hostibus calumniandi occasionem præbeat. Quis enim non putasset malè sibi conscios fuisse apostolos, si de occulta ipsorum fuga rumor fuisset sparsus? Deinde ferocibus illis timorem incutere uoluit, adeoq; illos sibi obnoxios reddere, ne posthac tam inconsultò & audacter in Christi membra sæuirent. VNDE colligimus, non eam esse Christianæ patientiæ rationem, ut quiduis impunè impijs permittatur. Quin potius arguenda simul & cohercenda est illorum impietas, si qua ratione commoda id fieri possit. Asserenda item tum dei gloria, tum nostra innocentia, eò quòd frequenter cum hac aliorum quoq; salus periclitetur. Ita Christus potestatis tenebrarum ministros & executores uocat eos, qui ad illum capiendum cum gladijs et fustibus exiuerant. Et sacerdotis seruum, à quo indignè percussus erat, apertè reprehendit. Sic ergo patienter ferendum est quicquid nobis aduersi accidit, ne interea Christi & ueritatis causam prodamus, aut saltem turpiter deseramus. Rursum admonemur, licere pijs, ut policitis quoq; legibus & priuilegijs, quatenus illa ueritati & religioni non repugnant, ad sui defensionem utantur. Nec enim Romanæ ciuitatis ius, si illud per se impium fuisset, allegasset Paulus, qui ad quiduis pro Christo patiendum paratissimus erat. Sic illum postea ad Cæsarem quoq; prouocauisse, & legitimo armorum præsidio aduersus impiæ coniurationis socios usum fuisse audiemus. Magna ergo illorum iniquitas est, qui omnem humani iuris usum Christianis prohibitum, omnemq; defensionem legitimam ijsdem illicitam esse contendunt, & illos inconsultò in quæuis aperta pericula ruere uolunt.

Simplicitas fidei.

Paulus nō uult clam dimitti.

Christianæ patientiæ ratio.

Legitima defensio pijs permissa.

Quid uerò magistratus Philippensium, Pauli uerbis auditis, egerunt? Timuerunt, non quidem quòd illos de iniuria sibi facta cōqueri audirent, sed quòd Romanos esse intelligerent, quibus hæc facta erat. Nouerant enim, quæ esset Romanorum in uindicandis suis legibus & defendendo suo iure seueritas, adeò ut (teste Cicerone aduersus Verrem) sæpe illa uox, Ciuis Romanus sum, multis in ultimis terris inter Barbaros opem & salutem tulerit. Et sanè non alius post religionis ueræ studium, firmior rerumpub. neruus & ualidius uinculum est, quàm constans & firma publicarum legum & iuris custodia. Non ergo de nihilo illi timent, quin mox adsunt, culpam deprecantur, & honorificè deductos ex carcere rogant, ut maioris tumultus uitandi causa urbe decedere dignentur. Vbi rursum impiorum mores elucent, qui nullo numinis metu astricti, solos homines se potentiores & legum seueritatem metuunt. Quòd si apud homines peccandi impunitas detur, quiduis audent. Cuius rei non alia causa est, quàm quòd deum esse non credunt, qui res mortalium curet. Longè aliter pij, qui in deum intenti, scelerum atrocitatem ita horrent, ut si quando per humanam infirmitatem labi contigerit, ob admissum peccatum magis quàm pœnam imminentem timeant. Interim docemur exemplo hoc, quorsum exeant temeraria & inconsulta impiorum magistratuum iudicia. Eò nimirum, ut ignominiam simul & periculum suis authoribus concilient. Hinc est, quòd nostri illi timore impediti, honorificè deducunt, quos pridie publica infamia notauerant, & sic suam temeritatem & iniustitiam accusant. Extant multa eius generis exempla, quorum usus est, ut magistratus & quicunq; in publicis officijs uersantur, affectus frænare, & iuxta ethnici scriptoris dictum, diu deliberare discant de eo, quod statuendum est semel. Adhæc tantam innocentiæ uim esse, exemplum hoc docet, ut ferocissimos quoque hostes suos egregiè confundat. Huic ergo studeamus, nec dubitemus nos quoque per hanc de hostibus nostris, utut modò ferociant, triumphaturos esse.

Impiorum metus præposterus.

Temerariorū iudiciorū exitus.

Apostoli Philippis discedũt.

Restat ultima huius loci pars de apostolorum discessu, qui omnino suscipiẽdus fuit, cum uiderent sibi post hac in ea urbe nullum locum reliquum esse. Non tamen ita discedunt, ut simul ecclesiam in uniuersum negligant, sed prius apud Lydiam collectos fratres inuisunt, eosq́ ad fidei constantiam exhortantur, & efficaci consolatione confirmant. Deinde ad illos epistolam scribit Paulus, qua docemur quàm felices postea huius ecclesiæ progressus fuerint, cuius initium planè funestum uideri potuit. Vnde patet, nullis impiorum conatibus euangelij cursum impediri posse. Vinciuntur aliquando huius ministri, sed dei sermo uinciri non potest. 2. Tim. 2. Pelluntur rursus in exilium qui illud prædicant, sed Christi spiritus in exilium relegari non potest, sed spirat ubicunq; ipsi libuerit, imò tacentibus hominibus lapides Christum prædicant. Luc. 19. Hæc nos in fide constantes reddant, ut tandem mundo & mundi principe superiores, in cœlis uiuamus & regnemus cum domino nostro Iesu Christo: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

CAPVT XVII.

HOMILIA CXIII.

QVum autem iter fecissent per Amphipolim & Apolloniam, uenerunt Thessalonicam, ubi erat Synagoga Iudæorũ. Secundum consuetudinem autem suam Paulus introiuit ad eos, & per sabbata tria disserebat eis è scripturis, adaperiens & allegans, quòd Christum oportuerit pati & resurgere à mortuis, & quòd hic sit Christus Iesus, quem ego (inquit) annuncio uobis. Et quidam ex eis crediderunt, & adiuncti sunt Paulo & Silæ, & religiosorum Græcorum multitudo magna, mulieresq́; primariæ non paucæ.



Ominus noster Iesus Christus in euangelio secundùm Lucã ait: Nemo qui manu aratro admota respexerit à tergo, aptus est regno dei. Quæ uerba disertè monẽt, ab omnibus quidem Christianis, maximè uerò à uerbi ministris insuperabilem animi constantiã requiri, qua aduersus omnes labores tum pericula intrepidi pergant, nec ullis tentationibus sese auocari patiantur, ut commissum fidei suæ munus deserant. Eius constantiæ præclarum cumprimis exemplum in Paulo apostolo proponitur: qui ab eo die, quo Christo & euangelio seruire cœpit, continuis laboribus & periculis uexatus, perrexit tamen, & inuicto animo nouam quotidie propagandi regni Christi occasionem quæsiuit. Et quod alibi ante hac fecit, hoc ipsum apud Macedones incredibili studio illum fecisse, præsens historia docet. Nam Philippis, quò per uisionem uocatus erat, indignißimè tractatus, non tamen deo obmurmurat, nec uocationem suam in dubium uocat, nec officium turpi & inobili metu deserit: sed rectà per Amphipolim & Apolloniam iter faciens, Thessalonicam totius Macedoniæ metropolim contendit, quam ubi euangelij prædicatione illustrauit, Berrhœam agreditur, & inde Athenas delatus, illic quoq; inter doctißimos gentium philosophos, quasi in publico totius orbis theatro Christum prædicat. Sed omißis alijs, in præsenti quæ Thessalonicæ gesta sunt, ordine inspiciemus.

Pauli constantia.

I. Paulus Iudæis prædicat.

Et primò quidẽ Amphipolim & Apolloniam transiuisse dicitur, nec aliqua in illis urbibus prædicati à Paulo Euangelij mentio fit, ut uerisimile sit, nullam illi à spiritu sancto prædicandi occasionem oblatam fuisse. Thessalonicam uerò ingressus, Iudæorum Synagogam, quæ illic frequens erat & celebris, intrat & in ea per tria sabbata euangelium Iesu Christi docet. Atqui mirum uideri poterat, Paulum Iudæis denuò salutis doctrinam offerre, quorũ incurabilem malitiam toties expertus erat, quosq́ à deo reiectos esse multis non obscuris argumentis intelligebat. Sed mouit illum partim ardens prouehendi regni Christi studium, partim constans suæ gentis amor, pro qua anathema fieri aliquando optauit. Nec tamen cæcum illum affectum fuisse putabimus, quando in gentis Iudaicæ repudio reliquias saluas fore dominus iam olim prædixerat. Isa. 10. Et fortaßis Eliæ exemplo moueri potuit, qui cum in uniuersum omnes à deo Israelitico defecisse putaret, audit adhuc septem millia so

lia superesse eorum, qui ne genua quidem Baali flexerint. Admonemur hoc Pauli exemplo, propter multorum ingratitudinem non temere ab officio cessandum, quin potius (ut alibi apostolus docet) malos cum mansuetudine tolerandos, eos qui obsistunt erudiendos esse, si quando det illis deus pœnitentiam ad agnoscendum ueritatem, ut è diaboli laqueo resipiscant. 2. Tim. 2. Quia enim dei serui sumus, huius ingenium nos imitari conuenit, nec mundi ingratitudine offendi, quando nobis à domino præmium repositum esse scimus, cuius spes nunquam fallet. Turpis ergo & inexcusabilis illorum morositas est, qui ut primùm se nihil proficere uident, ab officio suo discedũt, nec dei & Christi exemplo ducuntur, qui erga incurabilem Iudæorum malitiam tam fideli mansuetudine & longanimitate ab ipso statim gentis illius initio usus est. Simul autem obseruatione dignum est, quòd & sabbatorum religionem Paulus obseruat, & Synagogas ingreditur, ut illic prædicet: nimirum Christi exemplum imitatus, qui & ipse nihil in occulto, sed palàm & publicè docuit. Interim hanc uetustissimam in populo dei consuetudinem fuisse uidemus, quòd ad sacros cœtus pij conuenerunt: propter quos & dies festos & locos sacros olim diuinitus institutos fuisse legimus. Necessaria autem est horum obseruatio, tum propter doctrinam, quæ non alio commodiori modo tradi potest: tum propter externam religionem, quam publicè exerceri oportet, ne fidei ueræ professio intercidat. Quæ causa est, quòd suo quoque exemplo cœtus sacros Christus nobilitauit, et promissione amplissima commendauit, quodque in illis rite instituendis Paulus in priori ad Corinth. epistola tam diligenter uersatur. Quare non potest non detestanda esse illorum proteruia, qui publicos Christianorum cœtus scurriliter subsannant, nec ullo uel sanioris doctrinæ uel synceræ religionis studio sese teneri testantur.

Sabbatorum et sacrorũ cœtuũ obseruatio.

II. Doctrinæ Pauli ratio.

Quid uerò in Iudæorum Synagoga Paulus fecit? Hoc ipsum quod iam multis in locis illum fe-
cisse audiuimus. Nam ex scripturis disseruit, docens Christum oportuisse pati & à mortuis resur-
gere, & hunc ipsum Christum esse, quem ipse prædicabat. Sunt hic nobis singula diligenter excutien-
da, eò quòd totius apostolicæ doctrinæ rationem plenissimè comprehendunt. Primò enim indicant, 1.
unde doctrinam suam Paulus hauserit. Ex scrpturis nimirum Mosis & prophetarum, quas alibi
diuinitus inspiratas esse ait, & in quibus uitæ æternæ mysteria contineri, Christus testatur. 2. Tim.
3. Iohan. 5. Ex ijsdem ergo hodie etiam ecclesiarum doctrina peti debet, nec illorum impudentia fe-
renda est, qui nostri seculi concertationes per scripturam dirimi nolunt, sed traditiones & Canones,
quos illi apostolicos dicũt, adhæc Patres & Cõcilia nobis ogganniunt: quasi uerò illi perfectius quid-
dam & certius, quam apostoli, tradiderint. Deinde quomodo scripturas tractauerit Paulus, doce-
tur. Aperuit, id est, interpretatione diligenti uerum illarum sensum enucleauit, & quæ in illis con- 2.
tinentur, præsenti negotio applicauit, id quod non alia commodiori ratione quã per collationem fieri
potest. Arguitur ergo Pauli exemplo illorum error, qui nudam scripturæ sacræ lectionem in eccle-
sia sufficere clamant, nec illam interpretationibus illustrari uolunt. Peccasset igitur horum senten-
tia Paulus apostolus, imò ipse Christus, quem hanc ipsam docendi rationem in schola Nazaretana
tenuisse legimus, Luc. 4. At peccare non potest, quisquis Christi exemplum sequitur. Et multò re-
ctius Paulus ecclesiæ doctorem eiusmodi requirit, qui dei uerbum rectè secare & singulorum cum in-
stitutioni tum consolationi accommodare possit. 2. Tim. 2. Tertiò doctrinæ Pauli argumẽtum ex- 3.
ponitur, cuius duo præcipuè capita sunt, quæ totidem erroribus Iudæorum opposuisse uidetur. Primò
enim illi cruce Christi offendebantur, eò quòd prophetarum oracula secundum literam intelligẽtes,
temporale Christi regnum imaginabantur, & Messiam sine cruce expectabant: qui error hodie etiã
uulgò cernitur inter illos, qui euangelium sine cruce prædicari uellent, & cum Christi merito saluari
cupiant, cum eodem tamen affligi nolunt. Alter Iudæorum error erat, quòd Iesum Mariæ filium
Messiam siue Christum esse negarent. Utrique ergo Paulus mederi studet, dum scripturarum testimo-
nijs euincit, eam iam olim ab æterno salutis humanæ rationem apud deum constitutam esse, ut filij
sui incarnati morte & resurrectione saluaremur. Rursum Iesu Mariæ filio ea applicans, quæ de
Messia olim prophetæ prædixerunt, luculenter docuit, hunc pro Messia agnosci, nec quenquam
alium expectari debere. Ut uerò hæc Paulus copiosè & undique in unum collectis scripturis demon-
strauit: ita à nobis etiam prolixè exponi poterant. Sed quia ex præcedentibus tum Pauli tum apo-
stolorum sermonibus facilè patet, quibus locis illi præcipuè usi fuerint, & scripturas legẽtibus passim
obuia sunt, quæ Christi cognitionem tradunt, breuitati consultò studemus. Interim duo hic nobis ob-

seruanda ueniūt. Primum, quid in ecclesia prædicari debeat? Nimirum unus Iesus Christus, quem solum se nouisse, alibi Paulus fatetur. Quia enim unus hic ad omnia nobis sufficit, eò quòd nobis à deo patre sponsus, pastor, rex & sacerdos, caput, deniq; iustitia, sapientia, satisfactio, sanctificatio & redemptio, datus sit, idemq; homines sibi soli adduci uelit, nefas est aliquid ab hoc diuersum tradere. Alterum est, quomodo Christus prædicari debeat? Qualem scilicet scripturæ proponunt, qui pro nobis in ara crucis mortuus peccata nostra expiarit, & resurrectione gloriosa mortem deuicerit: qui non regum huius seculi instar in mundo regnet, sed in cælos subuectus spiritu suo nobis adsit, & per nostras afflictiones & carnis infirmitatem de omni aduersaria potestate triumphet. Qui talem sibi Christum animo concepêre, nullis mundi conatibus offendi possunt, sed securi & læti omnia rident, quæ ille aduersus ecclesiam improbè molitur. Hinc ergo de nostri seculi doctrinis iudicare disce, nec illos audiendos esse putato, qui in salutis negotio plura quàm Christum tradunt, quando hunc solum Paulus nouit, licet in tertium cælum abreptus fuerit, &c.

Fructus doctrinæ Pauli.

Porro non inanem fuisse Pauli prædicationem, euentus docet. Quidam enim ex Iudæis crediderunt, pauciores tamen, quia iam incipiebat gētis illius excæcatio. Interim tamen ueritatem suam deus custodit, dum ex innumerabili turba reliquias saluas facit. Verè autem illos credidisse ex eo patet, quòd palam sese Paulo & Silæ coniungunt, tum discendi studio, tum quòd ita fidem suam publicè profitentur. Maior tamen multitudo Græcorū credit, quos religiosos uocat, eò quòd iam ante aliquem syncerioris religionis gustum haberent, quem illos ex Iudæorum conuersatione percepisse, uerisimile est. Licet enim deplorata esset illius gentis incredulitas, illis tamen uti uoluit deus, ut in orbe dispersi, gentes ab idolomania ad unius ueri dei cultum reuocarent, & purioris religionis principia de uno deo colendo & inuocando, paßim traderent. Adnumerantur credentium numero etiam mulieres, & quidem primariæ siue nobiles, ut uideas deum in omni hominum ordine electorum suorum rationem habere. Docet uerò locus hic, euangelium nunquam frustra prædicari, de quo iam sæpius dictum est. Adumbrantur item uerè credentium officia, quæ sunt, ardens ueræ religionis & doctrinæ studium, gratitudo erga salutis doctores & aperta ingenuaq; ueræ fidei profeßio. Nec enim ambidextros cultores uult dominus, qui quiduis simulent & dißimulent. Faxit deus, ut ipsi quoq; uera fidei luce illuminati & accensi, fidem tum ore tum factis testemur, & per hanc cælestis regni hæreditatem adeamus cum filio dei unigenito, Iesu Christo: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CXIIII.

Zelo autem commoti Iudæi increduli, & assumptis quibusdam circumforaneis, uiris malis, & coacta turba concitauerunt urbem: & urgentes domum Iasonis, quærebant eos producere ad populum. Illis autem non inuentis, trahebāt Iasonem & quosdam fratres ad principes ciuitatis, clamantes: Hi qui terrarum orbem turbarunt, huc etiam uenerunt, quos clanculum excepit Iason. Et hi omnes contra Cæsaris decreta faciunt, regem alium dicentes esse Iesum. Concitauerunt autem turbam & magistratus ciuitatis audientes hæc. Et accepta satisfactione ab Iasone & à cæteris, dimiserunt eos. Fratres uerò confestim per noctem emiserunt Paulum simul & Silam in Berrhœam. Qui cum aduenissent, abierunt in Synagogam Iudæorum.

QVemadmodum deus filium suum ab æterno prædestinauit, ut humani generis saluator esset: ita perpetuam inter hunc & diabolum pugnam fore, in ipsa mundi huius origine prædixit, quando serpenti ait: Ponam inimicitias inter te & mulierem, inter semen tuū et semen illius. Ipsum conculcabit tibi caput, & tu insidiaberis calcaneo eius. Gene. 3. Cuius uaticinij exempla continua nobis hic Actuum Apostolicorum liber exhibet. Vbicunq; enim terrarum Christi regnum apostoli per euangelij prædicationē erigere et stabilire conati sunt, ibi per organa sua sese illis satan opposuit. Factum id primò quidem Hierosolymis per scribas & sacerdotes, deinde uerò Samariæ per Simonem

nem Magum, mox Damasci per Aretam regem Arabiæ, in Cypro per Elymam Magum, Antiochiæ Pisidiæ per Iudæos, qui mox pertinaci studio & odio irreconciliabili Paulum per maria & terras secuti esse uidentur, ut paßim euangelij cursum impedirent. Hos ipsos enim Lystris hostes habet. Iidem Derbæ docenti obstrepunt. Et nunc in Macedoniam diuinitus uocato negotium faciunt. Nam his authoribus, ut præsens locus docet, Thessalonica eijcitur, in qua urbe euangelium feliciter radices agere cœperat. Est uerò præcipuus omnium horum usus, ne similibus hodie offendamur. Sed cogitemus hanc perpetuam ecclesiæ in mundo hoc sortem esse, quãdo is suo potius principi, quàm Christo, seruire studet. Sed præsentem locum uideamus, qui nobis aduersus improbos diaboli & mundi conatus institutioni simul & consolationi mirificè seruire potest. Primò enim quibus organis aduersus Paulum Thessalonicæ diabolus pugnarit docet. Mox uerò illorum studia, & tandem felicem Tragœdiæ totius exitum describit.

Inter diaboli organa, quibus hic uti uoluit, duo hominum genera recensentur. Primum Iudæorum est, qui zelo commoti fuisse dicuntur. Sed hypocritæ fuerunt, qui contumaciæ & incredulitati suæ legis diuinæ & auitæ religionis zelum prætexere solebant, cum reuera non aliud quàm priuatum quæstum & gloriam quærerent, ut ex conspiratione ipsorum facilè patet. Nam adiunxerunt sibi circumforaneos quosdam, peßimæ notæ & peruersi ingenij homines, quorum commercia ceu pestem nocentißimam fugere debebant, siquidem illis religio & ueritas cordi erant. Ita enim dicuntur otiosi & ignaui sponsi Penelopes, qui ubi sua improbè dilapidarunt, ceu publicæ merces in foro uenales prostant, & ad quoduis facinus parati sunt, modò emptorem inueniant. Mirifica ergo hæc societas est, quam inter tam dißimilium studiorum professores nemo sperare posset, nisi tanta esset odij aduersus ueritatem semel concepti uis, ut dißimillimos quoq; coniungere & sociare poßit. Ita contra Christum sacerdotes, scribas, pharisæos, sadducæos, Iudam pseudoapostolum, milites, Herodem & Pilatum conspirauisse uides, qui omnes alioqui tum patria, tum religione & professione inter sese dißidebant. Admonet autem locus hic, qui acerrimi & præcipui ueritatis hostes sint. Hypocritæ nimirum, qui sub falso religionis prætextu suis rebus student, & qui otio assueti atque paupertatis impatientes operam suam ad quiduis patrandum uenalem habent. Nam ut priores illi (Christo teste, Iohan. 5.) credere nõ possunt, eò quòd priuatæ gloriæ studio flagrant: ita alteris illis ibi fas esse putatur, ubi maxima merces. Astutè ergo duo hæc hominum genera satan sociare consueuit, ut hypocritarum pecunijs redempti audaces illi & mercenarij Cares aperta ui conficiant, quod illi dolis & malis artibus conficere non possunt. Hæc causa est, quòd hodie in regum aulis ecclesiarum antistites uisuntur, quòd principum comitijs intersunt episcopi, & quòd inter armatas acies & classica monachi uolitant, qui se mundo mortuos esse gloriantur. Nec enim alios magis fidos patronos sibi reperire possunt, quàm qui uenali mente & conscientia præditi religionem & ueritatẽ quæstu metiri solent. Docent hæc à quo hominum genere sibi maximè cauere debeant, quicunq; ecclesias suas saluas uolunt. Blandiusculè se hodie multis in locis Abbates & Episcopi insinuant, & zelum quendam prætexunt. Sed ubi admißi fuerint, mox suis consilijs aptos homines inuenient, qui auro corrupti quiduis etiam aperta ui aduersus Christi doctrinam audebunt: & ab omni religione simul & iustitia alienißimi esse deprehendentur, qui dei zelo toti flagrare uidebantur.

I. Hypocritæ & circumforanei ueritatis hostes

Docet hoc altera huius loci pars, quæ studia horum explicat, qui diuini nominis zelum hucusq; suo instituto prætexuerũt. Primum inter hæc est, quòd coniuratione facta totam ciuitatem seditione turbant, quod illis facilè fuit per falsos rumores, quos tum apertè tum clanculum aduersus apostolos, ceu publicæ salutis hostes, spargebant. Deinde ædes alienas inuadunt uiolenter, illinc nimirum protracturi apostolos, si inuenissent. Quis uerò ille zelus est, qui fores effringere, & insontes ad mortem deposcere iubet? Accedit tamen grauius quiddam. Nam non inuentis illis, quos quærebant, Iasonem apostolorum hospitem, uirum ob hospitalitatem non uulgari laude dignum, et cum hoc aliquos ex fratribus, qui iam Christo nomen dederant, ad Iudices trahunt, & tanquam urbis proditores accusant. Accusationẽ uerò ita instituunt, ut impudẽtißimis mendacijs & calumnijs omnia misceant. Hi (inquiunt) qui terrarum orbem turbarunt, huc quoq; uenerunt, quos clanculum excepit Iason. Turbatores orbis uocant apostolos, qui pacem nunciabant & charitatem docebant mutuam: cum ipsi modò totam ciuitatem seditiosè commouerint. At quia religionem, cuius prætextu ipsi tumultua

II. Studia hostium ueritatis.

bantur, apud Thessalonicenses non magni fieri sciebant, crimen amplificant, & contra Cęsaris edicta hæc fieri clamant, adeoq; læsæ maiestatis reos faciunt apostolos, dum illos alium regem orbi terrarum imponere dicunt, tantumnon illud inferentes, quod Pilato antea Hierosolymitani obiecerant: Si hos impunè dimiseritis, non estis amici Cæsaris. EST uerò horum præcipuus usus, ut discamus quibus armis & artibus ferè ab impijs oppugnetur Veritas & huius ministri. Ante omnia aperta ui res agitur. Quia enim homicida est satan, in hac summum præsidium sibi repositum esse putat. Ita aduersus Christum cum gladijs & fustibus emisit qui illum caperent, quos ille disertè potestatem tenebrarum exercere ait. Luc. 22. Ita Abelum uiolenter trucidauit Cain. Et Israelitas aperta tyrannide afflixit Pharao. Imò si omnium seculorum historias consyderes, potißima aduersariorum ueritatis argumenta in carnali brachio fundata fuisse uidebis. Et hodie ferè carceribus, uinculis, bombardis, hastis, ferro deniq; & igne aduersus pios disputari solet. Quia tamen cordatiores quiq; à manifesta ui & tyrannide abhorrent, astutè mendacijs huius atrocitatem satan mitigare nouit, dum calumnijs & falsis criminationibus exosos & infames reddit Christi cultores & fideles ueritatis ministros. Exempla huius rei alibi de Achab rege, de Iudæis item Christum coram Pilato accusantibus, produximus, ut diutius loco isti inhærere non sit opus. Discamus saltem non temere fidem adhibere ijs, qui pios grauißimè accusant, quasi in deũ blasphemi, in Diuos iniurij, & publicæ pacis turbatores sint. Ipsam potius rei ueritatem inuestigemus, & ferè innocentißimos esse patebit, qui paulò antè quouis supplicio digni uidebantur. Docet præterea locus hic quanta totis rebuspub. pernicies ex ociosis & luxu perditis hominibus exoriri soleat. Isti enim ubi sua dilapidarunt, aliena affectant, & numo sese ad quæuis facinora conduci patiuntur. Quò fit, ut qui illorum mores disciplina instacoercere noluerunt, ab ijsdem tandem malum accipiant, & respub. suas miserè exagitari sentiant. Ita apud Thessalonicenses nimis diu tolerati isti homines, eò audaciæ progreßi sunt, ut à Iudæis pellecti & redempti, publicæ seditionis authores fiant, et illorum petulantia bonis omnibus formidulosa esse incipiat. Quæ mihi causa uidetur, quòd ad Thessalonicenses postea scribens Paulus, tam diligenter monet, ut in ordinem redigantur, qui ociosi ex aliorum laboribus sibi uictũ quærunt. Nam ut præsens hoc exemplum omittamus, non pauca aliarum gentium exempla paßim extant, quibus docemur, non aliud hominum genus maiorem rebuspub. perniciem afferre solere. Sed multorum instar esse potest quod de Catilinariæ coniurationis socijs in Romana historia habetur. Prudentißimè ergò Athenienses olim cauerunt, ut inertia & otium in forum protraherentur, & publicam ignominiam subirent, qui nulla honesta arte uictum quærebant. Apud eosdem Areopagitæ ciues, si quos suspectos habebant, ad se uocatos interrogabant, unde uitam suam sustentarent. Quæ seueritas & industria si hodie obseruaretur, tum respub. tum ecclesias magis pacatas & tranquillas haberemus. Sed turpe est hac parte Christianos homines ab gentilibus uinci, quos sola carnis ratio & experientia rectius sapere docuit.

III. Finis seditionis lætus.

Porrò Tragœdiæ huius exitum uideamus, cuius initium tale fuit, ut nemo illam absq; sanguine finiri posse putauerit. Principiò enim populus simul & Iudices commouentur, quod ferè in seditionibus fieri consueuit, ut primo impetu cordati quoq; & modesti tantumnon abripiantur. Sed ut minacem cœli faciem & undiq; imminentem nubium caliginem leui aura dißipare nouit deus, ita hoc loco absq; labore pacatos & tranquillos reddit, qui toti furere uidebantur. Iudicum enim animos occulta spiritus sui uirtute moderatur & mitigat, ut Iasonem quoq; audiant, & illum tandem cum reliquis fratribus, accepta satisfactione, liberum dimittant. Interea temporis fratres Paulum & Silam noctu Berrhœam dimittunt, ubi Iudæorum synagogam denuò ingreßi magno cum fructu docent. Cæterũ ut in Thessalonicensi Senatu ciuilis iustitiæ & æquitatis exemplum, omnibus qui in magistratu uersantur imitandum proponitur: ita in alijs quoq; personis quædã obseruanda ueniunt. ET primò quidem consolationis plenum est, quod de Iasone narratur. Is ob pietatis officium apostolis exhibitum graui periculo implicitus hæsit. Sed ita illum liberat dominus, ut æternã simul laudem in ecclesia sanctorum obtineat. Atqui ita impletur promißio, qua Christus illi quoq; mercedem certam pollicetur, qui poculum aquæ frigidæ uni ex discipulis suis dederit. Matt. 10. Accendat hoc in nobis quoq; pietatis studium, ne nobis graue uideatur pro Christi fidelibus labores & pericula perpeti. Deinde gratitudinis officium Paulo & Silæ Thessalonicẽ. fratres præstant, dum illos noctu dedu-

deducentes nouo sese pro illis periculo exponunt: ut non temere illorum fidem Paulus scripta ad illos epistola prædicarit. Commendantur ab eodem hoc nomine etiam Galatæ, quòd oculos quoq; suos daturi fuissent, si illis Paulus opus habuisset. At hodie pessimam gratiam fideles ministri referunt, quando primi manifestis periculis obijciuntur, & interdum impiorum hostium manibus ab illis ipsis traduntur, qui Christianissimi & euangelicissimi haberi volunt. Postremò Paulus obseruandus venit, qui fratrum consilium de fuga suscipienda recipit, hanc nimirum à Christo permissam esse intelligens, quando nec dei gloria nec fratrum & ecclesiæ salus periclitatur. Nec enim nos absque graui causa & nullo cum fructu perire vult dominus. Interim in ipsa fuga officij sui non obliuiscitur, sed mox ve Berrhœam deuenit, denuò docet. Quo exemplo admonemur ita nos saluti nostræ consulere debere, ne interim stationem nostram deseramus. Sed si dei zelo animus flagrauerit, res ipsa, tempus item & locus facilè consilium dabunt. Simul uerò cõsoletur nos dei virtus & bonitas, qua Paulum toties defensum ac liberatum fuisse videmus, & hac freti fortiter uocationem nostram tueamur, ut ad metam usq; constanti cursu delati, cœlestis uitæ brauium assequamur in Christo Iesu domino nostro, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CXV.

Hi autem generosiores erant quàm Thessalonicẽses, qui receperunt sermonem cum omni animi promptitudine, quotidie scrutantes scripturas, an hæc ita se haberent. Et multi quidem ex illis crediderunt, & Græcæ mulieres honestæ & uiri non pauci. Cùm autem cognouissent Thessalonicenses Iudæi, quod & Berrhœæ annuntiatus esset à Paulo sermo dei, uenerunt etiam illic commouentes turbas. Statim uerò tunc fratres emiserunt Paulum, ut iret uelut ad mare. Silas autem & Timotheus remanserunt ibi. Porrò qui deducebant Paulum, deduxerunt eum Athenas usq;. Et accepto mandato ad Silam & Timotheum, ut quàm celerrimè ad ipsum uenirent, profecti sunt.

ETsi regnum domini nostri Iesu Christi continuis & assiduis mundi huius & ipsius principis conatibus oppugnetur, adeò tamen euerti nequit, ut inter medias persecutiones felicissimè promoueat. Docet hoc continua libri huius historia, maximè autem rerum à Paulo gestarum narratio. Vt enim is plus quàm omnes alij apostoli laborauit, ita plures quoq; & grauiores persecutiones sustinuit, passimq; fidei hostes reperit, quorũ insidijs pulsus est. Sed quoties illum horum rabies loco aliquo decedere compulit, toties relicto prius in auditorum animis verbi dei semine, euangelium aliò transtulit, sicq; plures Christo domino lucrifecit. Hoc ipsum in Macedonia accidisse Lucas docet. Philippis enim illum indignè simul & iniquè tractatum fuisse audiuimus. Non tamen ipsum sine fructu illic laborauisse, scripta ad Philippenses epistola docet. Persecutio autem illi ad Thessalonicenses commigrandi occasionem præbet, apud quos per tria sabbata docuit. Tandem illinc quoq; per Iudæos, ueteres hostes, pellitur. Non autem pellitur fides Christi, quæ iam in multorum animis radices egerat. Ipse uerò Berrhœam delatus magno cum fructu euangelium prædicat. Seruiunt hæc consolationi nostræ aduersus mundi & diaboli conatus. Nam ut Solomon inquit, Non est cõsilium aduersus dominum. At hujus cõsilium est, quòd Christus omnem potestatem in cœlis & in terra obtinere, & sui regni terminos per totum terrarum orbem extendere debeat. Quare id fiat necesse est, quando cœlum & terram citius transire oportet, quàm dei decreta intercidere possint. SED præsentem locum uideamus, qui Pauli res Berrhœæ gestas exponit.

I. Berrhœa euangelio illustratur.

Orditur à Berrhœensium Iudæorum commendatione, ostendens quo ordine quamq; feliciter apud ipsos euangelium profecerit. Cõmendantur autem per Comparationẽ, qua illos Thessalonicensibus confert. Illi enim dei uerbum contumeliose reiecerant. At isti magis ingenui uel generosiores illud cum omni animorum promptitudine receperunt, & simul domi scripturas scrutantes, ceu Lydio lapide probauerunt ea, quæ à Paulo dicebantur. Inde factum est, vt & illorum magna multitudo crederet, & ipsorum exemplo ex Græcis quoq; siue ethnicis non pauci, tum viri tum mulieres, ad fidem

Christi perducerentur. DOCET exemplum hoc, quales esse conueniat, qui euangelium non absque fructu audire volunt. Ante omnia animi promptitudine, qua verbũ recipiatur, opus est. Nisi enim verbo in animis hominum locus detur, fructum ferre non potest. Quam ob rem in ipso limine impingunt, qui illud ne audire quidem dignantur, quæ propria filiorum diaboli nota est, sicuti Christus apud Iohan. Cap. 8. admonet. Erat exemplum hoc ijs maximè obseruandum, qui generis nobilitate superbiunt, & hanc signis inanibus ostentant. Atqui quoad generationem ex carne, eadem illa est omnibus corrupta nimirum & quæ peccati seruos nos nasci facit. Regenerationis uerò semen est dei uerbum, ex quo per spiritum intra animos nostros uiuificato dei filij nascimur, qui prius peccati mancipia eramus. Nobiles ergo & generosi non erunt, nisi qui huic locum dederint, & ex illo renati, dei filij facti fuerint. Quapropter rectè Lucas Berrhœenses istos propter verbi studium generosos dixit. Interea tamen nimia facilitas caueri debet, ne quiduis temere recipiendo quod sub uerbi dei prætextu prædicatur, falsis dogmatibus imbuamur, & incertis doctrinis ceu uentorum turbine circumferamur. Ruminari ergo & ad scripturæ sacræ Canonem examinari oportet quæ dicuntur, iuxta illud Pauli: Omnia probate, quod bonum est tenete. 1. Thess. 5. Et Iohannes apostolus ait: Charissimi, ne cuiuis spiritui credatis, sed probate spiritus num ex deo sint, &c. 1. Iohan. 4. Arguuntur hoc loco duo insignes errores, qui iam annis aliquot ecclesias grauissimè turbauerunt. Alter illorum est, qui scripturas sacras à laicis & vulgo legi, nefas esse clamant. Atqui has omnibus hominum ordinibus communes esse semper deus voluit. Legem enim coram tota Israelis multitudine, in eum finem conuocata, promulgauit. Et sacros libros non alia quàm uulgari lingua conscribi spiritus sanctus curauit. Et sanè absurdum foret à vitæ æternæ doctrina aliquem excludi, cùm & illam & veritatis cognitionem ad omnes hominum ordines deus peruenire velit. 1. Timoth. 2. Alter illorum error est, qui doctrinam suam à nemine dijudicari volunt, sed Cyclopæa arrogantia sibi quiuis docendi in ecclesia ius vendicant: imò indignissimum & planè hæreticum facinus esse vociferantur, si quis ab ipsis rationes dictorum exigat. Num ergo Paulo præstantiores sunt, qui suas conciones ad scripturæ canonem probari passus est? Vel num hodie hæreticus erit, qui hoc ipsum fecerit, quod Berrhœenses isti, pro germanis vereq; ingenuis dei filijs commendantur? Quid quòd Paulus ipse se piorum censuræ subijcit? Eius enim verba sunt: Si ego ipse Paulus siue angelus de cœlo prædicauerit aliud euangelium, præter id quod prædicatum est, anathema censeri meretur. Galat. 1. Et Christus hoc ouibus suis proprium esse ait, quòd inter suam & alienã vocem discernant, & suam solummodo sequantur. Iohan. 10. Cæterum breuis quoq; credentium catalogus, quem Lucas conscripsit, inspiciendus est, quem ex omni hominum genere collectum esse videmus. Credunt primò Iudæi multi, licet gentis illius repudium iam instaret. Non potest tamen sui fœderis in vniuersum oblivisci deus, quin iuxta promissionem reliquias saluas faciat. Isa. 10. Accedunt his ex gentibus mulieres honestæ siue nobiles & illustres. Demum uiri quoq; non pauci numerantur. Vnde patet, gratiam dei, quæ in Christo nobis collata est, ad omnes hominum ordines pertinere, nec quenquam ab ea vel propter patriam & nationem, vel propter sexum aut vitæ conditionẽ excludi. Nam in Christo Iesu non est Iudæus neq; Græcus, non est seruus neq; liber, non est masculus neq; fœmina, &c. Galat. 3. Quod vt consolationi seruit, ita singulos docet, vt communionis Christianæ memores, neminem præ se insolentius contemnant.

II. Berrhœensis ecclesiæ turbatio.

Sed videamus, quid Berrhœæ aduersus Christi regnum tentarit satanas. Idem nimirum quod etiam alibi. Neq; enim huius progressum ferre potest, quo suum regnum labefactari & euerti uidet. Quia verò neminem in ea vrbe suo instituto idoneum reperire potuit, Thessalonicenses Iudæos euocat, qui Christi fidem propagari indignè ferentes aduolant, & Berrhœæ etiam turbarum authores sunt. Eodem ergo hic stratagemate satan utitur, quo illum apud Lystrenses quoq; usum esse, supra vidimus: id quod hodie etiam illi peculiare est, vt aliunde adducat regni Christi turbatores, si illos alicubi deesse viderit. Et mirum est quàm industrij sint in hoc officio prætãdo Monachi, quos ille non per vrbes modò, verumetiam per Regum aulas dispergere, imò in intima illorum consilia insinuare nouit, vt illorum suggestionibus fascinati principes, veritatis doctrinæ aures præcludant. Interim vide hoc loco incurabilem Iudaicæ gentis malitiã, qua exacerbati non modo ipsi fidem Christi explodunt, sed ne alios quidem illius luce illustrari ferre possunt: ut non temere illos tam grauiter

Paulus

Paulus notat in priori ad Theß. epistola secundo capite. Sed similes horum sunt, quotquot hodie sese diabolo organa præbent ad Christi fidem oppugnandam, & inde summam laudem captant. Meminerint tamen se idem iudicium subituros, cuius exemplum magno cum totius mundi stupore in Iudæis editum est. Iam olim enim prædixit spiritus sanctus, ferreo Christi sceptro confringendos esse omnes eos, qui verbo illius corrigi & emendari nolunt. Psal. 2. Nec desunt potentißimorum regum exempla, qui seueram hanc Christi uindicis sententiam magno suo malo experti sunt: de quibus cùm alibi copiose dictum sit, in præsenti paucis istis contenti sumus.

Quid verò furentibus iam turbis fratres faciunt? Num Paulum periculis objiciunt, aut saltem omni consilio auxilioq; destitutum deserunt? Nequaquam. Quin potius relictis Berrhœæ Sila & Timotheo, quibus non ita periculosum erat illic manere, Paulum subducũt, & ea in re singularem prudentiam adhibent. Nam iter mare versus instituunt; mox autem flexo cursu Athenas contendunt, vnde postea priorem ad Thessalonicenses epistolam Paulus scripsit. Obliquo autem itinere profectiesse videntur, quò facilius Iudæorum insidias uitarent, quos odio Pauli tantumnon furere videbant. Porrò obseruandum hic venit pietatis officium, quod suo doctori Berrhœenses præstant. Quis enim dubitet rem non modò magni sumptus & laboris, verumetiam periculi plenam fuisse, quam tentant? At nihil illos in pio officio remorari potest, eò quòd de accepto euangelij beneficio rectè iudicant, nec magnum esse arbitrantur, si pro æternæ salutis dono externum officium præstent. Hodie verò quia pauci diuinam gratiam, quæ euangelio offertur, rectè agnoscunt, omne periculum & labores omnes subterfugiunt. Sed ferè fit, vt qui pro Christi causa periclitari noluerunt, postea maioribus turbis ob causas minus sanctas implicentur. Admonet præterea locus hic, prudentiam cum fide nequaquam pugnare. Iubet enim Christus, ut ab hominum insidijs caueamus, & serpentina aduersus illas utamur prudentia. Matth. 10. Opus enim illa est propter filios huius seculi, quos in sua generatione prudentiores esse quàm filios lucis, ipse Christus testatur. Luc. 16. Meminerimus tamen metas certas carnis rationi ponendas esse, ne quid ex huius consilio & suasu præter officium faciamus. Qua in re non aliud tutius remedium erit, quàm si intellectum omnem fidei obedientiæ subjiciamus, ut alibi Paulus monet. Ita fiet, vt nec temere periclitando deum tentemus, nec veritatis causam turpiter deseramus, sed media via ingreßi officium faciamus, cum Christo Iesu, cui seruimus, olim in cœlis regnaturi. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternũ. Amen.

III. Paulus Berrhœa decedit.

HOMILIA CXVI.

Paulus autẽ cùm Athenis eos expectaret, incandescebat spiritus eius in ipso, cùm uideret idololatriæ deditam ciuitatem. Disputabat igitur in Synagoga cum Iudæis & religiosis, & in foro quotidie cum his, qui in ipsum incidebant. Quidam autem Epicuræi & Stoici philosophi disceptabant cum eo. Et quidam dicebant: Quid sibi uult hic spermologus dicere? Alij uerò: Nouorum dæmoniorum uidetur annũtiator esse, quòd Iesum & resurrectionẽ annuntiaret eis. Et apprehensum eum in Areopagum duxerunt, dicentes: Possumus ne scire, quæ sit ista noua, quæ à te prædicatur, doctrina? Noua enim quædam ingeris auribus nostris. Volumus ergo scire, quid nam uelint hæc esse. Athenienses autem omnes & qui illic uersabantur hospites, ad nihil aliud uacabant, nisi ad dicendum uel audiendum aliquid noui.

Descripsit hucusque Lucas varias Pauli apostoli peregrinationes, quibus tot gentes & vrbes euangelij prædicatione illustrauit, ut non temere alicubi se plus omnibus alijs apostolis laborasse dixerit. Porrò ne quis illum obscuros tantummodo rerumq; imperitos homines elaborato dicendi artificio traxisse putaret, non sine certo diuinæ prouidentiæ consilio tandem Athenas venit, qua nescio si quæ unquam vrbs fuit celebrior. Vetustate enim plures alias vicit, vt quæ primum regem Cecropem circa Mosis tempora habuerit. Postmodum victorijs aduersus Persas clara summam liberatæ è Barbarorum manibus Græciæ laudem sibi vendicauit. Ingeniorum felici acumine

Athenarũ laus.

omnes alias excelluit. Huic enim Socratem, Platonem, Xenophontem, Cratem & infinitos alios, sapientiæ titulo celebres, debemus. Quæ causa fuit, vt ibi vniuersalis quædam mundi totius schola constitueretur, ad quam ex toto orbe, ceu unicam sapientiæ sedem & arcem nobilissimi quiq; confluebant. Tantaq; fuit penes illam sapientiæ existimatio, vt Romani, cùm Asiæ domini facti essent, suos filios nuspiam terrarũ sapientiæ præceptis simul & exemplis melius quàm Athenis instrui posse putarent, sicuti Ciceronis ad filium in libros Offic. præfatio testatur. Et vt multis alijs rebus, ita etiam religione & gentilitio deorum cultu reliquis præstare uidebantur, eò quòd apud illos Mineruæ simulachrum uiseretur, quod cœlo delapsum esse credebatur, & inter deos multi numerarentur, quos Athenis natos esse gloriabantur. In eam vrbem Paulum apostolum dominus ablegat, ut ipsius ministerio ad veræ fidei obedientiam reducatur. Nec id absque fructu tentatum esse, rei exitus probabit. Estq; hoc memorabile tum bonitatis dei tum potentiæ euangelij exemplum. Quis enim non diuinæ bonitatis ineffabilem gratiam agnoscat, quando idololatriæ simul & humanæ sapientiæ tenebris planè immersam ciuitatem tam amicè à deo respectam fuisse audit? Rursum quis non euangelij inuictam virtutem admiretur, quando sapientissimos in orbe viros per hoc conuictos esse videt, idq; Pauli ministerio, qui nihil quàm plagarum vestigia secum afferebat, & tot vrbibus eiectus nulla in mundo authoritate pollebat? Dignissima ergò consyderatu est conuersionis Athenarum historia, cuius primum actum in præsenti Lucas commemorat, docens primò quid ibi Paulus egerit, deinde vt eius doctrina, cùm primùm prædicaretur, à plerisque illius loci hominibus fuerit excepta. Nos de singulis ordine dicemus.

Paulus Athenis docendi occasionem captat.

Paulus Silæ & Timothei aduentum expectans Athenis, interea urbem vndiquaq; circuit, mores & ritus consyderat, adeò ut ne templa quidem prætermittat, sed illa quoq; ingressus contemplatur, quemadmodum ex ipsius oratione infrà patebit. Videns autem tantam ciuitatem præ alijs, quas hucusque viderat, idololatriæ deditam & immersam esse, totus excandescit spiritu, indignè nimirum ferens dei cultum tam iniquis modis prophanari. Nam vt non alio peccato magis quàm idololatria deus offenditur, ita hoc ipso sanctorum animi quàm maximè irritari solent, eò quòd illi nihil antiquius & charius ducant, quàm supremi numinis gloriam. Hinc est, quòd Moses conspecto vitulo aureo, sui tantumnon oblitus, legis tabulas confringit, & in puluerem redactum vitulum in aquas spargit, vt demum illum suum haurire & in ventrem demittere idololatræ cogerentur. Eodem zelo Elias accensus, Baalis sacerdotes propria manu iugulat, quem non malè imitatus Iehu diuino testimonio commendatur. Hoc ipso Iosiam flagrauisse scriptura docet, quando idololatrarum sacerdotum ossa in ipsorum altaribus combussit, vt abundè perspecta omnibus fieret tanti flagitij indignitas. Quid de prophetis dicemus, qui vix alia in re ingenij & eloquentiæ suæ vires magis intendunt, quàm cum illis de simulachris sermo est. Tunc enim nec serijs nec ludicris abstinent, vt rem deo exosissimam satis exagitent. Admiranda ergo & stupenda est illorum contumacia, qui hodie cùm Christiani & euangelici haberi velint, simulachra tamen tuentur, & pro illis contra fratres, Christianæ fidei professores, certamen suscipiunt, & inuidiosis nominibus Iconomachos & Iconoclastas eos dicunt, quorum zelus tot scripturæ testimonijs & sanctorum exemplis commendatur. Interim admonet nos Pauli exemplum, zelo opus esse omnibus ijs, qui in Christi causa & regno dei cum laude & fructu versari voluerint. Quia enim pertinacissimum est impietatis malum, nunquam sine zelo feruentissimo euelli poterit. Excitet hunc in nobis Christi exemplum, qui cùm patris sui domum in emporium conuersam esse videret, quasi oblitus solitæ mansuetudinis, flagello è proxime collectis funibus facto impios mercatores templo eijcit, Dauidicum illud discipulis in animum reuocans: Zelus domus tuæ exedit me. Iohan. 2. Psal. 68. Admonet nos hîc officij nostri dominicæ orationis consyderatio, cuius præcipuæ petitiones sunt, ut dei nomẽ sanctificetur, & regnum eius adueniat. At quomodo hæc non fucato animo precabuntur, quos nulla mordet diuini nominis prophanatio & regni dei euersio? Minimè ergo audiendi sunt ambidextri illi, qui cùm religionis causam tractant, nec frigidi sunt nec tepidi, & contra Eliæ dictum in vtranq; partem claudicant, summam sibi laudem ex eo venantes, si in nullius verba iurent, & omnibus ex æquo amici sint. Tales olim Laodicenses erant, quos se euomiturum esse, Christus minatur. Apoc. 3.

Sed ut ad Paulum redeamus, num ille intra se tantum æstuat & ob idololatriam visam indignatur? Imò vrbis tantæ reformationẽ meditatur, homo peregrinus & nullius apud illos nominis. Mox ergo publicè de religione uera disputat & Christum Iesum prædicare incipit. At quot obsecro res erant, quæ illum reuocare poterant, si carnis rationes audire voluisset? Cogitaret enim: Tune in urbe celeberrima eam religionem labefactare audebis, quæ tot seculorum vetustissima consuetudine commendatur, totáque prosperis rerum successibus & victorijs gloriosissimis hucusque confirmata est? Túne cum acutissimis hominibus & disputando exercitatissimis congredieris, qui philosophiæ ipsorum rudimenta uix dum salutauisti? An ignoras quàm inuisæ quamque periculosæ sint mutationes omnes, maximè autem illæ, quarũ authores peregrini sunt, quos in aliena republica curiosos esse debere cõmunis sensus prohibet? Hæc & infinita alia Paulo in mentem venisse verisimile est, quando & homo erat, & longo rerum vsu didicerat, quid facto opus esset. At procul valere iussis rationibus istis, rem ipsam fortiter aggreditur: suo exemplo docens, eos qui in dei vocatione versantur, nullas carnis rationes admittere debere, quibus ab officio reuocari possint. Nã si has audire voluissent prophetæ & apostoli, nemo vnquã illorum officiũ fecisset, quin potius Ionam imitati, fuga transmarina sibijpsis consulere conati essent. Nam Mosen dei mandato reluctari & imperium detrectare videmus, quàm diu rationẽ secutus suam infantiã & ruditatẽ cum illius iussis confert. Vide Exod. 4. Cogitemus ergo, nõ ex nostro sed dei arbitrio res omnes pendere, qui in sua vocatione ambulantibus etiam facilè sternere poterit. Cogitemus item dei verbum omnibus obstaculis, quæ mundus obijcit, potentius esse. Est enim gladius utrinque acutus & ad medullas usque penetrans: est ignis deuorans & petras cõminuens. Hebr. 4. Ierem. 23. Hoc igitur animati strenuè tentemus quodcunque deus iniunxerit, illi permittentes rei euentum, qui ipsius auspicia secutis non potest non lætissimus obtingere.

Paulus Athenis de religione disputat.

Porrò ordinem quoque, quem Paulus in propagando apud Athenienses Christi regno secutus est, Lucas exponit. Primò cum Iudæis ea de re sermonem cõtulit, eò quòd illos facillimè omnium aures præbituros sciret Mosen & prophetas in medium adducenti. Inde eos quoque sibi instituendos sumit, qui ex Iudæorum conuersatione aliquem syncerioris fidei & religionis gustum perceperant, nondum tamen perfectè erant instituti. His verò fundamentis iactis quosuis in foro obuios aggreditur: & eò vsque progressus est, ut iam philosophi etiam, quibus ciuitas illa abundabat, disputationes contra Paulum instituerent. Ex multis uerò illorum sectis Epicuræi & Stoici potissimum in arenam descendunt, qui cùm inter sese toto cœlo dissiderẽt, nunc tamen in oppugnando veritatis ministro conuenire possunt. Epicuræi enim omnis veræ sapientiæ & politioris literaturæ hostes, summũ bonum in voluptate collocabant, honesta quidẽ illa (ut aiebant) utpote quæ animi tranquillitatẽ & corporis incolumitatem cõprehenderet, interim tamen non altius ascendendo absurdissimorũ dogmatum, quæ inde consequebantur, authores erant. Quia enim numinis metus & uitæ futuræ meditatio conscientijs terrores incutit, & acerba reddit externa omnia, dei prouidentiã simul et uitam futurã negabant. Deũ quippe ad cœli cardines obambulare & nulla mortaliũ rerum cura tangi fabulabãtur, animasque unà cum corporibus intermori. Vnde Sardanapalicũ illud concludebant. Ede, bibe, lude, post mortẽ nulla voluptas. Stoici autem his planè contrarij, summũ hominis bonum in virtute positum esse docebant. Quod licet in speciem plausibile & sanctum videatur, non minus tamen quàm Epicuræi à deo abstrahebant, eò quòd illos in proprijs operũ suorum meritis felicitatẽ quærere docerent. Rursum quia virtutis studiũ affectibus interturbari videbant, ab his alienissimos esse volebant summi boni sectatores, adeò ut nec secundis rebus lætitiã, nec in aduersis tristitiæ aliquã significationẽ præ se ferrent. Ex hominibus ergo truncos & lapides faciebant, ἀπαθεῖς nimirũ καὶ ἀστόργους, qui ne naturalibus quidem affectibus, quibus parentes & liberi inter sese tanguntur, obnoxij essent. Adhæc ex causarũ connexione fatum fingebant, cui ipse quoque deus subijceretur. Docent hæc quibus cum Paulo contentio fuerit, simulque admonent, qui nam hodie etiã, adeoque omnibus seculis, veræ doctrinæ & euangelij hostes sint. Licet enim olim apud solas gentes Epicuræorum & Stoicorũ nomina in usu fuerint, fuerunt tamen etiam in externo dei populo qui idem cum illis sentirent, nec illi etiam hodie desunt. Certè inter Iudæos olim Nabal fuit, qui diceret, Non est deus, & hunc suæ sententiæ innumeros socios habuisse, Dauid testatur. Psal. 14. & 53. Tales item erant, qui dicebant: Dominus non uidet, neque deus Iacob intelligit. Psal. 94. De nouissimis uerò temporibus, in quæ nos incidimus, Christi & apo-

Quo ordine Paulus Athenis docuerit.

lorum oracula extant, quæ Epicureismum planè regnaturum docent. Ait enim Christus: Sicut accidit in diebus Noe, ita erit & in diebus filij hominis. Edebant, bibebant, vxores ducebant, & dabantur nuptum, ad eum vsq; diem quo intrauit Noe in Arcam, &c. Luc. 17. Et Petrus nouissimis diebus illusores venturos esse prædicit, qui iuxta proprias concupiscentias ambulent & dicant: Vbi est pollicitatio aduentus eius? Siquidem ex quo die patres dormierunt, sic omnia permanent ab initio conditionis, &c. 2. Pet. 3. Atqui tales hodie passim cernunt, qui licet Epicureismum non disertè profiteantur, ita tamen viuunt, vt illos nec deos nec uitam futuram credere cuiuis facilè pateat. At ijdem euangelij lucem ferre non possunt, eò quòd hac (vt Christus Iohan. 3. ait) opera ipsorum mala arguantur. Simili ratione Stoicorum dogma omnibus seculis reperire licet. Hoc enim inter Iudæos olim pharisæi tenuerunt, qui ut suorum operum iustitiæ confidebant, ita Christi hostes omnium acerrimi fuerunt. Horum ordo (vt supra Cap. 15. uidimus) primitiuæ ecclesiæ turbatores dedit, qui euangelium cum lege & operum merita cum fide miscebant. Patrum temporibus Pelagiani exorti sunt, eiusdem doctrinæ assertores. Quòd si eosdem nostro seculo quæras, Monachos reperies, quos iuratos Zenonis discipulos iure dixeris. Nam præter id quòd felicitatem suis uirtutibus ascribunt, simul etiam Stoicam indolentiam docent & seuere exigunt: imò στοργὰς, quas natura hominum mentibus inseuit, eradicare student. Quid enim aliud faciunt, cùm parentes proprios liberos abnegare, & monasterijs includere iubent? Quando item liberos instituunt, vt omni parentũ amore & cura abiecta solis monasticis legibus uacent? Notum est lippis & tonsoribus quàm dura & indigna dictu & creditu tenellis animis instillent. Qui verò tales sunt, non possunt nõ euãgelij hostes esse, quod uesanos istos & furiosos errores liberè accusat & damnat. At non ideò cedendũ talibus, imò contra illos sedulò, iuxta Pauli exemplũ, pugnare conuenit. Qua verò ratione nobis pugna hæc ineunda sit, eodem docemur. Nec enim dubium est, quin argutis fallacijs & verbosis concertationibus Philosophi causam suã tueri voluerint. Sed inanes uerborũ contentiones Paulus deuitans, unum Christum Iesum & mortuorũ resurrectionem illis proponit, docens duo hæc omniũ philosophorũ & hæreticorũ delirijs confutandis sufficere. Si enim Christũ Iesum expiandis hominũ peccatis & saluando humano generi in mundũ misit deus, nec Epicuræorũ nec Stoicorum siue iustitiariorũ dogma subsistere potest, qui uel deum humana curare negant, uel nostrorum operum meritis salutẽ tribuunt. Rursum, si mortui resurgunt, uitam aliam superesse necesse est, & proinde stultissimum fuerit hominũ felicitatem in præsentis seculi uoluptate collocare. Posset hoc ipsum ad omnes sectas & hæreses extendi, sed monuisse sufficiat unius Christi Iesu cognitione & resurrectionis articulo ita omnem fidei & salutis causam cõtineri, ut quicũq; in his probè instructus fuerit, facilè omnes hæreses cõfutare queat. Simplex igitur est salutis ratio, nec verbosis demõstrationibus & inanibus sophistarũ argutijs indiget. Hanc qui cõstanter olim urgere solebãt, omnibus hæreticis, licet argutissimis, facilè superiores extiterunt. Libet hoc loco cõmemorare quod in Nicæna Synodo philosopho cuidã dialecticis argutijs exercitatissimo cõtigisse, Sozomenus refert. Cùm enim ille noua quotidie certamina episcopis moueret, qui & ipsi ingenij dexteritate & arte freti cũ illo disputabant, nec à quoquã constringi posset, quidã simplicissimæ naturæ uir, qui nihil nisi Iesum Christũ, et hunc crucifixũ, nouerat, illum aggressus ait: In nomine Iesu Christi philosophe audi quæ vera sunt. Deus unus est, qui fecit cælum & terrã, quiq; homini de terræ limo formato spiritum dedit, vniuersa quæ videntur & quæ non videntur virtute verbi sui creauit, & spiritus sui sanctificatione firmauit. Hoc verbum & sapientia, quem nos filium dicimus, humanos miseratus errores, ex uirgine nascitur, & per passionem mortis à perpetua nos morte liberauit, & resurrectione sua æternã nobis contulit uitã. Quem & expectamus iudicẽ omnium, quæ gerimus, esse uenturũ. Credis hoc ita esse, philosophe? Tum ille ac si nullam unquã cõtradicendi artem didicisset, obstupefactus, Credo ait. Et ad discipulos totamq; auditorũ coronam conuersus, dicit: Donec verbis mecum gesta res est, verba verbis opposui, & quæ dicebantur dicendi arte subuerti: ubi uerò pro uerbis virtus processit ex ore dicentis, non potuerunt uerba uirtuti resistere, nec homo deo aduersari potuit, &c. Adeò potens est simplex Christi assertio, quam quicũq; philosophorũ argutijs permiscent, languidã reddunt & miserè eneruant, quod in scholasticis doctoribus non obscurè cernitur.

SED docet præterea diuersissimarum sectarum aduersus veritatẽ conspiratio, quàm impossibile sit euangelij doctrinam absq; disceptatione mundo prædicare, quando huic contraria est, in quamcunq;

partem

partem inclinet, mundi ſapientia, ſiue nimirum uirtutis ſtudium explodat, ſiue urgeat & amplectatur. Ridicula ergo ridiculi ſunt, qui hoc à nobis hodie exigunt, quod nec Chriſtum nec apoſtolos præſtare potuiſſe conſtat.

Reſtat ut uideamus, quomodo ab Athenienſibus Pauli doctrina excepta ſit: ubi duo ſe produnt hominum genera. Alterum eorum eſt, qui oblatam ſalutis prædicationem cum conuitio excipiunt, dicentes: Quid ſibi uult ſpermologus ſiue nugator ille dicere? Atqui inter ſapientiæ profeſſores iſti inueniuntur. Adeò inepta eſt ad percipiendum regnum dei humana ſapientia, ut illi ſtultitia uideatur quicquid de Chriſto & uita æterna prædicatur. Vbi habes quod illis reſpondeas, qui nobis hodie ſapientiſſimorum et maximorum hominum authoritatem totumq́ illud mundi ſupercilium obijciunt. Nam ſi iſta ualerent, haud dubiè cauſa ſua Paulus apud Athenienſes cecidiſſet. Alterum uerò genus curioſorum eſt, qui cum nouos deos aut ſemideos prædicari putarẽt, Paulum abreptum in Areopago ſiſtunt, ut ibi publicè ſuæ doctrinæ rationem reddat. Confluit ergo ad illum infinita ocioſorum hominum turba, tam ciuium quàm hoſpitũ, quibus hoc unum curæ fuiſſe Lucas ſcribit, ut noua quotidie audiendi ſiue dicendi copia ſibi fieret. Ea uerò occaſione deus facit, ut in celeberrimo totius orbis loco Chriſtum prædicet. Interim docet locus hic, quæ euangelij in hoc mundo ſors ſit. Aut enim turpiſſimè à manifeſtis hoſtibus exploditur, aut eo non minori turpitudine leuiſſimi homines abutuntur, ut ipſorum affectibus inſeruiat, qui ſi illud uotis ſuis minus reſpondere uideant, iam ipſi quoq; manifeſti hoſtes fiunt. Hæc uero quia omnibus ſeculis factitata ſunt, neminem offendere debent, quin potius Pauli conſtantiam imitati, mundi leuitatem non unius aſsis æſtimemus, ſed inuicta fide utamur ſaluatori noſtro Ieſu Chriſto, qui reiectus licet ſit ab ijs, qui eccleſiæ dei ædificatores haberi uolunt, eſt tamen factus caput anguli. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

Vt Pauli doctrinam Athenienſes exceperint?

HOMILIA CXVII.

Stans autem Paulus in medio Areopagi, ait: Viri Athenienſes, per omnia ferè ſuperſtitioſiores uos uideo. Præteriens enim & contemplans religiones ueſtras, inueni & aram, in qua ſcriptum erat, Ignoto deo. Quem igitur ignorantes colitis, hunc ego annuncio uobis. Deus qui fecit mundum & omnia quæ in eo ſunt, hic cœli & terræ cum ſit dominus, non in manufactis templis habitat, nec manibus hominum colitur, indigens aliquo: cum ipſe det omnibus uitam & halitum per omnia.

Paulus apoſtolus in priori ad Corinthios ait: Nos prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem offendiculũ, Græcis uerò ſtultitiam. Quia enim carnis ratio in ea duntaxat, quæ ob oculos uerſantur, reſpicit, nec percipit ſpiritus dei myſteria, non poteſt illi non ſtultiſſimum uideri, ſi quis in Chriſto crucifixo & publica infamia notato ſalutem quærat. Id cum alibi, tum Athenis Paulus ipſe expertus eſt. Cum enim in ea urbe inter ſapientiſſimos, qui illo ſeculo habebantur, Chriſtũ prædicaret, adeò non auditur ab illis, ut uix uſpiam alibi minus profeciſſe uideri poſſit. Alij enim illius doctrinam cum conuicio excipiunt & explodunt, alij uerò curioſitate moti ſuis affectibus illam accommodant. Interim in tanta hominum corruptione admirabilis dei ſapientia elucet, quæ perditiſſimo curioſorum hominum affectu bene utitur. Ea enim occaſione fit, ut Paulus in Areopagum, ceu in frequentiſſimum totius orbis theatrum, productus euangelium Ieſu Chriſti prædicet. Argumentum uerò concionis eſt, quòd Athenienſes à ſuperſtitione & idololatria ad unius & ueri dei cultum per Ieſum Chriſtum reuocare conatur. Primò igitur amicè illos arguit & nimiæ ſuperſtitionis accuſat. Inde de deo & uero illius cultu diſſerit, eorum ſimul ſtultitiam taxãs, qui deum ſimulachris aut illis alijs hominum inuentionibus coli poſſe exiſtimant. Tandem ad Chriſti cauſam propius deſcendit. In præſenti tamen exordium cum paucis alijs, quæ huic cohærent, excutiemus.

Argumentũ concionis Pauli.

Exordio breui utitur, quo ſe artificioſè inſinuans ſimul propoſitionem & ſummam concionis comprehendit. Viros Athenienſes uocat, eò quòd iſte titulus apud illos honorificentiſſimus haberetur,

I. Exordium cum inſinuatione.

quemadmodum Demosthenis & aliorum orationes docent. Ignorauit enim uetustas ambitiosorum titulorum insolentiam, quibus hodie dementari & inebriari gaudent superbissimi uanissimiq; homines, qui omnem gloriam in illorum splendore sitam esse arbitrantur. Porrò amicè admodum sese illorum animis insinuat, ne orationis principio offensi, aures præbere negarent. Ait enim: Per omnia ferè superstitiosiores uos esse uideo. Laudatur uestra ubiq; sapientia & prudentia, sed in religione non nimij modò, uerumetiam rerum omnino incerti esse uidemini, adeò ut minimum sapiatis, ubi cumprimis sapere oportebat. Ne quis uerò illum mendacij argueret, publica altaris cuiusdam inscriptione probat quod dicit. Quæ qualis fuerit, alij curiosius inuestigauerunt. Græca scholia Philippidæ cuiusdam historiam adducunt, & inscriptionē eiusmodi fuisse tradunt: Θεοῖς ἀσίας καὶ εὐρώπης καὶ λυβίης, θεῷ ἀγνώστῳ καὶ ξένῳ. Id est, Dijs Asiæ & Europæ, & Aphricæ, deo ignoto & peregrino. Ego talem omnino fuisse crediderim, qualis à Paulo recensetur. Nec enim calumniatorum nomen effugere potuisset, si altaris inscriptionem, quæ illis haud dubiè sacro sancta erat, mutatis uerbis citauisset. Sed institutum Pauli cumprimis obseruare conuenit, quod est, ut Athenienses nihil in religione certi & solidi habere, sed incertis superstitionibus uagari euincat, quando non contenti Dijs patrijs & gentilitijs, ignotum quoq; colant. Nec dubium est prudentiores & cordatiores his dictis non leuiter perstrictos & commotos fuisse. Quare ne illos diutius suspensos teneret, se ueri dei, quem hucusq; ignotum sibi coluerint, cognitionem ueram traditurum esse pollicetur. EST autem cumprimis memorabile, quòd in religione præ omnibus alijs gentibus Athenienses errauerunt, quibus non alij sapientiores & doctiores habebantur. Abundabat enim illorum urbs acutissimis philosophiæ professoribus, ad quos audiendos (ut nuper diximus) ex toto ferè terrarum orbe sapientiæ candidati confluebant. Docet exemplum hoc quàm turpis & noxius illorum error sit, qui ad Theologiæ studium non antea iuniores admittūt, quàm cum gentilium philosophia ebrij & ad fidei obedientiam planè inepti facti sunt: cum non alij felicius promoueant, quàm qui abnegato propriæ rationis acumine, intellectum omnem fidei subijciunt. Præterea obseruemus hoc loco, Athenienses eo potissimùm nomine falsæ religionis accusari, quòd deum ignotum colerent. Inde enim illos nihil in religione certi habere, Paulus probat. Patet hinc, religionem absq; ueri dei cognitione consistere non posse. Nec enim Paulus solus, uerumetiam Christus hoc ipso argumento contra Samaritanam utitur, quando illorum religiones omnes uno quasi ictu iugulaturus ait: Vos adoratis quod nescitis, &c. Iohan. 4. Nam religionem præcipuè in fide uera & inuocatione consistere, tota scriptura docet. Sine fide enim aliquem ad deum accedere & illi placere, impossibile est. Heb. 11. Et ipse deus cultum hunc maximè requirit, ut in tribulationibus ab ipso opem & liberationē petamus. Psal. 50. At nisi dei cognitione illuminati simus, nec credere, nec deum inuocare poterimus, quod eleganti gradatione Paulus ad Romanos Cap. 10. docet. Qui inuocauerit (inquit) nomen domini, saluus erit. Quomodo inuocabunt autem eum, in quem non crediderunt? Quomodo autem credent, si non audiuerint, &c? Accedit his, quòd qui deum non uerè nouerunt, ad suæ rationis figmenta conuertuntur, in quibus nihil certi esse, hoc uno argumento luculentissimè apparet, quòd noua quotidie uel ipsi fingunt, uel ab alijs conficta amplexantur, iuxta illud Christi: Quisquis de aqua hac (elementali nimirum & proprijs uiribus hausta) biberit, sitiet iterum, &c. Iohan. 4. Exempla, quibus hoc probetur, passim extant. Quod enim Athenienses hoc loco plusquam stultè fecisse audimus, quando deum coluerunt, quem se ignorare publica inscriptione fatebantur, id ipsum omnibus alijs euenisse ad Rom. 1. cap. legimus. Num enim gentes immortalis dei gloriam in imaginem mortalis hominis aut etiam bruti animantis commutaturas fuisse putas, si illum rite agnouissent? Num nouos quotidie cultus, ab exteris petitos, recepissent? Num publico Senatusconsulto deos suos & illorum cultus cōfirmari aut exauthorari posse putassent, quod Romanos fecisse Tertullianus in Apologetico suo testatur? Quàm stulta naucleri uox est, qua Ionas iubetur suum deum inuocare, si forte se exaudiat, quando alij Dij hucusq; frustra implorati sint? At quod in gentibus stultitia censetur, hoc ipsum Israelitis, Baalim colentibus, Elias exprobrat. 1. Reg. 18. Et deus non semel de Dijs in infinitum multiplicatis conqueritur. Atqui hos omnes olim peccauisse fatemur. Interim eadem in Papatu iam seculis aliquot factitata esse, & adhuc fieri, pauci ex animo agnoscunt. Quid enim in illo certi est, quando nouos quotidie Diuos Diuasq; creat Pontifex? quando noui quotidie cultus instituuntur? quando mortui

Athenienses reliquis superstitiosiores.

Religio absque dei cognitione nulla est.

mortuis quidem securis esse licet, cum ab ipsis adhuc tributum exigat insatiabilis sacrificulorũ auaritia, quæ mortuorum animas in purgatorio excruciari & excoqui fingit? Annon ibi deus ignotus colitur, deus Maozim nimirum, quem (ut Daniel ait) patres omnes ignorauerunt, qui uel ex pane fit, uel in panem conuertitur? Atqui utinam hæc expenderent hodie homines, & discerent quàm miserum sit ueritatis luce destitui. Qui enim illa carent, cum apud seipsos rerum omnium in religione incerti sunt, tum coram deo operam omnem ludunt, qui humanis traditionibus coli nec uult nec potest. Isa.29. Matth.15. Paulum ergo & apostolos audiamus, quos in eum finem deus instituit, ut sui cognitionem ueram uerumq; cultum cæco mundo traderent.

II. Dei ueri cognitionem Paulus tradit, &c.

Porrò omnia hæc in secunda suæ concionis parte Paulus sic tradit, ut simul gentilitios errores refellat, ex quibus exorti sunt, qui hodie adhuc mundum dementant. Interim licet illi cum acutissimis philosophis & hominibus curiosissimis res sit, non tamen argutè de dei essentia (quàm inscrutabilem esse, ipse deus testatur. Exod.33.) disputat, sed ab operibus deum describens, quid de illo credi fas sit, & quomodo coli debeat, admonet. DEVS (inquit) qui fecit mundum & omnia quæ in eo sunt, hic cœli & terræ cum sit dominus, &c. Videtur hæc Epicuræis opponere, qui mundum uel ab æterno esse, uel sponte & temerè ex atomis emersisse, deo certè nequaquam curæ esse, docebant. At Paulus mundi creatorem simul & dominum esse ait deum, & hoc quasi irrefragabile ponit suæ doctrinæ principium, quod nemo negauerit, nisi qui communi etiam sensu careat. Ex eo autem colligit, uanam esse templorum religionem, quæ apud Græcos tanto in precio & authoritate erat, ut Persas non alio nomine magis odissent, quàm quòd illi templa Græciæ passim exusserant, eò quòd illa superstitioni potius quàm pietati seruire uiderent. Ita uerò argumentatur Paulus: Qui omnium dominus est, ubiq; præsens adsit oportet. Deus uerò ut omnium creator, ita etiam omnium dominus est. Ergo ubiq; præsens est, & per consequens non inhabitat templa, quæ hominum manibus extructa sunt. At quod aduersus gentes dicitur, qui religionem ex templorum splendore metiebantur, & illis dei maiestatem, potentiam & gratiam alligabant, hoc ipsum cõtra omnes eos facit, qui cum ueri dei cultu glorientur, hoc ipso tamen errore ebrij delirant. Solomon certè cum immensis sumptibus templum extruxisset, tandem deo ait: En cœli cœlorum te non capiunt, quantò minus ædes ista quam extruxi? 1. Reg.8. Et ipse deus apud Isaiam cap.66. dicit: Cœlum mihi solium est, terra uerò scabellum pedum meorum: ubi igitur erit domus ista, quam ædificabitis mihi? Ieremias quoq; duriter admodum Iudæos, templi religione confidentes, reprehendit. Vide Ierem.7. Quid, quòd Christus ueros adoratores non certis locis alligatos esse, sed passim in spiritu & ueritate adorare docet? idemq; minimè credendum esse ijs monet, qui dei gratiam uel sui meriti effectum certis in locis monstrent. Iohan.4. Matth.24. Tollitur ergo his uniuersa peregrinationum religio, in quibus stultissimi homines, gentilitio prorsus errore, summam salutis collocatam esse putant. Nec tamen ideo templorum usum in uniuersum damnamus. Externæ enim religioni seruiunt, quæ propter fidei professionem & fouendum unanime pietatis studium necessaria est: dum in illis ad audiendum dei uerbum, ad preces publicas & sacramentorum administrationem conuenitur. Quibus rebus templa sic consecrata esse debent, ut nefas putemus illa prophanis usibus polluere.

Templorum religio uana est.

Deus non colitur sacrificijs.

Sed pergens in dei descriptione Paulus, illum nullius indigum esse dicit. Vnde colligit, eundem non coli manibus, deniq; religionem in nullis externis hominum officijs consistere. Antecedens autem per id probat, quòd illum omnibus uitam & halitum largiri docet. Eo argumento inanem sacrificiorum fiduciam impugnat, in quibus præcipuam religionis partem ueteres repositam habebant. Videtur uerò Paulus argumẽtum ex dei uerbis sumpsisse, quibus ille Israelitas accusat, quòd se sacrificijs coli & placari putarent. Nam Psal. 50. ait: Non est ut accipiam de domo tua iuuencum, nec de caulis tuis hircos. Meæ siquidem sunt omnes feræ syluarum, & pecudes in mille montibus. Noui cunctas in montibus uolucres, penes me sunt animantes agrestes. Si esuriero, non est ut tibi indicem, &c. At eodem argumento totam Papisticam religionem damnari constat. Quid enim in illa aliud fit, quàm quòd infelici superstitione decepti homines, egentibus à Christo commendatis, officia sua subtrahunt, eaq; offerunt Diuis non egentibus, imò qui nec norunt nos? Isa. 63. Quid quòd maxima donariorum pars simulachris cedit, sensu quoq; carentibus? uel sacrificulis luxu & libidine diffluentibus? Interim tam altas radices egit superstitio, ut hominem spoliatum iugulare

minus nefas putetur, quàm ex altari aut imagine detracto uelo aliquo uestire pauperem. O mores, ô tempora.

Sacrificiorum ratio.

At obijciat aliquis: Si sacrificijs non colitur deus, cur illa in populo suo per Mosem instituit & requisiuit? Sed obseruemus duo potissimùm fuisse sacrificiorum genera. Primum expiatoria pro peccatis habebat, quæ ita dicebantur, non quòd taurorum aut hircorum sanguine peccata expiari possent (id enim disertè Paulus negat ad Hebræos 10. cap.) sed quòd Christum figurarent, quem pro mundi peccatis præfinito tempore moriturum sancti & pij omnes credebant. Docebant præterea pecuinos affectus mactare, & spiritum contritum in dei conspectum afferre, quod sacrificium deo acceptissimum esse, Dauid testatur. Psal. 51. Alterum genus gratulatoria pro acceptis beneficijs comprehendebat. Sanguine uerò constabāt ferè omnia, quia nondum fusus erat Christi sanguis, quo solo patrem placari oportebat. Hoc igitur effuso, & peracto redemptionis nostræ mysterio, expiatorium pro peccatis, sacrificium nullū superest. Sufficit enim Christi meritum, nec alio sacrificio opus est, quemadmodum multis epistola ad Hebræos docet. Interim non carent sacrificijs Christiani, incruentis

Christianorum sacrificia.

uero, quia post effusum Christi sanguinem, nullus sanguinis pecuini aut etiam humani usus est in ijs, quæ ad ordinarium dei cultum pertinent. Seipsos enim deo uiuentes hostias statuunt. Rom. 12. Preces & gratiarum actiones per Christum offerunt. Opes uerò & pecunias, adde & cibos ac uestes, & quæcunque sunt eius generis officia, in pauperes conferunt, quos sibi Christus substituit. Matt. 26. & 25. Heb. 13. Qui istis rite defunguntur, religioni Christianæ satisfaciunt. Teneamus ergo Pauli sententiam, qui deum nullius indigere ait, colamus autem illum spiritu & ueritate, & externa in uiuas dei imagines, pauperes, conferamus, ut gratus deo esse possit cultus noster per Iesum Christum: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CXVIII.

Fecitque [deus] ex uno sanguine omne genus hominum, ut inhabitaret super uniuersam faciem terræ, definiuitque præstituta tempora & terminos habitationis eorum, ut quærerent deum, si forte palpent eum & inueniant. Quàmuis nō longè absit ab unoquoque nostrûm. In ipso enim uiuimus, mouemur & sumus: sicut & quidam uestratium poetarum dixerunt. Nam huius progenies etiam sumus. Genus ergo cum simus dei, non debemus æstimare auro uel argento uel lapidi, hominis arte & studio exsculpto, numen esse simile.

QVod in omnibus tum dictis tum factis suis quæsiuit Paulus, idipsum in concione sua Athenis habita, maximè effectum uoluit: nimirum ut auditores à superstitione & idololatria reuocatos ad ueri dei cognitionem & cultum adduceret. Id uerò fieri impossibile erat, nisi confutatis erroribus, quibus hactenus excæcati fuerant. Ne tamen prolixior fieret oratio, præcipuos tantum sibi confutandos sumit, ex quibus reliqui dependebant. Et in hesternis quidem contra inanem templorum & sacrificiorum fiduciam disseruit, docens nec templis deum includi, cum infinitus sit: nec sacrificijs coli, cum nullius egeat. In quorum tractatione sic uersatur, ut eadem omnibus illis confutandis seruiant, qui hodie religionem templorum & donariorum splendore aut magnificentia metiuntur. In præsenti uerò ipsum impietatis caput aggreditur, fictitios nimirum gentium deos, & simulachra impiosque illorum cultus, de quibus magno serio disputat, ostendens nimis turpem & pudendum errorem esse, quòd dei maiestatem & gloriam in miseros mortales & muta simulachra homines transferant. Et quia sibi cum illis rem esse nouerat, quibus in ea superstitione enutritis, hoc persuadere difficile erat, multa simul congerit, quæ tanti erroris atrocitatem amplificare poterant. Nec dubium est pluribus uerbis à Paulo tractata esse, quorum capita Lucas consignauit. Nos de singulis ordine dicemus.

Humani generis origo de unius dei cultu admonet.

Primò humani generis originem in mediū adducit. Deus (inquit) ex uno sanguine fecit omne genus hominum. Ex Adamo enim omnes omnium nationum & conditionum homines prognatos esse constat. Quorsum uerò ista allegat Paulus? Duo ex his colliguntur, quæ præsenti causæ non parum

rum seruiunt. Alterum est, non debuisse diuersis religionibus scindi eos, quorum unus creator, una et eadem origo est: sed potius in colendo suo creatore animos & studia sua omnia conferre. Gentium ergo leuitatem perstringit, qui non unum tantummodo deum falsum colebant, sed plures & diuersis deos fingendo inter sese multiuariàm dissidebant, in hoc uno concordes, quòd omnes simul à ueritatis uia declinarent. Inde uerò generalis doctrina peti debet, aduersus naturæ ordinem ab ijs peccari, qui in religione sectas & dissidia inuehunt. Authores enim sunt, ut suæ originis obliti homines creatorem quoque suum negligant. Multò grauius ergo illud peccatum est, quàm uulgò æstimari solet. Vtinam uerò inter Christianos hoc argumentum ualeret, qui cum unum creatorem & unam eandemq; originem profiteantur, adhæc uno omnibusq; communi saluatore, Iesu Christo, glorientur, infinitis tamen & nouis quotidie sectis sese scindi patiūtur, quæ à deo creatore & Christo saluatore longissimè abducunt. Et sanè deplorandum est, hodie inter Christianos homines minorem esse huius argumenti autoritatem, quàm olim inter gentes fuerit. Alterum quod ex humani generis origine Paulus colligit, est, ex hominibus nō debere nec posse deos fieri: qui error longè lateq; inter gentes dominabatur. Constabat enim omnibus, homines aliquando fuisse, quos illi pro dijs colebant. In Creta siquidem Iouis cunæ & sepulchrū seruabantur. Delos insula Apollinis & Dianæ. Thebæ Bacchi & Herculis natiuitate insignes erant. Et à natali solo Venus Cypria, Mars Thracius, Vulcanus Lemnius, Priapus Lampsacenus dicebantur. At Paulus absurdū esse docet, ut dij esse credantur, qui aliquando homines fuerunt, cum ex uno eodemq; sanguine uniuersum genus humanum prodijsse constet. Cæterum eodem argumento Diuorum cultus euerti poterit, quos pro dijs in Papatu coli manifestius est, quàm ut multis demonstrari oporteat. Illis enim uota fiunt, illi in aduersis inuocantur, illis sacrificatur, illis templa & aræ consecrantur, illis dies festi nuncupantur, illis deniq; acceptæ salutis gloria transcribitur. Atqui illos homines fuisse scimus, & quidem nobis ὁμοιοπαθεῖς, ut supra apud Lystrenses Paulus confessus est. Adhæc peccatores fuisse, tota scriptura testatur. Et apostoli non minus quàm nos, Christo iubente orarunt: Remitte nobis debita nostra, &c. Fieri ergo nequit, ut ijdem nunc dij facti, orbis dominium obtineant. Nec ideo illos contemnimus, aut debito honore spoliamus. Agnoscimus illos præclara fuisse gratiæ dei organa. Sed ex mera dei gratia hoc illis obtigisse dicimus, id quod illi de sese passim confitentur. Quare absurdum fuerit, in illis tanquam dijs hærere, & nō potius iuxta ipsorum doctrinam & exemplum, uni deo per Christum Iesum confidere, quem nobis quoq; eiusdem gratiæ mediatorem scriptura proponit. Imò non aliam maiorem Diuis iniuriam fieri posse putamus, quàm si in illos transferatur dei gloria, cuius acerrimi uindices illi fuerunt, adeò ut illam proprio etiam sanguine asserendam esse putauerint.

Sed ad Paulum redeamus, qui homines non modò à deo conditos, uerumetiam in terram collocatos fuisse, illamq; inhabitandam à deo accepisse dicit. Ne quis uerò inde Epicureum dogma hauriret, deumq; terras hominum arbitrio permisisse putaret, diuinæ prouidentiæ æterno decreto hoc unum factum esse docet. Deus (inquit) præfiniuit præstituta tempora & terminos habitationis eorum: id est, deus singulis gentibus & populis suas regiones attribuit, easq; certis finibus conclusit, idemq; tempora quoq; constituit, quibus iuxta æterna suæ prouidentiæ decreta uel oriri uel occidere debeant. Nihil ergo in terris fortuitò & citra dei prouidentiam geritur. Hæc uerò in eum finem Paulus allegat, ut euincat, omnes populos in uno uero deo colendo occupari debere, à quo suas regiones inhabitandas acceperint, & cuius prouidentia regantur simul & conseruentur. Ita uerò communem gentium errorem refutat, qui singulis nationibus & urbibus suos deos tutelares tribuebant. Athenienses enim Palladis numine se tutos esse credebant. Ephesus Diana protectrice gloriabatur. Cyprij Venerem sibi tutricem delegerant. Carthago sub Iunonis tutela degebat. Romani Marte progenitore & præside nitebantur. Imò eò usq; superstitio progressa erat, ut nulla domus esset, quæ non suos lares aut penates proprios coleret. Qui error inter Christianos quoq; inualuit, cum nulla reperiatur ciuitas, quæ non Diuum aliquem sibi uendicarit, cuius præsidio se tutam esse existimet. At Paulus deum regionum omnium distributorem, omniumq; populorum unicum præsidem esse docet: qui cum ubiq; præsens sit, nullo uicario indiget, qui illius uices suppleat. Interim obseruabis, deo non præscientiam modò, sed prouidentiam tribui, quæ omnes cum regiones tum populos regat, & cuius decreto fiant quæcunq; fiunt. Ab huius nutu regnorum uices pendere, tota scriptura do-

Prouidentia, unum deū esse colendum, monet.

cet, imprimis uerò Danielis de quatuor mundi monarchijs uaticinia. Ab eadem priuatorum hominum fortunæ pendent. Deus enim ex puluere (ut Dauides ait) egenum extrahit, eumq; inter populi sui principes collocat. Psal. 113. Exempla in Saule extant, Dauide, Ieroboamo, Cyro, Ottomanno & infinitis alijs, ut quotidiana omittam. Quid quòd ad minutißima quæq; sese demittit dei prouidentia, dum uolucres cœli curat, flores agri uestit, & capitum nostrorum pilos numeratos habet? Matt. 6.10. Longè ergo faceßant, qui in deo præscientiam solam agnoscunt, eumq; otiosum rerum, quæ in mundo geruntur, spectatorem esse fingunt. Nos potius illius prouidentia res omnes gubernari credamus. Id enim ut ad uitam piè instituendam plurimùm momenti habet: ita in aduersis haud uulgarem nobis consolationem afferre solet.

Finis creati hominis de unius dei cultu admonet.

Porro istis præmißis finem infert, propter quem homines creati & terræ incolatu donati sunt: qui est, ut dominum quærant. Dicuntur autem deum quærere, qui in eius cognitione sedulò uersantur, uoluntatem illius inquirunt, illum unicè colunt, eiq; ex animo seruiunt. Atqui hunc hominis finem esse, omnis scriptura docet. Et sanè æquum est, ut qui supremum in omnes alias creaturas dominium à deo acceperũt, illi uicißim toti addicti & dediti sint. Meminit uerò huius Paulus, ut ostendat finem suum eos ignorare & terræ incolatu indignos esse, quicunq; relicto deo uero fictitios colunt, & muta simulachra uenerantur. Elucet autem hoc loco stupenda humani generis corruptio. Nam si finem, ad quem conditi sumus, consyderes, patebit nihil minus facere homines, quàm quod illos facere decebat. Illorum erat deum quærere, in quo omnis nobis felicitas reposita iacet. At plerique incertas potius opes, uagos honores & impuras mundi uoluptates sectari consueuerũt. Quòd si qui alijs religiosiores inueniũtur, illi quoq; creaturis potius, quàm deo, addicti, post illas nimis impudenter scortantur. Quæ peruersitas eò detestabilior est, quòd cum omnes aliæ creaturæ suo officio diligentißimè funguntur, solus homo sui officij planè est immemor. Vide de his Isaiæ Cap. 1. Ieremiæ item 8. &c.

Deus ex mundi & hominis fabrica melius, quàm ex imaginibus agnoscitur.

Quia uerò nimium difficile, adeoq; impoßibile uideri poterat, quod deus exigit, præoccupatione Paulus omnem tergiuersandi occasionem eripit. Et primò quidem deum ita à nobis quæri uelle dicit, ut illum palpando quoq; assequi & inuenire liceat. Cuius dicti ratio est, quòd paßim sese sensibus nostris ingerit, dum per uisibilia opera inuisibilem suam potẽtiam, sapientiam & bonitatem reuelat, ut pluribus ad Rom. 1. cap. docetur. Et sanè nulla mundi pars est tam abiecta, nulla tam uilis creatura, quæ non ineffabilem dei potentiam nobis ob oculos statuat. Elucet hæc in rudibus terræ glebis, quibus mirificam fructificandi uim inesse uidemus. Eadem in temporum uicibus, in perpetuis cœli motibus, tempestatibus omnibusq; alijs cœlorum influentijs cernitur. Imò flosculum aliquod contemplare, & creatoris potentiam infinitam summæ sapientiæ coniunctam admirari cogeris. At quia infiniti operis erat singulas mundi partes percurrere, & multorum ea est stupiditas, ut nihil extra se obseruare & indagare poßint: propius adhuc se nobis deus insinuat, nec procul ab unoquoq; nostrũm abest. In ipso enim uiuimus, mouemur & sumus, adeoq; ipsius sumus progenies. Quis enim non fatetur, nos ab illo uiuendi facultatem accipere, quando nulla humana ratione inuestigari potest, quomodo in matris utero infans uiuere & augeri poßit? Quis non in admirabili corporis humani fabrica, membrorum sympathia, sensu, motu & usu, creatoris uirtutem agnoscat? Quis nos in illo esse & subsistere neget, quando tot undiq; nobis insidiantur pericula, ex quibus indies euadimus? Quis non diuini seminis uestigia deprehendat, quando perpetuos animæ motus & operationes, eiusdem immortalitatem, totius deniq; hominis dignitatem, qua reliquis creaturis præstat, consyderauerit? Inexcusabilis ergo est hominum stupiditas, deum non agnoscens, quando in nobis ipsis eius cognitio lucet. Absurda item est dementia dei imagines mutas fingere, cum in nobis uiuam dei imaginem circumferamus. Id ut melius Athenienses intelligant, & simul pudore suffundantur, Arati poetæ testimonium adducit, ut ostendat, se non noua & inaudita hactenus dicere, sed eadem sapientes olim natura duce didicisse, ipsos uerò nimis crassos & barbaros esse, qui naturales quoq; dei notitias in se extingui paßi sint.

Deus nulla imagine potest exprimi.

Tandem uerò locum concludens infert: Genus ergo cum simus dei, non debemus æstimare auro uel argento, uel lapidi, hominis arte & studio exsculpto, numen esse simile. Dei uerò genus nos uocat maximè propter imaginem ad quam conditi sumus. Nec enim nunc de adoptione electorum dicendi locus fuisset apud eos, qui prima cognitionis dei rudimenta ignorabãt. Sensus ergo est: Cum Deus suam

suam imaginem in homine, omnium creaturarum principe, elucere voluerit, nimium crassus error est, illius imaginem mutam ex re aliqua inanimata effingere velle. Nam ne hominem quidem, quatenus dei imago est, effingere licet, cùm imago hæc in anima hæreat, cuius forma & natura nullo artificio exprimi aut adumbrari potest. Quantò minus ergo deũ aliqua imagine homo exprimere poterit? Primò autem preciosissimas materias, aurum & argentũ, nominat, ostendens ne hæc quidẽ ad dei imaginem repræsentandam sufficere. Nam quantocunq; in precio sint inter homines, caduca tamen et corruptibilia sunt, deus verò incorruptibilis & æternus. Deinde non de formis, quas deo hominũ temeritas affingit, sed de ipsa hominũ arte & industria loquitur, quasi dicat: Etsi in unum omnes suas meditationes conferant ingeniosissimi artifices, dei tamen imaginẽ veram ne animo quidẽ concipere, nedum materia aut simulachro aliquo exprimere poterunt. Refer huc quæ Isa. 40. & 44. cap. habentur. Hinc autem colligimus, simulachra, quæ deo fiunt, nihil quàm mera esse mendacia, eò quòd minimè præstare possint quod pollicentur. At quæ obsecro maior iniuria deo fieri poterat, quàm mendacio illum similem dicere, qui æterna est veritas? Quid hoc aliud, quàm ex deo diabolũ fingere, quem mendacij patrẽ esse Christus ait? Nemo vir bonus se latronis aut scurræ specie repræsentari, æquo animo ferret, & honesta matrona meretricis habitum sibi affingi non pateretur. Nos tamen, qua sumus audacia, deum mendacijs referre tentabimus? Non temere profectò Lactantio, disertissimo scriptori, ea sententia excidit, qua ullam religionem esse negat, ubicunq; simulachra fuerint. Vtinam verò in horum consyderatione versarentur, qui hodie simulachris patrocinantur, quorum temeritas non postrema causa esse mihi videtur, ob quam Turcas reformatores orbis immittit deus, quando euangelij doctrina Christianum orbem à superstitione & idololatria repurgari, principes non ferunt. Nostrum est, ut nostræ originis & dignitatis memores, unum deum colamus in Christo Iesu redemptore nostro: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CXIX.

Et tempora quidem huius ignorantiæ cùm hactenus dissimularit deus, nũc annuntiat omnibus hominibus, ut ubiq; resipiscant: eò quòd statuit diem, in quo iudicaturus est orbem terrarum in iustitia, per eum uirum quem definiuit, fide omnibus præstita, cùm eum excitauit à mortuis. Cum autem audissent resurrectionem mortuorum, alij quidem ridebant, alij uerò dixerunt: Audiemus te de hoc iterum. Sic Paulus exiuit de medio eorũ. Quidã tamen uiri adhærentes ei crediderunt: in quibus & Dionysius Areopagita, & mulier nomine Damaris, & alij cũ eis.

AVdiuimus priores Paulinæ concionis partes, quibus gentium errores diligentissimè apostolus confutauit. Deum enim nec templis concludi, nec sacrificijs coli docuit. Singulari autem zelo fictitios gentium deos & simulachra impugnauit, disertè monens, naturæ ordinem ab ijs violari, qui istis colendis occupentur, & eosdem nec finis sui nec dignitatis, ad quam conditi sunt, satis memores esse. Audiamus nunc postremam istius concionis partem, qua ad pœnitentiam per Christũ illos hortatur, nimirum ut ab impietate & falso deorum cultu ad verum deum conuertantur. Quo loco propter Epicuræos, qui omnem religionem ludibrio habebant, extremi iudicij mentionem quàm maximè urget. Singula tamen eo ordine, quo illa Paulus exposuit, consyderabimus.

Primò quæstioni respondet, quæ omnibus seculis, quando veritas prædicatur, moueri consueuit, & hodie passim occinitur: Cur uidelicet deus mundum hunc uniuersum tot seculis seduci passus sit? Et unum verisimile sit, nunc demum pauculis quibusdã & obscuris hominibus veritatem innotuisse? At paucis ad ista Paulus respondet, deum ignorantiæ tempora hactenus dissimulauisse, non quòd hoc illi placeret, sed quòd ita ipsi visum fuerit, qui iusto iudicio omnia administrat: nec potuisse non errare mundum, quo ad ueritatis lucem deus occultauit, cùm ex semetipsis homines nihil diuinum sapiant. At cùm occultatam prioribus seculis veritatem nunc reuelari dicit, nullam posthac ignorantiæ excusationem fore, admonet. EST autem obseruatione dignissimum, quòd simpliciter dei factum Paulus allegans, de causis propter quas mundum tot seculis errare passus sit, nullam omnino

III. Respondetur ijs, qui maiorũ ignorantiã suis erroribus prætexunt.

dißputationem mouet. Imitanda enim nobis quoq; est modestia hæc, ne iudiciorum dei causas altius scrutemur, aut in illum nostræ impietatis causam audacius reijciamus. Constat enim nemini ab illo iniuriam fieri posse, cùm æternam damnationem iam olim omnes meruerimus, adeoq; filij iræ nascamur. Constat item iusto iudicio illum omnia administrare. Et alibi Paulus de euangelij reuelatione loquens, mysterium esse dicit absconditum à seculo. Rom. 16. Idem Christus monet, quando mysteria regni cælorum non omnibus reuelari dicit, Matth. 13. Stultum ergo, imò audax nimis & impium facinus est, ad humanæ rationis calculum reuocare quæ à deo fiunt, cùm ille fidei obedientiam à nobis requirat, nec aliud perinde filios dei deceat, quàm ut illius voluntati, quæ in verbo & operibus ipsius elucet, sese accommodent. Præterea euangelicæ prædicationis finem hoc loco Paulus exprimit, quando illam nunc annuntiari dicit omnibus hominibus, ut vbiq; resipiscant. Non ergo euangelium audiuisse vel didicisse sufficit, sed vt ab erroribus & reliquis vitijs resipiscamus, opus est. Docet hoc totius euangelicæ historiæ ordo. A pœnitentiæ doctrina Iohãnes Baptista orditur. Deinde Christus clamat: Resipiscite, appropinquauit enim regnum cælorum. Ita illius iussu prædicant apostoli. Et Lucæ ultimo eum docendi ordinem præscribit, ut in ipsius nomine pœnitentia primum, deinde verò peccatorum remißio prædicetur. Quem ordinem ab illis sedulò obseruatum fuisse, tum liber hic & illorum epistolæ satis testantur. Falsò igitur & nimis impudenter euangelicos se dicunt, qui pristinos errores mordicus retinent, & vitijs suis effræni licentia indulgent, nec patiuntur, ut illorum mores ministri verbi arguant: quod perinde est, ac si quis à medico exigat, ut corporis valetudinem tueatur quidem, morbis tamen non obstet, nec illis remedia digna adhibeat. Admonemur præterea, neminem vel patrum vel prioris seculi ignorantia excusari coram deo. Quòd enim multis seculis errarunt maiores nostri, dei iusto iudicio factum est, qui errores istos dißimulauit. At quando idem ille voluntatem suam reuelat, certum est illum ignorantiam amplius dißimulare nolle, & resipiscentiam ab omnibus exigere. Quam qui non præstant, oblatæ gratiæ cõtemptores sunt, & proinde pœnas grauißimas merentur. Obseruare hoc debebant, qui hodie sub plausibili maiorum & antiquæ superstitionis titulo euangelium ferro & igne persequuntur. Sed dei iudiciũ nunquam effugient, de quo in præsenti Paulus disserit.

II. Nouißimi iudicij terrore pœnitentiã urget.

Causam enim allegat, propter quam verbũ suum nunc gentibus reuelet deus, dicens: Quia diem statuit, quo iudicaturus est orbem terrarum in iustitia, &c. Ita verò veterem dei morem ob oculos ponit, qui pœnas non exigit vnquam, nisi abundè præmonitis peccatoribus. Nec enim potest quicquam facere, nisi prius illud reuelet seruis suis prophetis. Amoz 3. Exempla non in sacris modo scripturis, verumetiam gentium historijs paßim sunt obuia, ut illis hoc loco recensendis immorari non sit opus. Præstat autem nouißimi iudicij rationem inspicere, quam breuiter simul & luculenter Paulus comprehendit. Primò enim propter Epicuræos & horum sectatores, diem iudicij iam constitutum esse à deo testatur, ne quis illius denuntiationem scurriliter eludat, quod illusores quosdam facturos esse Petrus monet. 2. Pet. 2. Et quod Paulus dicit, idipsum unanimis totius scripturæ consensu probat. Huc enim pertinent quæ Danielis ultimo habentur. Quæ item Christus toties inculcat, Iohã. 5. Matth. 16. 24. 25. Et quòd alibi dicitur, nos omnes coram Christi tribunali sisti oportere. 2. Cor. 5. Rom. 14. Id verò iustitiæ diuinæ ratio planè exigit, quæ subsistere nullo modo poßet, nisi iudiciũ illud foret, quo dignam suis operibus retributionem singuli accipient, quando in hoc seculo plerunque pios absq; omni remuneratione affligi, & impios impunè ferocire & libidinari videmus. Deinde quinam iudiciũ illud subire oporteat exprimit, totum orbẽ terrarũ nominans, quod nos in fidei articulis per viuos & mortuos exprimimus. Nemo igitur diem illum subterfugiet, sed ut antea monuimus, omnes nos coram dei tribunali sistemur. Nec enim personarum respectus apud deum est, nec illius oculos quisquam eludere poterit. Id quod magnates & mundi fastu turgidos modestiæ & humilitatis admonere debebat. Tertiò modum & formam iudicij indicat, dum illum in iustitia iudicaturum dicit. Non ergo vlli prætextui locus erit, sed qui sub lege peccauerunt, legis sententiam ferent, & qui absq; lege peccauerunt, absque lege damnabuntur. Rom. 2. Et vnusquisq; reportabit quod fecerit in corpore suo. 2. Cor. 5. Huius nos meminisse oportebat, quando peccatorum & carnis blanditiæ obrepunt, quibus ab officio reuocamur: quando item mundi & opum splendor nos ad peccandum solicitat. Quid enim dabit homo pro redemptione animæ suæ in illa die, qua seuerißimus iudex secundum

iustitiæ

iustitia temerem sententiam proferet? Matth.16. Postremò iudicem quoq; definit, per quem deus orbem iudicaturus sit. Per virum scilicet quem præfiniuit. Ita uerò Christum nominat propter humanam naturã: mitiori nimirum uocabulo uti volens apud incredulos, ut sensim ad explicanda Christi mysteria descendat. Non temere autem Christum iudicem fore passim scripturæ docent. Id enim pio rum consolationi mirificè seruit, quando eum indicem uenturũ audiunt, quem ipsi saluatorẽ & Pontificem suum esse norunt. Inde enim colligunt illũ ipsis nõ iudicem, sed vindicem potius fore, sicuti illũ Iob Cap.19. nominat: nec dãnationis sententiã ab illo metuere possunt, quem pro peccatis suis in Cruce immolatum esse credunt. Rursum hoc impijs magno terrori est, quando iudicẽ venturũ cogitant, quem improbè contempserunt. Videbunt enim in quẽ pupugerunt, & magno suo malo eius tribunal sistere cogentur, quem redemptorem suum noluerũt agnoscere. Vide Zach.12. Iohan.19. Psal.2. &c.

Quia verò in Christi mentionẽ Paulus incidit, huius quoq; mysteria tractare incipit, in qua tractatione illum prolixiorem & diligentiorem fuisse, nemo dubitare debet. Lucas verò summa duntaxat capita perstringit, quæ qualis Pauli oratio & doctrina fuerit, abundè docent. Sunt ea tria numero. Primò illum à deo præfinitum siue prædestinatum esse dicit, nimirum ab æterno, vt alibi habetur 1.Pet.1. Patet id ex promissionibus, quæ illum à prima origine humano generi saluatorem destinatum fuisse, testantur. Inde verò (ut alibi Paulus monet) salutem nobis ex gratia, nullo nostro merito obtingere, colligitur. Ephes.1. Quis enim hominum est, qui se iam olim ab æterno meruisse glo riari possit, ut ipsi dei filius saluator destinaretur? Secundò deum in Christo omnibus fidem præstitisse ait, significans in illo promissiones, typos & prophetias impletas esse, quibus olim salutis ratio comprehensa fuit. Quò ipse Christus respiciens iam moriturus, dixit: Consummatum est. Et à resurrectione, hæc ita oportuisse fieri docet, ut implerentur, quæ de ipso in Mose, prophetis & Psalmis scripta extant. Luc.24. Vnde colligimus nimis turpiter omnes eos falli, qui extra Christum nouam salutis rationem & viam monstrant: quid enim illi aliud faciunt, quàm quòd deum & Christum mendacij arguunt? Vide de hoc 1.Iohan.5. Qui non credit deo, mendacem fecit eum, &c. Tertiò resurrectionis Christi meminit, per hanc nimirum probaturus, ipsum deum & iudicem esse omnium. Quo argumento etiam ad Rom.1.cap. utitur. Simul verò sub hac vniuersum nostræ redemptionis negotium complexus est. Si enim resurrexit, vtiq; mortuus est: mortuus quidem (ut alibi dicitur) propter peccata nostra, & excitatus propter iustificationem nostram. Rom.4. Sed quia de his sæpe iam dictum est, & passim plura dicendi locus occurrit, paucula hæc in præsenti sufficiant.

III. Christum prædicat.

Restat doctrinæ huius effectus, varius nimirum & diuersus pro auditorum diuersitate. Quidam enim ad primam resurrectionis mentionem scurriliter rident, Epicuræi maximè: quorum hodie non paruus numerus habetur. Alij verò his meliores, denuò de eadem re disserentem audire cupiunt, ita affectes, se aliquem veritatis gustum sensisse. Sunt rursum, quorum animos dei spiritus illuminat, ut credant & Paulo palàm coniungantur. Ita passim impletur, quod Paulus dicit, euangelium alijs quidem esse odorem mortis ad mortem, alijs verò odorem uitæ ad uitam. Inter credentes verò Dionysius numeratur, primariæ dignitatis vir, vtpote ex Areopagitarum iudicum numero. Accedit etiam Damaris, quam non obscuræ notæ matronam fuisse verisimile est, cùm eius mentio nominatim fiat. Nunquam ergo sine fructu euangelium prædicatur: & licet pauci initiò credant, ex paruis tamen initijs maximæ & celeberrimæ ecclesiæ exoriuntur: quod ipsum Athenis accidisse historiæ tradunt. Nostrum est non offendi credentium paucitate, sed euangelium salutis gratis animis amplecti, ut dignos in nobis fructus proferat, nosq; iuxta illius promissiones salutem consequamur per Christum Iesum: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Effectus doctrinæ de Christo apud Athenienses.

CAPVT XVIII.

HOMILIA CXX.

POsthæc Paulus digressus Athenis uenit Corinthum. Et nactus quendam Iudæum, nomine Aquilam, Ponticum genere, qui nuper uenerat ab Italia, & Priscillam uxorem eius (eò quòd præcepisset

Claudius omnes Iudæos Roma decedere) accessit ad eos, & quia eiusdem erat artificij, mansit apud eos & operatus est. Erant autem tabernaculorum opifices. Disputabat autem in Synagoga per omne sabbatum, suadebatque Iudæis pariter & Græcis. Cùm autem uenissent è Macedonia Silas & Timotheus, coarctabatur spiritu Paulus, testificans Iudæis Christum esse Iesum.

EXhibuit Diuus Lucas præcedenti capite conuersionem Athenarum, urbis tum sapientiæ studio, tum multiplicis religionis fama celeberrimæ. Huic modò commodissimè subijcit Corinthi, vrbis opulentissimæ corruptissimæque ad Christum conuersæ historiam: in qua spiritus Christi virtus & euangelij efficacia tam luculenter & miraculosè emicuit, ut Corinthiacam ecclesiam non temere Paulus sui apostolatus sigillum esse dicat. 1. Corinth. 9. Vt enim Corinthus propter situm bimarem mercatura celebris & opulenta fuit, ita illam diuitiarum illecebræ & vndique confluentium mercatorum frequentia corruptissimis moribus infecerunt: adeò ut Prouerbijs quoque luxus ipsius notaretur. Corinthiari enim dicebantur, qui immodico luxui studebant. Et passim illud tritum ferebatur: Non omnibus licet adire Corinthum. Inter reliqua verò vitia scortatio maximè regnabat, cui sic addicti fuerunt, vt in Veneris templo circiter mille puellæ prostarent: & postea inter eos quoque qui Christo nomen dederant inueniretur, qui nouercam incesto coitu pollueret, quod illi impunè licuerat, donec Paulo iubente excommunicaretur. In tam ciuitatem Paulus, relictis Athenis, digreditur, nec sine numine, vt exitus docebit. Multum enim in ea populum dominus habuit, qui electos suos ex sentina flagitiorum per euangelij prædicationem seruauit. Porrò insigne cùm bonitatis dei, qua ille peccatores prosequitur, tum euangelicæ virtutis ac potentiæ exemplum urbis huius conuersio exhibet. Nam si cum indurata peccandi consuetudine, opum splendore, delitiarum abundantia, obuijs undique voluptatũ illecebris, fastu denique mercatorio, Pauli peregrini & ignoti hominis conditionem planè abiectam & ignobilem conferas, ridiculus omnino uidebitur conatus ipsius, quo reformationem cùm uitæ & morum tum religionis moliri cœpit. At quod carnis iudicio ridiculum videri poterat, non caruit euentu felicissimo, quem dominus dedit. Intra sesquiannum enim per euangelij prædicationem, cooperante spiritu Christi, nouam huic urbi faciem Paulus induxit, & reformationem inuexit publicam, quam nullus legislator, quantacunque authoritate præditus, illis persuadere potuisset: ut non sine causa de huius vrbis conuersione Paulus tantopere glorietur, cùm uix uspiam alibi efficaciorem euangelij operationem senserit. Quæ etiam mihi causa potissima esse uidetur, quòd in historiæ huius commemoratione tanta diligentia Lucas versatur, ut minutissimas quoque circumstantias prolixè exponat, quas alibi vel omnino præterit, vel leuiter tantummodo, & quasi aliud agens, perstringit. Id quod nos quoque ad diligentem omniũ quæ dicuntur consyderationem excitare debet.

Corinthus qualis.

Ante omnia verò hospitij, quo Paulus usus est, mentionem facit, in quo quærendo illum non sollicitantem fuisse crediderim, cùm peculiare de hoc præceptum Christus dederit, ut se dignos hospites apostoli quærant. Paulo igitur hospes contigit Aquilas, homo Iudæus, ex Ponto oriundus, qui non ita pridem cum reliquis Iudæis ex Claudij Cæsaris mandato Roma decedere coactus, vnà cum vxore Priscilla Corinthum venerat. Fuit enim illo tempore plus quàm misera Iudæorum cõditio, eò quòd filij dei sanguine pollutos diuina ultio ubique locorum persequeretur. Accedebat aliud quoque, quòd qui Christum saluatorem abnegarant, nouos indies saluatores quærendo passim turbas dabant & tumultuabantur, vnde meritò omnibus inuisi erant. Cõmuni igitur gentis infortunio abreptus Aquilas, ipse quoque exilio mulctatur, non tamen citra dei prouidentiam, qui per hunc Paulo apud Corinthios hospitium parare, & ipsius opera in celeberrimæ ecclesiæ fundatione uti voluit. Ita enim frequenter euenit, vt ingentis boni causa fiat, quod nobis initiò nimis graue & asperum videbatur. Ad hunc itaque graues ob causas Paulus diuertit. Nam præterquàm quòd in fide institutus erat, communis exilij fortuna illum omnibus peregrinis æquiorem reddebat, quos ferè contemnunt, qui-cunque intra patrios lares consenuerunt. Deinde cùm idem cum Paulo artificium exerceret, tentoriorum nimirum textor siue sutor (quæ illo seculo ex pellibus fiebant) commodè cum illo apostolus versari, & eodem labore victum sibi acquirere poterat. Præstat tamen cum Aquilæ tum Pauli personam

Aquilas Pauli hospes.

ſuam diligentius conſyderare. Et ille quidem memorabile fidei & charitatis exemplum nobis exhibet. Homo enim mechanicus & exul, in peregrina urbe Chriſti miniſtrum hoſpitio excipit, ſuo facto non paruam ignominiæ notam opulentioribus inurens, qui in auitis ſedibus peregrinos facilè contemnebant. Imò tantam huius hoſpitalitatem fuiſſe, ex alijs locis conſtat, ut domeſticam eccleſiam habuerit. Vide de hoc 1. Cor. 16. & Rom. 16. Pudeat ergo inhumanitatis ſuæ & ſordidißimæ tenacitatis, qui cum opibus & pace abundent, nulla tamen exulum Chriſti cura tanguntur. Diſcent illi aliquando ſuo malo quæ ſint exilij moleſtiæ & quanta laborum examina trahat perſecutio. At qui Chriſti amore feruidi, ſeruos ſuos colligunt, grauißimum remuneratorem ſentient dominum, qui illi etiam mercedem dignam pollicetur, qui poculum aquæ frigidæ alicui diſcipulorum ſuorum dederit. Matth. 10. Idem nouißimo die ſibi impenſum æſtimabit, quod egenis membris ſuis impenſum fuerit. Similiter in Paulo quoq; præclaræ uirtutes elucent. Fidei enim conſtantis argumentum eſt, quòd ignobili hoſpitio non offenditur, ut propterea de relinquenda Corintho cogitet. Nouerat enim deum quæ humilia ſunt in hoc mundo deligere, ut illis in regni ſui propagatione ad eorum cõfuſionem utatur, qui ſibijpſis præclari & magnifici uidentur. Rurſum charitatem æquitati coniunctam exercet, dum non otioſus in Aquilæ domo deſidet, ſed manibus operatur, & honeſtè ſibijpſi victum quærit. Quod exemplum ut ſumma laude dignum eſt, ita malè ab illis torquetur, qui per illud omnes verbi miniſtros ad manuaria opificia, uel etiam ad ſtiuam relegant, quaſi indignum ſit, ex verbi miniſterio viuere. Non enim ideò Paulus laborauit, quòd illicitum & nefas ſibi videretur, eccleſiæ ſtipendio quenquam ali: ſed quòd nondum conſtituta Corinthi eccleſia, publico ſtipendio ali non poterat. Interim pauculis iſtis eccleſiæ primitijs in Aquilæ domo, cuius fortunæ non admodum ſplendidæ eſſe poterant, oneri eſſe noluit. Mouerunt eum deinceps, vt iam conſtituta eccleſia, ſuo iure uti nollet, pſeudoapoſtolorum quorundam calumniæ, qui illum & ſui ſimiles aliorum bonis inſidiari dicebant, ipſiq; gratis docebant, quò facilius ſeſe populo commendarent. His ergo inferior uideri noluit Paulus, potius eſſe ducens ſuo iure aliquandiu cedere, quàm illud urgendo euangelium ſuſpectũ reddere. Interea ſe alias eccleſias deprædatum fuiſſe ſcribit, ut Corinthijs gratis prædicare poſſet. Et à Philippenſibus miſſa pecunia ſe ſubleuatum eſſe, idem ipſe fatetur. 2. Corinth. 11. Phil. 4. Arguuntur tamen Pauli exemplo laruati epiſcopi, qui cùm ex eccleſiarum bonis Perſico luxu diffluant, eccleſijs tamen minimè ſeruiunt. Nec ij ſolum, uerumetiam Ventres quidam, qui euangelij quidem titulo glorientur, interim toti auaritiæ dediti, eccleſias, quibus magno cum fructu ſeruire poterant, ob leue aliquod lucellũ & pinguioris ſtipendij ſpem turpißimè deſerunt. Sentiet utrunq; genus aliquando Chriſtum iudicem, qui eccleſiæ ſuæ tam turpiter illudi, inultum non feret.

Cæterum quia non eo nomine Corinthum Paulus venerat, vt tentoria texeret, ſed ut Chriſti regnum propagaret, qua ratione illud fecerit, indicatur. Pro more autem ſabbata & cœtus ſacros, qui illis diebus cogebantur, obſeruauit. Et primò quidem doctrinam ſuam prudenter temperauit, auditorum captui ſeſe accommodans, quod ipſe alibi fatetur, dum ſe illos lacte aluiſſe ſcribit, eò quòd ſolidiorem cibum nondum ferre poſſent. 1. Corinth. 3. cap. Id in præſenti Lucas perſuadendi uerbo exprimit, ut oſtendat, illum ſeſe auditorum animis commodè inſinuaiſſe, ne quos in ipſo limine (quod aiunt) offenderet. Et ſanè credibile eſt, ipſum eo ordine progreſſum fuiſſe, quo aliâs uti conſueuit. Nouerat Iudæos præpoſtero Legis ſtudio teneri, & in huius operibus iuſtificationem atq; ſalutem quærere. Docuit ergo omnes nos peccatores eſſe, nec Legi humanis uiribus ſatisfieri poſſe. Inde uerò promptum erat colligere, alium quærendum eſſe, cuius merito homines iuſtificari & ſaluari poßint. Quæ cõmodißima erat ad tradendum Chriſti myſteria occaſio. Imitentur Pauli exemplum omnes eccleſiæ & uerbi dei miniſtri, ne dum nullam auditorum rationem habent, confuſe omnia ingerendo à Chriſti regno alienißimos reddant, qui prudenti modeſtia facilè lucrifieri poterãt. Ipſe certè talem miniſtrum eſſe uult, qui ueritatis ſermonem ritè ſecare norit. 2. Tim. 2. Et Chriſtus ab eodem non fidem modò in rebus agendis, uerumetiam prudentiam requirit. Porrò ne quis Paulum perpetuò lacte uſum putaret, illum tandem occaſione oblata maiori feruore Chriſti cauſam egiſſe Lucas ſcribit. Cùm enim ex Macedonia aduenißent Silas & Timotheus, totus ſpiritu coarctari cœpit: uel quòd ex illis felicem apud Macedones euangelij curſum audiret: uel quòd tãtæ urbis cæcitas & infelix conditio animum eius commoueret. Quem enim non mouiſſet celeberrimæ ciuitatis ad interi-

Aquila fidei & charitatis exemplum.

Paulus manuũ labore uictum quærit.

Paulus Corinthi prædicat.

tum ruentis calamitas, totq; in ea hominum miserè seipsos decipientium ignorantia? Certè qualiscunque illa Pauli coarctatio fuerit, illum acriori spiritus suggestione extimulatũ fuisse certum est, ut publicè & apertè Iudæis testari inciperet, Iesum Mariæ filium esse Christum, id est promissum humani generis saluatorem, cuius solius merito à legis maledictione, peccato & morte liberamur. Ita ergo prudenti modestia sibi uiam sternant ministri, ut tandem in Christo tradendo & illius gloria asserenda uerè ardeant, ne pusillanimitatẽ suam modestiæ titulo palliare uideantur. RVRSVM uerò elucet, præcipuum apostolicæ doctrinæ caput, esse Christum, cuius testes apostoli delecti fuerunt.

Christus, præcipuum apostolicæ doctrinæ caput.

In hoc uno salutem omnem conclusam esse, supra Petrus docuit. Paulus postea ad Corinthios scribens, se nihil aliud quàm Iesum Christum, & hunc quidem crucifixum, nouisse fatetur. Iohannes omnia in eum finem ab euangelistis scripta fuisse tradit, ut credamus Iesum esse Christum, & credentes uitam æternam consequamur. Eodem ergo nos quoq; contentos esse decet. Nefas enim est, unquam in salutis negotio maiorem sibi cognitionem vendicare, quàm apostoli fecerunt, qui Christo præceptore domestico & spiritu eiusdem fidelißimo consultore usi sunt. Quare Christũ unum omnes sapiamus, regem & sacerdotem unicum, qui pro peccatis nostris mortuus & propter iustificationem nostram excitatus à mortuis, redemit nos, & patri suo reges & sacerdotes fecit. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CXXI.

Contradicentibus autẽ illis & blasphemantibus, excutiens uestimenta dixit ad eos: Sanguis uester super caput uestrum. Mundus ego posthac ad gentes uadam. Et migrans inde intrauit in domum cuiusdam nomine Iusti, colentis deum, cuius domus contigua erat Synagogæ. Crispus autem archisynagogus credidit domino cũ tota domo sua: multiq; Corinthiorum audientes credebant & baptizabantur. Dixit autem dominus nocte per uisionem Paulo: Noli timere, sed loquere & ne taceas, propterea quod ego sum tecum, & nemo insurget contra te ut noceat: quoniam populus est mihi multus in hac urbe. Sedit autem ibi annum & sex menses, docens eos sermonem domini.

Mat: 9
1 Timot: 1

DOminus noster Iesus Christus non semel testatus est, se eo potißimum nomine in mundum uenisse, ut peccatores saluos faceret. Huius ergo memores ipsius apostoli, salutis doctrinam insignibus peccatoribus prædicare, & hos in Christi & ecclesiæ communionem adducere consueuerunt. Ita enim initiò fieri oportebat, ne quis Christi meritum peccatorum nostrorum atrocitate superari putaret, & de salutis ratione, quæ in hoc sita est, desperare inciperet. Id uerò in Corinthi conuersione cumprimis obseruandum uenit. Eam enim urbem omnibus modis corruptißimam fuisse nuper audiuimus. Mittitur tamen ad illam Paulus, ut in interitus præcipitio constitutos per euangelij prædicationem liberet. Et quidem pro more suo Iudæis primis salutem offert, qui præ alijs digni erant, ut à deo negligerentur. Quis ergo de dei bonitate desperet, quæ infestißimæ gentis salutem tam propenso studio quæsiuit? Videamus autem in præsenti, ut incurabilis horum impietas cum dei longanimitate hic quoq; luctata sit, uincente tamen & triumphante in medijs turbis Christo domino.

Iudæi Paulo de Christo testificanti contradicunt.

Iudæos enim Paulo, de Christo disertè testificanti, contradixisse & tandem ad blasphemias deuenisse scribitur. Id verò illis perpetuum fuisse, iam multis exemplis didicimus. Horribilis autem est hæc illorũ improbitas, si quales olim fuerint cogitemus, & eam qua hodie adhuc grassantur in Christum maledicendi rabiem, expendamus. Quis enim non diuinæ iustitiæ seueritatem exhorreat, quando iam seculis aliquot non alia iræ vasa tam infelicia esse uidet, quàm eos qui olim primogeniti dei, genus electum & sacerdotale illud dei regnum dici solebant? EST autem obseruatione dignißimum, quòd nunc demum Paulo contradicunt, quando ille de Christo apertius testari cœpit: cum illum iam sabbatis aliquot de Lege & reliquis articulis disputantem non admodum iniquis animis sustinuerint. Quod enim Corinthi factum est, hoc ipsum hodie quoq; paßim fieri uidemus. Feruntur utcunq; qui manifestos abusus & mores palàm corruptos obliquè reprehendunt, quod ipsum regnante adhuc

te adhuc Papatu multos fecisse constat. Vt primùm uerò Christus urgetur, & illi disertè sua asseritur & uindicatur gloria, mox furore concitantur, qui modestissimi uideri poterant. Causa huius mali est, quòd absq; Christi prædicatione omnes aliæ reprehensiones frigent, nec plus ponderis habent quàm philosophorum sermones, quos olim magnificè & ornatè de uirtutum studio & uitiorum miserabili conditione disseruisse legimus. Christus uerò ipsas hominum mentes penetrans, ad uiuum usq; omnem cum cultus diuini tum uitæ morumq; corruptionem resecat, & proinde intolerabiles mundo uidentur, quæ ex huius doctrina necessariò colligi solent consequentiæ. Per hanc enim funditus usq; corruit uniuersa sacrorum nundinatio. Per eandem humanæ iustitiæ splendor extinguitur, & euertitur tota nostri meriti fiducia. Eadem Christi luce morum licentiam arguit, nec theatralē modò & fucatam, sed synceram omnibusq; numeris absolutam pœnitentiam requirit, quam nec carnis nostræ corruptio admittere, nec humanæ uires præstare possunt. Tolerabile quidem mundo uidetur, si adulterum, militem, usurarium, ebriosum arguas, modò iisdem friuola aliqua satisfactione expiatis locum relinquas in ecclesia, licet eundem uitæ cursum sedulò sequantur. At si euangelij uoce damnationis sententiam intones, & pœnitere nescium à regno dei excludas, id demum nullo modo ferendum esse putatur. Est hoc euidens corruptionis nostræ argumentum, & quòd reuera dei hostes sint, quicunq; deuotis animis in peccata ruunt, nec sese uerbo dei corrigi patiuntur. Quis enim non dei hostem dicat eum, cui filius dei sordet præ abominabili peccandi licentia? Rursum uerò locutionis ordinem, quo Lucas utitur, obseruemus. Contradixerunt (inquit) & blasphemauerunt. Primus ergo impietatis gradus est, si uerbo dei contradicamus. Quia uerò id ex ignorantia multi faciunt, excusabilis primò error est. At quicunq; prauo affectu sese impelli sinunt, ut reuelatæ ueritati contradicāt, primo hoc gradu non contenti, ferè ad conuitia conuertuntur. Qualia autem conuitia fuerint, quæ in Paulum iaculati sunt Iudæi, ex ijs collige, quæ supra Cap. 6. 16. & 17. audiuimus. Admonemur uerò horum exemplo, principijs obstandum esse, ne dum uerbo dei, praua cupiditate abrepti, contradicere non ueremur, tandem contentione irritati ad blasphemandum quoq; animum applicemus. Ita enim paulatim horribili peccato in spiritum sanctum nosipsos implicamus, tandemq; gigantea audacia inflammati, deo apertum bellum mouemus, cuius finis alius esse nequit, quàm miserabilis & sempiterna animarum perditio. Exempla huius passim sunt obuia, &c. Impietatis gradus.

Quid uerò Paulus? Num propter incurabiles Iudæos Corintho discedit, sic ut quorundam improbitas omnibus in uniuersum fraudi sit? Nequaquam. Quin potius improbis illis & pertinacibus ualere iussis, ad gentes conuertitur. Ne quid uerò impotentis animi affectu fecisse uideatur, ordinem à Christo præscriptum, diligenter obseruat. Primò uestes excutit, quod ipsum Antiochiæ fecit, ut Cap. 13. dictum est: unde peti possunt quæ ad huius ceremoniæ aut chriæ explicationem faciunt. Deinde pœnam denunciat, illos propria ipsorum culpa perire docens. Sanguis uester (inquit) super caput uestrum. Mundus ego posthac ad gentes uadam. Alludit autem ad dei uerba, quæ apud Ezechielem Cap. 3. & 33. in hunc modum extant: Fili hominis, speculatorem constitui te domui Israelis. Audies igitur uerbum ex ore meo, & disertè monebis eos ex me. Cum ego dixero impio, Certissimè morieris: & tu non monueris eum disertè, dehortando illum à uia sua impia ut uiuat: ille quidem morietur in iniquitate sua, sanguinem uerò eius de manu tua requiram. Quòd si tu disertè monueris impium, nec ille conuersus fuerit ab iniquitate sua, peribit is, tuq; animam tuam liberauisti. Ad hæc (inquam) uerba Paulus alludit, dicens: Ego quidem meo officio functus sum, & Christum salutis authorem unicum proposui. Hunc uerò quia uos reijcitis, in uobis hæret uestræ perditionis culpa, ego autem immunis & liber me ad gentes conferam. Ita uerò idem illis minatur quod Christus, quando scribis ait: Transferetur à uobis regnum dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Matth. 21. At quod Iudæis dicitur, hoc ipsum omnes euangelij contemptores sibi dictum esse intelligant. Quia enim euangelio remedium perditionis nostræ diuinitus nobis offertur, non possunt non perire iusto dei iudicio, quicūq; illud improbè aspernati fuerint. Interim admonet nos Pauli factum, tunc demum extra culpam esse uerbi ministros, quando erga peccatores officio suo fideliter defuncti sunt, eos nimirum docendo, monendo, increpando & hortando. Quòd si canes muti fuerint (quales Isaiæ 56. describuntur) ab ipsis exigetur sanguis pereuntium, id est, reos aget illos deus omnis sanguinis, qui ipsorum incuria effunditur. At atrocissimum esse sanguinis reatum, Paulus in Iudæos puluerem excutit.

passim scripturæ docent. Vide Gene.9. Num.35.cap. Psal.5.&c. Non temere ergo prophetas simul & apostolos tanto zelo in docendi functione uersari uidemus. Huc certè Paulus respiciens ait: Væh mihi, si non euangelizem. Et Amoz tertio capite dicit: Leo si rugiat, quis non timebit? Dominus deus locutus est, & quis non prophetaret? Postremò ad Iustum quendam Paulus diuertit, non quòd Aquilam odisset, sed ut protestationi suæ pondus accederet. Videtur enim Iustus hic gentilis fuisse, nisi ridiculum uelimus æstimare Pauli factum, qui ex Iudæi fidelis domo in alterius Iudæi ædes migrare uoluerit. Sed & uerba ipsius sonant, Ego posthac ad gentes uadam. Elucet tamē in Paulo ardens suæ gentis studium. Nam licet gentilem sibi hospitem deligat, Synagogæ tamen uicinus habitare cupit, ne illi Iudæos lucrifaciendi occasio desit. Imitentur exemplum hoc omnes ministri. Quia enim pastores & patres dicuntur, eo erga pereuntes quoq; affectu illos præditos esse conuenit, quem in fidis pastoribus erga palantes oues, & in patribus erga liberos malè pereuntes uidemus. Eundem enim Christus declarat, quando ad urbis Hierosolymitanæ conspectum lachrymas fundit, & iusto dei iudicio pereuntis exitium deplorat. Luc.19.

Crispi & Corinthiorum cōuersio.

Atqui non infrugiferum fuit Pauli studium. Ex Iudæis enim Crispus credit, princeps Synagogæ, quem abs se baptizatum esse in priori ad Corinth.1. cap. scribit. Simul etiam multi ex Corinthijs credunt, qui paulò ante peccatis & perditioni toti immersi uideri poterant. Nec fucatam fuisse illorum fidem, ex baptismo conijci potest, quo illam ingenuè & publicè professi sunt. Non deest ergo sua benedictione deus ijs, qui in uocatione sua strenuè laborant, nec aliquorum incredulitas & pertinacia dei fidem irritam facere potest, ut alibi Paulus monet. Rom.2. Debent hinc consolationem & confortationem petere quicunq; hostes graues & incurabiles sentiunt. Porrò sequitur memorabilis locus, qui Paulum, dum hæc agerentur, diuina consolatione sustentatum fuisse docet: ubi primò quidem ipsius Pauli persona, deinde uerò deus, qui illum consolatione sua confirmauit, consyderandus erit.

Paulus timore tentatur.

Et Paulum quidē aliquid humani passum fuisse ac timuisse, ex dei consolatione patet. Quia multa quotidie illi ob oculos uersata sunt, quæ illum terrere potuerunt. Nota illi siquidem erat incurabilis aduersus Christi doctrinam Iudæorum rabies. Recens adhuc erat periculorum, quæ ijsdem authoribus ipsi multis in locis concitata erant, memoria. Nec magnam illi profectus spem facere poterat immanis & publicis prouerbijs notata urbis corruptio. Accesserunt falsorum fratrum & impostorum doli, de quibus non semel in suis epistolis conqueritur. Imò se cum multo timore & tremore Corinthi uersatum fuisse, ingenuè fatetur. 1. Corinth.2. Et quantum ex dei uerbis conijcere licet, de deserenda urbe Paulus cogitauit, quæ adeò exiguam de se spem præbere uidebatur. Docemur exemplo hoc, sanctos quoq; dei cultores affectibus obnoxios esse, & imprimis quidem timore ita interdum concuti, ut officij sui non satis memores uideri possint. Quod enim Paulo Corinthi accidit, hoc ipsum non pauci maiori cum lapsu experti sunt. Abraham credentium pater, postquam relicto patrio solo incomparabile fidei documentum dedit, timore superatus famam suam turpi mendacio polluit, & uxorem præsenti periculo implicat. Iacobus post toties perspectam dei opem Esaui fratris occursum expauescit. Moses Pharaonis tyrannidem ueritus in Madian confugit, uixq; deo uocante adduci potest, ut in Aegyptum redeat. Iosue, bellator fortissimus, unica populi clade consternatus, fletu & eiulatu parum uirili timorem animo conceptum testatur. Dauidem, qui puer adhuc Goliam deuicerat, iam uirum & multoties uictorem, non semel Saulis minas & conatus timuisse legimus. Helias, qui nec Achabi præsentia & tyrannide, nec populi furoribus absterreri potuerat, quò minus Baalis sacerdotes trucidaret, unius mulierculæ Iesabelis minis territus fugit & mori exoptat. Quid de Petro dicam, qui cum armatam cohortem non exhorruisset, mox ancillulæ uoce exanimatus, Christum abnegauit? Poterant infinita alia huius generis exempla recenseri, quæ non ideo commemoramus, quòd sanctorum uitia traducere uolupe sit, sed quòd horum consyderatio nostræ institutioni non parum seruiat. Nam & nostram infirmitatem inde agnoscimus, cuius cognitio confidentiæ medetur: & charitatis admonemur, ne temerario iudicio uiros alioqui bene meritos damnemus, si quid præter officium faciunt. Vult enim in illis quoq; communis infirmitatis uestigia extare deus, ne illis plus æquò addicti, diuinæ gratiæ obliuiscamur, quæ per ipsos præclara opera edidit. Interim precibus nostris iuuandi sunt, ut uel lapsum cauere, uel ab illo gratiæ dei beneficio quàm ocyssimè

ſanè reſurgere poſsint. Id enim officij Chriſtum diſcipulis præſtitiſſe, euangelica hiſtoria docet. Luc. 22. Iohan. 17. &c.

Dei in ſuis conſolandis induſtria.

Sed dei perſonam inſpiciamus, qui timentem & trepidum illicò conſolatur, licet nulla inuocationis mentio fiat. Nec enim eos duntaxat exaudit deus, qui clamoribus uota animi ſui exponunt, ſed latentes animorum gemitus & fluctuantes in illis curas uidens, conſolationem & opem afferre ſolet. Id uerò fieri cumprimis neceſſe eſt, quando frequenter fit, ut undiq; prementibus nos malis circumuenti, animi deſyderia uerbis exponere neſciamus. Tunc ergo impletur, quod apud Iſaiam Cap. 65. promittit deus: Futurum eſt, ut priuſquam inuocent, ego reſpondeam: & adhuc illis loquentibus, ego exaudiam. Ita Moſi ad mare rubrum ſtanti dicit dominus: Quid clamas? cum uocem nullam edidiſſe legatur. Eſt autem hoc ingens diuinæ bonitatis argumentum. Vt enim nouit deus quibus rebus nobis opus ſit, ita illas in tempore largiri conſueuit, & licet tentationes immittat, quæ noſtræ nos infirmitatis admoneant & ad pietatis ſtudium ardentius inflamment, ſimul tamen conſolationem quoq; pro harum ratione temperat, ne toti abſorbeamur. Nemo igitur deſperet facilè, cum infinita paſsim media deus habeat, quibus nos conſolari & iuuare poteſt. Et hoc quidem loco uiſione ſimul & oraculo uti uoluit, quæ duo cumprimis idonea erant, quando neminem ex hominibus conſolatorem habebat Paulus, & multa occurrebant, quæ deo nullum in corruptiſsima urbe locum eſſe, ſuadere poterant. Sunt autem diuinæ huius orationis partes tres, de quibus ſingulis ordine dicemus.

Timor prohibetur.

Prima cauſæ omnis mali medetur, dum timere uetat. Eſt autem frequens admodum eiuſdem præcepti mentio in ſacris literis. Ita enim Moſi, ad Baſan regis occurſum conſternato, dicitur. Deuteronom. 3. Ioſue quoq; cum quinq; regibus congreſſurus, audit: Ne timeas ab eis, &c. Ioſ. 10. Et Ieremiæ ad docendi munus uocato, dicit dominus: Ne timeas à conſpectu illorum, &c. Iere. 1. Apoſtolis quoq; Chriſtus præcipit, ne eos metuant, qui corpus quidem occidere poſſunt, in animam uerò nihil iuris habent. Matth. 10. Omitto multa alia huius generis loca. Tam frequẽter uerò ſuos timere uetat deus, quia nihil efficacius ad retrahendum ab officio homines eſt, quàm timor. Vt primũ enim hoc correpti fuerint animi, rationis lux impeditur, ut quid facto opus ſit, uidere non queat, nec ulla magis incerta ſunt conſilia, quàm quæ à timidis & metu perplexis iniri ſolent. Quòd ſi uerò in uniuerſum præualeat timor, pudorem quoq; excutit, ut præſentis uitæ aut etiam opum metu indigniſsima quoq; faciant homines, nec raró maius periculum incurrant, dum præſens uitare uolunt. Id quia priuatis hominibus accidit, quãtò maior neceſsitas eſt, ut præſenti animo & à metu alieniſsimo ſint, qui publica officia ſuſtinent? Iſti enim non ſibijpſis tantum, uerumetiam alijs peccant, quos ipſorum fidei commiſit dominus. Quæ cauſa eſt, quòd à iudicibus quoq; animi fortitudinem prudentiſsimus uir Iethro requirit. Exod. 18. Et rectè hinc conſolationis initium hic quoq; deus ſumpſit.

Miniſtri loquãtur, & non taceant.

Secunda parte, quid faciat, præcipit. Loquere (inquit) & ne taceas. Vbi nemo Pleonaſmo aut ſuperuacaneis uerbis deum uſum eſſe, putare debet. Duo enim iſta coniungit, quia multi loquuntur ſimul & tacent: dum uidelicet ea quidem loquuntur, quibus neminem offendi poſſe exiſtimant, interim uerò multa alia tacent, quæ illos ex dei mandato dicere oportebat. Senſus ergo præcepti eſt, ut difertè euangelium prædicet, nec quicquam eorum diſsimulet aut taceat, quæ illo comprehenduntur, utcunq; aliquos indignè laturos eſſe experiatur. Hinc uerò diſcant miniſtri omnes, nequaquam ipſos ſuo officio defunctos eſſe, ſi dei uerbum prædicent, niſi totum prædicent, idq; diſertè, adeoq; doctrinam ſingulis applicent, ut ſibi iſta dici intelligant. Vt enim malæ fidei legatus fuerit, qui nihil quidem aliud loquatur quàm quod in mandatis accepit, interim non omnia illa proferat, ſed in quorundam gratiam multa diſsimulet: ita fidelis Chriſti miniſter cenſeri non debet, quicũq; uel minimam euangelicæ prædicationis portiunculam diſsimulauerit, ut hominibus placere queat. Vide quæ in hãc ſententiam dicuntur, Iere. 1. Ezech. 3. & 33. Matth. 28. &c.

Rationes & argumenta conſolationis.

Tertia parte rationes adhibet graues ſimul & efficaces: in quarum numero prima eſt: Quia ego tecum ſum. Debebat una hæc aduerſus quæuis pericula ſufficere. Cum enim omnipotens ſit deus, aliquid ijs deeſſe non poteſt, quibus ille præſens adeſt. Quid enim aduerſus deum creaturæ faciant, quæ ſine hoc ne ſubſiſtere quidem poſſunt? Rectè ergo Dauid colligit, dicẽs: Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo. Pſal. 118. Quia autem generalis hæc promiſsio eſt, ad omnes eos pertinens, qui in dei uocatione ambulant, ſinguli eam ad ſe transferre, & hac freti omnes mundi in- 1.

2. *sultus intrepidi sustinere debent. Secunda ratio est: Nemo insurget contra te, ut noceat tibi. Irritos fore dicit hostium conatus. Estq́; hæc specialis promißio, quæ non semper locum habet. Frequenter enim fit, ut grauißimis periculis pij implicentur, & Paulo iam non semel manus iniectas fuisse audiuimus, imò idem postea captus per terras & maria Romam deducitur, ubi gladio uitam finiuit. Licet uerò ista fiant, firma tamen manet primæ promißionis ueritas, & ex morte etiam suos saluat dominus, nec illis uspiam deest. Quare per ferrum & ignes in dei uocatione ambulandum &*
3. *strenuè pergendum est. Tertia ratio est, quòd se multum Corinthi populum habere dicit. Ita uerò non infrugiferum fore docet laborem, quando dei uerbum in electis & prædestinatis ad salutem semper efficax esse solet, ut supra cap. 14. dictũ est. Memorabile uerò hoc est, quòd in corruptißima urbe multum populum habet deus, & plures quidem quàm Athenis, quæ sapientiæ & uirtutis titulum præ alijs ciuitatibus sibi uendicabat. Vnde colligimus eos, qui peccatis palàm immersi sunt, ad percipiendum dei regnum magis idoneos esse, quàm iustitiarios & sanctulos, qui iusti & boni omnibus uidentur. Eadem enim hic ratio est, quæ in corporum morbis. Vt enim qui morbis apertis laborant, medicos facilius admittunt, quàm qui occultioribus uexantur, quorum illos pudet, quosq́; aliqua ratione dißimulare possunt: Ita palàm flagitiosi salutis doctrinam citius recipiũt, quàm hypocritæ, qui suæ iustitiæ fiducia inflati, se nulla alia opus habere arbitrantur. Nam quia se peccatores esse negare non possunt, de salutis ratione necessariò cogitant, & hanc extra se quærere cogũtur. Quæ causa est, quòd publicani & meretrices pharisæis in dei regno præferuntur. Matth. 22. Et Christus à peccatorum redargutione euangelij doctrinam inchoari uult, ut depresso propriæ iustitiæ supercilio, ad dei gratiam confugere discamus. Interim non parum nos consolatur, quòd in deploratißima gente multos habet dominus æternæ salutis hæredes. Inde enim constat, deo nunquam non esse sua septem millia, etiamsi omnes perditi uideantur. Vide 1. Reg. 19. Ea quippe est electionis & prædestinationis dei certitudo, ut pro dei electis censeantur, qui ab æterno in librum uitæ inscripti sunt, etiamsi adhuc peccatis immersi hæreant. Ita Christus suas oues esse dicit, quos nec externa prædicatione adhuc uocarat, nec interna spiritus operatione traxerat, sibi uerò à patre datos esse nouerat, priusquam mundi huius fundamenta iacerentur. Vide Iohan. 10. Ephes. 1. Estq́; hæc omnium efficacißima consolatio, quòd ne peccatis quidem nostris dei electionem impediri posse constat. Quos enim ille prædestinauit, eos suo tempore uocat & trahit, filijq́; sui imagini conformes reddit, nec ullis rebus à sua dilectione separari patitur. Rom. 8.*

Simil.

Electionis & prædestinationis certitudo.

Paulus sedet Corinthi.

Porrò quanta diuinæ consolationis uis fuerit in Paulo docetur, qui totum annum & menses sex Corinthi mansit, & dei uerbum prædicauit. Vbi cum dei fide & potentia, qui seruum suum in urbe nefaria tam diu incolumem seruauit, Pauli quoq; patientia nobis consyderanda uenit, qui inter superbos et ingratißimos homines tanto tempore mansit, ut deo adduceret, quos ab illo electos esse audiuerat. Qua enim ferocia & improbitate aduersus Paulum usi interea fuerint, ex eiusdem epistolis facilè liquet. Arguuntur Pauli exemplo, qui ecclesias temere deserũt, ut primùm non pro uoto succedunt omnia. Admonemur præterea quanti laboris res sit ecclesiæ ædificatio, quando Paulum Corinthi tam diu laborauisse audimus, ubi tamen se plantauisse duntaxat, ipsemet fatetur. 1. Cor. 3. Imò iugi postea studio & cura opus fuisse, epistolæ ipsius abundè docent. Detestabilis ergo est ministrorum quorũdam ignauia, qui ardentiorem zelum in ecclesiæ ædificatione superuacaneum esse existimant. Imitentur singuli Pauli studium, ut fidei quotidiano exercitio electionem & uocationẽ nostram certam faciamus, & cœlestis regni hæreditatem adeamus cum Iesu Christo, domino nostro: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CXXII.

Porrò cum Gallio Achaiæ proconsulem ageret, insurrexerunt uno animo Iudæi in Paulum, & adduxerunt eum ad tribunal, dicentes: Contra legem hic suadet hominibus colere deum. Cum autem Paulus iam pararet aperire os, dixit Gallio ad Iudæos: Si qua iniuria esset aut facinus malum, ô Iudæi, meritò uos sustinerem. Si uerò quæstio est de ser-

mone

mone & nominibus & lege uestrate, uos ipsi uideritis. Iudex enim horũ nolo esse. Et abegit eos à tribunali. Apprehensum uerò omnes Græci Sosthenem, principem Synagogæ, percutiebãt ante tribunal: neq; quicquam eorum Gallioni curæ erat.

QVàmuis deus uerbi sui ministros tanquam oues in medium luporum emittat, eosdem tamen suo fauore & patrocinio protegit, ne quiduis in illos pro sua libidine impij ueritatis hostes possent. Id cum sæpè aliâs, tum Corinthi maximè Paulus expertus est. Nam inter maxima pericula cum timore & tremore uersantem, iamq; metu tantumnon absorptũ, consolatione sua deus præuenit, nec securitatem modò, uerumetiam haud uulgarem sui laboris & studij fructum pollicetur. Et quod pollicitus est, summa fide præstat, quemadmodum præsens hic locus docet. Orto enim tumultu & horrendum in modum insanientibus Iudæis, cum nulla in humanis auxilij spes affulgeret, mirabiliter tamen illum occulta sua uirtute seruat & liberat, ne quid mali patiatur. Et quia hoc peculiare & cumprimis memorabile est diuinæ protectionis exemplum, non inutile fuerit singulas historiæ huius circumstantias excutere.

Et primò quidem turbarum authores producuntur, Iudæi nimirum, de quibus cum sæpe iam dictum sit, plura addere non est opus. Hi cum aliquandiu quieuissent, nimirum dei uirtute repreßi, nunc Gallione nouo Achaiæ Proconsule Corinthi agente, unanimi consensu aduersus Paulum insurgunt, captumq; in forum ad Proconsulis tribunal trahunt. Quo exemplo docemur diuinas promißiones non ita intelligendas esse, quasi extra omne periculum teliq; iactum (ut aiunt) nos constitutos esse uelit deus. Quin potius ille suos exerceri uult, quia ita carnis nostræ ingenium & salutis ratio exigit. Quæ causa est, quòd iuxta Dauidis dictum, multæ sunt tribulationes piorum, sed ex omnibus illos dominus liberat. Psal.34. Huc referri debent omnium illorum exempla, qui post amplißimas promißiones à deo acceptas, grauißimis periculis tentati sunt. Abrahamo dicitur: Benedicam tibi & magnificabo nomen tuum. Benedicam benedicentibus tibi, maledicentibus uerò tibi maledicam. Gen.12. At idem ille postea ob Saram uxorem periclitatur, belli fortuna exercetur & infinitas exilij molestias sustinet. Nec ideo mendax est deus, cuius ueritas eò luculentior est, quòd ex tot tãtisq; periculis illum liberat. Idem de Mose, Dauide, Ieremia, apostolis deniq; omnibus dici poterat, nisi breuitati studeremus. Vehementer ergo falluntur, qui euangelij promißiones ita exponunt, ut huius ministros illicò mendacij arguant, ut primùm crux aliqua oboritur. Meminerimus Christum eorum, quæ propter ipsius nomen amittimus, retributionem cum persecutionibus nobis polliceri, & iuxta huius exemplum ferendam esse crucem omnibus ijs, qui post ipsum uenire uoluerint. Mar.10. Luc.9.

I. *Iudæi turbarũ authores contra Paulum.*

Præterea hostiũ ueritatis mores & artes hoc loco obseruemus, ut facilius à nobis caueri poßint. Primò quidem Iudæos astutè nocendi occasionem quæsiuisse uidemus, cum hucusq; pacati & sopiti fuisse uideri potuerint. Nam toto ferè sesquianno nihil aduersus Paulum ab illis tentatum est. Sed nouo dato Proconsule insurgunt, uel quòd hominem à religione simul & iustitia alienum, & proinde illorum studijs mirè idoneum fore sperarent: uel quòd nouis rebus tutißimè studeri posse crederent sub nouo magistratu, cui Corinthiorum res nondum satis cognitæ esse poterant. In illis ergo prudentia elucet, qua filios huius seculi filijs lucis superiores esse, Christus fatetur. Lucæ 6. Vsus uerò horum est, ne securi dormiamus, si quando quiescere uidentur ueritatis hostes, & qui nobiscum aliquando propter hanc inimicitias exercuerunt. Quin potius serpentina prudentia illorum dolos & conatus obseruemus, qui prima quaq; occasione oblata erumpent. Quare huc cumprimis illud Ecclesiastici pertinet: Inimico tuo non credas, &c. Deinde uerò unanimiter aduersus Paulum impij Iudæi insurgunt. Quæ altera est impiorum proprietas. Cum enim propter affectus diuersos ferè semper dissentiant, in solo Christo & uerbo eius oppugnando consentire solent, eò quòd illud omnes ex æquo oderunt. Ita Pharisæi cum Sadducæis & Herodianis conueniunt, cum de Christo opprimendo agitur. Et Pilatum Herodi reconciliatum fuisse scimus, cum illi Christum illudendũ transmisisset. Nemo igitur impiorum dißidijs confidat, sed in Christo, ueræ unitatis & consensionis authore, spem omnem repositam habeat.

Mores & studia hostium ueritatis.

II. *Accusationis caput.*

Sed accusationis caput audiamus, quo Paulum apud Proconsulem Iudæi urgent. Hic (inquiunt) contra legem suadet hominibus colere deum. Sensus est, quòd nouos & legi dei contrarios cultus inuehat. Erat autem exosa apud Romanos omnis religionis innouatio. Nec dubium est, quin crimen illud mirificè amplificarint, & Romanas quoq; leges in medium adduxerint, quod Philippis & Thessalonicæ antea factum fuisse, audiuimus. Falsum uerò fuisse crimen hoc, uel uno hoc argumento colligitur, quòd Christum prædicabat Paulus, qui legis finis est, & in quo impleta sunt, quæcunq; in Mosis & prophetarum libris continentur. Interim uidemus hoc nomine semper ferè accusari pios dei cultores, quòd religionem prophanent, cuius non alij seueriores sunt assertores & uindices. Atqui hic religionis patrocinium mirificè & plenis buccis iactitant, qui ab omni religione sunt alienissimi, quemadmodum legem Iudæi prætexunt, cum tamen illam iam pridem humanis traditionibus totam euertissent. Ita hodie Diuos & Diuorum imagines contra nos in ore habent prophani ueritatis hostes, cum illos nec Diuos nec imagines multum curare constet. Si enim Diuorum honorem assertum uolunt, cur non illorum fidem imitantur? cur illorum doctrinam & scripta ferro & igne persequuntur? cur hæreticos dicunt eos, qui Diuorum uestigijs insistere cupiunt? Si tanta apud illos est imaginum religio, cur uiuas dei imagines negligunt? cur pauperes spoliant, ut saxa & lapides uestire possint? cur homines Christianos, in quibus sanguinis sui precio dei imaginem Christus instaurauit, propter Christi doctrinam & fidem exurunt? Quid ergo aliud isti homines faciunt, quàm quòd Iudæorum exemplo sub plausibili religionis prætextu religionem & ueritatem omnem semel extinctam cupiunt?

III. *Gallio Pauli causam à foro suo reijcit.*

Quid autem in tumultu hoc facit Gallio? Num Paulum causam dicere iubet, & dicentem audit? Nequaquam. Imò cum iam dicere uellet, sermonem eius interrumpit. Quod tamen tolerabile uideri potuit, cum nullam quoq; aduersus illum ferat indicta causa sententiam. Quin omnem causæ huius cognitionem abs se reijcit, eamq́; ad se pertinere negat. Contemptissimè autem de Iudaica religione loquitur, quasi illa in nudis uerbis & incertis quibusdam nominibus consisteret. Ita uerò loquens ab ipsis Iudæis occasionem sumpsisse uidetur, qui ineptis logomachijs siue uerborum contentionibus & genealogijs omnem suam religionem gentium ludibrio & risui exponebant. Quod ipsum hodie in Papatu fit, cuius ineptissimæ præstigiæ & fabulosissima dogmata totum Christianum nomen Turcis & Iudæis deridendum propinant. Et utinam non inter euangelij professores reperirentur, qui nouis & inauditis antea quæstionibus totum fidei Christianæ mysterium impiorum sannis & ludibrijs exponunt. Sed quoad Gallionem, tumultuantes Iudæos tandem facessere iubet, & à tribunali abigit. Atqui in hoc quædam probanda, quædam improbanda ueniunt. Probandum est, quòd religionem, quam ignorabat, temere damnare non uult. Eo enim facto multis nostri seculi magistratibus modestior & æquior est, qui cum omnis religionis egregiè ignari sint, immani tamen arrogantia huius cognitionem sibi solis uendicant. Quæ profectò malorum non postrema causa est, quæ hodie orbem terrarum perturbant. Rursum nullo modo probari potest, quòd religionem Gallio in uniuersum negligit, & eius cognitionem nihil ad se pertinere arbitratur. Deus enim regem assidua & diligenti legis lectione exerceri uult, & magistratus ueræ religionis seueros & studiosissimos uindices constituit. Vide Deuterom. 17. & 13. Nec exempla desunt sanctissimorum regum, qui in scriptura sacra potissimam laudem eo nomine meruerunt, quòd superstitionibus sublatis religionem ueram reduxerunt. Intolerabilis ergo illorum hodie error est, qui magistratibus persuadere conantur, ne in alicuius religionem inquirant, sed cuiuis liberam diuini cultus rationem permittant. Sed reuera illi ingens monstrum alunt. Sperant enim se effecturos ut principes Gallionis exemplum imitati, ipsis quæuis figmenta in ecclesiam inuehendi copiam faciant. Non minor quoq; principum & magistratuum quorundam error est, qui cum Christiani dici & haberi uelint, tamen religionis causam sui fori esse negant, & illam auaris Monachis & indoctis fastuq; turgentibus Episcopis committentes, Christi oues ineptissimorum hominum libidini subijciunt, imò lupis dilaniandas exponunt. Ita uerò se excusari putant principes. Quæ spes illos uehementer fallet: quia ex ipsorum manibus olim deus requiret populum, quem illorum fidei commisit, & eo ipso argumento malæ fidei serui fuisse conuincentur, quòd religionis causam ad se pertinere negauerũt, quæ illis commendatissima esse debebat.

Porrò

Porrò exitum Tragœdiæ spectare libet, in quo diuinæ promissionis veritas clarissimè cernitur. Postquam enim Græci causam hanc Gallioni minimè cordi esse uident, arreptum Synagogæ principem Sosthenem indignis modis uerberat. Id uerò Iudæis impulsoribus factum fuisse, credibile est. Fuit enim Sosthenes fidelis Pauli collega, cuius opera illum in euangelij propagatione usum fuisse, ex inscriptione prioris ad Corinthios facilè patet. At miraculo simile est, quòd cū ad manus res deuenerit, Paulus tamen, aduersus quem omnes illi insurrexerant, intactus et illæsus discedat, imò ne cogatur quidem urbe discedere: nā aliquot adhuc diebus eum illic moram traxisse audiemus. Quid uerò causæ fuisse dicemus, ob quam illi Paulo pepercerint? Num illius eloquentia & apologia persuasi ab illo manus abstinuerunt? Atqui illum ne audire quidem Proconsul dignatus fuit. Num uerò illum Proconsulis authoritas defendit? Atqui non curæ erant Iudæorum res homini prophano & palàm impio. Num alius illi patronus fuit? At quæ nam alterius tanta authoritas esse poterat, ut se furentibus opponeret, maximè cessante ab officio Proconsule, cui soli in ea vrbe mandandi ius erat? Restat ergo, ut solius dei protectione occulta Paulum seruatum fuisse dicamus, vt promissio impleretur, iuxta quam nemo illi nocere debebat. Ita patriarchas olim inter Chananæos seruatos fuisse legimus, domino illorū auribus & cordibus intonante: Nolite tangere Christos meos, &c. Psal. 105. Ita Christus vno verbo discipulos liberat, licet hostium rabiem stricto gladio & vulnerato Pontificis seruo Petrus irritauisset. Ex his nos consolationem petere decet, quando eam dei in promissis fidem & in asserendis suis potentiam esse videmus, vt tunc quoq; incolumes euadant, quando inter medios hostium furores versari videntur. III. Exitus Tragœdiæ felix.

Sed ad Gallionem nobis reuertendum est, in quo magistratus impij & à religione alieni typum spiritus sanctus proponit. Is enim religionis causam ad suum forum pertinere, paulò ante disertè negauit. Simul verò ipse confessus est, sui officij esse iniurias ab innocentibus propulsare & scelera punire. At idem ille Sosthenem in cōspectu suo indignis modis tractari patitur, nec id facit, quod modò sui officij esse testatus est. Tales hodie multi sunt, qui dum modestiæ causa religionis cognitionem abs se reijcere videntur, mox se & à religione & à iustitia alienissimos esse produnt, dum ne à ciuilibus quidem, imò notorijs iniurijs dei cultores vindicant. Nec est, quòd iustitiæ assertores vnquam fore putemus eos, qui religionis curam & studium semel abiecerunt. Quî enim fieri potest, ut hominibus in iure suo vindicando fideliter adsit, qui in deum iniustus est, nec sui officij esse putat, vt huius honorem & gloriam asserat? Multos ergo hodie, proh dolor, Galliones passim videre est, nec alia est maior publicæ iniustitiæ causa, quàm quòd religionis sensum omnem pleriq; principum exuerunt. Sed quantò grauius eos peccare dicemus, qui cum Christiano nomine glorientur, tamen Christi fideles in suo conspectu indignissimè tractari patiuntur, & quos sua authoritate atq; gladij iure tueri debebant, in hominum gratiam suo consensu hostium arbitrio & libidini adiudicant; quod hodie tam frequens est, ut exemplis illustrari non opus habeat. Gallio impij magistratus exemplum.

Postremò consyderandum uenit, quàm misera sit illorum conditio, qui libertate sua amissa alienis dominis subesse coguntur. Tales enim Iudæi fuerunt, quos à Pompeij Magni temporibus Romano Imperio subditos & per omnem illius ditionem dispersos fuisse scimus. Tales quoq; Corinthij erant, quos L. Mummio duce ab ijsdem Romanis debellatos & subactos fuisse, historiæ testantur. Nec dubium est utrosq; ob peccata sua iusto dei iudicio fuisse punitos. Sed quanta vel ex hoc vno facto illorum miseria cernitur? Iudæi toto terrarum orbe diuisi, & simul omnibus inuisi sunt. Religionem verò suam ab ijs contumeliosissimè notari audiunt, quos principes suos agnoscere coguntur. Corinthij autem, licet cum Romanis in religione consentiant, eum tamen Proconsulem acceperunt, qui ne publicas quidem iniurias curæ habet, sed ad aperta flagitia turpissimè conniuet. Horum meminerint, quibus libertatis donum diuinitus datum est. Vtantur illo ad dei gloriam, ne simile dei iudicium experti alijs exemplo sint, quin potius corporum simul & animarum libertate ornati deo seruiant, cumq; illo in cœlis uiuant per Christum Iesum unicum veræ libertatis vindicem: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen Populi olim liberi conditio qualis sub tyrannide.

HOMILIA CXXIII.

Paulus uerò deinde cōmoratus dies multos, ualedicto fratribus abnauigauit in Syriam, comitantibus eum Priscilla & Aquila, cùm sibi

totondisset caput in Cenchreis. Habebat enim uotũ. Deuenitq; Ephesum, & illos ibi reliquit. Ipse uerò ingressus Synagogã disputabat cum Iudæis. Rogantibus autem illis, ut plus temporis maneret apud eos, non annuit, sed ualedixit illis, dicens: Oportet me omnino festũ, quod instat, agere Hierosolymis: sed iterum reuertar ad uos, deo uolente. Et soluit Epheso, cumq; deuenisset Cæsaream, ascendit & salutata ecclesia descendit Antiochiam. Et cõmoratus illic aliquantum temporis, profectus est, perambulans ex ordine Galaticam regionem ac Phrygiam, confirmans omnes discipulos.

VT Paulus nuspiam locorum cum maiori timore & tremore quàm Corinthi versatus est: ita non alibi deum magis præsentem sensit. Primò enim per visionem illi opem & gratiam suã pollicitus est. Deinde ab Iudæis captum & ad Proconsulem tractum mirabiliter liberauit, etiamsi ad manus res deueniret, et indignis modis tractaretur Sosthenes. Est verò (ut nuper monuimus) omnium horum vsus, ut communi piorum cõsolationi seruiant. Poterit enim hos quoq; simili ratione liberare deus, nec de eius uoluntate nobis dubitare licet, quando illum veracem esse constat, quare etiam promissionibus suis desse non poterit. Quia tamen de his in præcedenti Sermone satis dictum est, historiæ contextum secuti, quid post turbas Corinthi aduersus Paulum excitatas, factum sit, videamus.

Paulus post pericula manet Corinthi.

Occurrit hîc primum quod de Paulo narratur, illum videlicet post tanti periculi terrores Corinthi non paucis diebus mansisse: deinde verò cùm ecclesiæ recens constitutæ valedixisset, comitantibus illum Aquila & Priscilla, profectionem in Syriam, adeoq; Hierosólymas vsq; instituisse: raso tamen prius in Cenchreis capite propter votum, cui antea obstrictus fuerat. Quo in loco haud vulgarẽ laudem meretur Pauli constantia & fortitudo, qua animatus omnes periculorum terrores vincit, & inter acerrimos hostes, cùm nulla ex magistratu aut alijs hominibus auxilij spes affulgeret, Corinthi manet: nimirum propter rudes & infirmos discipulos, quos confortatione opus habere uidebat, ne tenella adhuc illorum fides in herba (quod aiunt) intercideret. Ita verò boni pastoris officio fungitur, quem dominus ad lupi conspectum nequaquam fugere, sed uitam suam pro ouium salute exponere docet. Iohan. 10. Simul autem vniuersalis hinc doctrina peti debet, vt qui dei opem semel experti sunt, in uocatione sua eò constantiori & fortiori animo pergant, nec (ut quidam præposterè sapientes solent) ideò sese liberatos arbitrentur, ut in posterum quasi omni officio suo defuncti, labores & pericula subire detrectent.

Aquilæ & Priscillæ fides erga Paulum.

NON minus uerò Aquila & Priscilla, sanctißimi coniuges, nobis obseruandi ueniunt, qui exilij molestias semel & iterum experti, rursum sedes mutant, & Paulum per terras & maria comitantur. Quàm uerò id periculosum fuerit (ut de sumptibus & laboribus nihil dicamus) ex uno hoc æstimare licet, quòd in Pauli exitium tota Iudæorum gens obstinatißimis animis conspirauisse uidebatur. Paulus certè cùm ob comitatum hunc, tum ob alias causas, eam illis laudem tribuit, quòd ceruices suas pro ipsius anima supposuerint. Qua re ut illo tempore apud omnes ecclesias magnam gratiam inierunt, ita immortalem sibijpsis parauerunt nominis gloriam, quæ in hunc usq; diem durat, & in finem seculi usq; duratura est. Vide Rom. 16. Horum exemplo nos quoque excitari conuenit, ut pro Christi gloria, pro euangelio & ministris huius aliquid audeamus: quando vniuersales promißiones extant, quæ certam mercedem illi quoq; pollicentur, qui poculum frigidæ aquæ apostolo Christi nomine dederit. Eadem ratio reliquos etiam indigos nobis commendare debet, quos ita nobis commendauit dominus, ut sibi factum esse in die iudicij reputaturus sit, quicquid in illos collatum fuerit. Estq; pudenda omnino & detestabilis illorum opinio, qui exulantium fratrum multitudine respub. onerari existimant: cum tales ferè dei gratiam urbibus concilient. Vnus Lot bello uictos & captos Sodomarum ciues in libertatẽ asserit. Gen. 14. Quòd si decem Loti similes urbs eadem ciues aut incolas habuisset, ex horribili cælestis ignis supplicio per hos eripi potuisset, ut uidere est Gen. 18. cap. Possent multa alia huius generis exempla commemorari, nisi nos alio uocaret temporis angustia, & præsentis loci contextus.

Votum Pauli.

Nouum enim & in noui Testamenti libris inauditum est, quòd Paulus propter uotum caput rasisse dicitur: non poterit autem de alio, quàm Nazaræorum uoto, locus intelligi, nisi Paulum humanis traditionibus obstrictum fuisse dicamus, qui alibi ne diuinæ quidem legis Ceremonijs fidelibus

gratia

grauari debere contendit. De Nazaræis autem copiose Moses scribit in libro Numerorum Cap. 6. Quo loco facilè patet liberam unicuiuis fuisse eam uitæ rationem, ad quam illi uoto ad tempus aliquod certum aut præfinitum astringebantur. Nam quòd Samsonem & Samuelem (qui ab utero matris ad maiora quædam segregati fuerant) toto vitæ curriculo Nazaræorum leges obseruauisse legimus, nequaquam in generale exemplum trahi debet. Obstringebāt autem sese uoto hoc sua sponte, quorum mentem propior religionis sensus commouerat, vt ardentius solito rebus diuinis uacare vellent. Quare vino in uniuersum abstinebant, eò quòd religioni & ebrietati nullo modo conuenire potest. Cum vino reliquas quoq; voluptates, licitas alioqui, vitabāt. Præterea funeribus minimè interterant, ne cognatorum quidem aut parentum, quia deo verè addictos nullus affectus abripere debet, quando Christus quoq; mortuorum curam ad eos potius pertinere ait, qui & ipsi mundo potius immori, quàm cum illo ad cælestis uitæ consortium aspirare uolunt. Luc. 9. Adhæc toto voti tempore comam nutriebant Nazaræi, ut ita sese non sui iuris, sed peculiari voto obstrictos esse testarentur. Capitis enim velamen subiectionis symbolum esse, ipse Paulus docet, quando uirum quidem aperto, mulierem uerò tecto aut uelato capite orare iubet, eò quòd ille liber, hæc autem sub uiri potestate sit, quem caput suum agnoscere debeat. 1. Cor. 11. Quæ causa fuit, quòd euoluto uoti tempore solenni quadam Ceremonia Nazaræi radebantur, ut pristinæ libertati sese restitutos uotoq; solutos esse scirent. Videtur autem Paulus propter Iudæos uotum hoc suscepisse, qui illum prophanum & impium Legis contemptorem esse putabant, quò facilius illos ad audiendum euangelium adductos Christo lucrifaceret. Tale quid enim ipse fateri videtur, quando se Iudæis Iudæū, & ijs qui sub lege sunt legi obnoxium factum fuisse scribit, &c. 1. Cor. 9. Alioqui minimè ignorabat Christianæ libertatis ius, quod nullis ceremonijs violari debere, paßim docet. Vide Col. 2. Gal. 4. Ineptißimè ergo faciunt, qui Pauli exemplo, vt Monasticis votis patrociniū præbeant, abutuntur. Dei enim lege votum hoc nitebatur, quæ licet cum ceremonijs in Christi morte abrogata esset, tamen propter veterem dignitatem & infirmiores aliquot paulatim & cum honore sepelienda erat. At monachorum uota ex humanis traditionibus pendere constat, quarum nulla debet esse in religione authoritas. Deinde deo uouebant Nazaræi, cum potißima monasticorū votorum pars creaturis nuncupari soleat. Rursum Nazaræorum uotis nec vitæ cōditio mutabatur, nec scindebatur ecclesiæ unitas. Sed monastica vota ut omnes alias uitæ conditiones tollunt, ita sectas in ecclesiam infinitas inuehunt. Nazaræi ea uouebant, quæ ab homine præstari poterant. Monachi castitatem vouent, cuius donum nō omnibus datum esse omnis scriptura docet. Nazaræi nemini graues erant uoto suo. At monachi, dum voluntariam paupertatem vouent, otiosi ventres aliorum laboribus pasci volunt. Nazaræos voti religio non impediebat, quò minus & magistratibus & parentibus reliquisq; omnibus parerent, quibus eos naturæ lex obstrictos reddit. Monastica autem uota obedientiam omnem turbant, & solis Abbatibus eos obstringunt, quos magistratus & parentum imperio subesse oportebat. Præterea à Nazaræis procul aberat proprij meriti fiducia. Nam & se peccatores & omnis boni authorē deum esse fatebantur, cum voto soluerentur. Monasticis autem votis humanæ iustitiæ & meritorum nostrorum fiduciam quàm maximè stabiliri constat. Quare si non alia esset, certè hæc una causa illis damnandis & explodendis sufficeret, &c.

Cæterum omissa hac superstitionis sentina ad Paulum reuertamur, qui ex Achaia in Asiam mi- *Paulus Ephesi docet Iudæos.* norem traijciens Ephesum deuenit, ubi quatuor nobis ex ordine consyderanda veniunt. Primò synagogam ingressus cum Iudæis disputat. Rursum ergo illius amor erga suam gentem elucet, quam (ut aliâs monuimus) multas ob causas odisse non poterat, licet iam semel & iterum in illos puluerem excußisset. Docet autem Pauli exemplum, dei iram & iudicium ita impijs proponi debere, ut conuersis integra semper maneat diuinæ gratiæ & veniæ spes. Dei enim vox est: Nolo mortem peccatoris, sed potius vt conuertatur & uiuat. Ezech. 18. Quare simul omni studio inuigilandum est, si qui fortè per nos domino lucrifieri poßint. Secundò non irrita esse sanctorum studia Ephesiorum exemplum docet. Quia enim Paulum diutius secum manere cupiunt, facilè patet, ipsos non parum profecisse. Nec enim fieri potest, vt ministrorum conuersatione delectentur, qui euangelicæ doctrinæ gustum nondum perceperunt. Nec etiam euangelij amantes censeri debent, quicunq; huius ministros odisse, illorum labores malignè taxare, ac eorundem cōmercia fastidiose fugere solent. Tertiò obser-

uemus, quòd Paulus pium officiũ petentibus obsequi nequit. Ait enim: Oportet me omnino festum, quod instat, agere Hierosolymis. Vnde verò illa necessitas Paulo incubuit? Num festi religione illum coactum fuisse dicemus? Minimè gentium. Nouerat enim dies festos unà cum reliquis ceremonijs abolitos esse, nec aliqua vrgebat causa, quæ illum propter infirmos Iudæos Hierosolymã ascendere cogeret, quando multi per omnes vrbes, Iudaicis superstitionibus adbuc immersi, inueniebantur, qui eò non ascendebant. Quare vt aliâs spiritum sanctum Paulo rerum agendarũ ducem fuisse audiuimus: ita verisimile est, ipsum occultiori spiritus impulsu ad illam profectionem fuisse instigatum, quàmuis causa non exprimatur, nec etiam eorum cõmemoratio fiat, quæ tunc Hierosolymis gessit, nisi quòd ecclesiam salutauisse dicitur. Certè non potuit infrugiferum esse Pauli studium in ea vrbe, ad quam ex omnibus nationibus festi tempore ingens cùm Iudæorum tum gentium multitudo confluebat. Ita enim vno quasi momento euangelij doctrina in multas gentes simul propagari poterat. Interim admiratione dignum est, quòd ab illis tam citò diuellitur Paulus, qui tantam profectus euangelici spem exhibebant, & quos deserere parum ciuile & pium videri poterat, si carnis rationem audias. Sed certa deo constat iudiciorum suorum ratio. Et præcipuus eiusmodi exemplorũ vsus est, vt voluntatem nostram & consilia omnia, quàmuis in speciem pia & sancta, dei arbitrio subijcere discamus. Quartò, vt Epheso Paulus discesserit, videamus. Valedicit illis, quod gratitudinis & amici animi significationem habet. Nimis enim turpis est illorum inciuilitas, qui insalutatis hospitibus discedunt, postquàm beneficijs ornati sunt. Deinde apud illos Aquilam relinquit, ne omnino destituti viderentur. Præterea reditum pollicetur, siquidem ita uelit dominus. Ex quibus facilè erat colligere, ipsum non iniquo in illos animo esse, sed grauioribus causis ad discessum urgeri & cõpelli. Hic uerò imitanda uenit Pauli religio, qui in re omnium sanctissima nihil temere præsumit, sed conatus & instituta sua omnia ex dei prouidentia pendere intelligens, ad huius uoluntatem omnia illa refert. Tritum enim est illud Solomonis, hominẽ quidem proponere, deum uerò disponere. Prouerb. 16. Quanta ergo eorum temeritas est, qui in prophanis rebus tantum sibi tribuunt, ut perinde de suis negotijs constituant, ac si ipsi deo leges præscribere possint. Vide Iac. 4. Luc. 12.

Pauli labores & industria.

Cæterum Ephesо digressus Paulus Cæsaream Palæstinæ contendit, inde Hierosolymam ascendens. Illi uerò salutata ecclesia & peractis omnibus, quorum gratia eò profectus erat, Antiochiam uenit, quam commune quoddam piorum asylum fuisse, supra audiuimus. Inde Galatas & Phrygiam obambulans, passim fratres in fide confirmat, eò quòd satanæ artes & improbos conatus minimè ignoraret, quibus ille piorum saluti insidiari consueuit. Paucis verò Lucas immensos Pauli labores, indefessam curam & admirabilem industriam cõprehendit, qua in ecclesiæ Christi gubernatione vsus est. Quòd si cum his nostri seculi episcopos cõferas, qui & Pauli & Petri titulo superbiunt, deum immortalem, quàm nihil in illis inuenies quod aliquam apostolici pectoris scintillam referat? Agnoscamus interim dei fidem, qui ecclesiæ tam fidis & selectis organis prospectum esse voluit, illumque oremus, vt hodie etiam operarios fidos in messem suam extrudere velit, quorum industria ecclesiæ limites propagentur, vt per omnes gentes regnum obtineat dominus & saluator noster Iesus Christus: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CXXIIII.

Iudæus autem quidam Apollos nomine, Alexandrinus genere, uir eloquens, deuenit Ephesum, potens in scripturis. Hic erat institutus in uia domini, & feruens spiritu loquebatur, & docebat diligẽter ea, quæ sunt domini: sciens tantum baptisma Iohannis. Atque hic cœpit libere loqui in synagoga. Quem cùm audissent Priscilla & Aquila, assumpserũt illum, & exactius ei exposuerunt uiam dei. Cùm autem uellet ire in Achaiam, exhortati fratres scripserunt discipulis, ut susciperẽt illum. Qui cùm uenisset, contulit multum ijs, qui crediderant per gratiam. Vehementer enim Iudæos reuincebat publicè, ostendens per scripturas Iesum esse Christum.

Rerum à diuo Paulo Corinthi & Ephesi gestarum narrationi Lucas percommodè historiam hanc de Apollo, Iudæo Alexandrino, interserit. Primò enim ad pleniorem eorum explicationem facit, quæ apud Corinthios gesta sunt, cùm paulò post ad hos quoq; Apollos profectus, ecclesiam Pauli ministerio non infeliciter plantatam rigauerit, & fidelis agricolæ instar ad maturiorem fructum perduxerit, quod ipsum in priori ad Corinth. 3. cap. apostolus fatetur. Deinde mira dei bonitas elucet, qua ille ecclesijs suis prospicere solet. Audiuimus enim in præcedenti Sermone, Paulum occulto spiritus sancti motu ab Ephesijs, qui euangelij amore inflammati, ipsum apud se aliquandiu retinere cupiebant, auulsum fuisse. Ne quis ergo salutis cupidos à domino indignis modis neglectos putaret, adeoq; de dei in hos malignitate quærendi occasionem arriperet, Apollo, surrogatur, qui Pauli absentiam suo studio & industria sarciret. Nec enim aliquos veritatis studio ardentes negligit dominus, qui ipse passim homines ad se inuitat, & renitentes quoq; expansis manibus (ut propheta ait) allicit. Non parum ergo ad ecclesiæ consolationem facit ista historia, quæ simul fidelis & absoluti ministri exemplum continet, unà cum multis alijs, quæ nostræ ædificationi seruire poterunt: quare singulas eius partes excutere non infrugiferum fuerit.

Commodissimè autem à personæ descriptione Lucas orditur, primò Iudæum fuisse dicens, quo partim immensa dei bonitas declaratur, qui ex infestissima gente & ad interitum ruente nouos quotidie sibi sui cultores, & ministros elegit: partim inexcusabilis redditur Iudæorum malitia, quæ nec fideli apostolorum cura, nec quotidianis ijsq; domesticis exemplis superari potuit. Apollos quis & qualis fuerit. *Deinde patria Alexandrinum fuisse indicatur, in quo loco celeberrimam ecclesiam simul & scholam ipsis apostolorum temporibus constitutã fuisse, historiæ produnt & præsens hic locus nõ obscurè innuit. Inde enim prodit seminarijs donis instructissimus Apollos, cuius tam fidelis postea claruit in ecclesiæ ædificatione industria. Paucis verò verbis maximas illius uiri dotes Lucas comprehendit, dum eloquentiam illi tribuit, id est, aptè & rite de re quauis disserendi facultatem: potentiam item in scripturis, id est, has tractandi dexteritatem non otiosam, utpote cum illas non nudæ duntaxat ostentationis causa didicisset. Præterea in uia domini institutum fuisse testatur, ita illi Christi cognitionem tribuens: in qua tamen illi adhuc aliquid defuisse monet, dum illum duntaxat Iohannis baptismum sciuisse ait.* Baptismus Iohannis. *Ita verò prima Christianismi rudimenta nominat, baptismi vocabulo omnem Iohannis doctrinam, adeoq; totum illud negotium, cuius ille minister fuit, comprehendens: quo sensu Christus quoq; de Iohannis baptismo scribas interrogat, Matth. 21. Non tamen ita accipi debet locus hic, quasi Iohannes à Christi cognitione alienus fuerit, aut quicquam ab hac diuersum suis discipulis tradiderit. Vna enim & eadem fuit Iohannis & Christi doctrina. Vt enim hic apostolos pœnitentiam & peccatorum remissionem in suo nomine prædicare iubet: ita Iohannem ad pœnitentiam auditores suos inuitauisse, & ijsdem dei gratiam & salutem in uno Christo monstrauisse, legimus. Nam summa doctrinæ ipsius fuit: Resipiscite, appropinquat enim regnum dei. Ecce agnus ille dei, qui tollit peccatum mundi. Pater diligit filium, & omnia dedit illi in manum, ut omnis qui credit in filium, habeat vitam æternam. Vide Luc. 3. Iohan. 1. & 3. cap. Quia verò Iohannes, inter prophetas & Christum medius, Messiæ promissi præcursor tantũmodo esse debuit, qui populum ad excipiendum Saluatorem prepararet, sufficiebat illum summariã salutis & Christi cognitionem tradere, ut nimirũ intelligerent omnes in hoc uno peccatorũ remissionem & vitam inueniri. Interim occultiora mortis Christi & resurrectionis Ascensionisq; mysteria, adeoq; totum nostræ redemptionis modũ nuspiã disertis uerbis ab illo traditum fuisse, constat. Horũ enim perfecta cognitio in aliud tempus reseruabatur. Imò ipsos Christi apostolos, licet de his frequenter Christus dissereret, rudiores fuisse legimus, quàm ut ista intelligere potuerint, donec post Ascensionẽ demum misso spiritu sancto totis animis illuminati sunt, quemadmodum Christus fore promiserat. Apollos ergo licet in via domini institutus esset, Christũq; agnosceret humani generis saluatorem esse, multa tamen adhuc ignorabat, quæ ad modum nostræ redemptionis spectant, de quibus plenius edocendus erat, vt paulò post sequetur. Interim duo nobis in personæ huius descriptione obseruanda ueniunt. Primum ordo & concatenatio donorum est, quibus Apollon deus ornare voluit.* Dona quibus Apollos instructus fuit. *Inter hæc primus locus Eloquentiæ tribuitur, quã omnibus cùm in ecclesia tum in republica versari volentibus cumprimis necessariam esse, vsus quotidianus docet. Num verò huius donum ex natura homini obtingat, aut arte & industria siue studio paretur, iam*

olim inter acutißimos Oratores & Philosophos disputatum esse scimus. At nos apostoli sententiam secuti, dicendi facultatem inter spiritus sancti dona recensemus. 1. Corinth. 12. Cuius afflatu Apollos quoq; hac donatum fuisse dicimus. Secundò in scripturis tractandis potentem & efficaci dexteritate præditum fuisse Lucas scribit. Ita verò sanctam huius viri eloquentiam à prophana distinguit. Nisi enim ex scripturis sacris, adeoq; dei ore dicendi materia petatur, nulla esse poterit eloquentiæ vtilitas, utpote quæ circa nugas & ostentationem potius quàm res cognitu & factu necessarias versabitur. Nec reuerà eloquentes dici debent gentium Oratores, qui magnificè quidem & ornatè disseruerunt, sed de ijs tantum quæ ad uitam beatè transigendam minimè pertinent. Quid ergo aliud illos fecisse dicemus, quàm quòd inania verba fuderunt, puero (ut dici solet) Herculis cothurnos induentes? Admirantur quidem horum in dicendo vim homines vanißimi, nec illis multum dissimiles. Sed quantò rectius Lacon ille, qui Sophistæ prolixam eamq; extemporariam orationem de re quauis pollicenti, respondit: Ego verò ne sutorem quidem probauerim, qui paruo pedi magnum calceum induxerit? Sancto ergo & utili studio scripturæ cognitionem eloquentiæ Apollos coniunxit. At quia in scripturis quoq; non pauci inani gloriæ & ostentationi student (quemadmodum Iudæorum scribis dominus exprobrat) tertio loco Apollos in via domini institutus fuisse, id est, Christi cognitionem tenuisse dicitur. Viæ autem vocabulum usurpat Lucas, vt illum non ociose in hac cognitione versatum fuisse, sed in hoc potius incubuisse doceat, ut Christi regulam sequendo, secundum hanc vitæ suæ conuersationem omnem institueret. Est hic omnium donorum Colophon. Quia enim in uno Christo salutis nostræ ratio continetur, inanis & infrugifera erit omnium aliarum rerum ostentatio, nisi huius cognitionem reliquis studijs homines coniunxerint. Et hunc quidem scopum nobis in scrutandis scripturis propositũ esse debere, ipse Christus disertè monet apud Iohan. 5. cap. Quæ causa est, quòd Paulus omnia, quæ in pretio apud mundum existunt, pro excrementis duxit, ut Christum apprehenderet. Phil. 3. Idem Christum nobis à deo sapientiam factum esse testatur, nec aliud scire affectat, quàm Iesum Christum, & hunc quidem crucifixum. 1. Cor. & 2. Vtinam obseruarent hæc, qui in Christianorum scholis iuuenes inani quidem philosophia dementant, Christi verò cognitionem, quasi ad pannosos (ut ipsi loquuntur) duntaxat Theologos pertinentem, procul inde relegãt. Alterum in Apollo obseruandum uenit, quòd tanto uiro in ijs adhuc aliquid desit, quorum cognitio omnibus nobis est necessaria. Vnde colligimus non omnibus data esse omnia, & incrementa donorum esse, quando nemini in terris plena & perfecta mysteriorum regni dei cognitio contingit, quam ad altero demum seculo nobis obuenturam Paulus dicit, quando nimirum in cœlos translati, deum facie ad faciem uidebimus sicuti est. 1. Cor. 13. Vnde tamen nemo colliget, incerta esse quæ in hoc seculo de religione traduntur omnia. Quia enim huius rationẽ ipse deus per Verbum suum in scripturis nobis reuelat, incertũ esse non potest, quicquid illo traditur. Interim quia perfectio scientiæ dei in cœlis demum obtingit, quotidie dum hîc agimus proficere possumus. Nunquam ergo nobis quiescendum est, sed inuigilandũ rerum diuinarum cognitioni, ut in hoc etiam seculo, quoad eius fieri potest, aliquem perfectionis huius gustum percipiamus. Arguuntur ergo hîc ociosi fuci, qui omne, quod diuinis rebus impenditur, studium superuacaneum & inutile esse arbitrantur, ita nimirum significantes, se illas nec primis labijs degustauisse. Ea enim harum dulcedo est, ut inescatos quodammodo homines abs se nunquam diuelli patiantur. Arguuntur item superbi & confidentes illi, qui quasi nihil illis discendum supersit, immani fastidio Verbi diuini studium omne aspernantur. Quos adeò à perfectione illa, quam sibijpsis pollicentur, abesse constat, ut nec seipsos quidem adhuc probè nouerint.

Vt donis suis Apollos usus sit?

Porrò vt ad Lucam reuertamur, personæ descriptioni res gestas subijciens, ut Apollos donis sibi diuinitus collatis vsus sit, docet. Feruens spiritu (inquit) loquebatur, & docebat diligenter ea quæ sunt domini. Item, cœpit liberè loqui in Synagoga. Ergo ad domini gloriam illustrandam donis suis usus est, suo exemplo docens, illum demum legitimũ donorum vsum esse, si per ea domini nomen celebretur, à quo illa nobis data sunt. Id verò gratitudinis lex iubet, quã natura omnibus creaturis insculpsit. Peccant ergo quicunq; ociosi dona, quibus illos deus exornauit sepeliunt, de quibus sub serui nequã parabola dominus agit. Matth. 25. Grauior tamen multò illorũ culpa est, qui donis suis pro sua libidine & diuini nominis contumeliã abutuntur, id quod hodie uulgò fit, siue animi, siue corporis bona spectes. At grauißimam deo rationem olim reddent, quicunq; hoc scelere sese polluerint. Adm-

ut

ut simul exemplum hoc, quæ docendi ratio in ecclesia teneri debeat. Primùm zelo opus est & spiritus feruore, ut ex animo rem geri omnibus constet. Nisi enim is adsit, non nisi ostentationi doctrina seruit. Ita Christi zelo flagrauisse ardens & indefessum docendi studium & feruidus ille in templo reformando spiritus abundè declarant. Nec unquam illi probari poterunt tepidi doctores, quando nec priuatos homines Christus in religionis causa tepere uult. Vide Apoc. 3. Deinde diligentiam adhiberi necesse est, cum propter ingenij nostri tarditatem, quod diuina non capit, tum propter corruptionem naturæ nostræ, quæ dei præceptis semper reluctari consueuit. Accedit & satanæ, communis hostis, improbitas, cuius insidijs fideles ministros dies & noctes irrequieta industria occurrere oportet. Ideo Paulus Timotheum, quem à pueris in scripturæ studio enutritum esse sciebat, lectioni intendere iubet. 1. Tim. 4. Idemq́ infra Ephesiorum pastores ad uigilantiam & diligentiam grauissimis argumentis hortabitur. Tertiò dicendi libertate ministros præditos esse conuenit, ne quid uel metu uel fauore decepti dißimulent. Sed de eo supra diximus, ubi Paulus loqui, & non tacere, iubetur. At quæ uerbi ministris iniunguntur, ea omnibus, qui in publica aliqua functione uersantur præstitu necessaria esse, paßim scripturæ docent. Imò priuatim hæc singuli ad se transferant, siquidem in uocatione sua deo probari uolunt. Quia enim exigit dominus, ut totis animis illi seruiamus, non possunt non in rebus suis diligentes simul & ingenui esse, adhæc feruere etiam, qui se illi totos ut par est, consecrauerunt.

Docendi ratio in ecclesia.

Cæterum describit Lucas, ut in Christi & salutis cognitione Apollos profecerit, dum huius gloriam prouehere & aliorum salutem propagare studet. Ait enim: Hunc cum audissent Priscilla & Aquila, assumpserunt illum, & exactius ei exposuerunt uiam dei. Et hic quidem ante omnia promissionis à Christo factæ ueritas elucet. Omni habenti (inquit) dabitur, & abundabit. Matth. 25. Habere autem dicuntur, qui dona sibi collata agnoscunt, & iisdem sedulò ad dei gloriam utuntur, ut cum rationem ab illis dominus exigit, illa cum fœnore accipiat. Id quia Apollos summa fide & studio (ut modò diximus præstitit) non deest promißioni suæ dominus, sed mox fideles ministros excitat, qui illum in Christi cognitione plenius & perfectè instituant. Debet id communi omnium institutioni seruire, ut intelligant quasuis dei dotes nulla re felicius quàm fideli studio augeri. Ita sapientiæ donum indies augeri sentiunt, quicunq́ illo ad diuinæ gloriæ propagationem uti consueuerunt. Eadem eruditionis, bonorum, opum, omnium deniq́ aliarum rerum ratio est: nec exempla desunt, quibus id probari potest. Rursum non alia maior causa est, ob quam dona dei magis extingui solent, quàm si suæ potius ignauiæ & ocio, quàm gloriæ dei homines studeant. Hic uerò multas ob causas tum Aquila & Priscilla, tum Apollos nobis consyderandi ueniunt. In illis enim paucis uerbis eximiam pietatem & uirtutes maximas euangelista comprehendit. Pietatis ingens argumentum est, quòd Apollon docentem audiunt, cum ipsi tantam haberent mysteriorum Christi cognitionem, ut alios instituere possent. Est hæc uera filiorum dei nota, quibus hoc proprium esse Christus ait, quòd uerbum suum crebrò & libenter audiant. Iohan. 8. Arguuntur autem hoc exemplo, qui sese in salutis negotio eò usq́ profecisse putant, ut institutione ipsis amplius non sit opus, & proinde nec scripturas domi legunt, nec sacros cœtus ingrediuntur, ut concionibus intersint. Ita uerò dum se plus satis profecisse arbitrantur, palàm produnt, se adhuc ignorare, quæ præcipua filiorũ dei nota sit. Hi enim quia regnum dei nõ in nuda cognitione consistere norunt, sed hoc potius requiri, ut uitam iuxta uerbi dei regulam instituamus, audiendo satiari non possunt, cum in eo quod præcipuum est, subinde sibi quàm plurimum deesse sentiant. Deinde ardens gloriæ dei studium præ se ferunt sanctißimi isti coniuges, dum eum sibi instituendum sumunt, quem ecclesiæ Christi plurimùm prodesse posse uidebant. Adhæc charitatis uerè Christianæ & ab omni inuidia alienißimæ argumentum est, quòd priuatim illum instituunt, nec illi gloriam hanc inuident, quam huc usq́ fideli studio sibi pepererat, imò iuuant potius, ut & ipse plenius instruatur, & plures per hunc lucrifieri poßint. Hoc si cum nostri seculi moribus conferas, deum immortalem, quàm exigua adeoq́ nulla tam Christiani pectoris argumenta apud eos quoq́ inuenies, qui sanctißimi simul & euangelicæ lucis instauratores uideri uolunt. Vt primùm enim alicuius authoritatem crescere sentiunt, mox ambitionis spiritu exagitati inuident, simulq́ anxiè quærunt, si qua sese offerat occasio, qua illum uel contemptum uel inuisum reddant, quasi uerò suo honori non nisi per aliorum infamiam consulere poßint. At quomodo fidem habere

Apollos in Christi cognitione proficit.

Aquilæ & Priscillæ laus.

possunt, qui honoris humani uel mundani tā cupidi sunt? Iohan. 5. Caini certè hic spiritus est, quem non aliam ob causam contra fratrem insurrexisse legimus, quàm quòd illum se præstantiorem deoq magis acceptum uideret. Vt uerò in religionis causa & ecclesiæ ministerio malum hoc uitare conuenit, ita etiam in priuatis negotijs omnes inuidiæ & odij occasiones summo studio subterfugere decet, siquidem germani dei filij dici uolumus. Cæterum ut in Aquila & Priscilla uirtutes istæ elucent, ita in Apollo admirabilis ac ferè exemplo carens modestia & tractabilitas cernitur. Qui enim eloquentia insignis, & proinde in omni disciplinarum genere instructissimus erat, ab opifice mannario & muliere ijsq; ignotis antehac & peregrinis, doceri sustinet. Verum enim est illud Pauli, qui prophetarum spiritus prophetis subijci scribit. 1. Cor. 14. Confer autem cum Apollo hoc illorum arrogantiam, qui ne à Symmystis quidem admoneri siue corrigi uolunt, quorum hodie nimis magnus numerus est. Sed ut olim talium insolentia ecclesijs multùm nocuit, sic hodie hæc præcipua causa est, quòd intestinis contentionibus miserè laniantur, dum ubiq; locorum reperiuntur, qui dictaturam in hac affectantes, fratres & Symmystas suos uix canum aut porcorum loco habent.

Apollo modestia & tractabilitas.

Accedit porrò prioribus aliud argumentum, quo ardens propagandi regni dei studium Apollos declarat. Postquam enim se in Christi cognitione abundè instructum esse sentit, in Achaiam proficisci instituit. Corinthum uidelicet, eò quòd eam ecclesiam opera sua non parum indigere uideret. Vt enim strenui milites ea loca sponte sibi deligunt, in quibus plurimum laboris & periculi esse nouerūt: ita qui in Christi & ecclesiæ militia cum laude et fructu uersari uolunt, diligenter obseruant quibus in locis ipsorum opera cumprimis requiratur, eoq; promptis animis festinant, ne quid ipsorum negligentia regno dei decedat. HIC uerò Ephesiorum quoq; fratrum fides & industria obseruanda uenit, qui fidelissimum Christi ministrum, & de sua ecclesia optimè meritum uirum, non sine publico uirtutis testimonio abs sese dimittunt: imò Corinthijs ita illum commendant, ut hortentur etiam, ut illi in sua ecclesia docendi, locum concedant. Vt enim uerbi ministrum exterorum quoq; testimonijs probari necesse est, ne in laqueum calumniatoris incidat: ita minimè negari debet uirtutis testimonium ijs, qui ecclesijs fidem suam non obscuris argumentis probauerunt. Nam qui tales ad ecclesiæ ministerium prouehunt, non paruam in regno dei gloriam merentur. Rursum in ipsam ecclesiam & Christum impij meritò censentur, quicunq; prauis affectibus excæcati obstant, quò minus ad ecclesiæ ministerium admittantur, qui eo munere digni sunt. Videndum tamen iuxta Pauli preceptum, ne temerè cuiuis manus imponendo, peccatis alienis communicemus. 1. Tim. 5. Et quod de ecclesiæ ministris dicitur, idipsum in omnibus alijs officijs siue muneribus publicis obseruādum est, ut nimirum digni proueh antur, arceātur autem, quoad per nos fieri potest, inepti & indigni homines, ne illos commendando communi reipub. damnum demus. Porrò quoad Apollon, curauit is, ut fratrum testimonio & commendationi responderet, ne indignum alienæ ecclesiæ obtrusisse uideri possent. Multum enim contulit Corinthijs fratribus, qui crediderant per gratiam. Siue uerò gratiæ uocabulum ad Apollon, siue ad Corinthios referas, in idem sensus recidet. Docet enim nihil hic humanæ industriæ tribuendum, sed deum omnis boni authorem agnoscendum esse, qui incrementum dare dignatus fuerit, qua de re multis Paulus in priori ad Cor. 3. cap. disputat. Et sanè si unum hoc probè considerauissent Corinthij, nunquam ijs locum dedissent, qui factiosis Paulinorum, Cephistarum & Appollonistarum nominibus illorum ecclesiam postea turbauerunt. SED modum quoq; & rationem indicat Lucas, qua fratribus multum Apollos contulerit, nimirum Iudæos publicè confutando, & ex scripturis probando quod Iesus sit Christus, id est promissus ille humani generis saluator. Qui locus de multis obseruatu necessarijs nos admonet. Primò enim docemur in ecclesia nō modò institutione, uerumetiam aduersariorum confutatione opus esse. Nec enim fieri potest ut multum prosint ecclesijs, qui falsa dogmata non summo studio extirpare nituntur, ut nec agricultura frugifera esse potest, quæ frutices & lolium infelix succrescere patitur. Ideo Ieremias euellere & extirpare, deinde uerò ædificare & plantare iubetur. Et Paulus episcopum talem esse uult, qui contradicentes quoq; conuincere queat. Tit. 1. Quod autem de falsis doctoribus dicitur, quos omnino cōfutari oportet, hoc ipsum de palàm flagitiosis & sceleratis debet intelligi, qui infirmis offendiculo esse solent. Nam hos quoq; gladio spiritus oppugnare debent fideles ministri, nisi ecclesiam lupis dilaniandam exponere uelint. Vehementer itaq; errant, qui hodie euangelium ita prædicari uolunt, ut nec impijs doctrinis nec corruptis

Apollos Corinthum abit.

Ecclesiæ etiam confutatione impiorum opus habet.

ruptis moribus resistatur. Præterea admonemur, quibus armis in ecclesia pugnari oporteat: Scripturis nimirum, quas diuinitus inspiratas, & ad docendum, arguendum, hortandum & increpandum utiles esse, alibi Paulus docet. 2. Tim. 3. Turpissimè ergo falluntur, qui cum hæreticis per scripturas agi debere negant, eò quòd obscuriores illæ sint, quàm ut his conuincendis sufficiant. Quare ad ecclesiæ & Conciliorum determinationem confugiunt. Sed id perinde est, ac si quis iam pugnaturo militi gladium ferreum eripiat, & plumbeo illum accingat. Quasi uerò maior authoritas esse queat humanarum constitutionum quàm spiritus sancti, qui in scripturis loquitur. Postremò quod sæpè monuimus, hic quoque inculcatur, euangelicæ prædicationis hunc finem esse, ut credamus Iesum esse Christum, dominum & saluatorem nostrum: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Ministri scripturis pugnare debent.

CAPVT XIX.

HOMILIA CXXV.

FActum est autem cum Apollos esset Corinthi, ut Paulus peragratis superioribus partibus ueniret Ephesum: & repertis quibusdam discipulis, dicit ad eos: An spiritum sanctum accepistis postquam credidistis? At illi dixerunt ad eum: Imò, neque an sit spiritus sanctus, audiuimus. Et ait illis: In quid igitur baptizati estis? Illi uerò dixerunt: In Iohannis baptismum. Dixit autem Paulus: Iohannes quidem baptizauit baptismo pœnitentiæ, populo loquens in eum qui uenturus esset post ipsum, ut crederent, hoc est, in Christum Iesum. His auditis, baptizati sunt in nomen domini Iesu. Et cum imposuisset illis manus Paulus, uenit spiritus sanctus super eos, & loquebantur linguis & prophetabant. Erant autem omnes uiri ferè duodecim.

QVoniam de Ephesinæ ecclesiæ primordijs in præcedenti Cap. Lucas agere cœpit, huius historiam deinceps hoc Capite absoluit, docens ut Paulus Ephesum, sicuti se facturum promiserat, reuersus, ecclesiam prius illic inchoatam feliciter absoluerit. Vt uerò diuinæ gratiæ per euangelij prædicationem sese exerētis uis clarius elucescat, ante omnia Ephesus nobis consyderanda erit, quam Asiæ urbium celeberrimam fuisse scriptores tradiderunt. Propter situm enim emporijs & circumiacentis agri fertilitate clarissima opibus in immensum creuerat. Accedebat falsæ religionis celebritas, quæ ex omnibus nationibus hospites eò uocabat. Illic enim Dianæ templum erat, quo nullum in orbe sumptuosius & augustius extructum fuit, cum in eius ædificatione totam Asiam annis circiter ducentis & uiginti laborauisse constet, ut non temere inter mundi miracula numeraretur. Regnabant igitur in ea urbe luxus & superstitio, quæ curiosas & Magicas artes ferè comites et pedissequas habere solet, quarum studiosissimos quoque Ephesios fuisse, suo loco uidebimus. Eam tamen Paulus apostolus intra biennij spatium ita conuertit, ut nobilissima illic constituta fuerit ecclesia, cui haud uulgarem laudem in sua reuelatione Christus postea tribuit. Apoc. 2. Quo loco partim dei gratia obseruanda uenit, quam Paulus postea Ephesijs hoc domestico ipsorum exemplo commendauit, ut in eius ad hos epistola cap. 2. uidere licet: partim euangelici ministerij uis elucet, cui nec ueteris superstitionis authoritas, nec mundi fastus & gloria obstare potest, quò minus Christi regnum exurgat, ubicunque illud admissum fuerit. Porrò rerum à Paulo Ephesi gestarum narrationem Lucas contexturus, ab eo orditur, ut quosdam euangelij nomine gloriantes, nondum autem plenè institutos & formatos, absoluerit, & spiritus sancti donis ecclesiam illam nobilitarit. Quæ historia ut nostræ institutioni plurimum seruit: ita uel hoc nomine diligenti consyderatione digna est, quòd olim quidam huius exempli authoritate pugnarunt, qui ab hæreticis baptizatos denuò baptizandos esse contendebant: hodie uerò eadem Anabaptistæ abutuntur, furiosum & mirè pertinax hominum genus, qui paruulos à baptismo arcendos, nec nisi adultos iam & plenè institutos baptismo tingi debere clamant. Sed tam hos, quàm ueteres falsos fuisse, ex

Ephesi cōditio.

ipso cõtextu facilè patebit, quo euincetur nihil minus Paulo cordi fuisse cum hæc ageret, quàm quod illi hinc elicere conantur.

Paulus fidei professioni non respondentes examinat.

Principiò enim Paulum quorundam discipulorum examen instituisse dicitur, in quos Ephesum reuersus incidit. At minimè credibile est, solos hos Christo nomen dedisse, cum maiorem euangelij profectum apud Ephesios ex ijs conijcere liceat, quæ in fine cap. 18. audiuimus. Quòd autem hos sibi præ alijs examinandos sumit Paulus, in causa fuisse uidetur, quòd Christiani nominis professioni minus responderent. Verisimile enim est hoc ipsum Ephesi accidisse, quod passim ferè accidere solet, quando primùm prædicatur ueritas, nondum tamẽ ecclesiæ disciplina solidè constituta est. Tunc enim multos inuenire licet, qui ueteris conditionis odio potius quàm ueritatis amore, euangelicos sese profitentur, dum sub euangelij prætextu maiorem sibi licentiam promittunt. Tales quia hos esse uidebat Paulus, ut ad meliorem frugem adeoq; maturitatem perducerentur, nec illorum instar perirent, qui euangelij semen in petricosam terram exceperunt, illorum fidem examinare, sicq; illis quàm procul adhuc à meta absint, ob oculos ponere instituit. Quærit ergo, an spiritum sanctum acceperint? Debet autem de spiritus sancti donis, quæ illo tempore credentibus conferri solebant, quæstio ista intelligi, nimirum linguarum cognitione & prophetia, de quibus iam sæpe dictum est. Docet interim locus iste, quo indicio ueri Christiani à fucatis siue falsis dignosci queant. Licet enim specialia illa spiritus dona, quæ miraculosè olim conferebantur, hodie cessarint, rata tamen manet Christi Iesu promissio, qua suis spiritum suum pollicitus est. Et ut alibi Paulus monet, qui spiritum Christi non habent, eiusdem membra esse non possunt. Roman. 8. Nec minus necessarij sunt hodie reliqui spiritus sancti effectus, quàm olim linguarum cognitio & prophetia fuerint: quales sunt, Veteris hominis mortificatio, Regeneratio & innouatio mentis nostræ, Purificatio, Sanctificatio & si quæ alia sunt huius generis. Quotquot ergo istis omnibus carent, hos falso Christi nomine & fide gloriari, certum est, nisi otiosum & inertem dicere libeat Christi spiritum.

Crassa ignorantia eorum, qui Christo non uere nomen dant.

Sed responsionem horum audiamus, quos Paulus examinare statuit, qua crassam omnino & nimis barbaram ignorantiam testantur, dicentes: Imò, neq; an sit spiritus sanctus, audiuimus. At quomodo spiritum sanctum esse ignorabant, qui toties huius mentionem fieri in lege & prophetis nouerant? Iudæos enim hos fuisse non dubium est, cum Iohannis baptismo initiati fuerint. An ergo illud Mosis ignorabant, qui suæ historiæ initio, spiritum dei aquis incubuisse scribit? Vel num Dauidis dictum nunquam audiuerant? Verbo domini cœli facti sunt, & spiritu oris eius omnis exercitus eorum. Psal. 33. Item: Spiritum tuum sanctum ne à me auferas. Psal. 51. Adhæc Messiæ uocem in propheta loquentis nouisse poterant: Spiritus domini dei super me est, &c. Isa. 61. Quomodo ergo se unquam, an spiritus sanctus sit, audiuisse negant? Sed facilis est solutio. Vt enim de spiritus sancti effectis interrogauit Paulus, ita de ijsdem illi respondent, quasi dicant: Nos ijs, quæ hucusq; didicimus, contenti, nihil ultra quærimus nec curamus sit ne uel minus spiritus aliquis sanctus, qui peculiaria quædam in hominum animis operetur: eò quòd horum cognitionem supra nos esse, nec quicquam ad nos pertinere putamus. Ita uerò carnalium hominum typus sunt isti, qui cum ueritatem ore profiteantur, eius tamen uim (ut Paulus ait) abnegauerunt, & factis negant quod ore fateri solent. 2. Tim. 3. Tit. 1. Ingens horum numerus hodie passim inuenitur, qui nudum Christi nomen ad beatitudinem sufficere persuasi, spiritus sancti dona, carnis nimirum mortificationem, innouationem mentis, regenerationem, sanctificationem & alia huius generis quàm minimè curãt. Et horum quidem culpa ferè fieri solet, ut euangelij doctrina in mundo pessimè audiat. Minimè ergo tales ferendi sunt, sed argui & in lucem protrahi debet illorum fucus, ut & ipsi se errare intelligant, & alios minus offendant.

Professio externa fucatos Christianos conuincit.

Facit hoc ipsum in præsenti Paulus. Propius enim cum his pedem conferens, urget illos, ut ex ipsorum ore conuincat, eos nondum ueram Christianismi metam attigisse. Ait enim: In quid ergo baptizati estis? Id est, quæ uestra fuit professio, cum primũ euangelio nomen daretis, ecclesiæ Christi uos coniungentes? Respondent, se in Iohannis baptismum fuisse baptizatos: sicq; testantur, se in eam doctrinam & religionem concessisse, cuius minister & doctor Iohannes fuerit, nec obscure innuunt, se præter hanc non quicquam amplius curare. Hic uerò captos arctissimè constringens Paulus, infert: Iohannes quidem baptizauit baptismo pœnitentiæ, populo loquens in eum qui uenturus erat

post

post ipsum, ut crederent, hoc est, in Iesum Christum. Ita uerò docet, Iohannem longè aliud quàm nudam nominis sui & euangelij professionem, à suis discipulis requisiuisse. Primò enim pœnitentiam præscripsit, ad quam magno serio omnes ordines hortatus est, ut patet Luc. 3. Nec tamen nudam pœnitentiam exigit, sed simul peccatorum remissionem monstrauit, Christum Iesum prædicās, cuius ille præcursor à deo erat constitutus. Hunc uera fide amplecti, hunc sequi, huic sese homines totos consecrare docuit: eò quòd in hoc solo ea inueniri poßint, quæ externo baptismo figurātur. Quis uerò illa absq; spiritus sancti operatione præstabit? Adeò ergo non sufficit, inanis illa Iohannis uestri doctoris gloriatio, ut huius potius doctrina & baptismus, quo tincti estis, uos ulterius progredi compellant, & eò anniti, ut Christo uiua fide insiti, & illius spiritu animati, ipsis spiritus sancti effectis, uos ueri Christianos esse, testemini. Et hunc quidem simplicißimum ac minimè coactum esse uerborum Pauli sensum totus historiæ contextus probat. Quare ridiculus illorum error est, qui ex hoc loco euincere conati sunt, non unum & eundem, sed longè diuersum, Iohannis & Christi baptismum esse. Tam enim illud à Pauli mente alienum est, ut potius euincat, homines baptismo aquæ, cuius minister Iohannes fuit, ad Christum relegari, in quo solo ea apprehendi poßint, quorum symbola nobis baptismus offerre cōsueuit. Simul uerò generale dogma hic stabilitur, minimè ferendum esse, ut hominum authoritati insistant, qui dei cultores haberi uolunt, sed urgeri debere quosq;, ut Christo totis animis consecrentur, & in illo uiuant ipsius spiritu animati, ne dum hunc ore profitētur, se ab eodem alienißimos esse, factis testentur.

Porrò historiæ huius finem lætißimum Lucas subiungit. Cesserunt enim uiri illi, nimirum Pauli rationibus & occulta spiritus suggestione in suis conscientijs conuicti. Et baptizati sunt in nomen domini Iesu. Non autem de aquæ baptismo uerba ista exponi debent, quasi illum iterauerint. Ita enim sequeretur, Iohannis baptismum non legitimum fuisse, nec suffecisse hominibus deo consecrandis. Id uerò absurdum esse dictu tum Christi exemplum docet, qui ab Iohanne baptizari, sicq; nostræ communionis socius fieri uoluit: tum illud conuincit, quòd nusquam rebaptizatos fuisse legimus eos, quos Iohannes baptizauerat. Quare de ignis baptismo locus intelligi debet, cuius ministrum uel authorem Christum fore Iohannes antea prædixerat. Nam sub ignis specie spiritus sanctus conferri solebat, de quo Cap. 2. huius libri diximus. Et baptizandi uerbum frequenter pro spiritus sancti & donorum ipsius collatione usurpari constat. Ita enim hoc ipse Iohannes utitur, cum de Christo loquens ait: Ipse uos baptizabit spiritu sancto & igne. Eodem sensu Christus, iam cœlos conscensurus, ait: Baptizabimini spiritu sancto post dies hosce non multos. Cuius dicti rationem hoc ipso sensu Petrus reddit, coram ecclesia de Cornelij conuersione differens, Acto. 11. Ita uerò in præsenti quoq; Baptizandi uerbum accipi debere, Lucas docet, dum expositionis loco subiungit: Et cum Paulus illis imposuisset manus, uenit spiritus sanctus super eos, & loquebantur linguis & prophetabāt. Manuum ergo impositione Christo penitus consecrati sunt, quam spiritus sanctus pro more illicò secutus est, quemadmodum Samariæ quoq; factum fuisse audiuimus. Vnde ueteres loco hoc abusos fuisse constat, dum huius authoritate rebaptizandos esse contenderunt, qui ab hæreticis baptizati fuerant. Fefellit hos, quòd aquæ baptismum Iohannis & Christi diuersum esse putarūt. Nec minor Anabaptistarum ignorantia est, qui ad aquæ baptismum transferunt, quod de ignis baptismo, id est spiritus sancti collatione & dono, debebat intelligi. Nobis uerò ante omnia miraculi finis & usus obseruandus est, quòd nimirum hoc deus euangelij sui authoritatem apud gentes quoq; confirmare & nobilitare uoluit, ut iam sæpe diximus. Credamus igitur euangelio, cuius fides & ueritas tam multis tamq; magnificis signis asserta est. Fidei autem professioni uita respondeamus, ut spiritu Christi animati in illo uiuamus: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Baptismus Christi uel ignis.

HOMILIA CXXVI.

Introgressus autem Synagogam libere loquebatur ad tres menses, disputans & suadens de regno dei. Cum autem quidam indurarentur, nec crederent, malè loquentes de uia coram multitudine, digressus ab illis, segregauit discipulos, quotidie disputans in schola Tyranni cuius-

dam. Hoc autem factum est per biennium, ita ut omnes qui habitabant in Asia, audirent sermonem domini Iesu: Iudæi simul & Græci. Virtutesq; non uulgares edebat dominus per manus Pauli, ita ut etiam super infirmos deferrentur à corpore eius sudaria & semicincta, & recederent ab eis morbi, & spiritus mali egrederentur.

Postquam Diuus Lucas exposuit, ut Ephesi Paulus duodecim uiros, Christiani nominis professioni non probè respondentes, plenè instituerit: narrat deinceps, ut eiusdem Pauli ministerio regnum dei apud Ephesios totamq; finitimam regionem Asiæ longè lateq; propagatũ sit. Et quidem summam huius historiæ præsens hic locus complectitur, in cuius consyderatione eò diligẽtius nos uersari conuenit, quòd singulis partibus multa insunt, quæ communi omnium nostrûm institutioni seruiunt. Primò enim de doctrina Pauli agitur. Deinde quid cum reprobis & incredulis actum sit narratur. Tertiò apostolici studij haud uulgaris profectus describitur.

Paulus Iudæis prædicat in Synagoga.

Principiò uniuersam doctrinæ Pauli rationem paucis euangelista comprehendit, quando illum Synagogam ingressum esse, & illic per menses tres magna cum libertate disputauisse & de regno dei suasisse dicit. Vt ergo alibi, ita hic quoq; Iudæis primis prædicat. Patet ex eo partim ineffabilis dei bonitas erga gentem rebellem & contumatissimam, partim ardentissimus ac minime fucatus in Paulo charitatis affectus, qui tot tamq; atrocibus iniurijs extingui non potuit: quem nisi induant ecclesiarum ministri, nunquam cum fructu aliquo commissum sibi munus obire poterunt. Quia tamen de his iam aliquoties dictum est, omissis his uideamus quam docendi rationem apud Ephesios Paulus obseruarit, ad quam tria pertinent, de quibus Lucas disserit. Primò locum nominat, & in Synagoga publica ipsum docuisse scribit. Quod ergo alibi sedulò obseruauit Paulus, id ipsum Ephesi quoq; obseruandum esse putauit, nimirum ut publico & certo loco doceret, quàmuis ni ignoraret Iudæorum mores, qui eo in loco imperium obtinebant. Vnde discimus certum esse debere locum doctrinæ, nec illum temere debere deseri. Facit enim hoc non parum ad retinendam saniorem doctrinam & impostores cohercendos, qui clàm obrepere & incautos seducere consueuerunt. Quæ causa est, quòd Christus quoq; in templo & Synagogis publicis plerunq; docuit, ne suo exemplo ijs patrocinaretur, qui uel cœtus publicos temere deserunt, uel in angulis falsa dogmata spargunt, quod utrunq; nostro seculo Anabaptistæ nimis licenter faciunt.

Locus doctrinæ publicus sit.

Modus docendi

Secundò modus, quem in docẽdo Paulus obseruauit, exprimitur. Libere & ingenuè egit, nihil nimirum dissimulans. Et primò quidem disputauit, Iudæorum errores confutans, quibus illi simplex alioqui salutis negotium confundebant. Deinde suadere cœpit & hortari, ut ueritati cedere dignarentur. Est hic optimus docẽdi modus, in quo duo hæc necessariò adhiberi oportet, ut & aduersariorum argumenta confutentur, & efficacibus rationibus urgeantur aduersarij, ut ueritatem apprehendant & sedulò sectentur. Vt enim ueritati locus non erit, quoad mendacia & errores regnum obtinẽt: ita inanis & superuacanea erit ueritatis cognitio, nisi seriò illam amplexentur homines & in illã transformari studeant. Ideo Paulus uerbi ministrum non modò docere, uerumetiam hortari, increpare, imò opportunè simul & importunè instare iubet. 2. Tim. 4. Et Christus inuitatos compelli uult, ut ad nuptias cœlestis regni ingrediantur. Quare turpissimus illorum error est, qui nudam & literalem scripturæ tractationem in ecclesia sufficere clamant, nec permittunt, ut singulorum ædificationi adhibeantur, quæ in illa cõtinentur: quasi uerò in nuda contemplatione salutis negotium consistat.

Argumentum doctrinæ apostolicæ.

Tertiò argumentũ & materiam doctrinæ Pauli exprimit Lucas, quando illum de regno dei disseruisse ait. Ita uerò dicitur nostræ redemptionis & salutis negotium, cuius administratorem & executorem Messiam fore, olim prophetæ prædixerant. Atqui de hoc non falsas modò, sed nimium quoq; carnales crassasq; opiniones Iudæi conceperant ex perperam intellectis prophetarum oraculis. Nam Messiæ regnum terrenum somniabant, aureumq; sub hoc seculum fore sperabant, quale olim sub Solomone fuisset. Quo errore apostoli quoq; seducti eximios honores & principatus sibi pollicebãtur, ut ex illorũ contentionibus facilè colligitur. Quòd si qui inter Iudæos de salutis ratione potius quàm terreno illo regno cogitarent, hanc tamen in frigidis potius ceremonijs quàm Christi merito collocabant. Diligenter ergo Paulus ueritatẽ regni Dei Iudæis exposuit, docens nimirũ illud spirituale, non terrenũ esse, nec in ceremoniarum inani obserua-

seruatione, sed Christi merito & fide, qua illi inserimur, consistere. Habetur hæc Pauli doctrina tum in Sermonibus, quos in hoc libro Lucas descripsit, tum in epistolis ipsius, vnde ea peti poterit, vt prolixiori illius enumeratione nõ sit opus. Obseruemus tamẽ regnũ dei in scripturis dici nostræ redemptionis & salutis negotiũ. Ita enim finis huius exprimitur, qui est, vt pulso satana & deuicto mũdo, deus in nobis regnũ obtineat, quod & inter orandũ petimus, dicentes: Adueniat regnũ tuum. Quamobrem pseudochristiani sunt, quotquot Christi nomine gloriantes, diabolo sese regendos præbent, cui nulla potest esse cum Christo Iesu cõmunio. Nec enim Christiani esse possunt, qui extra dei regnum constituti sunt, cùm nõ nisi huius instaurandi gratia Christus in mundũ venerit. At quomodo in dei regno esse poterunt, qui diaboli spiritu sese gubernari patiuntur, illiq; per omnia obtemperant? Regnum dei.

Quia verò nunquam tam feliciter Christus prædicari potest, quin reprobi plures contra eius doctrinam insurgant, quid cum illis Paulus egerit, indicatur, ita tamen ut quid ipsi priores fecerint, primum Lucas cõmemoret. Indurati fuisse dicuntur Pauli doctrina. Est hoc proprium impijs, vt quò magis vrgentur verbo dei, eò magis indurescant, non quidem verbi dei vitio, sed propria ipsorũ culpa. Quia enim semen filiorũ dei in se non habent, verbum & vocem eius agnoscere non possunt, eoq; ferociores insurgunt, quò fortius in ordinem illos cogit spiritus sanctus. Exempla in Caino, Pharaone, Saulo, Iuda & multis alijs extant, quibus utinam non noua indies accederent. Indurationẽ sequitur quòd credere & obedire nolunt. Abijciunt ergo dei verbum quasi vanũ & nihil ad se pertinens. Accedit tamen quod longè pessimũ est, calumniandi videlicet & maledicendi studiũ, quo viam hanc, id est, Christi doctrinam & religionem apud vulgus quoq; suspectã & inuisam reddere conantur. Diaboli enim ingenium secuti, quam plurimos suæ perditionis socios habere cupiunt. Et his quidem gradibus procedit impietas, donec in summũ euecta ad interitum ruit. Quid verò cum talibus Paulus agit? Discedit primò ab illis, ne vel illos magis inflammaret, vel noxijs contentionibus occasionem præberet: idq; iuxta Christi præceptum facit, qui canibus & porcis margaritas prosternere vetuit, & aduersus improbè rebelles pedum puluerem excutere iussit. Matth.7. & 10. Deinde discipulos quoq;, qui saniorem doctrinã amplexi fuerant, ab ijsdem segregat: boni nimirũ pastoris officio fungens, cuius hæc non postrema cura esse debet, ne morbidorum contagio sanũ pecus inficiatur. Nec ideò schismaticus dici debet Paulus, licet ecclesiæ & populi dei titulũ sibi vendicarent, à quibus ille suos segregatos esse voluit. Imò necesse est, ut impiorũ cõmercia pij deuitent, cùm & illi in his induruntur, & hi pœnarũ consortes cũ impijs plerunq; fieri soleant. Vide Apoc.18. Tertiò quotidie in schola Tyranni cuiusdã docet Paulus: quæ qualis fuerit, & vnde loco nomen obtigerit, non multũ refert, locũ certè publicũ & prædicationi cõmodum fuisse credibile est. Pauli potius industriã obseruemus, qui malorũ improbitate se ab officio reuocari minimè patitur, quin eò studiosius docet, quò magis illi insaniunt. Imitentur exemplũ hoc quicunq; vel in repub. vel in ecclesiæ ministerio versantur. Et hæc quidẽ veteris ecclesiæ exercitia fuerunt, quam dei verbo maximè occupatam fuisse legimus, quod hodie non ab alijs magis quàm ab ijs negligitur, qui apostolorũ successores dici & haberi volũt. Reproborum mores & studia. Quid agendũ cum reprobis.

Porrò profectum studij apostolici uideamus, qui multiplex fuit. Primò per totam Asiam inter Iudæos simul & Græcos verbum dei diuulgatur. Solet id ferè fieri, vt fama euangelij eorum quoq; mentes moueantur, ad quos vox ministri nondum peruenit. Nec parum momenti affert ad eam rem magnarum & celebrium ciuitatum exemplum, ad cuius imitationem finitimi quiq; facilè excitantur. Deinde ipse deus Paulo cooperatur, & per miracula haud uulgaria doctrinæ ipsius testimonium fert. Nam sudaria & semicincta ad absentes delata morbos pellunt & dæmones fugant. Nemo tamen sudarijs & semicinctis vim diuinam tribuat, vt ij solent, qui superstitiosum reliquiarum cultũ ecclesijs obtruserunt. Disertè enim hoc loco miraculorum author deus designatur, Paulo autem nihil præter ministerium tribuitur. Et sanè ridiculum foret, Pauli sudarijs maiorem virtutem quàm Christi tunicæ tribuere, ad cuius contactum hæmorrheusa conualuit, non quidem tunicæ operatione, sed Christi virtute, quam is ex se prodijsse ibidem testatur. Vide Marc.5. Finis potius miraculorũ inspiciendus est, quòd nimirũ Pauli doctrinam commendare debuerunt, vt alibi quoq; monuimus. Simul hic tertius fructus latet, quòd ægroti curantur & dæmoniaci liberantur. Euangelio enim animarum salus affertur, & diaboli regnum destruitur, eò quòd Iesus Christus benedictum illud mulieris semen est, quod serpentis caput contriuit. Hunc ergo vera fide amplexi, illi toti uniamur, vt Fructus studij apostolici multiplex.

ipsius merito ex diaboli tyrannide asserti salutem veram assequamur, cum illo olim in cælis regnaturi: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CXXVII.

Tentauerũt autem quidam è circumeuntibus Iudæis exorcistis inuocare super eos, qui habebant spiritus malos, nomen domini Iesu, dicentes: Adiuramus uos per Iesum, quem Paulus prædicat. Erant autẽ quidam filij Sceuæ Iudæi principis sacerdotum septem, qui hoc faciebant. Respondens autem spiritus malus, dixit: Iesum noui, & Paulum scio, uos autem qui estis? Et insiliens in eos homo, in quo erat dæmoniũ malum, & dominatus eis, inualuit cõtra eos, ita ut nudi & uulnerati effugerent de domo illa. Hoc autem innotuit omnibus Iudæis simul & Grecis, qui habitabãt Ephesi. Et incidit timor super omnes illos, & magnificabatur nomẽ Domini Iesu. Multiq; ex ijs qui crediderant ueniebant, confitentes & annuntiantes facta sua. Multi uerò ex ijs, qui curiosas artes exercuerant, comportatos libros exusserunt coram omnibus, & supputatis pretijs illorum, repererunt pecuniæ quinquaginta millia. Ita potenter crescebat sermo domini, & confirmabatur.

AVdiuimus heri, vt Pauli apostolatum & euangelicæ doctrinæ authoritatem deus multis simul & inauditis hucusq; miraculis apud Ephesios confirmauerit. Sequitur modò, vt eandem haud vulgari seueritatis exemplo contra illos asseruerit, qui Iesu Christi nomine, per Paulum prædicato, ex satanæ instinctu ad quæstum suum abuti, sicq; euangelij authoritatem suspectam reddere conati sunt. Cuius historiæ hic præcipuus usus est, vt deum suorum curam habere intelligamus, nec impunè laturos esse, quotquot vel illorum authoritati improbè derogare, aut Christi nomine pro suo arbitrio, aut libidine potius, abuti audent. Cæterum vt vberior ex his ad nos fructus redeat, singulas historiæ partes eo, quo à Luca recensentur, ordine inspiciamus.

Exorcistæ Iudæorum.

Prima personarum descriptionem habet, & quid illi fecerint cõmemorat. Iudæi fuerunt, nec obscuri nominis, sed Sceuæ principis sacerdotum filij. Deinde Exorcistæ dicuntur, vnde hanc illorum professionem fuisse constat, quòd exorcismis & adiurationibus spirituum quæstum facerent, cuius rei gratia hinc inde vagari solebant. Hi ergo cum apostolum dæmonibus per Christi Iesu nomen potenter præcipere, & miracula nunquam antehac visa edere viderent, vberioris quæstus spe illecti, noui exorcismi formulam fingere, & huic Iesu Christi nomen interserere ausi sunt. Præstat autem diligentius paulò inspicere, vnde hoc hominum genus apud Iudæos primùm exortũ sit. Licet enim Moses Leuitarum omnium officia per multos variosq; ordines distribuat, nullam tamen ab illo Exorcistarum mentionem fieri videmus. Humani ergo ingenij inuentum fuit, & proinde fallax ac diuinis legibus contrarium. Initium verò ex veteri fabula traxisse videtur, qua Solomonem diuino instinctu adiurandi artem & exorcismos aduersus dæmones & morbos omnis generis, inuenisse ferebatur. Ita verò satan prophetarum miraculis fidem derogare voluit, quasi illa quoque Magicis incantationibus potius quàm peculiari diuinæ virtutis operatione ad doctrinam illorum confirmandam ederentur. Tandem stulta & impia æmulatione accensis mirifica quædam de ineffabilis nominis dei vi suggerere cæpit, & exorcismos fingere docuit, quibus inepti homines regnum ipsius stabilirent, & plurimorum mentes à dei cultu & inuocatione auocarent. Extant adhuc hodie eius impietatis vestigia in Iudæorum fabulis, quas illi de suo illo Schem Hamphoras confinxerunt, & frequens etiam apud illos in medicina exorcismorum vsus est, quos inter Christianos quoq; olim non sine graui veræ pietatis iactura obrepsisse constat. Ex horum igitur ordine fuerunt septem isti Sceuæ Summi sacerdotis filij. Nec leue hoc summæ corruptionis argumentum est, quòd Pontificum filij impijs & diabolicis imposturis operã dederunt, et quæstũ ex ea arte venati sunt, quæ cum dei legibus palàm pugnabat. Docet tamen exemplum hoc, quàm nullus errorum finis sit, vt primum extra dei verbum homines vagari incipiunt. Quod enim apud Iudæos euenit, hoc ipsum in Papatu

Ioseph. Antiq. lib. 8. cap. 2.

accidisse

accidisse cernimus. Ne quis enim veteris ecclesiæ ordo deesse uideretur, Exorcistæ etiam instituti sunt, qui licet ferè inani titulo superbirent, inuenti tamen sunt, quorum audacia eò vsq; progressa est, vt dæmones quoq; & defunctorum animas adiurarent, qua in re non postremum Antichristianæ tyrannidis præsidium situm fuit: ut interim de eo nihil dicamus, quòd exorcismis suis planè impijs Baptismum & uniuersum cultum dei improbè conspurcarunt. Quid quòd ea occasione factum est, vt nullus hominum ordo plures haberet nigromantiæ & Magiæ studiosos, quàm Monachorum & Sacrificulorum, quodq́; ne summi quidem Pontifices tanti sceleris immunes fuerunt. Notæ enim sunt Syluestri Secundi, Gregorij Septimi, Alexandri Sexti & plurium aliorũ historiæ. Simul autem admonemur, quid de ijs iudicari debeat, qui sacris & conceptis verbis diuinam virtutem tribuunt, quasi his vel mali spiritus fugari uel morbi ab hominum pecorúmue corporibus propulsari possint: vel qui diuinationibus, quas humani ingenij curiositas inuenit, operam nauare solent, ut per has quid futurum sit intelligant. Est hæc Iudaica superstitio, imò gentilis siue ethnica, nec temere diuinis legibus damnata. Primò enim inani verborum sono, characteribus mutis & horrore plenis ceremonijs iuuandi uis tribuitur, quod haud uulgare in primum Decalogi præceptum peccatum est. Illo enim solum deum auxiliatorẽ agnoscere, in illo solo spem repositam habere, & ab vno hoc opem petere iubemur. Deinde à uera dei inuocatione ad impias artes relegantur homines, quasi illis deus vel inuitus ad opem ferendam cogi possit. Adhæc non alia re diaboli regnum magis stabilitur, qui hoc unum quærit sedulò, ut homines extra deum consilium & auxilium quærant: eò quòd hæc illi sit commodissima fallendi & seducendi ratio. Non temere ergo tum diuinis tum Cæsareis legibus artes hasce olim proscriptas esse legimus. Quin etiam in Pontificio iure Canones ex vetustissimis Concilijs & patribus excerpti extant, qui artibus his deditos à fidelium communione arcendos esse monent. Neq; hîc illorum obiectiones audiri debent, qui ab euentu & verborum sanctitate argumenta petunt, quibus superstitionẽ impiam defendant. Multos enim his medijs curatos esse, & quotidie ijsdem res alioqui factu impossibiles fieri clamitant. Deinde peccatum his nullum subesse putant, quòd exorcismi ferè sacrosanctis dei nominibus aut nobilissimis scripturæ sanctæ sententijs constent. Facilis autem est ad utrũq; responsio. Scimus enim stupenda omnino opera posse satanam efficere, non tamen absque dei permissione. Nota sunt, quæ per Aegypti Magos olim fecit, utq́; cælitus immisso igne Iobis pecora & seruos exusserit. Sed & D. Augustinus illum mirifica quædam posse testatur, cum sese etiam in lucis angelum transfigurare queat. Sed num propterea vel ipsius suggestionibus fidem habere, uel eiusdem opera Christianos homines uti conuenit? Quin potius dei consiliũ respiciamus, qui ista permittit satanæ, quòd uel suorũ fidem probare, uel exitium meritis efficacem illusionem immittere instituit. Stemus ergo firmi in fide, ne ab hac deficientes, toti satanæ ludibrio permittamur. Rursum de verborũ sanctitate non disputamus, sed eò execrabiliorem abusum esse dicimus, quò illa sanctiora sunt. Nec enim is uel nominum diuinorum vel verborum dei usus est, vt Magicis susurris seruiant, & inani sono vel morbos vel dæmones fugent: sed ut dei naturam & uoluntatem nobis cognoscendam proponant. Quòd si uerborum sanctitas Magos & incantatores excusauerit, similiter excusationẽ merebuntur, quotquot alijs sanctissimis saluberrimisq́; dei creaturis abuti consueuerunt. Sed quàm friuola sit horum excusatio, formula, qua nostri illi Exorcistæ usi sunt, abundè docet. Quid enim in hac reprehendas? Adiurandi verbo iuxta sanctissimorum hominũ exemplum utuntur. Deinde per nomen Iesu adiurant, néue fictitium aliquem Iesum intelligere uideantur, disertè eum exprimunt, quẽ Paulus prædicabat. Nihilominus impietatis accusantur, quod sacris verbis improbè & absq; fide ad suum quæstum abuterentur. Facessant ergo quicunq; Iudaicis & gentilitijs superstitionibus prætextus inanes quærunt, nec ijs fidem habeamus, qui dei & Christi eius nominibus abuti audent.

Cod. libr. 9. Tit. 18. 26. quæst. 5. & 7. Aug. de doct. Christ. lib. 2. Cap. 22.

De Trin. lib. 4. Cap. 11.

Euentus Exorcistarũ funesti.

Sed euentum huius conatus videamus impiæ istorum audaciæ pulchrè respondentem. Exorcistis enim illis respondens malus spiritus, ait: Iesum noui, & Paulum scio, vos autem qui estis? Nec mora, hominem quem obsidebat aduersus illos extimulans, facit ut in ipsos ruens, immani robore omnibus istis præualeat, nudosq́; & malè mulctatos domo exigat. Quo argumento euidentissimè cernitur, nullam sacris verbis per se vim inesse, qua uel dæmones vel alia mala arceri possint, sed effectus omnes ex dei consilio pendere: qui interdum per infideles quoq; miracula edit, si quando horum

operam regni & gloriæ ſuæ propagationi ſeruire uidet. Docet autem exemplum hoc, quid omnes illi expectent, qui Chriſti nomine & inſtitutis ad ſuum quæſtum abuti ſolent. Eſt hoc nimis uulgare hodie. Quid enim aliud Papa facit, quando Chriſti nomine palliatus in eccleſia ſibi primatum uendicat? Quid aliud Miſſatores ſacrificuli faciunt, quando peruerſo Cœnæ ritu & ordine Elicium nobis Chriſtum fingunt, & Cœnæ verba in exorciſmum commutant, cuius virtute panis & uinum in Chriſti corpus & ſanguinem tranſubſtantientur? Quid de Clauibus dicam, quarum prætextu in hominum conſcientias vſq; penetrarunt, ſatisfactiones & expiationes peccatorum inſtituerunt, nihil aut parum ab illis differentes, quibus olim ethnicos uſos fuiſſe legimus? Omitto infinita alia, quorum pœnas etſi non ſubitò deus exigat, quemadmodum Sceuæ filijs eueniſſe cernimus, non dormitat tamen (ut Petrus ait) iudicium domini, quo iam olim illis dignæ pœnæ conſtitutæ ſunt. 2. Pet. 2. Admonemur præterea hoc loco, quanta ſit Chriſti Ieſu, ſaluatoris noſtri potentia, cùm is diabolo quoque quantumuis inuito & renitente, ad ſui regni propagationem uti queat. Quis enim hunc uolentem Ieſu Chriſto eiusq; ſeruo Paulo teſtimonium tuliſſe, ſuis verò organis & mancipijs nocuiſſe, credat? Cogitur tamen utrunq; facere, quia ſic domino viſum eſt, ad cuius conſpectum & nutum diabolos etiam contremiſcere, apoſtolus ſcribit. Iacob. 2. Quid ergo ſatanæ inſidias aut vires timemus, cuius opera Chriſtum tam potenter pro ſuo arbitrio vti cernimus? Iam olim regno malè uſurpato princeps huius mundi eiectus eſt: nec difficile eſt illis eum uincere, qui Chriſto per fidem inſiti fuerint.

Vſus uerus iudiciorum dei et pœnitentiæ ueræ exemplum.

Tranſeamus autem ad vltimam huius loci partem, quæ multiplicem hiſtoriæ fructum continet. Primò enim omnibus Epheſijs factum iſtud innotuit, qui omnes inſolito dei timore perculſi ſunt, quem filij & nominis ſui abuſum tam ſeuerè ultum fuiſſe, viderunt. Eſt hic legitimus iudiciorum dei vſus, ut religionis ſenſum animis noſtris incutiant. Sed ô miſeros nos, qui toti obſurduiſſe uidemur poſſumus, quãdo nullis exemplis mouemur, quæ quotidie in blaſphemos uerbi & nominis ſui contemptores deus edit. Deinde multi ex ijs, qui crediderant, ſponte veniunt & facta ſua publicè confitentur. Eſt hoc euidens mortificatæ carnis argumentum, quæ alioqui ſui honoris & exiſtimationis ſtudioſiſsima, ægrè adduci poteſt, vt ſe erraiuſſe fateatur. Sed omnem carnis affectum in credentibus vincit veritatis & gloriæ dei ſtudium. Patet autem hoc loco, qualem à nobis peccatorũ confeſſionem ſcripturæ exigant. Publicam nimirum, quæ gloriæ dei propagandæ & multorum emendationi ſeruiat. Nimis ergo craſſa illorum ignorantia eſt, qui exemplo hoc auricularem confeſſionem ſtabiliri putant, cui nihil cũ ea ſimile eſt, quam hîc Lucas deſcribit. Sponte enim Epheſij iſti ueniunt & ueteres errores fatentur, deo nimirum gratias agentes, qui ipſos liberare dignatus erat. At Papa inuitos cogit occulta quoq; fateri, quæ omnes hucuſque latuerunt. Illi ſemel tantum confeſſi leguntur, cùm Papa confeſſionem multoties iterare iubeat. Illi publicè fatentur, & quidem coram omnibus. At Papa in ſacrificuli ſolius aurem peccata demurmurare docet. Illi confitendo non aliud quàm dei gloriam quærunt. Papa autem à ſacrificulo peccatorum remiſsionem & ſatisfactionem petere præcipit. Quid multis? quò diligentius huius facti circumſtantias examinaueris, eò luculentius patebit, illius exemplo auricularem confeſsionem euerti magis quàm ſtabiliri. Sed ad Epheſios redeamus, quorum multi curioſis artibus hucuſq; dediti fuerant, nunc autem propiori numinis afflatu acti, libros publicè congeſtos exurunt. Vbi non Magicos modò libros intelligimus, ſed omnes alios quoq;, quotquot inutilibus & offendiculi plenis ſtudijs potius quàm pietati ſeruiunt: quales ferè ſunt Aſtrologici, Geomantici, fatidici, amatorij, & ſi qui alij ſunt huius generis. Indicatur verò librorum precium, quod ſi ad Germanicæ monetæ rationem ſupputes, ad ſummam florenorum ſex millium ſexcentorum & ſexaginta ſex aſcendet. Ita verò ſanctiſsimi homines tum ſibijpſis tum alijs in poſterum peccandi occaſionem eripere voluerunt. Eſtq; hoc proprium eorum, qui uerè pœnitent, quod cum peccatis illorum quoq; inſtrumenta odiſſe ſolent, nec illos piget quantumuis precioſiſsimarum rerum iacturam facere, quas ſibi aliquãdo offendiculo fuiſſe norunt. Quare nec peccatorum atrocitatem intelligere, nec verè pœnitere putandi ſunt, quotquot ſcelerum inſtrumenta ſedulò adhuc ſeruare & retinere ſolent, qualia ferè noſtro ſeculo habentur imagines, ſuperſtitioſi templorum ornatus, libri ſuperſtitionũ magiſtri, amatoria ſcripta, laſciuæ ueſtes, & alia huius generis infinita. Poſtremò dei uerbum potenter creuiſſe & in diſcipulorum mentibus confirmatum fuiſſe, Lucas ſcribit: qui prioris ſtudij effectus fuit. Solet enim mirum in modum fructificare dei verbum, ſi remora, quibus

illud

illud impediri potest, è medio tollantur. Imitemur ergo celeberrimæ ecclesiæ exemplum, vt nouis in dies fidei profectibus aucti tandem viri perfecti reddamur in Christo Iesu domino nostro: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CXXVIII.

His autem expletis, proposuit Paulus in spiritu, transita Macedonia & Achaia ire Hierosolymam, dicens: Postquàm fuero ibi, oportet me & Romam uidere. Missis autem in Macedoniam duobus qui ministrabant sibi, uidelicet Timotheo & Erasto, ipse remâsit ad tempus in Asia. Ortus est autem illo tempore tumultus non exiguus de illa uia. Nam quidam nomine Demetrius, faber argentarius, qui faciebat delubra argentea Dianæ, præstabat artificibus non exiguum quæstum. Quibus conuocatis, & his qui similium rerum erant opifices, dixit: Viri, scitis quòd ex hoc opificio quæstus nobis est, & uidetis & auditis, quòd non solum Ephesi, sed penè per totam Asiam Paulus hic persuasit, & auertit multam turbam, dicens, quòd non sint Dij qui manibus fiant. Non solum autem hæc pars nobis in periculum uenit, ne reprobetur: uerumetiam ne magnæ Deæ Dianæ templum pro nihilo habeatur, futurumque sit, ut etiam destruatur maiestas eius, quam tota Asia & orbis colit.

Quoniam non unius modò gentis doctorem se à domino constitutum esse Paulus nouerat, non uni modò genti, sed paßim omnibus per euangelij prædicationem inseruire voluit, imò sibi præcipuè omnium ecclesiarum curam incumbere putauit, quemadmodum in posteriori ad Corinthios epistola testatur. Quæ causa est, quòd non contentus ecclesias hinc inde collegisse, collectas iam & bene constitutas inuisit, ne quid vel hominum saturitate, vel diaboli improbitate & astutia rursum collabatur. Exempla huius studij non pauca hucusque vidimus, quibus hoc etiam adnumerari debet, quòd huius loci initio Lucas commemorat, cui nouam de seditione aduersus Paulum excitata historiam subijcit, qua ad tempus consilium illud de inuisendis ecclesijs, impeditum fuit.

Porro consilij author indicatur spiritus, cuius auspicijs et ductu Paulum omnia sua fecisse & instituisse, iam sæpe diximus. Statuit autem in Macedoniam & Achaiam redire, nimirum ut ecclesias Philippensium, Thessalonicensium & Corinthiorum inuiseret ac confirmaret, tum quoque ut in illis collectam eleemosynam ad egenos Syriæ fratres deferret, sicuti ex illius ad Corinth. epistolis non obscurè colligi potest. Qua profectione perfecta, Romam concedere voluit, vt illius quoque loci fidelibus aliquod donum spirituale conferret, mutuamque ex illorum fide consolationem caperet. Rom. 1. Ne quid tamen inconsultò agere videretur, ex familiaribus suis Timotheum & Erastum præmisit, ipse non multò post secuturus, nisi exortus Ephesi tumultus per aliquot dies obstitisset. Iterum autem hoc exemplo patet, quanta in conseruandis ecclesijs cura opus sit, quando exercitatißimus apostolus, cui tot agenda restabant, iam antè constitutas toties inuisit & confirmat. Produnt ergo turpißimam oscitantiam suam cum immani & impia arrogantia, quicunque zelum, quem nostro seculo non re ministri adhibent, inutilem aut superuacaneum esse putant. Elucet præterea in Paulo veræ fidei ingenium, quòd hæc nimirum nequaquam iners aut ociosa est, sed industrios in sua vocatione homines reddit. Quia enim gloriæ dei zelo & proximi amore flagrat, fieri nequit vt torpida et segnis ocietur: imò nullis neque laboribus neque periculis sese fatigari sinit: quod uno Pauli exemplo manifestius est, quàm ut multis probari debeat. Transferant hoc potius ad se singuli, & illud imitati, fa[c]tis se fidem habere testentur. Interim circumspectam quoque esse fidem patet, quando Paulus, qui spiritu duce in omnibus utebatur, præmittit tamen quos sibi fidos esse nouerat. Vt enim qui uerè fideles sunt, ubi dei expressum mandatum habent, illud absque omni tergiuersatione sequuntur, licet multa secus moneat carnis ratio: ita in reliquis, quæ nullo certo dei præcepto continentur, prudenter & circumspectè agunt omnia, ne sua temeritate dei gloriam obscurent & infirmis aliquam offendiculi occasionem præbeant. Et hæc quidem tutißima est in rebus agendis regula, &c. — Pauli de relinquenda Epheso consilium.

Pauli consiliũ turbatur.

Cæterum quàmuis Paulus uix vſpiam alibi maiori animorum promptitudine exceptus fuerit, quàm apud Epheſios, illicq́ toto biennio cum fructu docuerit, vt non ex plebe modò multi crederent, verumetiam non paucos Aſiæ principum amicos baberet, ut infra patebit, boc ipſum tamen experitur tandem, quod alibi ſæpe iam expertum fuiſſe audiuimus, turbas nimirum & publicam ſeditionem, qua ita exagitatus fuit, ut quod Epheſi ſubijt periculum, inter grauiſſima, quæ illi unquam acciderunt, ipſe numeret. Nam ſe illic cum beſtijs pugnauiſſe, deq́ uita iam deſperaſſe ſcribit. 1. Cor. 15. 2. Cor. 1. &c. Deſcribit autem biſtoriam banc omnem mira diligentia Lucas, eò quòd in ea hoſtium ueritatis ingenium & mores, artes & arma ceu in ſpeculo conſpicienda proponuntur, ſimulq́ patet ut deus ſuos ſimul & veritatis cauſam fideliſſimè aſſerere ſoleat. In præſenti verò primò quidem ſummam rei proponit, deinde ſeditionis authores commemorat vnà cum Demetrij, qui Tragœdiæ totius cauſa & actor fuit, oratione, qua ſuorum animos aduerſus Paulum extimulauit.

Tumultus improuiſus.

Ortus eſt (inquit) illo tempore tumultus non exiguus de illa uia. Viam verò vocat Chriſtianam ſectam ſiue religionem, quam aduerſarij oppreſſam uoluerunt. Eſt autem cumprimis obſeruanda temporis notatio, quæ tumultum & ſeditionem tunc excitatam fuiſſe docet, quando Paulus quaſi optimè compoſitis Epheſiorum rebus, profectionem ad Macedones & Corinthios inſtituerat, iamq́ duos ex ſuis familiaribus præmiſerat, qui res ipſi neceſſarias præpararēt. Quo exemplo admonemur, ſemper quidem nobis vigilandum, maximè tamen, quando res in portu & extra omne periculũ conſtituta eſſe videtur. Nunquam enim quieſcit ſatan, & expulſus redire ſatagit, quemadmodũ Chriſtus monet. Matth. 12. Nec exempla deſunt illorum, qui ſubita Cruce grauiſſimè offenſi, à fide deciderunt. Conſoletur tamen nos, quòd vtut improbus ille boſtis noſter furiat & tumultuetur, nihil tamen vel in Chriſtum vel in illos iuris babet, qui Chriſto per fidem ſunt inſiti. Ioan. 14. Iam enim olim deuictus, tanquam è pelui fulgurat, & inania præliorum ſimulacbra ciet, quibus rudes & infirmos animos exterreat.

Demetrius tumultus author.

Sed tumultus authorem & miniſtros videamus. Princeps borum Demetrius fuit argentarius, homo diues, qui delubra ſiue ædiculas capſulásue argenteas, & ſi quæ alia erant ſuperſtitionis inſtrumenta, in Dianæ bonorem faciebat, ſimulq́ omnibus ſui ordinis opificibus quæſtum ingentem exhibebat. Colebatur enim apud Epheſios (ut ſupra quoque monuimus) Diana, ſub πολυμάστου Multimammiæ titulo, quam gentili ſuperſtitione ſeducti, omnium animantium nutricem eſſe credebant. Templum buius toto terrarum orbe celeberrimum & ſumptuoſiſſimum erat, ad quod peregrinationes ex totius Aſiæ & finitimarum, imò etiam remotiſſimarum, regionum locis inſtituebantur. Quæ cauſa erat, vt ex peregrinis ingentē quæſtum quotidie baberent, quicunq́ ſuperſtitionum organa fabricabant. Non poſſunt ergo Pauli doctrinam ferre, quæ unà cum ſuperſtitione omnem quoque ſpem lucri euertebat. Conuocati ergo Demetrio authore, Paulum, quem rationibus nullis de ſe conuinci poſſe nouerāt, ſeditione populari opprimere conantur. HIC ergo luce clarius patet, euangelio & buius miniſtris ſeditionum cauſas minimè adſcribi debere. Nam vt fides, quæ ab bis prædicatur, nos deo unit: ita bæc ipſa charitatem & concordiam quàm maximè commendat. Et bic quidem diſertè Demetrius ſeditionis author producitur, non Paulus, qui per biennium bucuſq́ ita docuit, vt nullum prorſus ediderit ſeditioſi bominis ſpecimen. Et buius generis exempla non pauca tum in boc libro, tum alijs biſtorijs extant. Vnde diſcimus, non temere illis credendum eſſe, qui euangelium & buius præcones ſeditionis accuſant, ſed altius rei ueritatem inueſtigemus, & patebit ſæpe

Demetrij noſtri ſeculi.

bos ipſos ſeditionum primos authores eſſe, qui crimen iſtud in alios deriuare volunt. Et tales ſunt, quotquot Demetrij & ſuorum cōplicum inſtar, ex rebus à deo probibitis vel viuunt, uel inde quæſtum ſiue voluptatem venantur. Primas inter bos tenet Romanus Pontifex cum ſuis Creaturis, Cardinalibus nimirum, epiſcopis, Monachis, ſacrificulis. Ad bunc enim maxima quæſtus & dignitatis pars ex ſuperſtitione redit. Idem ſuis iſtis creaturis quæſtum quoq́ baud uulgarem præſtat, dum ſuo charactere inſignitis uendendi & emendi, id eſt, negotiandi & ſacra cauponandi poteſtatem facit. At omnibus iſtis intolerabilis videtur euangelij Veritas, quæ grauiſſimi flagelli inſtar Chriſti manu & ſpiritu vibrata mercaturam omnem templo dei eijcit, & nummulariorum menſas euertit. Proximi ab bis ſunt principes & tota illa nobilium buius ſeculi cobors. Nam etiam bis cumprimis quæſtuoſa eſt ſuperſtitio, eò quòd buius prætextu liberorum multitudini proſpicere, & ſua dignitate

dignitatum tueri possunt, dum illos sua authoritate in Episcopatus, Abbatias & Cardinalatus in-
trudunt, qui fortaßis uel ad mercaturam uel etiam ad manuarium laborem (quod illis indignißi-
mum factum uidetur) relegandi erant. Vtrunq; uerò genus sordidiores ex uulgo iuuant, qui uel ex
Monachis & sacrificulis, uel ex nobilibus uictum sibi parant. Hi enim seruili ingenio præditi fa-
miliq; metu perculsi, à Demetrijs istis sibi quiduis persuaderi sinunt. Accedunt omnibus istis, qui uel
rum licentiam effræni libidini sectantur, uel alioqui ex sceleribus quæstum & uoluptates quæ-
runt: quales ferè usurarij sunt, scortatores, ebriosi, mercenarij milites, & si qui alij sunt huius fari-
na. Ipsi enim opera sua, quia mala sunt, argui non uolunt, & proinde euangelij lucem, qua illa ar-
guuntur, quàm ocyßimè extinctam uolunt. Hi (inquam) seditionum contra euangelium authores
sunt, quod nemo negabit, quisquis nostri seculi mores paulò diligentius inspexerit, &c.

Est autem memorabilis maximè Demetrij oratio, cuius propositio siue status est, non ferendum Oratio Deme-
esse Paulum, qui doctrina sua à ueteri religione abducat homines. Firmatur illa tribus rationibus, trij.
quarum maxima solet esse in genere deliberatiuo authoritas. Prima ab utili est, cuius potißimam
rationem apud homines sordidos & famelicos esse nouerat. Scitis (inquit) quòd ex hoc opificio quæ-
stus nobis est. Quid ergo restabit, quàm ut fame pereatis, si Pauli doctrina opificium hoc uestrum
uestri patiamini? Secunda à necessario sumitur. Videtis & auditis, quòd non solum Ephesi, sed pe-
nè per totam Asiam Paulus hic persuasit, &c. Ergo diutius res hæc dißimulari aut ferri non po-
test, sed necesse est in tempore remedium afferre. Tertiam ab honesto petit, dicens: Non solum hæc
pars nobis in periculum uenit, ne reprobetur: uerumetiam ne magnæ Deæ Dianæ templum pro ni-
hilo habeatur, futurumq; sit ut etiam destruatur maiestas eius, quam tota Asia & orbis colit. Quasi
dicat, Quantam nobis ô uiri infamiam contrahemus, si intra nostros parietes eam religionem in-
cidere patiamur, cuius tanta est tot iam seculis in toto terrarum orbe authoritas? Elucent au-
tem in oratione hac impiorum artes & mores, qui cum solius priuati commodi cupiditate extimu-
lantur, reipub. tamen & religionis defensores haberi uolunt. Talem Caiapham describit spiritus
sanctus, Iohan. 11. Tales hodie Monachorum adeoq; omnium illorum sermones sunt, qui Papatum
saluum & incolumem uellent, inter quos uix unum tam ingenuum reperias, quàm Demetrius hic
fuit, qui priuati commodi rationem apud se potißimam esse, non dißimulat. Discamus nos illorum
clamores suspectos habere, & penitius, quò tendant, inspicere. Patet præterea hoc loco, quibus argu-
mentis ferè superstitionem impij tueantur. Nimirum stolidæ multitudinis consensu, regum & prin
cipum authoritate, externæ religionis splendore, temporis diuturnitate, imprimis autem priuati com
modi prætextu. Vulgaria hæc sunt hodie, si aduersariorum nostrorum sermones excutias. Sed turpe
est, Christianos homines ethnicorum argumentis in religionis causa uti, quam ex scripturis solis
diiudicari oportebat. Postremò ex Demetrij ore, quanta euangelij uis & potentia sit, colligi potest.
Fatetur enim Pauli doctrina intra biennium celeberrimum illud Dianæ templũ in periculum ad-
ductum esse, in quo extruendo tota Asia (ut nuper diximus) circiter CCXX. laborauerat, & cui
Persico bello pepercerant Barbari, qui omnibus alijs templis flammas intulerant. Idem omnium
ferè animos à Dianæ cultu auersos fuisse queritur. Atqui hæc nulla hominum ui & authoritate
perfici potuisse constat. Simul uerò docemur, tum demum ex euangelio uerè profecisse homines,
quando totis animis à superstitione & idololatria abalienantur. Quoad enim circa hanc suspensi hæ-
rent, ueritatis lucem animis illorum nondum irradiauisse certum est. Ad hanc ergo regulam nosmet
ipsos examinemus, omniq; superstitione abiecta totos nos fide ardenti conuertamus ad Christum Ie-
sum dominum nostrum: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CXXIX.

His auditis repleti sunt ira, & exclamauerunt dicentes: Magna
Diana Ephesiorum. Et impleta est ciuitas tota confusione. Et impetum
fecerunt uno animo in theatrum, correpto Gaio & Aristarcho Mace-
donibus, comitibus Pauli. Paulo autem uolente intrare ad populum,
non permiserunt discipuli. Quidam autem & ex Asiæ primoribus qui
erant amici eius, miserunt ad eum, rogantes ne se daret in theatrum,

Alij quidē igitur aliud clamabant. Erat enim concio confusa, & pleriq; nesciebant, qua ex causa conuenissent. De turba autem protraxerunt Alexandrum, propellentibus eum Iudæis. Alexander autem manu silentio postulato, uolebat rationem reddere populo. Quem ut cognouerunt Iudæum esse, uox orta est una omnium fermè ad duas horas clamantium: Magna Diana Ephesiorum.

Diuus Lucas hoc libro ex spiritus sancti suggestione non modò persecutiones legitimè à magistratibus contra apostolos institutas, uerumetiam insanas furentis uulgi seditiones, quibus exagitati fuerunt, commemorat: inter quas facilè primum locum meretur præsens hæc, quæ apud Ephesios Demetrio authore aduersus Paulum excitata fuit. Est uerò tum huius, tum omnium aliarum, duplex ferè usus. Primò ministrorum institutioni seruiunt, ne uulgi seditiosi motibus, tanquam re noua & insolita offendantur, nec istarum metu officium suum intermittant. Quin potius cogitent, ecclesiam in mundo hoc nauiculæ instar esse, quæ uentis & undis agitatur, & cuius gubernator Christus interdum dormire uidetur, quemadmodum euangelica historia adumbrat, Matt. 4. cap. Meminerint præterea uix fieri posse, ut seditiones omninò caueantur, quando tam multi passim inueniuntur, qui euangelij doctrinam nullo modo ferre possunt, eò quòd hæc illorum uel quæstui, uel dignitati, uel etiam licentiæ officit. Et Christus dominus non ciues modò, uerumetiam eiusdem familiæ domesticos intestinis dissidijs & simultatibus scindendos fore prædixit. Sufficiat ergo ministris, si ipsi nullam seditiosis tumultuandi causam præbeant: quòd si uerò hanc ipsi, improbo affectu impulsi, arripuerint, euentum deo committant, interim autem stationem suam constanter tueantur: quando iuxta D. Ambrosij dictum, nostrum est non excitare populum, excitatum uerò mitigare in solius domini manu est. Deinde ad communem omnium hominum doctrinam seditionum istarum descriptiones faciunt. Docent enim, ne quis temere euangelio & illius ministris seditionum causas ascribat, quod uulgò fieri consueuit: sed penitius rem ipsam excutiant singuli, & illi tumultuum authores esse facilè deprehendentur, qui euangelio coherceri nolunt. Et talem quidem Demetrium fuisse audiuimus, cuius imitatores reuera sunt, quotquot hodie contra euangelium tumultuari solent. Sed quia de his nuper abundè dictum est, in præsenti ipsam seditionem, & qualem se in ea Paulus gesserit, uideamus.

Lib. 5. epist. 33.

I. Seditionis descriptio.

Describit hanc mira diligentia Lucas, singulas eius partes commemorans. ET *primò quidem à causa exorsus, omnes ira repletos fuisse scribit, quæ ut pessimus in rebus agendis consultor est, ut Iacobo apostolo teste, nihil iusti uel recti operatur. Iræ uerò causa ipsis fuit quæstus periculum, quod ex Pauli doctrina ipsis imminere Demetrius modò dixerat, & singuli fortassis iam priuatim sentire cœperant. Nec enim quicquam indignius fert mundus, quàm si quæstum suum interuerti aut imminui sentiant. Nec hodie alia causa est tumultuum, quibus euangelij doctrina oppugnatur. Irascuntur Pontifices & Episcopi, quòd suæ dignitati plurimum derogari uideant. Irascuntur sacrificuli & Monachi, quòd sacrorum nundinatione euersa, culina ipsorum friget. Irascuntur principes & nobiles, quòd ecclesiasticorum bonorum possessione deturbantur ipsorum liberi, qui ex illis hactenus delitiabantur. Irascuntur sordidiores quiq; ex uulgo, qui sacrificulis & nobilibus adulari solebant. Irascuntur moriones, mimi, lenones, cupediarij, scorta, agasones, spadones, cynædi, & tota illa turpissimorum nebulonum fex, quibus patres illi, si Dijs placet, sanctissimi quæstum hucusq; præbuerunt. Et omnes isti ira frementes ad Comitia concurrunt, consultaturi qua ratione Christi uincula disrumpant, & disciplinæ ipsius iugum abijciant, sicuti Psal. 2. scribitur. Quid ergo ex horum Comitijs boni speres, in quibus ira præsidet, consultor cæcus & improbus?*

II.

Deinde ad insanos clamores conuersi uociferantur: Magna Diana Ephesiorum. Qua uoce se Dianæ cultum etiam uitæ periculo & sanguine asserturos esse testantur. Callidè uero religionem uentri & quæstui suo prætexunt. Et horum imitatores sunt, qui hodie non magis sobrij aduersus nos Diuos & imprimis Virginem Mariam tonant, cuius honorem & cultum sese defensuros esse pollicentur. Quanquam maior nostrorum impudentia est. Nec enim temere sic clamant Ephesij, quando Dianæ cultum palam Paulus oppugnabat, adeoq; illius hostis erat publicus. Quis uerò ex nobis Diuos negat? Quis debitū

Maria

Mariæ cultum euertit? Quis illius honori & dignitati derogat? Fatemur hanc filij dei matrem esse. Fatemur illius uirginitatem illæsam & intemeratam esse. Fatemur Diuos electa fuisse dei organa, & nunc in cœlis beatos uiuere. Inuocationem uerò & diuinos cultus uni deo impendi debere dicimus. Quæ uerò hæc iniuria est, si hoc ipsum docemus, quod illi olim docuerunt, et cuius gratia mortem subeundam esse putauerunt? Manifesta ergo calumnia est, quòd illi nos Diuorum hostes esse uociferantur. Tertiò tota ciuitas confusione repleta fuisse dicitur. Eius uerò unicus author fuit Demetrius. Quo exemplo admonemur, quantum mali subitò ex paucis seditiosis enasci soleat. Vt enim exigua scintilla totam domum incendit, cuius flammæ uento disiectæ uiciniam totam uno quasi momento corripiunt: ita seditio paucis authoribus & ex contemptis initijs orta, uel sola fama latissimè spargitur, totasq; respub. non sine præsenti fortunarum omnium periculo inuoluit. Exempla in Core, Absolonis, Sebæ & aliorum historijs sacra scriptura nobis exhibet. Similia quoq; in gentium historijs extant, inter quæ cumprimis memorabile est Catilinæ facinus, qui Rom. rempub. eo tempore, quo maximè florebat, seditiosis suis conatibus in extremum periculum adduxit. Discant hinc magistratus in tempore illis obstare, quos aliquando seditiosos fore credibile est, quales ferè sunt luxu perditi, & quotquot religionem pro quæstu ducunt. Qui nisi legum seueritate coherceantur, tandem cum publico malo uirus illud suum pestiferum effundunt. Quartò, impetu in theatrum facto locum publicum uiolenter occupant, quò mox etiam Caium & Aristarchum, Pauli comites, abripiunt. Vi ergo res agitur, & in innocentium capita maximè sæuitur. Licet enim seditionum tempestas frequenter bonos quoq; uiros inuoluat, qui inuiti partibus sese iungere coguntur, plerunq; tamen maior malorum numerus est: quò fit, ut bonis & insontibus seditiones cumprimis exitiales sint. Quarè stultissimi sunt, quicunq; ex seditionibus boni aliquid sperant, quibus summo studio mederi decet eos, qui respub. saluas & incolumes esse uolunt. III. IIII.

Quid uerò Paulus feruente iam seditione egit? In publicum prodire & cœtum illorum ingredi uoluit, nimirū ut furentes mitigaret, ne quid mali paterentur ipsius comites, quos iam abreptos fuisse audiuimus. Sed non permittunt hoc discipuli, maximè quos ex Asiæ magnatibus amicos habebat, quibus populi ingenium melius erat perspectum. Atqui hoc loco præclarissimarum uirtutum chorum in Paulo uidere licet. Est enim singulare fidei & synceræ amicitiæ exemplum, quod comites periclitantes minime deserendos esse putat. Quòd si uerò duos ex amicorum numero tanti fecit Paulus, ut pro illis mortis periculum subire uoluerit, quàm illi curæ fuisse putabimus ecclesias totas, quas Christi sanguine redemptas esse nouerat? Deinde constantia & fortitudo admirabilis in eo elucet, quòd furenti uulgo se credere uoluit. Quid enim hoc aliud erat, quàm insani maris fluctibus, aut etiā incendio sese committere? At Christi promissiones respexit, quibus animatus, nullo periculo absterreri poterat, ut officium negligeret. Simul uerò eximiæ modestiæ specimen est, quòd sanioribus consilijs cedit, nec pertinaciter illud urget, quod periculosum quidem, sed nullo cum fructu coniunctum esse uidebat. Imitentur exemplum hoc singuli, quando constat maxima quoq; ingenia in proprijs periculis ferè omni consilio & rationis usu destitui. EST præterea obseruatione dignum, quòd magnates quoq; amicos habet Paulus. Tales Christo aliquot fuisse legimus, inter quos Nicodemus & Iosephus præcipui nominantur. Ioban. 12.3. Matth. 27. Arguitur hic Anabaptistarum error, qui Christianum magistratum gerere posse negant. Cumprimis uerò docemur, quàm uana sint mundi præsidia, quando horum authoritas obstare non potuit, quò minus seditionis periculo Paulus inuolueretur. In uno igitur deo nos spem et fiduciam omnem collocatam habere decet, nec principibus aut filijs hominum fidere, in quibus non est salus. Psal. 146. Atq; hunc ipsum præsentis exempli usum Paulus ipse tradit in posteriori ad Cor. 1. cap. Quid Paulus in seditione fecerit.

Porrò ad seditiosos redit Lucas, de quibus duo adhuc commemorat. Primò, alij (inquit) aliud clamabant, et pleriq; cur conuenissent, ignorabant. Est hoc proprium seditionibus, quòd plures rerum planè ignaros, multos quoq; ex bonis inuitos abripiunt, inundantis torrentis instar. Quare easdem consilio potius & ratione, quàm ui, sedari oportet. Si enim hæc adhibeatur, ferè innocentium sanguine litatur, dum astutè elabuntur authores improbi: cuius rei nimis funestum exemplum uidit Germania, cum anno M. D. XXV. horribiles sanguinis rusticorum riui totam quasi inundarunt. Meminerint potius principes prophetici illius, quo subditorum suorum sanguinem in summo precio Seditionū confusa facies.

habere iubentur. Psal. 72. Deinde Iudæis propellentibus è turba protraxere Alexādrum quendam, quem Pauli amicum fuisse, uerisimile est, quando Iudæi illum periculo obijcere uoluerunt. Voluit is postulato silentio, omnium quæ circa religionem tentata fuerāt, rationem reddere. Ast ubi Iudæum, & proinde gentilitiæ superstitionis hostem esse intelligunt, ad furiosos clamores denuò conuersi, per duas horas suam illam Dianam tonant. Vt enim uenter auribus caret, ita surdi ferè sunt, nec ullas rationes admittunt, qui uentris gratia tumultuantur. Et impiorum perpetuus hic mos est, quòd insanis clamoribus ueritati obstrepunt, quam alioqui inuictam esse nouerunt. Arguitur autem interea multorum languor, qui cum Veritatem cognitam habeant, in eius tamen confeßione toti frigent, nec impiorum zelo mouentur, quos in superstitionibus tuendis tam animosos esse uident. Discamus ergo quæ ueritatis in hoc mundo sors sit, et fidei constantia armati fortiter excipiamus quicquid deus dederit, ut omni fortuna superiores simus in Christo Iesu domino nostro: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CXXX.

Cum autem sedasset scriba turbam, dixit: Viri Ephesij, quis enim est hominum, qui nesciat Ephesiorum ciuitatem cultricem esse magnę Deæ Dianæ, & à Ioue delapsi simulachri? Cum autem hæc sint extra controuersiam, oportet uos sedatos esse, & nihil præcipitanter agere. Adduxistis enim homines istos, neq; sacrilegos, neq; contumeliosos in deam uestram. Quòd si Demetrius, & qui cum eo sunt artifices, habent aduersus aliquem causam, conuentus forenses aguntur, & Proconsules sunt: accusent inuicem. Si quid autem de rebus alijs quæritis, in legitima concione dirimetur. Nam periculum est, ne seditionis hodiernę rei fiamus, cum nulla subsit causa, unde poterimus reddere rationem concursus istius. Et cum hæc dixisset, dimisit concionem.

Vidimus nuper à Luca descriptam seditionem, quæ Demetrio authore aduersus Paulum excitata fuit: in qua præter furentis uulgi ingenium, Paulus maximè nobis spectandus uenit. Is primò quidem intrepidus & constans animi cœtum populi ingredi & suæ cum fidei tum doctrinæ rationem publicè reddere statuit. Vbi uerò hoc illi facere non licet, inter amicos sese continens, deo rei totius euentum permittit, ita tamen, ut à Veritatis confeßione non latum unguem discedat, nec quicquam ignauo metu dißimulet. Quo exemplo admonemur, quales nos in simili casu, uel etiam in aperta persecutione esse conueniat. Ante omnia quidem nos iuxta Petri apostoli præceptum paratos esse decet ad reddendum rationem cuiuis petenti. 1. Pet. 3. Vbi uerò ea fuerit hostium rabies, ut nullus Veritati eiusq; confeßioni locus supersit, prudenter & cautè agendum, ne temere & citra diuinam uocationem nos periculis obijcientes, deum tentare uideamur. Interim constantes in Veritatis agnitione, dominum expectemus, qui in se sperantes nunquam deseret, quiq; sua sapientia simul & potentia sæuißimas quoq; tempestates facilè sedabit. Exemplum huius præsens quoq; historia exhibet, in qua seditionem, extrema quæq; Paulo minantem, unius scribæ opera deus cohercet, & eius quidem, quem à religione Christiana alieniorem fuisse, tota orationis series euidentißimè probat. Quò illustrior elucet dei potentia, quando reprobis quoq; & illorum opera in suis asserendis uti consueuit. Videamus autem per singulas partes scribæ orationem, cuius hic potißimus status est, ut seditiosos furentis populi motus reprimat, cum interim de causa religionis non admodum solicitus fuerit.

Quales se in seditionibus gerant Christiani.

Orditur autem ab eo, quod seditiosos maximè exasperabat. Dianæ suæ cumprimis timebant, & ob hanc uociferabātur, ut nuper audiuimus, eò quòd huius cultu sublato, de quæstu etiam suo actum esse uiderent. At negat scriba, hanc ipsis iustam & sufficientē tumultuandi causam esse. QVIS est hominum (inquit) qui nesciat Ephesiorum ciuitatem cultricem esse magnæ Deæ Dianæ, & à Ioue delapsi simulachri? Quasi dicat: Quorsum attinet Dianæ nomē furiosis uociferationibus identidem ingeminare? Quis uerò negat uos huius cultores esse? Quis Dianæ simulachrum cœlitus delapsum esse ignorat? Aut quis prohibet, quò minus à patribus traditam religionem constanter retineatis?

Hæc

Hæc (inquam) cum extra omnem controuersiam sint, conuenit uos quieti studere, nec quicquam temere aut inconsultò agere. Atqui non poterat ignorare scriba, Paulum Dianæ cultum doctrina sua oppugnauisse. Sed ciuili prudentia hoc omne dissimulat, hoc illis compescendis satis fore putans, si intelligant se nulla publica authoritate urgeri aut compelli, ut à ueteri religione discedant. Et ut modò monuimus, hoc unum quærit homo ciuili prudentia instructus, ut seditionem semel cohercat, quam plus satis efferbuisse uidebat: id quod callida dissimulatione commodius, quàm disputatione, fieri posse arbitratur, quam seditiosi difficulter admisissent. Hic uerò minimè prætereundum est, quòd de simulachro cœlitus delapso dicit. Hinc enim liquet uulgò receptam fuisse apud Ephesios opinionem, qua Dianæ simulachrum è cœlis allatum esse credebant. Etenim postquam præstigijs suis gentes dementauit satan, ut immortalis dei gloriam mortalium creaturarum formis mutare auderent, nouis indies commentis miseros decepit, quo firmiores essent regni sui uires. Hinc Palladium cœlo lapsum esse, & in huius tutela uictoriam consistere persuasit. Ita Ancile, imperij pignus, è cœlo Romanos sub Numa rege accepisse creditum fuit. Quibus meritò quod de Ephesiæ Dianæ simulachro scriba iste commemorat, adnumerari debet. Sed tolerabile uideri poterat, si olim duntaxat gentes eiusmodi præstigijs decepisset dæmon, nisi inter Christianos similia extarent. Quis enim nescit Lauretani sacelli, trans mare miraculosè allati, fabulam? Quis sacella quædam ab ipso deo & angelis consecrata ignorat? Ostenduntur etiam non paucæ Virginis matris imagines, quas à Luca depictas esse, Monachi impudentissimè affirmauerunt, cum illum non pictorem, sed medicum fuisse, historiæ prodant. Quò simul referri debent quæcunque in Monachorum libris narrantur imaginum miracula, quarum aliæ loco motæ esse, aliæ immobiles consistere, aliæ fleuisse, aliæ oracula edidisse, aliæ alijs signis celebres fuisse dicuntur. Ex quibus haud obscurè colligitur, quàm fæcunda errorum messis ex imaginibus enasci soleat, ubi illarum usus & cultus semel receptus fuerit: ut non temere Lactantius dixerit, religionem omnino nullam esse, ubicunque simulachrum habetur. Quæ etiam præcipua causa est, quòd in illis oppugnandis tanto studio & zelo omnis scriptura uersatur: ut mirum sit tam multos nostro seculo illarum propugnatores inueniri, quando tot tamq; infelicia superstitionis exempla passim omnium oculis incurrunt.

Dianæ simulachrum cœlitus delapsum.

His uerò præmissis, quibus furentes animos iam nonnihil mitigatos esse putabat, illos non obscurè reprehendit scriba & temeritatis nimiæ accusat, quòd Caium & Aristarchum, homines peregrinos, indicta causa ceperint. Adduxistis (inquit) homines istos, neq; sacrilegos, neq; blasphemos aut contumeliosos in Deam uestram. Id uerò de illis fortasse uerè dici potuit, eò quòd isti non docuerant. At in Paulo hoc ipsum non habuisset locum, qui Dianæ cultum omnemq; idololatriam sedulò oppugnabat, quemadmodum ex ijs, quæ Athenis gessit, abunde colligitur. Nec credibile est dissimulaturum fuisse hanc defensionem scribæ, si præsens affuisset. Nam zelo dei flagrans intolerabile esse censuit, quicquid ueri dei gloriæ & cultui quicquam derogaret. Interim docent scribæ uerba, quibus criminibus ferè ueritatis ministri grauentur. Sacrilegij nimirũ, & quòd in deos Diuosq; blasphemi sint. Audiuntur hæc uulgò hodie, nec alijs nominibus siue titulis exornamur ab illis, qui euangelium ex professo oppugnant. At si causam ipsam inspicias, utrunq; falsum est. Sacrilegi enim sunt, qui opes deo & ecclesiæ sacras uel furtim surripiunt, uel uiolenter sibi uendicant, & in usus prophanos conuertunt. Quis uerò hoc impudentius facit, quàm Pontifices, Episcopi, Monachi, sacrificuli, & quicunq; alij sunt huius farinæ? Vt enim de eo nihil dicamus, quod cognatis suis ferè ex ecclesiæ bonis prospiciunt, familias saltem horum inspiciamus, & patebit maximam ecclesiasticorum redditũum partem in scorta, aleam, equos, canes & inutile seruorũ agmen insumi. Imò non alia de causa nobis grauius indignantur, quàm quod per euangelij doctrinam ecclesiæ & Christo opes suas uendicare satagimus. Minimè enim illis patrocinamur, qui sub euangelij prætextu suæ auaritiæ ex ecclesiarum bonis consulunt. Rursum blasphemi sunt in deum & Diuos, qui dei nomine abutuntur, quiq; Diuos debito honore spoliant. Vtrunq; ab ipsis potius quàm nobis fieri luce clarius patet. Ipsi enim dei uerbo & Christi nomine abutuntur, ut idololatriam suam & tyrannidem stabiliant. Ipsi honorem deo debitum in creaturas transferunt. Ipsi Diuorum fidem & doctrinam hæreseos accusant, & in illorum libros simul & sectatores ferro & igne grassantur. Interim nos sacrilegij & bla-

Euangelij ministri nec sacrilegi nec blasphemi sunt.

sphemiæ criminibus infames facere conantur. Sed ô temporum nostrorum iniquitatem. Apud Ephesios gentilis homo inuenitur, qui innocentibus patrocinetur. At hodie inter Christiani nominis professores ferè nulli sunt, qui Christi ministris innocentiæ testimonium ferant. Obseruemus præterea, quòd hos sacrilegos & blasphemos esse negat, scriba, utiq; pœna dignos iudicaturus, si tales fuissent. Licet enim in fide & religione turpissimè aberrarint olim gentes, rata tamen apud illos mansit naturæ lex, quæ sacrilegos & blasphemos pœnis cohercere docet. At hodie ita languent omnia, ut euangelij fidis cultoribus plus periculi sit, quàm ijs, qui ecclesiam publicis sacrilegijs & atrocissimis blasphemijs prophanant.

Rerumpub. forma optima.

Cæterum postremam orationis huius partem uideamus, qua modum & rationem, quam in causis tum priuatis tum publicis sequantur, præscribit, dicens: Quòd si Demetrius & qui cum eo sunt artifices, habent aduersus aliquem causam, conuentus forenses aguntur, & Proconsules sunt, accusent inuicem. Ita uerò simul ipsos iniquitatis accusat, quòd ex priuata causa, ad paucos duntaxat homines pertinente, publicam faciant, seq; omnes simul liti alienæ implicent. Deinde alterum membrum subiungens, ait: Si quid autem de rebus alijs quæritis, legitima concione dirimetur. Quibus uerbis admonet, ne publicam quidem causam hoc modo agi debuisse, simulq; periculum ob oculos ponit, quod ex seditione temere concitata immineat à Romanis, qui suo Imperio subiectos populos cumprimis tranquillos & quietos esse uolebant. Docet autem locus hic, quæ olim rerumpub. forma sub Romanis fuerit, quãdo iustitiæ & æquitatis adhuc obseruantes fuerunt. Erant hinc inde constituti Proconsules & magistratus certi, qui forenses conuentus agebant, nec aliquem indicta causa & nondum legitimè conuictum à quoquam lædi sinebant. Publicæ uerò causæ legitimis quoq; & publicis comitijs, non seditiosis tumultibus componebantur. Probauit hanc reipub. formam ipse dominus, quando Iudices in populo suo constituit, quos causas omnes diligenter audire & æquum iudicare iubet. Neminem uerò suæ causæ iudicem esse uult. Seruetur mos hic inter Christianos homines, quos turpe est ab ethnicis uinci. Imprimis uerò à seditionibus abhorreant, quibus & magistratuum authoritas minui, & totus rerumpub. status conuelli solet.

Seditiones facile componuntur.

Subiungit autem orationis huius effectum Lucas, dum concionem, quæ paulò ante confusissima erat, placidè dimissam fuisse scribit. Vt enim facilè commouetur uulgus, ita facilè etiam sedatur, si rationem potius & cõsilium quàm uim adhibeas. Elucet autem hoc loco fidelis dei cura, qua suos asserit & tuetur. Vt enim idem ille maris fluctus subitis uentorum flatibus attollere, & eosdem repentè deponere & sedare consueuit: ita horrendis interdum periculorum procellis suos tentat, quas cum ipsi uisum fuerit, absq; omni periculo componere nouit. Huius ergo bonitate & potentia freti stationem nostram constãter tueamur, certi nos quoq; omnibus impiorum conatibus superiores fore per Christum Iesum, dominum & uindicem nostrum fidelissimum inuictissimumq;: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

CAPVT XX.

HOMILIA CXXXI.

POstquam autem cessauit tumultus, uocatis ad se Paulus discipulis, complexusq; illos, profectus est ut iret in Macedoniam. Cum autem perambulasset partes illas, & exhortatus eos fuisset multo sermone, uenit in Græciam. Et ibi peractis mensibus tribus, cum essent illi structæ insidiæ à Iudæis soluturo in Syriam, habebat in animo ut reuerteretur per Macedoniam. Comitatus est autem eum usq; ad Asiam Sopater Berrhœensis, Thessalonicensium uerò Aristarchus, & Secundus, & Caius Derbæus, & Timotheus. Asiani uerò Tychicus & Trophimus. Hi cum præcessissent, expectarunt nos Troade. Nos uerò abnauigauimus post dies azymorũ à Philippis, & uenimus ad eos Troadem intra dies quinque: ubi demorati sumus diebus septem.

QVoniam Paulum electum suum organum dixit dominus noster Iesus Christus, non temere fit, quòd res per illum gestas tanta diligentia Lucas commemorat. Ita enim testimonij, quod de illo Christus tulit, veritas asseritur, & exemplum generale proponitur, quod omnes imitentur, qui dei organa electa esse et haberi uolunt. Porro in rerum Pauli commemoratione eo modo euangelista procedit, vt interdum integras historias per singulas partes suas circumstantias commemoret, eas nimirum, in quarum singulis partibus multa, quæ nostræ institutioni seruire possunt, continentur, quales sunt quas Philippis, Corinthi, Athenis & nuper Ephesi vidimus: interdum verò multa simul comprehendit, & longissimas periculosissimasq́ peregrinationes, quæ vix multis mensibus confici potuerunt, paucis verbis complectitur, quò euidentius pateat, quanta illius viri in obeundo suo munere industria, quanta fides, & quàm incredibilis laborum tolerantia inq́ subeundis periculis animi fortitudo fuerit. Vtrumq́ verò hoc capite obseruat. Primò enim summatim narrat profectionem, qua Macedoniam & Achaiam inuisit, de cuius consilio supra dictum fuit. Deinde peculiaria quædam recenset, nempe miraculum Troadis editum, quo Eutychus resuscitatus est, & Mileti coactam Ephesiorum pastorum Synodum. Nos verò in præsenti peregrinationem Pauli inspiciemus, cuius narratio ita contexitur, vt quid Paulus, quid item alij fecerint, commemoretur.

Argumentum capitis XX.

Atqui in ipsam peregrinationem tria incidunt, ad Paulum maximè spectantia. Primò enim narratur, quomodo ab Ephesijs discesserit. Postquàm cessauit tumultus (inquit) vocatis ad se discipulis, complexusq́ illos, vel illis salutatis, profectus est. Non ergo antea illam ecclesiam deseruit, quàm omni tumultu sedato illam extra periculum constitutam esse videret. Bonus ergo pastor est Paulus, non mercenarius, qui ferè lupo viso fugit, vt suis rebus consulat. Iohan. 10. Deinde ne tunc quidem clàm sese subducit, sed conuocata ecclesia publicè illis valedicit, simul de singulis illos admonens, quæ ipsis cognitu & obseruatu necessaria erant. Id ut animi bene sibi conscij argumentum est, ita fidelis curæ significationem habet, quòd nec absens quidem illorum memoriam & curam deponere velit. Vnde postea ad illos scribens, se ipsorum indesinentem mentionem in precibus suis facere testatur. Ephes. 1. Et alibi omnium ecclesiarum curam humeris suis incumbere scribit. 2. Cor. 11. Imitentur exemplum hoc omnes, quorum fidei vel ecclesiæ vel respub. commissæ sunt, ne vel suis duntaxat rebus consulant dum publica instant p[e]ricula, vel alioqui nulla aut perquàm exigua & leui illorum cura tangantur, de quibus rationem olim domino reddere cogentur. Deinde quò nam abierit, indicatur. In Macedoniam nimirum, & inde in Græciam, quibus in locis menses tres exegit, omne illud tempus visendis & confirmandis ecclesijs impendens. Hoc ipsum aliâs quoq́ ab illo factitatum fuisse cap. 14. & 15. audiuimus. Vnde colligimus, hunc apostolis vsitatum morem fuisse, vt ecclesias non modò plantarent, sed easdem postea denuo inuisentes in fide confirmarent, & errores, si qui obrepserant, corrigerent. Admonemur illorum exemplo, minimè securos esse debere, qui ecclesias & respub. semel bene constitutas habent, sed vigilandum est, ne (quod Christus monet) dormientibus nobis infelix lolium satan aspergat. Solet is ecclesijs quàm maximè insidias struere, vt à Christo abducat, quos illi fidelis sponsæ instar adhærere oportebat. 2. Corinth. 11. Idem bonas leges variè oppugnat, eò quòd his euersis suum regnum paruo negotio stabiliri posse intelligit. Nec frustranei semper illius conatus sunt, quando pauci sunt, qui Pauli fidem, industriam, tolerantiam & studium imitentur. Tertiò disertè, quid in ecclesijs istis Paulus egerit, exprimitur. Exhortatus est illos sermone multo, nimirum ad perseuerantiam in fide, sine qua nemo saluatur. Exhortationibus autem crebris cùm propter nos opus est, qui natura ad lapsum procliues sumus, tum propter diabolum, qui nunquam non rugientis leonis instar obambulat, & quærit quem deuoret. Minimè ergo illorum sententia admitti debet, qui curam hanc superuacaneam esse putant. Interim admonemur, ecclesias nihil præstantius habere verbo dei, è quo quotidianæ institutiones, exhortationes & correctiones peti debent. Quibus ita studuerunt apostoli, vt reliqua omnia præ hoc facilè neglexerint, vt cap. 6. vidimus. Parum ergo apostolici sunt, qui neglecto verbi ministerio & docendi officio, circa frigidas ceremonias, aut etiam terrenarum ditionum administrationem, occupantur.

Quãdo et quomodo Paulus ab Ephesijs discesserit.

Paulus Macedoniã & Græciam inuisit.

Paulus ecclesias exhortatur ad perseuerantiã.

Sed ad Paulum reuersi, quid in sua hac peregrinatione passus sit, videamus. Insidiæ illi in Syriam nauigaturo à Iudæis structæ sunt, qui ipsum è medio sublatum uolebant. Prudenter tamen has

Iudæi Paulo insidiantur.

ille declinat, dum mutato consilio pedestri itinere per Macedoniam in Syriam contendit. Docet locus hic, quæ gratia veritatis ministris in mundo referatur. Pessima nimirum, dum illi hos perdere volunt, quorum saluti maximè inuigilant. Paulum enim pro Iudæis perquàm solicitum fuisse tum totus ille laborū ipsius cursus, tum eiusdem epistolæ testantur, cumprimis quæ ad Rom. cap. 9. & 10. scribit. At non alios infensiores sibi hostes sensit. Hoc ipsum Mosen quoq; & prophetas, & cum his dei filium, Iesum Christum, expertos fuisse, alibi diximus. Nemo igitur hodie offendatur, si quando similia contingant, quando ea mundi natura est, vt in piorum interitu suam felicitatem sitam esse existimet. Quo tamen iudicio infelicissimè fallitur. Ita enim seipsum salutari precum præsidio spoliat, quas pij pro inimicis etiam fundere consueuerunt. At quid (inquis) faciendum erit, si quando simili casu ipsi quoq; tentemur? Paulum imitare, in quo duo potissimum obseruabis. Nam & vocationem suam constantissimè tuetur, & simul periculum prudenter amolitur. Ita nos quoq; vocationis nostræ ante omnia meminisse oportet, ne ab hac propter mundi ingratitudinem nos dimoueri patiamur. Cur enim huius obliti, eos imitemur, quorum impios mores detestari consueuimus? Interim circumspecti simus, & iuxta Christi consilium caueamus nobis ab hominibus, ne temere nos periculis obijcientes, deum tentare dicamur. Vide Matth. 10.

Pauli satellitium.

Quid verò deus interea rerum agit? Num periclitantem seruum suum negligit? Minimè gentium. Imò cùm illi à cognatis Iudæis simul & falsis fratribus (vt ipse alibi conqueritur. 2. Cor. 11.) insidiæ struerentur, deus eidem fidos laborum & periculorum socios atq; comites adiungit, qui periclitantem suo tum consilio tum auxilio iuuarent. Numerantur autem septem præstantissimi ex diuersis ecclesijs viri, quorum multa fit in Paulinis epistolis mentio. Accessit his octauus Lucas præsentis historiæ scriptor. Et horum quidem alij præcedunt, nimirum vt exploratis rebus omnibus tuta Paulo hospitia præparent, alij verò ipsi indiuulse adhærent, vt sua præsentia illū consolentur, ac necessarijs officijs subleuent. Est hîc diligenti obseruatione digna dei fides & bonitas, qua suis periclitantibus adesse, & ijs qui pro sui nominis gloria aliquid audent, fidos laborum & periculorum socios adiungere consueuit. Ita Iosepho Christi corpus ad sepulturam poscenti Nicodemus additur, qui & sumptuum & laboris periculiq; partem cum illo sustineat. At hodie de aliorum quidem socordia vel perfidia querimur, nosq; solos causæ Christi pondus ferre posse negamus, ipsi interea minus socordes & ignaui. Quòd si officium facere libeat, mox aliorum quoq; corda diuinitus tangi debimus. Habemus præterea in Pauli comitibus insigne pietatis & gratitudinis exemplū. Quanti laboris enim & periculi res fuerit Paulum per terras & maria comitari, quem tot vndiq; hostes premebant, cuiuis conijcere promptum est. At omnibus istis ab illo diuelli nequeunt, qui fidei donum, quod Paulo doctore ipsis obtigerat, rectè æstimabant. Nec carent isti suo præmio in terris, quando illorum nomina deus æternæ memoriæ consecrare voluit, quorum animæ nunc procul dubio in cœlis cum Christo gaudent, cuius ministrum tam officiose deduxerunt. Prædicat hoc pij animi officium in Galatis quoq; apostolus, quos nec oculis quidem parsuros fuisse scribit, si illis opus habuisset. Sed turpem nostri seculi ingratitudinem, quæ eòusq; progressa est, vt qui fide gloriantur, illorum nomina fœdis conuitijs lacerent, quorum opera & ministerio fidem primùm didicerunt. Soletur tamen nos dei fides & bonitas, qui suo præsidio nunquam eos destituet, quos ad vitæ cœlestis hæreditatē adoptauit in filio suo Iesu Christo: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CXXXII.

Vno autem die sabbatorum, cùm conuenissent discipuli ad frangendum panē, Paulus disserebat eis, profecturus postridie, protraxitq; sermonem usq; ad mediam noctem. Erant autem lucernæ multæ in cœnaculo, ubi erant congregati. Sedens autem quidam adolescens, nomine Eutychus, in fenestra, cùm degrauaretur somno profundo, disserente diu Paulo, magis depressus somno decidit ex tertio cœnaculo deorsum, & sublatus est mortuus. Cùm descendisset autē Paulus, incubuit super eum, & complexus dixit: Ne turbemini, anima enim eius in ipso est.

est. Cùm uerò ascendisset, fregissetq; panem & degustasset, diu collocutus usq; ad diluculum, ita profectus est. Adduxerunt autem puerum uiuentem, & refocillati sunt non mediocriter. Nos autem conscensa naui soluimus Asson, inde excepturi Paulum: sic enim ordinauerat, ipse per terram iter facturus. Cùm autem conuenissemus Asson, recepto eo uenimus in Mitylenem, & inde nauigantes sequenti die uenimus contra Chium. Postridie uerò appulimus Samum, & commorati Trogyllij proximo die uenimus Miletum. Proposuerat enim Paulus præternauigare Ephesum, ne tempus tereret in Asia. Festinabat enim, si possibile sibi esset, ut diem Pentecostes ageret Hierosolymis.

Postquàm Diuus Paulus Ephesi omnia ea confecit, quæ ad ecclesiæ illius constitutionem faciebant, antè conceptum animo suo peregrinationis consilium executus est, in qua Macedoniæ & Græciæ ecclesias inuisit, & easdem in vera fide confirmauit. Vidimus illic præclara apostolicæ fidei & industriæ argumenta, quando Paulus nullos labores & nulla pericula subterfugit, ut ecclesias vel acquirere, vel acquisitas seruare possit. Tandem verò Troadem delatus est, ubi peculiaria quædam acciderunt, in quorum descriptione diligenter admodum Lucas versatur. Et primò quidem ecclesiastici cœtus exemplum, deinde verò miraculum, quo Pauli ministerium deus illic loci graues haud dubiè ob causas exornare & commendare voluit, commemorat.

Ecclesiasticum cœtum cum omnibus illius circumstantijs diligentißimè describit. Et à tempore quidem exorsus, hunc sabbati die conuenisse dicit, qui nimirum propter veterem morem tunc temporis adhuc celebrior habebatur. Postea verò, ubi magis auctæ fuerunt ecclesiæ, proximus à sabbato dies rebus sacris destinatus, & ob dominicæ resurrectionis memoriam Dominicus dictus est. Admonemur autem hoc loco, minimè negligi debere à Christianis hominibus dies ab ipso deo religioni destinatos. Nec enim propter externum modò cultum his opus est, verumetiam propter internum, qui corpore & animo à prophanis negotijs vacante, in diuini verbi studio & beneficiorum dei diligenti meditatione cumprimis consistit. Quæ causa est, quòd sabbati prophanatores capitis pœna deus coercere iußit. Vide Num. 15. Et quòd eiusdem prophanatio apud prophetas inter grauißima scelera, adeoq; inter captiuitatis Babylonicæ causas numeratur. Vt non temere huius religiosam obseruationem tam seriò Nehemias sibi tuendam esse putauerit, cùm è Babylone redijssent. Nehem. 13. Quò etiam Christi exemplum pertinet, qui ut sabbatis synagogas frequenter ingressus est, ita non semel de vero illius diei vsu summa diligentia disseruit, vt illum à superstitione simul & prophano contemptu vindicaret. Deinde locum quoq; indicat, vbi cœtus iste coiuerit. Fuit is Cœnaculũ quoddam in priuata fidelis alicuius domo, qui hoc ecclesiæ dicatũ esse voluit, cùm ab idololatrarũ templis Christiani meritò abhorrerent, interim illis publicus locus negaretur, dominantibus paßim Romanorum præsidibus, qui à religione Christiana vel alieni, vel aperti illius hostes erant. Lucernas verò plurimas in Cœnaculo illo accensas fuisse dicit, nimirum vt noctis tenebræ discuterentur, nec aliqua daretur turpitudinis suspicio. Ridiculus ergo illorum error est, qui κακοζηλίᾳ seu stulta æmulatione decepti inter cultus diuini officia referunt, quod olim neceßitati seruiuit, & Deum qui lux æterna est, lucernis seraceis aut cereis coli putant, & ad sui figmenti defensionem tum hoc loco tum Mosaicæ legis exemplo abutuntur. Hic enim disertè exprimitur nocturnum tempus, quo lucernas accendi opus est. Et eandem ob caussam postea quoq; lucernis in suis cœtibus vsi sunt Christiani, cùm illis propter insidias hostium non nisi antelucanis horis conuenire liceret, sicuti ex Plinij Secundi epistolis & scriptoribus ecclesiasticis colligere licet. Quæ causa cùm sublata sit, stultum fuerit diurnã lucem adiuuare velle lucernis arte factis. Longè aliam verò candelabri Leuitici rationem fuisse constat. Vt enim omnes eius sacerdotij ceremoniæ typos rerum, quas Christus perficere debebat, gesserunt, & ad solum correctionis tempus fuerunt institutæ: ita candelabrum quoq; Christi typus fuit, qui vera & æterna mundi lux est, quiq; per euangelij ministerium ecclesiam suam illuminat, qua ratione apostoli, & qui legitimi veriq; horum successores sunt, lux mundi dicuntur. Matth. 5. Interim docemur, ad externum cultum cœtusq; sacros certis locis opus esse, quales in veteri Testamẽto templum

Ecclesiastici cœtus exemplum.

Loci sacri.

& synagogæ fuerunt: qualia item post apostolorum tempora, stabilitis iam aliquatenus ecclesiæ rebus Oratoria extrui cœperunt. In his verò honestati & religioni omnia seruire debent, nec aliquid ferendum, quod vel superstitionem, vel luxum nimium, vel apertam prophanationem referat. Tertiò conuentus huius causam exprimit, dum illos ad frangendum panem conuenisse scribit. Intelligitur autem sancta domini Cœna, quam panis fractionem olim vocarunt, quòd in ea panis ex domini instituto frangitur, tum ut nos peccatores & Christi mortis reos esse cõfiteamur, tum ut Christi meritum in nos distribui, & ad omnes credentes ex æquo pertinere intelligamus. Est autẽ obseruatione dignißimus ritus & ordo Cœnæ, quo veteres apostolorum tempore vsos fuisse hoc loco docemur. Primò omnium concionem sacram Paulus habuit, vt sequentia docent, quando post resuscitatum Eutychum demum Cœna peracta est. Quare finita demum concione sacra hanc celebrarunt, & quidem in publico cœtu, loco & tempore sacris destinato, nec alio ritu, quàm qui à domino traditus fuerat. Illi enim per omnia seruatum fuisse, tum fractionis panis vocabulum, tum Pauli exemplum docet, qui Corinthios tam anxiè ad formam Cœnæ, à Christo traditam, reuocauit. Ita verò Christum quoq; doctrinam Cœnæ præmisisse constat, nec quicquam tradidisse, quod superstitioni potius quàm religioni seruiat. Videant ergo quibus vel rationibus vel exemplis Missam suam Papistæ tueantur, in qua doctrina verbi planè silet, lingua peregrina aguntur omnia, populus præter frigidas & ineptas gesticulationes & theatricam saltationem nihil habet quod suspiciat vel meditetur: ut interim deo nihil dicamus, quòd per hanc Christi sacrificium euacuatur, eiusdem merito derogatur, & tota Christi religio atq; fides ab ipsis fundamentis euertitur. Sed ita seduci oportet eos, qui sua potius ratione figmenta sequi, quàm Christi institutionem retinere volunt. Porrò ad cœtus ecclesiastici descriptionem concionandi quoq; modus, à Paulo obseruatus, pertinet, quem ex tempore conijcere licet. Primò enim ad mediam noctem vsq; sermonem protraxisse, inde Cœna peracta, ad diluculum vsq; de rebus pietati seruientibus disseruisse dicitur. Non ergo perfunctoriè & quasi aliud agens, sed magno cum zelo & diligentia docuit. Quia enim de ministerio suo rectè iudicabat, seq; Christi nomine à deo legatum missum esse nouerat (sicuti in posteriori ad Corinth. 5. cap. testatur) non potuit non ardenti zelo flagrare, ne malæ fidei legatus apud deum haberetur. Simul verò auditores quoq; tam de Pauli ministerio quàm de doctrina eiusdem rectè iudicauisse constat, quando tam patienter tota nocte docentem audire dignati sunt. Arguitur exemplo hoc nostri seculi vecordia & immanis verbi dei contemptus. Nec enim in ministris zeli illius apostolici vestigia apparent, quando plerique inanibus potius studijs, quàm verbi dei meditatione occupantur, & tunc sese suo officio probè functos esse existimant, si semel aut iterum in septimana quàm frigidißimè concionati fuerint. Rursum populus quoq; audiendi impatiens, omnem moram nimiam putat, quæcunq; verbo dei impenditur, cùm interim in leuißimis, imò turpißimis studijs, nullius illum vel temporis vel sumptus & laboris pigeat. Hinc fit, quòd & collapsa iacet ministerij authoritas, & verbum dei à multis aufertur. Vide quid de hoc malo dominus dicat apud Malachiam 2. cap. & Amos 7. &c.

Fractio panis.

Conciones apostolicæ.

Eutychus è fenestra delapsus moritur.

Sequitur miraculum, quo deus Pauli ministerium approbare, simulq; omnes homines ad diligentem apostolicæ doctrinæ consyderationem excitare voluit. In cuius prima parte Eutychus consyderandus est, in cuius persona editũ fuit. Is concionante Paulo in fenestra consedisse dicitur, vel quia tanta tamq; conferta esset auditorum multitudo, vt sedes nulla alia vacaret, vel quòd somnum, quo se oppugnari sentiebat, ita vitare & superare voluit. Attamen tandem superatus decidit, & ex casu moritur. Quòd si verò hoc illi euenit, cuius somnolentia multis rationibus excusari potest, quid illis euenturum putamus, qui verbum contemptim audiunt, & dum illud audire videntur, vel data opera sese ad somnum componunt, vel poculis & crapula obruti dormire coguntur? Hi enim ut suæ salutis negligentes sunt, ita dei maiestatem non magni faciunt. Quare fieri non potest, quin ad mortem illis cedat euangelij prædicatio, quæ attentis & credentibus salutis ministra est. Simul autem docemur hoc loco, permittere aliquãdo deum, vt tristißimis casibus sui tententur. Quid enim obscurius accidere poterat, quod Pauli doctrinam magis suspectam redderet, quando illius studium tam tristi casu turbatur? Quanta item apostolo inuidia conflari potuit, vt qui sermonis prolixitate tanti mali author fuerit? Sed non deest suis dominus, quin mox insigni miraculo docet, euangelio salutem afferri, sic ut huic confirmando seruiat, quod illi omnino aduersum videri poterat. Discamus ergo re-

Etè in-

illi indicare de omnibus aduersis, quæ incidunt. Immittit ea, vt terreat, deus & vt potentiam suam exercendi occasionem habeat. Patienter ergo feramus omnia, nec de agnita Veritate dubitemus. Ita enim fiet, vt lætissimus illorum exitus sit, quorum initium nimis funestum & infelix videbatur, id quod altera huius miraculi pars euidentissimè docebit, vt reliqua exempla omittamus, quæ induci poterant.

Eutychi resuscitatio miraculosa.

Describit enim deinceps miraculosam Eutychi resuscitationem Lucas, in qua singula, quæ Paulus fecit, ordine consyderanda sunt. Primò mox, re cognita, descendit vt periclitanti opem ferat, nec quicquam vel sabbati vel Cœnæ religionem causatur. Minimè ergo superstitiosus est, sed Christi doctrinæ memor, sabbatum propter hominem institutum esse, & externa omnia charitati cedere debere intelligit. Ineptè ergo, imò impiè superstitiosi sunt, qui in simili necessitate hominum traditiones violare nefas esse ducunt: ut qui monasticis regulis ita astricti sunt, vt ne parentibus quidem periclitantibus opem ferant, quiq; nullam causam satis iustam esse putant, vt Missæ sacrificium interturbetur. Deinde super puerum prostratus, illum complectitur, non quòd sui corporis contactu illum vitæ restitui posse putaret, sed quòd Christi nomine & virtute, cuius ipse legatum agebat, omne hoc confici oportere sciret. Quare salutis nostræ mysterium hic Pauli gestus continet. Ex superbo enim Adami lapsu in omnes nos peccati noxa & per hanc mors deriuata est. At in Christo nobis per euangelium vita salusq; offertur, cuius consortes erunt, quotquot apostolorum doctrina, quasi vlnis attracti per fidem in Christi consortium transeunt. Præterea trepidantes amicè consolatur. Ne turbemini, inquit. Nec enim temere metuebat (vt supra monuimus) ne infirmorum fides hoc casu grauiter concuteretur. Quare mox addit: Anima enim eius in ipso est. Quibus verbis non negat miraculũ, sed modestè de illo pronuntiat, ne quid sibijpsi tribuere videatur, neue alijs supra id quàm decet de se sentiendi occasionem præberet. Inde verò mox in Cœnaculum reuersus, intermissam Cœnæ actionem absoluit, & nouum sermonem instituens, ad diluculum usq; concionatur, quo orto iter ingreditur. His autem admiranda Pauli sedulitas commendatur, qui tanto edito miraculo adhuc in vocatione sua pergit, nec se iam officio suo per omnia defunctum esse arbitratur, vt ignaui quidã, sed nimium magnifici suorum laborum & operum æstimatores facere consueuerunt. Imitemur nos Pauli studium, eoq; plura nos deo debere sentiamus, quò maiora virtutis & gratiæ ipsius indicia videmus. Subijcit autem miraculo insignem studij huius fructum Lucas. Puerum enim adduxerũt viuentem. Perfecta enim sunt dei opera, nec quenquã præstigiosis miraculis, vt circulatores solent, luserunt apostoli. Deinde non parum refocillati sunt fideles, non modò ob vitam puero restitutam, sed quòd tam luculentum diuinæ gratiæ testimonium sibi propositum viderent. Adumbrantur autem nobis hoc loco fructus, qui euangelij studium perpetuò comitari solent. Nam & vitam nobis affert, eò quòd euangelium potentia dei sit ad salutem omni credenti: & animos solido gaudio recreat, dum patrem nobis in filio reconciliatum esse docet. Quod gaudium vt verè solidũ est, ita illud nemo nobis auferre potest. Iohan. 16.

Pauli peregrinationes laborum & periculi plenæ.

Porrò redit ad Pauli profectionem describendam Euangelista, ordine vrbes & locos recensens, quos vel prætervecti fuerunt, vel in quibus moram traxerunt aliquam. Quorum situm si quis scire cupit, Geographorum libros & tabulas consulat. Ex Troade verò Paulus Asson vsq; per terras iter fecisse dicitur, nauigio præmissis suis comitibus. Ipse enim vel ecclesias in transitu videre, vel nauigandi fastidium vitare voluit. Vbi tamen humanitas eius laudem meretur, quòd suos labore leuat, nec illorum industria abutitur. Tandem Ephesum quoq; præteruectus Miletum venit, quò Asiæ ministros ad Synodum euocauit. Summam verò festinationis rationem illum habuisse scribitur, eò quòd Pentecosten Hierosolymis agere cuperet, non quidem Iudaico ritu, sed propter hominum frequentiam, in qua se cum magno fructu prædicaturum sperabat. EST autem memorabilis omnino locus hic, qui Pauli labores & pericula continet. Quibus admonemur quàm ardua res sit, deo ritè seruire, qui nihil minus quàm otiosos & ignauos cultores ferre potest. Ita enim Abrahamum, Isaacum, Iacobum, Mosen, prophetas, & post hos ipsum Christum assiduis laboribus & periculis fatigatos esse legimus. Ad labores ergo & pericula ipsi quoq; præparemur, ne ex improuiso irruentibus offendamur. Admonet præterea locus hic, quanta apud nos esse debeat euangelij authoritas, quod tantis laboribus tantoq; sanguine propagatum esse constat. Propter hoc enim laborarunt

omnes apostoli, & ante hos prophetæ, & ipse dei filius, qui se ad euangelizandum quoq; venisse testatur. Marc.1. Luc.4. Execrabilis ergo illorum ignauia est, qui thesaurum tantum sibi tam facile eripi patiuntur. Præpostera item est illorũ religio, qui cùm Diuos & horum cultum nunquam non in ore habeant, interim euangelij doctrinam fastidiunt, cuius nomine Diui omnes tot labores sufferre, tot pericula subire, & tandem vitam & sanguinem profundere voluerunt. Rectè ergo æstimemus Thesaurum hunc ô fratres, in quo solo salus offertur, cuius nobis author est Iesus Christus: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CXXXIII.

A Mileto autem missis Ephesum nuntijs, accersiuit Seniores ecclesiæ. Qui cùm peruenissent ad ipsum, dixit eis: Vos scitis à primo die, quo ingressus sum Asiam, quomodo uobiscum per omne tempus fuerim, seruiens domino cum omni animi humilitate, cumq; multis lachrymis & tentationibus, quæ mihi acciderunt ex insidijs Iudæorum: ut nihil suffugerim eorum, quæ essent in rem uestram, quin uobis annuntiarem, & docerem uos publicè & per singulas domos, testificans Iudæis simul & Græcis eam quæ erga deum est pœnitentiã, & fidem quæ est in dominum nostrum Iesum Christum.

APostolorum domini Iesu Christi res gestas summa diligentia per Lucam diuinum scriptorem spiritus sanctus commemorat, partim quidẽ, vt exemplar habeant omnes ministri quod imitentur: partim verò vt omnes intelligant quanta meritò apud nos esse debeat euangelij authoritas, quod illi tot tantisq; laboribus propagauerũt. Et huc quidem præsens etiam Pauli apostoli actio referri debet, qui licet Hierosolymam quàm maximè festinaret, nec tempus vellet terere in Asia, nihil tamen eorum intermisit, quæ ad ecclesiarum Asiæ salutem faciebant. Ad se enim Miletum vsq; Ephesiorum & vicinarum vrbium Seniores siue antistites euocat, & in generali Synodo cum illis de rebus maximis transigit. Quo exemplo vt Pauli fides & industria elucet: ita admonemur necessarios omnino esse ministrorum cætus, in quibus ecclesiæ res communibus omnium suffragijs tractentur. Facit hoc ad retinendam ecclesiarum disciplinam, ad cohercendam ambitionem antistitum, ad seruandum in vera doctrina consensum, & ad reprimendas hæreses, quæ frequenter (nisi suas operas ministri fidelißimè coniungant) obrepere consueuerunt. Ideò supra quoq; eorum error, qui legis opera cum fide in Christum miscebant, generali Synodo explosus, & eiusdem authoritate veritas asserta est. Quò respexisse videtur pijßimus idemq; prudentißimus Imperator Cõstantinus Magnus, dum episcoporum Synodos frequenter conuocauit, quibus è contra acerrimè obstitit fidei Christianæ publicus hostis Licinius, quem publicis edictis cauisse Eusebius tradit, ne ecclesiarũ ministri aliquos conuentus agerent. Videbat enim astutißimus nequam, ministrorum consensu ecclesias & fidei veræ profeßionem quàm maximè seruari, illum verò Synodorum authoritate comprimi retineri. Nec minori astutia Antichristus Synodorum authoritatẽ omnem penes se esse voluit, ne legitimè congregatis Synodis ipsius tyrannis coherceri posset. Simul verò in Asiæ ministris præclarum modestiæ exemplum proponitur, qui licet plures essent numero, vnius tamen Pauli imperia minimè detrectant, qui primus in illis locis Christum prædicarat, quemq; selectum Christi organum esse multis indicijs compertum habebant. Licet enim una eademq; sit omnium ministrorum ecclesiæ dignitas, nec quisquam in alios sibi imperium siue tyrannidem vendicare debeat, necessarius tamen in ecclesia ordo est, qui nisi inter sese humilitate & modestia ministri certent, nunquam conseruari poterit. Nec ideò Asianos hosce ad se Paulus euocauit, quòd sibi in illis priuatam aliquam authoritatem siue imperium vendicaret, sed quia illos de rebus maximis admoneri totius ecclesiæ intererat, qua in re suum officium illis negare noluit, cùm se (vt alibi fatetur) omnibus, tum Iudæis tum gentibus, debitorem esse sciret. Rom.1.

Synodus Miletana.

Lib.1. de Vita Constant.

Argumentum Orationis Pauli Synodicæ.

Porrò Pauli Orationem videamus, quæ causas conuocatæ Synodi continet. Habet enim exhortationem grauem & vehementem, vt quando ipsum non amplius visuri sint, exemplum ipsius imitentur,

tineant, & ab se traditam doctrinam constanter retineant, pro ecclesiarum salute sedulò inuigilent, & hæreticis (qui plurimi simul & nocentissimi orituri sint) fortiter resistant. Suo autem exemplo illos liberius hortatur & urget, quia ut ipse sibi bene conscius erat, ita apud eos sermonem habebat, quibus sua fides & industria erat compertissima. Et initiò quidem paucis tum uitæ suæ exemplum tum doctrinæ suæ summam comprehendit.

De Vita sua hæc dicit: Vos scitis à primo die, quo ingressus sum Asiam, quomodo uobiscum per omne tempus fuerim, seruiens domino cum omni animi humilitate, cumq; multis lachrymis & tentationibus quæ mihi acciderunt ex insidijs Iudæorum. Vt uerò illos ipsos testes statuit, ita omne tempus suæ inter ipsos cõuersationis allegat, ne quis ipsum breui tantummodo tempore pietatis studium simulauisse putaret, quod multi facere consueuerunt, qui ubi egregia uirtutis simulatione sese hominum animis insinuauerunt, tandem occultatam aliquandiu animi nequitiam impudentissimè produnt. Nec enim apud improbos diuturna esse potest uirtutis simulatio. At quia Paulus se totũ Christo & pietati consecrauerat, eadẽ & sibi semper constans fuit uitæ ipsius conuersatio, idemq; semper in obeundo ministerio suo studium. De hoc autem intelligi debet, quòd se domino seruiuisse dicit: ubi tria potissimum allegat, Humilitatem animi, lachrymas quas publicæ salutis studium sibi extorserit, & tentationes graues, quibus tamen nunquam sese ab officio reuocari passus sit. EX his uerò discant ecclesiarum ministri, quales ipsos in ecclesiæ ministerio esse conueniat. Et primò quidem humilitati studeant, ne uel diuina sibi impudenter uendicent (quod Antichristi est. 2. Thessal. 2.) uel quenquã præ se fastidiant, & Symmystis suis superbè dominentur, de quo Petrus quoq; illos in priori epistola Cap. 5. admonet. Decet enim, ut qui Christi ministri esse uolunt, Christi exemplũ imitentur, qui ut dei patris gloriæ nihil derogat, ita neminem unquam fastidiuit, adeò ut peccatorib. quoq; & publicanis familiarissimè conuixerit, & discipulis quoq; pedes abluere dignatus sit, ita extremũ illis humilitatis exemplum relicturus, ne aliquod officium detrectare uellent. Humilitati uerò publicæ salutis studium accedere debet, quam illos summo animi ardore, imò cũ lachrymis quoq; quærere decet. Nam huius etiam exemplum in Christo habetur, quem totis animi uisceribus commotũ fuisse Matthæus Cap. 9. tradit, quando Iudaicum populum instar dispersi gregis & pastore destituti oberrare uidit. Et alibi illum ad ingratæ & sanguinariæ Hierosolymæ conspectum illachrymasse legimus, cum illam ob enormia scelera & pœnitere nescias mentes breui corruituram esse sciret. Luc. 19. Eundem charitatis affectum in Mose uidemus, qui de libro uitæ potius deleri uult, quã suæ gentis excidium cernere. Exod. 32. Eodem Samuel propheta flagrauit, qui cum Saulem à domino reprobatum esse audiret, seipsum animo excrucians non antea, quã à domino corriperetur, lugere destitit. 1. Sam. 15. & 16. Nec insolenter hoc ipso affectu Paulum gloriari tũ illius fidelis & indefessa in propaganda publica salute industria probat, tum illud conuincit, quòd pro Iudæorum, acerrimorum hostium suorum, salute anathema fieri cupit. Et sanè affectu hoc carere non possunt, quicunq; sui ministerij rationem probè perspectam habent. Quia enim ministerio suo homines regenerari audiunt, filiorum loco habent quoscunq; Christo adduxerunt, & paterno planè affectu illos complecti consueuerunt: quo quicunq; carent, næ illi abundè testantur, se ministerij quoq; sui dignitatẽ ignorare. SED tertium quoq; accedat oportet, ne uidelicet tentationibus succumbant, aut metu superati in persecutionibus ecclesias deserant. Id enim mercenariorum esse, Christus ait. Iohan. 10. Imò tunc maximè suam fidem & constantiam requiri intelligant, quando tum seipsos tum oues Christi grauissimè tentari uident. Quòd si uerò cum Pauli exemplo eos conferas, qui huius successores hodie dici uolunt, facilè patebit quàm nihil in illis Paulini pectoris sit, quando immani fastu Barbaros quosq; satrapas superant, bellis omnia miscent, nulla ouium pereuntium miseria tangũtur, deq; uno hoc soliciti sunt, ut sibi suisq; cum publico aliorum malo consulant.

Sed ad Paulum redeamus, qui doctrinæ etiam suæ rationẽ reddens, perfectum huius exemplar non Ephesijs modò & Asianis, sed omnibus omnium locorum & temporum ministris proponit. ET primò quidem, se bona fide cum illis egisse dicit. Nihil (inquit) suffugi eorum, quæ in rem uestram essent, quin uobis annunciarem, &c. Sensus est, se nihil eorum celauisse, quæ ipsis cognitu necessaria erant. Idem uerò ab omnibus ministris exigitur, ut salutis doctrinam perfectè tradant, nec quicquam celent in mundi gratiam. Imò quò magis ille furit, eò magis instare oportet uerbi buc-

Paulus uitæ suæ rationẽ reddit.

Humilitas.

Publicæ salutis studium.

Constantia.

Paulus doctrinæ suæ rationẽ reddit.

Omnia tradidit.

cinam, ne mundi furoribus Veritatem uinci & opprimi patiantur. Quo loco illorum error arguitur, qui hostibus Veritatis aliquid dandum esse existimant, ne ingenua docendi libertate magis exacerbentur: quasi uerò illi ministrorum ignauia non ferociores fiant, dum sese timeri, illos autem sibi male conscios esse putant. Cumprimis autem obseruandum est hoc loco, apostolos plenè & perfectè omnia tradidisse, quæ ad hominum salutem faciunt, nec ullis additionibus opus esse, quibus illorum doctrina sarciatur. Constat enim Christum nihil hos cælauisse, qui eo argumento se illos amicorum loco habuisse probat, quòd omnia reuelarit, quæ à patre acceperat. Iohan. 15. Idem spiritum suum illis promisit, qui omnia suggereret, quem illos accepisse, supra uidimus. Iam uerò Paulus publicè fatetur, se nihil eorum cælauisse, quæ ipsis utilia & necessaria esse sciret. Plena ergo & perfecta apostolorum doctrina est, qua illi ecclesijs unum Iesum Christum tradiderunt, quemadmodum ipsorum epistolæ & Sermones abundè testantur. Magnam ergo tum Christo tum apostolis iniuriã faciunt, quicunq; nouos fidei articulos condere, & ecclesijs multa, quæ apostolorum doctrinæ ex diametro repugnant, obtrudere audent.

Publicè & priuatim docuit.

Deinde modum quoq;, quem in docendo secutus sit, attingit, dum se publicè simul & priuatim per singulas domos docuisse, & Iudæis pariter ac gentibus testificatum fuisse dicit. Exprimunt hæc indefessum apostoli studium, quo accensus ut omnibus salutis doctrinam proposuit, ita nihil eorum omisit, quæ ad plurimorum salutem facere poterant. Simul uerò discimus quis uerus & optimus docendi ordo sit. Primò enim in genere, & publicè quidem, tradi debent quæ salutaria sunt, sic ut omnes, quid ipsos facere quidue omittere conueniat, intelligant. Quia uerò non omnes spontè obtemperant, interim tamen securitate potius quàm malitia peccant, absq; aliorũ offendiculo, priuatas quoq; admonitiones, hortationes & increpationes accedere oportet. Si enim cuiusq; Christiani est, proximum admonere & errantem in uiam reducere, quantò magis hoc ministrum facere conuenit, à quo Christus olim commissi muneris rationem exiget? At testificandi uerbo serium & liberum dicendi studium notatur, quod nisi adhibeatur, frigebunt reliqua omnia. Est autem obseruatione dignũ, quantum ministro in suæ fidei commissas oues iuris sit, quando non publicè modò, uerumetiam priuatim per singulas domos docere & admonere debet. Vnde simul colligitur, quo loco habendi sint, qui nec publicè nec priuatim à ministris admoneri & corrigi uolunt. Cur enim oues Christi censeantur, qui pastoris uocem superbè & improbè fastidiunt?

Summa doctrinæ Pauli.

Postremò summam doctrinæ suæ comprehendit, duo illius capita statuens, nimirum pœnitentiam in deum, & fidem in Iesum Christum. Conueniunt hæc cum Christi mandato, qui apostolus in suo nomine pœnitentiam & remissionem peccatorum prædicare iussit. Luc. 24. Vnde constat uerum euangelium à Paulo prædicatum fuisse, simulq; patet, qualis doctrina prædicari debeat. Et hic quidem primus locus pœnitentiæ tribuitur, quam alibi conuersionem ad deum definiuimus: cui definitioni Paulus subscribit, dum se pœnitentiam erga deum docuisse ait, id est, eam qua ad deum homines conuertuntur. Hinc uerò exordium ex Christi mandato apostoli, quia omnes defleximus & natura corrupti sumus. Quia autem iuxta Adami exemplum dei conspectum horremus, fidem in Christum simul prædicari oportet, quæ nos patri per filium reconciliatos esse docet, & per quam ex immortali dei uerbo regeniti, filij dei efficimur. Noxius ergo ualde & pudendus illorum error est, qui pœnitentiam quidem multis urgent, fidem uerò interea negligunt, sine qua pœnitentia subsistere nullo modo potest. Quomodo enim ad deum conuertetur, qui Christum non habet, qui solus est uia, lux & ueritas, & sine quo ad patrem nemo uenire potest? Iohan. 14. At quia de his alibi copiosius egimus, paucula hæc modò sufficiant. Discant autem singuli ex Pauli exẽplo de doctrinis iudicare, nec ullam sibi obtrudi patiantur, quàm quæ ueram tradit conuersionem ad deum & fidem in Iesum Christum: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CXXXIIII.

Et nunc ecce ego alligatus spiritu proficiscor Hierosolymam, quæ in ea obuentura sint mihi ignorans: nisi quòd Spiritus sanctus per singulas urbes testificatur, dicẽs quòd uincula & afflictiones me manent. Verùm nihil mihi curæ est, nec uita ipsa preciosa est mihijpsi, ut absol-

uam cursum meum cum gaudio, & ministerium quod accepi à domino Iesu ad testificandum Euangelium gratię dei. Et nunc ecce ego scio, quòd posthac nō uidebitis faciem meam uos omnes, per quos transiui prædicans regnum dei. Quapropter contestor uos hodierno die, quòd mundus ego sum à sanguine omnium. Non enim subterfugi, quò minus annunciarim omne consilium dei uobis.

QVàmuis dei filius Iesus Christus, cum in hoc mundo ageret, suos nunquam non mirificè dilexerit, omnium tamen clarissima suæ dilectionis indicia iam discessurus edidit, quemadmodum graues illæ & salutares admonitiones quibus in ultima Cœna illos instruxit, abundè testantur. Huius exemplum Paulus imitatus, non præsens modò ecclesiarum saluti consuluit, sed discessurus ab his, imò absens, luculentius multò declarauit, quàm illi omnium illarum incolumitas cordi fuerit. Patet id passim in epistolis ipsius, cumprimis antem in Oratione hac, quam in Miletana Synodo coram Asianis ministris siue pastoribus habuit. Quia enim se nunquam ad Asiæ ecclesias rediturum esse præuidebat, simulq; pericula ex falsis doctoribus post illius obitum oritura nouerat, illos summa qua potuit fide & diligentia de suo officio simul & alijs rebus ad salutem ipsorum necessarijs admonet. Ante omnia uerò suum exemplum illis ob oculos statuit, quò maior sit suæ admonitionis autoritas: de quo cum heri copiosè satis dictum sit, modò ad præsentis loci explicationem accedemus.

Argumentum huius loci.

Sequitur enim Causæ redditio, qua cur suum exemplum tam seriò urgeat, docet: nimirum quia iam iam discessurus, nec unquam posthac ad illos reuersurus sit. Inde enim colligit, ipsos apostoli & doctoris sui exemplum sequi & ecclesiæ curam summo animorum studio suscipere debere, ne quod ille tot tantisq; laboribus acquisiuit, sua socordia aut negligentia denuo amittant. Et hæc quidem totius loci summa est. Præstat autem singula eo, quo dicuntur, ordine inspicere, adeoq; quæ in singulis uerbis latent mysteria inuestigare.

Paulus spiritu duce Hierosol. abit.

Primò, Et nunc ecce (ait) ego alligatus spiritu proficiscor Hierosolymam. Quibus uerbis occultum spiritus sancti motum intelligit, quem ipsi rerum agendarum ducem semper fuisse, iam sæpe uidimus. Cui licet uolens obediret (ut sequentia docēt) se tamen alligatum esse, & quodammodo uinctum duci testatur, ne uel leuis nimium, uel temerarius dei tentator putaretur, qui sese præter causam in aperta pericula conijceret. Docet ergo se aliter facere non posse, nisi cum dei spiritu contumaciter luctari uelit. Admonet autem nos Pauli locutio, quo loco apud nos esse debeant cum occultæ spiritus sancti suggestiones, tum aperta siue diserta illius oracula. Vinculorum instar sint, quibus inuitam & reluctantem carnem in fidei obedientiam pertrahamus: & spontè quidem, ne magno nostro malo dei potentis manum experiamur, qui uel inuitos quò uult rapit eos, qui carnis sensum potius sequi, quàm ipsius uocationi obedire uolunt. Ita illum Mosi, officium detrectanti, iratum fuisse legimus. Exod. 4. Et Ieremiæ idem facienti, & ætatem alleganti, quasi indignabundus ait: Ne dicas, Puer sum ego. Quia ad omnia ad quæ te mitto, ibis: & quæcunq; mandauero tibi, loqueris, &c. Iere. 1. Quid uerò Ionæ euenerit, dei uocationem declinare uolenti, notius est quàm ut multis commemorari debeat.

Paulus ad aperta pericula uocatur.

Hinc uerò sensim ad institutum delabitur, cum addit: Ignoro quidem, quæ mihi Hierosolymis uentura sint, quæq; potissima causa sit, quòd ita me urget ad istam profectionem spiritus, hoc autem scio me passim eiusdem spiritus instinctu admoneri, quòd me illic uincula & afflictiones maneant, id quod constanter per omnes ecclesias sancti prophetæ testari solent. Pergendum tamen est per quæuis pericula, adeoq; per mortem ipsam, quando sic deo uidetur, penes quem solum meæ cum uitæ tum necis ius est. Est autem diligenti obseruatione dignus locus hic, eò quòd nostræ institutioni & consolationi plurimum seruire poterit. Primò enim fidelem dei curam exprimit, quo is suos tueri & illis prospicere consueuit. Nam cum illos extremè diligat, eosdem negligere nullo modo potest, & in tempore de omnibus, quæ ipsis euentura sunt, admonet. Cur enim cultores suos negligeret, qui impijs quoq; pœnas prædicit, nec malum aliquod infert, nisi per prophetas prius præmonitis? Deinde ut suos deus admonere soleat, uidemus. Afflictiones quidem & uincula sibi Hierosolymis parata esse,

Paulus intellexit. Quis uerò omnium euentus futurus esset, non reuelarat adhuc spiritus sanctus. In genere ergo suos plerunque deus admonet, quàmuis non omnia per singulas species exprimat. Nam quantum illos scire opus est, tantum reuelat, ut ad crucem ferendam præparentur quidem, euentum uerò omnem deo permittant. Itaque nos quoque generales prædictiones habemus, quibus crucem & aduersa nos in mundo manere, docemur. Quarum usus potissimus est, ut ad illa ferenda preparemur, ne dum inopinantibus accidunt, grauis offendiculi causa sint. Tertiò dei consilium obseruare conuenit, quo ille erga cultores suos mirificè uti solet. Antea quidem non semel à fratribus admonitus Paulus, uel fuga sibi consuluit, uel insidias hostiles prudenter elusit. Nunc uerò de uinculis & afflictionibus admonetur quidem, sed tamen à dei spiritu urgetur & impellitur, ut inuitis & multum dissuadentibus fratribus sibi in medias tribulationes pergendum esse intelligat. Ita Christum quoque aliâs quidem hostium suorum conatus & insidias elusisse legimus, tandem uerò illis obuius procedit, cum nimirum horam suam iam aduenisse uideret, sicque postularet æternum patris cœlestis consilium. Docent hæc pericula non semper iustam & sufficientē fugæ causam esse. Quando enim dei uocatione certa urgemur, nec ferro nec flammis, imò nec obiectis Oceani fluctibus (ut olim ad mare rubrum factum fuit) nos reuocari patiamur, quò minus officium nostrum faciamus, cui nos diuinitus destinatos esse intelligimus.

Pauli constantia & fides.

Cæterum ne uinculorum mentione amicos & fratres nimium perterrefaceret, consolationem adhibet uerè apostolicam & Christianam. Nihil (inquit) horum mihi curæ est. Quasi dicat: Nolim uos mea causa discruciari. Cur enim uobis dolorem mouerent, quæ mihi quàm minimum curæ sunt? Ergóne spiritus sancti oracula, & pias fratrum admonitiones contemnis Paule? Nequaquam. Sed ideo parui facio, quæ de periculis imminentibus dicuntur: quia uita mea minimè mihi ipsi preciosa est: id est, non maioris uitam hanc temporariā facio, quàm uocationem meam, cui me dominus destinauit. Imò cupio cursum meum cum gaudio absoluere, & ministerio meo probè defungi, testificando passim euangelium gratiæ dei. Si ergo uitam iam olim Christo deuoui, uincula & afflictiones me nullo modo terrere possunt. Docemur autem Pauli exemplo, quales se in aduersis pij gerere debeant. Primùm est, ne illa sic curent, ut horum uitandorum gratia aliquid se indignum faciant. Alioqui minimè nos Stoica indolentia præditos esse uult deus, sed ne nostri maiorem quàm suæ uoluntatis rationem habeamus. Nulla uerò in his efficacior esse poterit consolatio, quàm si in diuinæ prouidentiæ consyderatione frequenter uersemur, quā apostolis quoque suis Christus ob oculos statuit, & Dauid hoc sibi præsidium unicum & asylum tutissimum facit, quòd fugas suas apud deum numeratas esse, suasque lachrymas in dei lagenulam colligi credit. Matth.10. Psal.56. Deinde curent, ut temporalem hanc uitam æternæ præferant. Cogitent potius ideo nos uita hac donari, ut deo uiuamus, cui etiam (si ita necessitas ferat) nos mori cōueniat. Et quia semel moriendum est, nunquam felicius, quàm in dei uocatione, mori poterimus. Ita enim illud Dauidis in nos quadrabit: Preciosa in oculis domini mors sanctorum ipsius. Psal.116. Quòd si uerò uitam hanc æternæ præferre nefas est, quantò minus opes, honores, uoluptates & si quæ alia huius mundi bona sunt, huic præferre decebit? Quid enim lucrabitur homo, si totum mundum quidem acquisiuerit, suæ uerò animæ iacturam fecerit? Aut quæ res tanti precij est, ut ad unius animæ redemptionem sufficiat? Vide Matth.16. Luc.9. Tandem in hoc omni studio pios incumbere decet, ut per omnia aduersa cum gaudio enitantur, & cursum suum, id est, iniunctum sibi à deo munus, feliciter absoluant. Nec enim rectè cœpisse sufficit, sed perseuerantia opus est, ut iam sæpe monuimus. Meminerint ergo singuli uitam hanc instar stadij nobis esse, cuius meta mors sit, quæ felicissimè ab illis attingitur, qui in finem usque suum officium faciunt.

Euāgelium gratia dei.

Sed priusquam longius progrediamur, uidendum est ut de euangelio simul & huius ministerio Paulus loquatur. Euangelium gratiæ dei uocat: ab effectu nimirum, quia dei gratiam nobis offert, nos deo patri per filium Iesum Christum reconciliatos esse docet. Patet hinc, quàm execranda sit illorum impietas, qui euangelium improbè fastidiunt & aspernantur. Similes enim seditiosis sunt, quibus non satis uidetur seditiones & turbas aduersus magistratum concitauisse, nisi etiam sponte oblatam magistratus gratiam scurriliter eludāt, & huius internuncios contumeliosè lacerent. Nos enim omnes defectionis & seditionis contra deum reos esse, & interitum meruisse constat. At condo

nas

nae culpam omnium deus ob filij sui meritum, illamq́ gratiã nobis per euangelium denunciat. Quod quicunq; respuunt, næ illi sese in posterum omninò inexcusabiles & uenia indignos esse produnt. Rursum de ministerio suo loquens, testificandi uerbo utitur, quo ingenuam liberam & seriam prædicationem intelligi, iam sæpè dictum est. Euangelium enim non simplex rei gestæ narratio, sed testimonium est de Iesu Christo. Et apostolos suos testes ipse Christus uocat. Iohan. 15. Acto. 1. Seriò ergo Christum prædicauerunt, imò hunc mundi saluatorem esse, non uerbis modò & factis, uerumetiam morte & sanguine, testati sunt, qua de causa uulgò martyres dicuntur. Quod uerò apostolos fecisse diximus, idipsum singulos Christianos facere decet. Vult enim Christus ut illum confiteamur coram mundo hoc, nec pro cultoribus suis agnoscit, quoscunq; sui & euangelij sui corã mundo degenere & corrupto puduerit. Vide Marc. 8. Cæterum quoad Paulum, quò maior esset apud illos suæ adhortationis autoritas, breui Anacephalæosi uel Recapitulatione, quæ hucusq; dicta sunt, repetit, & in quem finem dicta sint inculcat.

Primò autem sui discessus mentionem denuo facit, nec hunc modò allegat, uerumetiam quòd illum posthac nunquam amplius uisuri sint, disertè testatur. Nunc ecce (inquit) ego scio, quòd posthac non uidebitis faciem meam uos omnes, per quos transiui prædicans regnum dei. Imitatur uerò iam morituros parentes, qui similia nouissimis suis admonitionibus frequenter interserũt, ut sic acriores stimulos in filiorum animis relinquant. EST autẽ obseruatione simul & quauis laude dignissimus Pauli animus, cuius mira & inuicta constantia in paucis hisce uerbis elucet. Licet enim hunc sibi ultimum cum his congressum fore sciat, & proinde nihil aliud quàm mortem sperare possit, non tamen muliebri fletu suum discessum deplorat, nec ullum edit uel tristitiæ uel priuati doloris indicium, sed de sola ecclesiarum salute solicitus est, & huius curam illis unicè cõmendat. Quo exemplo docemur, ut nos quoq; in mortis consyderatione, aut cum illa iam instat, affectos esse oporteat. Cauenda hic est muliebris illa pusillanimitas, qua multi suam sortem ita deplorant, quasi solis ipsis moriendi legem deus imposuerit: & à suis non aliter cum summo luctu diuelluntur, quasi nemo in orbe restet, sub cuius prouidentia illi ipsis sublatis tutò agere possint. Atqui cogitandum erat, hanc uniuersæ terræ uiam esse, sicuti Iosue & Dauid testantur. Ios. 24. 1. Reg. 2. Quæ ergo nobis iniuria fit, si à cõmuni omniũ sorte non eximimur? Quoad uerò amicos, uxores, liberos, hos quoq; in morte non amittimus, sed uel præmittimus ipsi mox secuturi, uel secuturos præcedimus in eum locum, ubi patriam nobis Christus parauit, & ubi omnes omnium nationum fideles cum Abrahamo, Isaaco & Iacobo discumbent. Matth. 8. Eorum autem, quos hic relinquimus, tutor & patronus deus est, quem uiduarum & peregrinorum protectorem, orphanorum uerò patrem scripturæ uocant. Psalm. 68. Huius ergo curæ cõmendari debent, nos uerò inuicta fidei constantia uiam hanc, qua per Christum ad cœlos tenditur, ingredi debemus, &c.

Paulus mortem suam prædicit.

Postremò protestationem grauissimam Paulus adhibet, qua omnem perditionis culpam in ipsorum capita reijcit, si ecclesias suæ fidei cõmissas negligant, & à fide deficere patiantur. Contestor uos (inquit) hodierno die, quod mundus ego sim à sanguine omnium. Causa: Quia non subterfugi, quò minus annunciarem uobis omne consilium dei. Haud dubiè uerò ad dei uerba respicit, quæ Ezechielis 3. & 33. cap. leguntur, quibus pereuntium sanguis uerbi ministro imputatur, nisi disertè illos monuerit, idem uerò omni culpa liberatur, si officio suo fideliter defunctus fuerit. Id quia Paulus fecerat, tanquam bene sibi conscius, ista dicit. Simul autem maximorum uirorum exempla imitari uidetur, Mosis nimirum & Iosuæ, quos non multum dissimilibus protestationibus iam morituros usos fuisse legimus. Vide Deut. 30. Ios. 24. Docet autem Pauli exemplum, corã deo excusatos esse, qui suum officium faciunt, licet nihil aut parum apud suæ curæ commissos homines proficiant. In ijs enim hæret interitus culpa, qui incurabiles esse pergunt. Nec ad solos uerbi ministros, uerumetiam ad omnes alios ordines doctrina hæc referri debet. Et in magistratibus quidem hanc locum habere, Iosia exemplum docet, quem spiritus sanctus egregiè cõmendat, licet multos haberet in regno, imò etiam in aula sua, parum synceros, multos etiam palàm impios & incurabiles, quemadmodum Sophoniæ prophetæ Sermones testantur. Eadem parentum ratio est. Frequẽter enim fieri solet, ut degeneres liberos habeant pijssimi parentes, quibus tamen illorum improbitas fraudi non est, quando ipsi suo erga hos officio non desunt. Exempla in Iacobi patriarchæ & Dauidis aliorumq́ similium

Pauli protestatio.

filijs habentur. Quòd si uerò uel magistratus uel parentes, officij sui immemores, nimia indulgentia, aut etiam prauo exemplo suæ fidei creditos corruperint, iam in ipsos quoque diuini iudicij sententia redundat, cuius exemplum in Heli scriptura proponit. 1. Sam. 2. 3. & 4. cap. Habes ergo quod illis respondeas, qui cessandum putant, ubi nulla profectus spes apparet. Obijcitur hoc hodie tum ministris tum magistratibus, & hoc ipso argumento ignaui sibijpsis blandiri solent. At cogitabis, tuam quoq; animam periclitari, quæ non aliter quàm fideli industria liberari poterit: quam si liberaueris, næ te in cassum laborauisse nequaquam putare debes. Patet præterea ex hoc loco, quàm infelix illorum sors sit, qui cum officio suo probè functi sint antecessores, ipsi uel ignaui relabuntur, uel etiam aperta malitia corrumpunt quæ ab illis benè constituta fuerunt. In his enim omnis interitus culpa hæret, nec ullam coram deo excusationem habent, quando ab ipsorum sanguine mundi sunt, qui illorum curam antea gesserunt. Debet hoc in ecclesijs nostro seculo per dei uerbum reformatis obseruari. Constitit in his reformatio magnis laboribus simul & periculis. Quam ergo excusationem habebunt leues apostatæ, quando uel solus ministrorum puluis illis conuincendis sufficit, ut alibi monuimus? Idem in repub. obseruari necesse est. Habemus in Heluetia libertatem maiorum sanguine redemptam. Conditæ sunt ex euangelij doctrina bonæ leges, & morum disciplina non sine laboribus instituta. O miseros ergo nos & quauis pœna dignos, si uel ignauo metu superati, uel leuitate & malitia circumuenti, illa nobis eripi patiamur, ex quibus publica salus dependet. Ita liberos inexcusabiles reddit fidelis & industria parentum cura, si illi huic minus respondeant. Deniq; omnium est hæc obseruare, ne dum sibijpsis blandiuntur, in alios culpam transferant, quæ in illis tenaciter hæret. Est præterea obseruatione dignum, quod Paulus omne dei consilium annunciarit, nimirum quoad nostræ redemptionis & salutis negotium. Scimus alioqui multa esse in dei prouidentia, quæ nos scrutari non licet, nec linguis enunciari possunt, qualia se in tertio cœlo Paulus audiuisse testatur. 2. Corinth. 12. At eorum, quæ saluti nostræ seruiunt, nihil omisit: quando huius causas simul & rationem, deinde eorum etiam qui saluantur officia fidelissimè tradidit. Vnde rursum colligimus, apostolorum doctrinam, quæ scripturis continetur, perfectam & omnibus numeris absolutam esse. Quare nimis temeraria est illorum uanitas, qui hominum traditiones ecclesiæ obtrudunt, quarum maxima pars cum apostolorum doctrina apertè pugnat, qui unum Christum nobis saluatorem tradiderunt. Nec enim fieri potest, ut eundem authorem habeant dei spiritum, quæ tam apertè inter sese mutuò dissident. Postremò obseruabis, quòd licet omne dei consilium Paulus Ephesijs coràm annunciarit, postea tamen ad eosdem epistolam scripsit, qua hoc ipsum denuo exponit. Docemur illo exemplo, quanta à ministris ecclesiarum publicæ salutis ratio & cura haberi debeat, & quàm parum apostolici sint, qui ecclesias tam facilè negligunt. Discamus interim dei consilium, quod in Christo Iesu per apostolos nobis reuelatum est, uera fide & obedientia amplecti, ut illud secuti salutem ueram assequamur, per eundem Iesum Christum, dominum & saluatorem nostrum unicum: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CXXXV.

Attendite ergò uobisipsis & cuncto gregi, in quo uos spiritus sanctus posuit Episcopos, ad pascẽdam ecclesiam dei, quam acquisiuit sanguine suo. Ego enim hoc noui, quòd ingressuri sint post discessum meum lupi graues in uos, non parcentes gregi. Et ex uobisipsis emergent uiri loquentes peruersa, ut abducant discipulos post se. Propter quod uigilate, memores, quòd per triennium nocte & die non cessauerim cum lachrymis monere unumquenq;. Et nunc commendo uos fratres deo, & sermoni gratiæ ipsius, qui potens est superstruere, & dare uobis hæreditatem inter anctificatos omnes.

CVm deo nihil charius & præstantius sit Ecclesia, quam Christi sanguine acquisiuit, eiusdem conseruationi omnes homines studere decet, quotquot dei cultores & amici haberi uolũt: cumprimis tamen ad uerbi ministros ea cura pertinet, eò quòd hos ecclesiæ suæ peculiari ordinatione deus

præficit,

possidet, & ab ijsdem olim suæ dispensationis rationem exiget. Quæ causa est, ob quam Paulus apostolus, Asiam relicturus, ecclesiarum ministros conuocauit, & in horum publico conuentu diligentissimè de omnibus disseruit, quæ ad muneris ipsis commissi administrationem pertinebant. Et primò quidem suum exemplum illis ob oculos posuit, deq; suo discessu cum grauissima protestatione locutus est, vt sibi posthac solis omnem ecclesiarum curam incumbere scirent, & proinde maiori studio & zelo flagrarent. Porrò præmissis istis propius accedit, apertius illos sui officij admonens, rationibus simul grauissimis in medium adductis, quibus illos magis extimulet.

Principio autem paucis summam rei proponens, ait: Attendite vobisipsis & cuncto gregi. Attendendi autem voce summum studium illis commendat, ne se in suo munere obiter & quasi aliud quiduis versari posse existiment, sed cura & circumspectione sibi opus esse intelligant. Et quidem duo proponit, quibus intenti esse debeant. Primum, Attendite vobisipsis, inquit. Illud verò iubet, ne sese exemptos putarent, sed hic non minus propriam ipsorum, quàm aliorum salutem periclitari intelligerent. Et vt vix credibile est, eos aliorum salutem seriò curaturos esse, qui propriæ negligentes fuerint: ita extra periculum esse non possunt, quicunq; in sublimi gradu constituti, omnium aliorum vitam & mores & studia inspicere ac gubernare debent. Nam aut gloriæ studio elati exorbitabunt & in præceps ruent, aut iniquis de se hominum iudicijs offensi abripientur. Non temere ergo, vt sibiipsis attendant, monet. Atqui hic quidem duorum maximè curam pastores habere conuenit. Alterum doctrina est, in qua absq; manifesto damno errari non poterit. Vt ergo illa vera sit, ex dei ore petatur, qui per scripturas nobis loqui solet, & eandem prudenter secando præsentibus locis & temporibus ritè accommodent, vt ædificationi omnia seruiant. Id verò quia non parui momenti negotium est, indefesso scripturæ sacræ studio & lectione assidua opus erit, vt alibi idem Paulus monet. 1. Timoth. 4. 2. Timoth. 3. Alterum vitæ ratio est, quam in ministris optimè institutam, adeoq; irreprehensibilē esse oportet, ne quod doctrina ædificatur, malo exemplo destruant, néue propter ipsos doctrina simul & religio vilescat, quemadmodū olim sub filijs Heli & improbis sacerdotibus è Babylone reuersis, accidisse legimus. 1. Sam. 2. Malach. 1. & 2. Ne quid verò tale fiat, non suarum modò personarum, sed totius etiam familiæ rationem ministros habere necesse est. Quomodo enim ecclesiam dei administrabit, qui propriæ domui præesse nequit? 1. Timoth. 3. Tit. 1. Deinde secundo loco totius gregis curam ipsis commendat, in qua parte multis insistit, vt audiemus. Gregis autem vocabulo ecclesiam designat, prophetas nimirum & ipsum Christum imitatus, qui eadem allegoria non rarò vsi sunt. Estq; peropportunus huius vocabuli vsus, eò quòd omnes omnium ordinum homines significanter cōprehendit, vt domus & familiæ voces, quibus alibi ecclesia designari consueuit. Nam ministros simul & populum sui officij istæ voces admonent. Discunt enim illi, ad se omnium hominum curam pertinere, nec licere sibi vt quenquam negligant, siue ille doctus siue indoctus, nobilis aut obscurus, diues aut pauper, herus aut seruus fuerit: quin cogitandum illis est in magna domo varia & diuersa vasa esse, quorum omnium legitimam & conuenientem curam à famulis geri vult paterfamiliâs. Rursum auditores discunt, omnes in vniuersum homines, cuiuscūq; loci siue ordinis fuerint, verbi ministerio & disciplinæ subiectos esse debere, nec immunem esse aliquem, qui saltem inter diuini gregis oues & dei domesticos censeri voluerit. Notum enim est illud, quod Ieremiæ dicit dominus: Ecce ego facio te ciuitatem munitam, columnam ferream & murum æneum contra omnem terram, contra reges Iuda, contra principes eius, contra sacerdotes, & contra vniuersum populum terræ. Ierem. 1. Non temere ergo omnium ordinum homines olim prophetæ sibi reprehendendos & admonendos esse putauerunt, vt illorum sermones testantur. Quos Iohannes Baptista imitatus, non modò ignobile vulgus, sed simul etiam publicanos, milites, scribas, sacerdotes sui officij grauissimè admonuit, imò Herodi regi dicere ausus est: Non licet tibi vxorem fratris tui habere. Fecit hoc ipsum Christus, mansuetissimus alioqui mortalium, quiq; inter fratres hæreditatem diuidere noluit, ne quid à suo officio alienum faceret. Idem apostoli fecerunt & horum successores, quorum labores & studium hodie adhuc ecclesia veneratur. Nimis ergo crassa illorum stoliditas est, nimiumq; effrænis contumaxq; rebellio, qui immunitatem quandam sibiipsis vendicantes, rerum suarum curam ad verbi ministros pertinere negant.

Ministri sibi ipsis attendāt.

Ministri attendant uniuerso gregi.

Quia autem in difficilibus & periculosis functionibus carnem cunctatricē rationibus vrgeri ne-

cesse est, illas quoque Paulus adhibet, & initiò quidem multas simul paucis verbis complectitur. Nam attendite (inquit) gregi, in quo vos spiritus sanctus posuit Episcopos, ad pascendum ecclesiam dei, quam acquisiuit sanguine suo. Primò ministerij sui authorem deum allegat, vt doceat ipsos non sui iuris esse, sed in dei negotio versari, cui aliquando rationem reddituri sint, quemadmodum in talentorũ & dispensatoris parabolis Christus docet. Matth.25. Luc.16. Spiritus sancti verò nominatim meminit, quia per hunc ecclesiam suam Christus potißimùm administrat, sicut primo & secundo huius libri cap. vidimus. Estq; hæc grauis omnino ratio, si cogitemus nos ei rationem reddituros esse, quem nihil latere potest, & qui quo animo & qua fide singula à nobis fiant, intuetur: quiq; non iudex modò, verumetiam testis velox erit aduersus omnes qui excusso eius timore officium negligunt: sicuti ipse apud prophetam minatur. Malach.3. Nec solos verbi ministros, verumetiam omnes alios, qui suæ vocationis & conditionis authorem deum habent, hæc ipsa ratio extimulare debet. Meminerint magistratus, se à deo in sublimem illum eminentiæ gradum subuectos esse, & hunc in illorum consessu aßistere, nec impunè laturos, si officium suum negligant. Psal.82. Meminerint heri & domini se quoque in cœlis herum habere, cui rationem reddere cogentur. Ephes.6. Meminerint coniuges sui ordinis authorem esse deum, qui ut coniugalem thorum honorificum facit, ita adulteros & scortatores graui iudicio punire solet. Hebr.13. Ita parentes cogitent à deo sibi demandatam esse liberorum suorum curam, & proinde hos absq; manifesto perfidiæ crimine negligi non posse. Ita serui & subditi quiuis suis heris & principibus non modò pœnæ metu, sed propter conscientiam obedire discant, eò quòd deus ipsos horum imperio subiecerit, cuius oculos nunquam fallent, licet homines fallant.

1. Ministri à deo ordinati.

2. Finis ministrorum est pascere.

Hinc verò sui officij finem illis ob oculos statuit, dum ipsos à spiritu sancto Episcopos positos esse dicit, ad pascendum dei ecclesiam. Alludit autem ad Ezech.3. & 33.cap. vbi prophetæ Episcopi sunt Speculatores dicuntur. Ne verò in nuda & inani speculatione suum officium consistere putarent, pascendi verbo vtitur, vt se pastores esse meminerint, & proinde pastorum officijs fungantur. Exprimuntur hæc partim ab ipso Christo apud Iohannem 10. cap. partim Ezech.34. Bonus enim pastor in pascua læta oues deducit, illas fidi ducis instar præcedit, perditas quærit, propulsatam reducit, contritam animo & conscientia obligat, infirmam roborat, pinguedine nimia ferocientes coercet, lupos fortiter oppugnat, atq; omnia hæc cum iudicio & circumspectè agit. Horum omniũ Ephesios siue Asianos ministros Paulus admonet, dum illos ad pascendum constitutos esse ait. Vtinam verò horum meminissent nostri seculi episcopi, qui cùm nihil horum, omnia verò his contraria faciant, impudenti tamen insolentia non episcoporum modò titulos, verumetiam manifestam in ecclesiam tyrannidem sibi vendicant, & contra Christi præceptum instar mundi huius principum regnum obtinent. Sed quid illos maneat, vide Ezech.34. & Zach.11.cap.

3. Ecclesiæ dignitas.

Tertia ratio ab ecclesiæ dignitate sumitur, quæ in eo elucet, quòd illam deus suo sanguine acquisiuit. Deo autem sanguinem tribuit per idiomatum cõmunicationem: eò quòd qui ab æterno Deus est, Christus Iesus, præfinito tempore homo factus, ecclesiam sui sanguinis pretio redemit. Non potest ergo non illi charißima esse, & sanguinis Christi reatu sese polluunt, quicunq; ecclesiam negligentes huius fructum vel ipsi abolent, vel saltem perire & intercidere patiuntur. Obseruabis autem, ecclesiam non alicuius hominis, sed dei esse, qui suo sanguine acquisitam & mundatam sibijpsi despondit. Vide Ephes.5. Vt ergo nemo sibijpsi temere in dei sponsam dominium vendicare debet: ita singulis, qui huius membra esse volunt, curandum est, vt soli deo cõsecrati, in nullius Creaturæ verba iurent, ne execrabilis fornicationis pœnas luant. Simul verò hoc ipsum consolationi seruire debet, quia illos à deo negligi impoßibile est, quos tanto precio redemptos voluit. Vide 1.Pet.1. Eandem autem omnium Christianorum rationem coram deo esse intelligas. Vt enim singuli horum ad dei imaginem creati, ita filij dei sanguine redempti & acquisiti sunt. Num ergo te impunè laturum putas, si quem illorum conuiciaris, iniurja afficis, violenter lædis, contumeliose fastidis, aut etiam in religione sua vitæ conuersatione offendis? Lege quæ ad hunc locum mirificè pertinent à Paulo tractata ad Rom.14. & in priori ad Corinth.8.cap.

4. A necessario.

Quarta ratio necessitatis est. Docet enim necessariam omnino fore diligentiorem ecclesiæ Christi curam, eò quòd horrenda ex lupis siue falsis doctoribus pericula immineant. Licet enim pastori in-

terdum

terdum somnus & otium concedatur, quando nimirum nulla periculi suspicio subest, nullus tamen nobis otio vel somno locus est reliquus, vbi luporum ululatus exaudiri & illorum agmina conspici incipiunt. At ego noui (inquit Paulus) post meum discessum graues lupos exorituros, qui nulla gregis misericordia tangentur: imò ex uobis ipsis prodibunt, qui simplicem veritatis doctrinam miserè peruertent, in hoc potius intenti, vt sibijpsis discipulos colligant, quàm Christo, cuius gloriæ soli studere debebant. Nouerat autem tales exorituros esse Paulus, nimirum peculiari spiritus reuelatione admonitus. Nam alibi de falsis doctoribus vaticinaturus, spiritum oraculi authorem facit. 1. Tim. 4. Cæterum obseruemus hoc loco dei fidelem curam, qua is ecclesiæ suæ rebus prospicere consueuit. Versatur hæc ceu grex inermis in medio luporum. Sed ita deo curæ est, vt non de præsentibus modò, verum etiam futuris periculis illam diligenter admoneat. Extant enim prophetarum de Antichristo & Antichristianis doctoribus oracula. Christus quoque de nouissimis temporibus disserens, eosdem ita describit, vt sciens volensq́ pereat, quisquis illis fidem habet. Apostolorum verò scripta eiusmodi premonitionibus passim plena sunt, quas breuitatis causa omittimus. Interim tamē docemur, quàm delirent, qui hodie nudam veritatis doctrinam simpliciter tradi volunt, interim verò ecclesiam de imminentibus periculis admoneri, & lupos argui non volunt, eò quòd hos pastorum clamoribus magis irritari & ferociores reddi videant. Quasi verò lupos cicurare aut si nemo illis negotium faciat, naturam mutare possibile sit, & non hic potius finis pastoribus propositus sit, ut oues à luporum insidijs sibi cauere discant. Quàm verò ridiculū fuerit, apostolos de venturis lupis nos admonuisse, si hodie in ecclesia grassantes nemo arguere debet? Deinde obseruemus, quod lupos hos post suum discessum demum venturos dicit. Solent enim fidelium ministrorum præsentia terreri, & eorundem cura & industria coherceri, quò minus irruptionem faciant. At quia hanc mundus ingratus ferè indignè æstimat, permittit deus, vt fidelibus ministris sublatis, lupi effrænum equorum instar in gregem totum effundantur. Nec exempla desunt, quibus hoc abunde probari poterat. Discamus igitur, quanti à nobis fieri debeant fideles & industrij cùm ecclesiarum tum rerumpub. antistites, quorum obitus ferè ingentium malorum & publicarum calamitatum sunt præsagia. Tertiò falsorum doctorum descriptionem, & quæ horum omnino ratio sit, videamus. Lupos vocat apostolus, idq́ iuxta Christi exemplum, quem eodem nomine illos appellauisse. Matth. 7. Iohan. 10. Ita verò dicuntur, tum quod natiuo odio gregis Christi laborant, tum quòd insatiabili auaritia & rapacitate ecclesiam dissipare solent. Inde autem vnde tales emergant, docet. Ex vobisipsis (inquit) prodibunt. Ita Iohannes ait: Ex nobis egressi sunt, &c. 1. Iohan. 2. Et Paulus Antichristi sedem in ipsa ecclesia nobis monstrat. 2. Thess. 2. Prodest hoc diligenter obseruauisse, ne leuissimorum hominum apostasia offendamur, quando repentè veritatis hostes fieri conspicimus, qui paulò antè huius propugnatores strenuissimi videbantur. Quid enim hoc noui est, quando Iudas quoque inter apostolos aliquandiu locum habuit, & Paulus ex illis ipsis lupos emersuros esse nouit, quibus ecclesiam tanta fide commendat? Simul autem confutatur his stolida & inepta Romanorum Pontificum gloriatio, qua hodie maximè nituntur. Nam fieri non posse putant, vt eius ecclesiæ antistites errent, quorum continua ab ipsis apostolorum temporibus successio numeratur. Vt enim hoc illis demus, Petrum & Paulum Romanos episcopos fuisse (quod tamen nunquam probabunt) num verò illorum successores errare potuisse negabunt? Atqui Pauli successores apud Ephesios fuerunt lupi isti graues, à quibus cauendum esse monet. Sed vt meris laruis Papatus consistit, ita laruatis quoq; argumentis illius maiestatem breui ruituram defendi oportet. Præterea doctrinam horum attingit, dum illos peruersa & distorta locuturos dicit. Est enim simplex & recta veritatis oratio, quam falsi doctores suis figmentis peruertere, intricare & ita agendo omnia incerta reddere consueuerunt. Porrò finis horū est, vt post se discipulos abducant. Sectis ergo ecclesiam scindunt, quod fore Petrus quoq; prædixit. 2. Pet. 2. Atqui non frustra hæc Paulum monuisse, historiæ testantur. Nota enim sunt hæreticorum agmina, quæ ecclesias per totum orbem miserrimè turbauerunt. Et si hæc ipsa cum nostris temporibus conferas, non minus necessariam nobis hodie esse patebit Pauli admonitionem, quàm olim fuerit. Ex ecclesia enim quotidie prodeunt graues illi lupi, qui eò impudentiæ iam progressi sunt, vt non amplius ouium pellibus sese velare studeant, quin potius purpureo colore sanguinis Christiani sitim, & satellitum armorumq́ strepitu tyrannidem publicè profitentur. Per hos infinitis erroribus & La

Falsorum doctorum ratio.

byrinthis intricata & quasi sepulta iacet veritatis doctrina. Et ijdem in sectas sexcentas ecclesiam, quæ vnica esse debebat, sciderunt, quarum singulæ propriam fidem & religionem nomine, habitu, ceremonijs & ritibus testantur. Expergiscamur ergo ô fratres, & lupis istis obuiam progressi caueamus, ne mercenarij potius quàm veri pastores esse deprehendamur.

5. Ab exemplo. *Sed Paulum audiamus, qui suum exemplum denuo inculcans (quod quintum argumentum est) illos grauissimè hortatur, dicens: Quapropter vigilate, memores, quòd per triennium noctes & dies non cessauerim cum lachrymis monere unumquenq;. Triennij verò meminit, ne ipsi sese longo & continuo labore defatigari patiantur. Turpe enim foret labores & pericula subire nolle, quæ tantus Christi apostolus subire non recusauit. Nec leuis illorum culpa esse poterit, qui apostolorum laboribus & sanguine collectas ecclesias sua negligentia dissipant. Porrò ut ministros apostolorum exemplum imitari decet, ita eorundem vestigijs singuli Christiani insistere debent, quatenus illi Christi imitatores fuerunt, sicuti ipse Paulus admonet, cùm ait: Imitatores mei estote, sicuti ego Christi sum. 1. Cor. 11. Atqui hic demum legitimus Diuorum cultus est, non ille, qui in adoratione & inuocatione consistit, quam uni deo deberi omnis scriptura docet.*

6. A facili & utili. *Sextò à facili & utili argumentatur, vt ijs occurrat, qui muneris difficultate & vndiq; imminentibus periculis absterrebantur. Et vt magis pathetica sit oratio, Imprecationis forma vtitur, cùm ait: Et nunc cõmendo vos fratres deo, & sermoni gratiæ ipsius, qui potens est superstruere, &c. Quasi dicat: Scio ardui laboris opus esse quod exigo, & humanis viribus impar. Atqui non illud humana virtute confici oportet. Dei hæc agricolatio, dei hoc opus est. Ille fundamentum iecit. Idem ergo superstruere poterit, nec illi difficile erit vestra ad eam rem opera vti. Illo igitur auxiliante facilè omnia superabitis. Aderit vobis suo spiritu, & verbo gratiæ suæ, quod licet in speciem vile sit, penetrat tamen, & quouis gladio ancipiti acutius ferit. Idem ille deus digna tantis laboribus & periculis præmia iam præparauit, hæreditatem nimirum regni sui, in qua inter sanctificatos eius instar astrorum & firmamenti fulgebitis. Vide Dan. 12. Sunt hæc imis animis recondenda, ô fratres. Vt enim mirificè consolantur, ita docent, quæ ministrorum ecclesiæ arma & vires sint. Arma militiæ nostræ spiritualia sunt, inquit Paulus. 2. Corinth. 10. Sunt hæc dei spiritus & verbum, adeóq; ipse deus. Quem ergo timeant? Aut quis se illis opponere poterit? His armis potius pugnemus, quàm mundi amicitijs, fœderibus & carnis prudentia, quorum omnium nullus, aut perquàm exiguus, in regno dei prouehendo vsus est. Discimus præterea, ad sanctificatos solos regni cœlestis hæreditatem pertinere. Sunt hi, quorum corda fides mundauit, & quos Christus sui sanguinis precio patri deo consecrauit. Iidem spiritu dei animati, officium suum sedulò faciunt, & per quæuis pericula ad hæreditatem illam acerrimè contendunt, cuius spem inuictam & infallibilem esse norunt, eò quòd dei filio nitatur, domino nostro Iesu Christo: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.*

HOMILIA CXXXVI.

Argentum & aurum, aut uestem nullius concupiui. Imò ipsi scitis, quòd usibus meis, & ijs qui mecum sunt, suppeditauerunt manus hæ. Omnia ostendi uobis, quòd sic laborantes oportet suscipere infirmos, ac meminisse uerborũ domini Iesu: quoniam ipse dixit: Beatum est dare potius quàm accipere. Et cùm hæc dixisset, positis genibus suis, orauit cum omnibus illis. Magnus autẽ fletus coortus est omniũ: & ruentes in collum Pauli, osculabãtur eum, dolentes maximè ob sermonem, quem dixerat, quòd amplius faciem eius non essent uisuri. Et deduxerunt eum ad nauem.

QVoniam Paulus apostolus in celebri ministrorum Asiæ conuentu de ecclesiæ administratione differens, ex illis ipsis, quibus cum agebat, graues lupos exorituros esse prædixit, qui peruersis doctrinis gregem Christi miserè turbent, commodè simul & prudenter vltima suæ concionis parte docet, quid potissimum cauere debeant, si in eiusmodi lupos degenerare nolint. Solam verò auaritiam

auaritiam illis fugiendam esse monet, eò quòd hæc omnium malorum radix est, nec quicquam integrum esse patitur, si antistitum animos semel obsederit. Nam religionem quæstum ducens, facit ut illis sacra omnia venalia sint, quæ simul causa est, quòd verbi doctrinam humanis traditionibus vitient, mundi fauorem & amicitiam venantur, ad scelera publica conniuent, & omni deniq; corruptioni fenestram aperiunt. Exemplo nobis esse possunt Iudæorum sacerdotes, in quibus hunc omnis corruptionis fontem Christus maximè reprehendit. Non temere ergo Paulus alibi monet, ne turpis lucri amantes sint episcopi, & in præsenti de hoc malo grauissimè disserit. Vt enim maior esset suæ admonitionis authoritas, suo exemplo illos vrget, docens quid ipse in Asia versans egerit, & sui facti causas ac rationes grauissimas allegat.

Aurum & argentum, aut vestem nullius concupiui, inquit. Quibus verbis testatur, se nequaquam studuisse, vt ex illis ditesceret, quãdo quæ illi ad viuendum necessaria erant, nec cupierit quidem ex illis habere, nedum acceperit. Ita verò docet, ecclesiarum ministros à cupiditate etiam opum coaceruandarum alienissimos esse debere, eò quòd qui ditescere volunt, diaboli & tentationum laqueos nunquã effugient. 1. Timoth. 6. At ne quis exciperet: Vnde ergo tibi victus obtigit, ô Paule? mox subiungit: Ipsi scitis, quòd vsibus meis, & ijs qui mecum sunt, suppeditauerunt manus hæ. Tentoriorum enim textor erat, quo artificio illum Corinthi quoq; sibi victum parauisse, supra audiuimus. Obseruabis autem hoc loco apostolorum modestiam, qui suo potius iure cedere, quàm alicui onerosi esse voluerunt. Qua de re plura in posteriori ad Thess. cap. 3. & secunda ad Corinth. cap. 11. est videre. Eiusdem modestiæ exemplũ in Samuele etiam habetur, qui in frequentissimis totius populi comitijs de hoc ipso gloriari audet, cuius hic Paulus meminit. 1. Samuel. 12. Docent autem exempla hæc, quo spiritu agantur, quicunq; vel in ecclesia vel repub. suis duntaxat commodis inuigilant, nec contenti necessarijs, ex egentium sudore delitias quoq; & voluptates quærunt.

Ab auaritia suo exemplo dehortatur.

Porrò causas sui facti diligentius reddit, ne suum exemplum communi & publico ministrorum iuri præiudicaret siue officeret. Nec eam Paulo mentem fuisse satis constat, vt nefas esse putaret, quod ipse Christus instituit, ut nimirum ex euangelio uiuant, qui euangelio seruiunt: imò hoc quàm maximè licere, cùm scripturæ authoritate tum rationibus è naturæ lege petitis alibi copiose probat. 1. Corinth. 9. Adhæc se à Macedonibus pecunias accepisse fatetur, vt Corinthijs gratis inseruire posset. 2. Corinth. 11. Longè alia ergo Paulini consilij ratio fuit, ea nimirum, quòd infirmos assumere, id est, illis indulgere voluit, & reliquos omnes docere, ne religionem quæstum ducentes, illam suspectam facerent, quin potiùs gratuito ministerio & omni officiorum genere se suamq; doctrinam passim omnibus commendarent. Ineptissimè ergo Pauli exemplum ad generalem doctrinam hodie detorquent quidam malè feriati homines, qui verbi ministros non ad textoriam modò, verumetiam ad stiuam & porcos vsq; ablegatos volunt: quando satis constat, apostolos suo iure liberè vsos fuisse, vbi nulla metuenda fuit offendiculi occasio. Quòd si autem Paulum Ephesi & Corinthi stipendio ecclesiastico ideò abstinuisse dicunt, quòd illud exigere simpliciter nefas & iniquum sit, respondeant velim, quo iure idem Paulus à Philippensibus stipendium, imò pecuniarium subsidium sumpserit, quando non ipsis, sed Corinthijs, prædicabat? Quòd si illorum liberalitate uti ipsi licuit, quantò æquius erat ab illis stipendium sumere, quibus assidua doctrina seruiebat? Constat ergo, Paulum suo iure cessisse, ne vel infirmis offendiculum, vel improbis calumniandi occasionem præberet. Et vt laudem meretur Pauli modestia: ita acri reprehensione digna est tum Ephesiorum tum Corinthiorum ingratitudo, qui apostolum manuum suarum labore victitare passi sunt, qui se suosq; labores omnes solis ipsis impendebat.

Quare debitũ sibi stipendium Paulus non exegerit.

Cæterum vt maior esset sui exempli authoritas, & inde simul generalis doctrina decerpi posset, Christi dictum allegat: Beatum est dare potius quàm accipere. Atqui non extant in Euangelistarum scriptis huius sententiæ verba, extant tamen similes multæ, ex quibus ista clarissimè colligi potest, quando passim nos ad charitatis officia Christus hortatur & ad conferenda potius alijs quàm recipienda beneficia suos paratos esse vult. Deinde satis constat, non omnia tum dicta tum facta Christi literis mandata fuisse, sed ex multis ea, quæ ad nostræ fidei institutionem & salutis rationem nobis abunde sufficere poterant. Est autem altius nobis inquirenda huius dicti ratio, nec in nudo cortice hærendum, vt ideò beatius nobis videatur dare quàm accipere, quòd dando tum fortuna-

Beatius est dare quàm accipere.

rum nostrarum & facultatum abundantiam, tum animi liberalitatē cum laude testemur, & alios nobis obstrictos reddamus. Istæ enim rationes humanæ gloriæ studium & culinæ nidorem sapiunt, quibus ethnicos quoq; olim ad beneficentiæ studium accensos fuisse legimus. Christianis verò hominibus longè alijs rationibus beneficentiam tantopere Christus commendat. Primò enim beatius est dare quàm accipere, quia quid faciunt fideles bonorum, quæ illis deus credidit, œconomi siue dispensatores sunt. Constat enim deum inæqualitatem fortunarum non temere hominibus imposuisse, sed ideò alios alijs opulentiores facere, vt locum habeant charitatis officia, adeoq; diuites egenis quasi patronos & tutores datos esse, qui illos sua beneficentia adiuuent. At quomodo non potest non beatus censeri, qui in munere sibi diuinitus commisso fidelis fuerit? Deinde iuxta Solomonis dictum deo fœnerantur, qui egenis benefaciunt. Prouerb. 19. Is enim sibi datum iudicat quicquid in illos confertur, & remunerator est fidelis simul & liberalis. Quare fieri non potest, quin promissis stet, quibus ad beneficentiæ studium homines inuitat. Quales sunt: Beatus vir, qui spargit, & dat pauperibus. Huius iustitia manet in æternum, & cornu eius exaltabitur cum gloria. Psal. 112. Frange esurienti panem tuum, afflictos, extorres & egenos introduc in domum tuam, si videris nudum tege eum, & à carne tua ne te abscondas. Tunc erumpet velut aurora lux tua, & diuturnitas tua protinus germinabit, iustitia anteibit faciem tuam, & gloria domini colliget te. Tunc inuocabis, & dominus exaudiet: clamabis, & dicet: En me tibi, &c. Isa. 58. Postremò, quia nihil tam diuinum est quàm benefacere, non alia re ad dei naturam & similitudinem propius accedunt homines quàm benefaciendo quàm plurimis. Vt verò solus deus per sese beatus est, ita non alia beatitudinis ratio certior est, quàm deo simillimum fieri, id quod beneficentiæ Christianæ studium quàm maximè præstat. Quare etsi nulla in hoc mundo fiat beneficiorum compensatio, reuera tamen beatius multo est dare quàm accipere.

Monachismus euertitur. HAEC si propius inspiciamus, patebit quàm aliena à Christi doctrina sit omnis Monachorum religio, qui in accipiendo felicitatem omnem collocant, dum ijs, quæ vel legitima hæreditate vel iustis medijs obtigerunt, renuntiantes, voluntariā paupertatem vouent, & aliorum laboribus viuunt, qui potius alijs victum & amictum subministrare debebant: sicq; sub plausibili voluntariæ paupertatis prætextu securè delitiantur, nullis quodammodo, vt reliqui mortales, fortunæ casibus obnoxij.

Paulus concionem precibus claudit. Sed ad Paulum redeamus, qui Synodicam concionem precibus publicis concludit. Mox enim positis genibus suis orauit cum omnibus illis. Quia enim à solo deo incremētum dari nouerat (quemadmodum alibi monet) precum obliuisci non potuit, maximè in causa tam graui, ex qua ecclesiæ salus omnis dependebat. Atqui hinc vetus ille & celebris mos ecclesiæ fluxit, quo sacræ conciones à precibus inchoari & ijsdem finiri consueuerunt, quas quicunq; negligunt, abunde testantur, se ad conciones curiositate potius quàm vel gloriæ dei vel propriæ salutis studio confluere, quales sunt quorum descriptio apud Ezechielem cap. 33. ponitur. VT verò exemplum hoc preces commendat, & quidem publicas maximè, quas ardenti mentis deuotione fieri oportet: ita in ijsdem gestuum quoque piam modestiam, qua animi sensus testemur, obseruare docet. Inter hos vetustissimus habetur, quod aut genibus positis aut toto corpore humi prostrato sancti orant, ita sese ad humilitatem componentes. Iidem manus ferè in cœlum expandere solent, vt & animi desyderium ardens exprimant, & fidem testentur, qua se petita accepturos esse, firmiter credunt. Cauendum tamen, ne inani gesticulatione animos prophanos tegamus, vel ne manus sanguine pollutas, eleuemus. De utroq; vitio vide Isa. 1. & 29. cap.

Pij discessu Pauli dolent. Omnibus verò istis Pauli ab Asia discessum Lucas subijcit, in quem duo potissimùm incidunt. Primò fletum magnum exortum fuisse, ait, & quidem inter illos, quos non omnino occultè Paulus perstrinxerat. Sed non quid priuatim unumquenq; mordere possit, sed publicam ecclesiarum salutem respiciunt. Dolent ergo ecclesiam tanto organo priuari, & dolorem fletu, complexu & osculis testantur. Est uerò perquàm iucundum hoc mutuæ charitatis exemplum, qua ministros & ecclesias simul certare conuenit. Amauit hos Paulus mirum in modū, vt tota eius vita testatur. Vicissim ergo illi suum apostolū vt patrē amant atq; venerantur. Vbi mutuus hic affectus regnat, feliciter cedunt omnia. At qui suos antistites odio habent, ferè infelicissimi sunt, vt in Israelitis, Mosen & Aaronem

Cōtra Stoicos. odio persequentibus, euidentissimè cernitur. Simul autem hoc loco Stoicorum indolentia damnatur.

Nesis

Nefas illi putant, si quis affectus alicuius indicium edat. Quasi uerò affectus per se mali & non potius nobis ex natura insiti sint, & non nostro demum uitio mali fiant, si quando excessus admittitur. Moderationem animi à nobis deus requirit, non autem homines in truncos aut lapides degenerare uult. Postremò ad nauem usque ab illis Paulus deducitur, quod honoris officium est, & ex charitate plerunque emanat. Docemur hic honore dignos esse, qui in dei gloria prouehenda strenuam operam nauant, uel alioqui officio suo probè funguntur. Rursum admonemur, deum nunquam permittere, ut inglorij uiuant quicunque tales sunt. Eius enim promißio est: Honorantes me honorificabo. 1. Sam. 2. Meminerint horum cum ecclesiarum ministri tum magistratus, ut suam authoritatem similibus studijs conseruare & propagare discant. Nos uerò mutuas operas ad ecclesiæ conseruationem conferamus, cælestis honoris olim consortes futuri cum Christo Iesu domino nostro: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

CAPVT XXI.

HOMILIA CXXXVII.

CVm autem factum esset, ut soluissemus auulsi ab eis, recto cursu uenimus Coum, & sequenti die Rhodum, & inde Pataram. Et nacti nauem, quę traijciebat in Phœnicen, ea conscensa soluimus. Cum autem cœpisset apparere nobis Cyprus, relicta ea ad sinistram, nauigauimus in Syriam, ac uenimus Tyrum: nã huc nauis exponebat onus. Repertisque discipulis mansimus ibidem diebus septem. Qui Paulo dicebant per spiritum sanctum, ne ascenderet Hierosolymam. Et expletis diebus, profecti ibamus, deducentibus nos omnibus, unà cum uxoribus & liberis extra ciuitatem usque: & positis genibus in littore precati sumus. Et cum inuicem ualedixissemus, conscendimus nauem: illi autem redierunt ad sua. Nos uerò nauigatione explicita à Tyro descendimus Ptolemaidem, & salutatis fratribus mansimus diem unum cum illis.

SPiritus sanctus apostolorum peregrinationes, laborum & periculi plenas, magna diligentia commemorat, ut ex his immensam erga nos dei bonitatẽ agnoscamus, qui electa sua organa & fidelißimos ministros nostræ salutis ergò tot laboribus atque periculis diuexari uoluit, & ut euangelij doctrinam, quam tot laboribus propagari oportuit, eò ardentiori studio complectamur. Atqui ad hunc finem huius etiam Capitis narratio referri debet, qua docetur, ut Paulus multa maria emensus per mille discrimina in Syriam, & inde Hierosolymam peruenerit, ubi à pijs quidem humanißimè exceptus, à seditiosis autem proditus & captus in Romani Tribuni siue Præsidis potestatem deuenit: quæ singula suo loco & tempore uidebimus. Habet autem imprimis præsens hic locus multa, quæ ad eius (quod modò diximus) illustrationem multùm faciunt. Quare aliquantò diligentius excutienda erunt, quæ primo intuitu nimis sterilia uidentur.

Primò autem, quo animo Paulus cum suis ab Asia discesserit, narratur. Soluimus (inquit) auulsi ab eis. Ita Christus ad montem oliuarum à discipulis auulsus fuisse dicitur. Luc. 22. Quo uerbo ingens animi dolor, ex discessu obortus, exprimitur. Et sanè nec paucæ nec leues doloris huius causæ erant. Amorem enim mutuum totius triennij conuersatio inter illos pepererat. Amoris argumenta non pauca extabant, quæ omnia recentes lachrymæ & communis ille omnium luctus in memoriam reuocauerant. Sciebat præterea Paulus se ad illos nunquam reuersurum, à quibus tantopere amabatur. Imprimis uerò animum ipsius angebat, quod lupis turbandas relinqueret ecclesias, tot abs se periculis & laboribus constitutas. Hæc (inquam) omnia ferreos quoque animos mouere potuissent. Ita enim parentes dolere uidemus, quando morte à liberis diuelluntur, quos sibijpsis per ætatem Paulus ab Asianis auulsus.

nondum consulere posse uident. Superat tamen dolorem animi omnem Paulus, ut diuinæ uocationi, quæ illum Hierosolymam trahebat, obtemperet. Quo exemplo admonemur, dei uocationem & uoluntatem omnibus affectibus anteponi debere. Nam ut affectibus per omnia careamus, quoad in carne hac uiuimus, impoßibile est, & hos in pijs quoq; locum habere constat. Sed moderatio adhiberi debet, qua illos fidei obedientiæ subijciamus. Et id quidem in omni casu obseruari debet, maximè quando per mortem à nostris diuellimur, uel à nobis diuelluntur, quorum consilio & ope plurimum iuuari poteramus. Cogitemus tunc nos dei uocatione urgeri, cui contradicere & reluctari ut nimis temerarium, ita stultum & periculosum fuerit.

Nauigatio Pauli longa & periculosa.

Secundò nauigationem Pauli longam Lucas describit, quam periculi & molestiæ plenam fuisse nemo dubitare potest. Locorum autem descriptioni non immoramur, quia hæc à Geographis petenda erit. Quia uerò tot nominantur loci, quos prænauigans Paulus nulla in illis mora tracta nobilitauit, argumento est, illum summam festinationis rationem habuisse, ut Pentecosten Hierosolymis agere posset. HIC tamen obseruandum uenit ardēs Pauli in commisso sibi munere studium & inuicta fides. Poterat enim in mundo (quemadmodum ipse fatetur ad Philippeñ. scribens) quietè & in honore uiuere, & non paruam eius inter Iudæos authoritatem fuisse, prior uitæ ipsius conditio abunde docet. Videbat præterea sibi Christum sequenti perpetuam laborum telam texendam, & innumera quotidie pericula subeunda esse. Hoc tamen uitæ genus, uocante & sic uolente deo, amplexus per omnia pericula constanti cursu euasit, & quæcunq; in hoc seculo uel lucrosa uel gloriosa ipsi esse poterant, pro damnis & reiectamentis duxit, tantummodo ut Christum lucrifaceret. Phil. 3. Quamuis illum spe cœlestis illius coronæ, quam sibi et omnibus pijs repositam esse nouerat, non mediocriter adiutum fuisse ipse testatur. 2. Tim. 4. Imitemur nos tanti apostoli exemplum, ne uel laboribus & periculis frangamur, uel mundi illecebris capti à Christo præscriptum uocationis nostræ cursum omittamus. Quid enim in mundo hoc stabile & perpetuum? Quid quod animi & carnis desyderia satiare poßit? Vnus deus omnisufficiens & summum bonum est, qui bonorum omnium thesaurum in Christo filio exposuit, in quo solo mentes hominum quiescere possunt. Qui ex hoc fonte biberit, non sitiet in æternum. Iohan. 4. Felices ergo & beati sunt, qui mundi umbratilem felicitatem cum hoc æternæ beatitudinis fonte permutare norunt.

Tyrum uenit Paulus.
Ecclesia Tyria

Tertiò illos tandem Tyrum appulisse, narratur, ubi multa nobis ordine consyderanda ueniunt. Inter quæ primum habetur, quòd Tyri discipulos, id est, Christianos aliquot fratres inueniunt, & tales quidem, qui fidei & charitatis officijs reliquos omnes, quorum hucusq; mētio facta est, superasse uidentur. Quod mirum uideri potest, si ueterem Tyriæ urbis conditionem, luxu, fastu, auaritia & libidine infamem, cum diris & horrendis contra hanc prophetarum oraculis consyderes. Quid? quòd Christus dominus urbium Galilææ ingratitudinem deuouens, illas cum Tyro & Sidone confert, in quas olim seuera admodum suæ iustitiæ exempla deus ediderat. Matt. 11. Attamen in ea quoq; urbe euangelij lux fulsit, & ibi ecclesiam insignibus donis celebrem Christus constitui uoluit. Elucet in eo dei ueritas, & eiusdem erga peccatores ad se cōuersos bonitas. Ita enim euenturum olim per Isaiam prædixerat: Exactis septuaginta annis uisitabit dominus Tyrum, reuertetur q; ad mercedem suam, & exercebit commercia cum omnibus regnis. Attamen negotiatio eius & merces eius sacrosancta erunt domino, &c. Isa. 23. Et Psalmo 45. ecclesiæ dicitur: Filia quoq; Tyri cum munere, & quiq; opulentiores populi faciem tuam precabuntur. Hæc (inquam) impleta fuisse præsens hic locus docet, quando illic Christianos fide & charitate ex animo flagrantes, Paulus inuenit. Estq; hoc memorabile bonitatis dei exemplum, quo docemur, ut nec de nobis ipsis, nec de alijs hominibus temere desperemus, quando in ea urbe ecclesiam sibi constituere uoluit deus, in qua cumprimis atrox iustitiæ suæ exemplum ob peccata olim editum fuerat.

Paulus, ne Hierosol. ascendat, monetur.

Deinde Paulum à Tyrijs fratribus per spiritum sanctum admonitum fuisse Lucas scribit, ne Hierosolymam ascenderet. Videtur id cum eo pugnare, quòd Paulus in Miletana Synodo se spiritu alligatum eò proficisci dixit. Sed facilis est locorum conciliatio, si Synecdochen, scripturis sacris familiarißimam, spectes: qua tota discipulorum horum oratio spiritui sancto tribuitur, qui tamen unius duntaxat partis reuerà author erat. Ex spiritus suggestione enim Paulum de uinculis & afflictionibus, quæ ipsum Hierosolymis manebant, admonuerunt. Consilium uerò de suo addiderunt,

ne eò ascenderet, quòd illi pio affectu consultum cuperent, dei autem consilium ignorarent. Frequenter enim fieri solet, ut prophetæ deo reuelante quid futurum sit intelligant, interim tamen consilium dei & eius finem prorsus ignorent, quæ causa est, quòd interdum suis consilijs aberrent, dum dei reuelatione non contenti, simul carnis quoq; prudentiam adhibent, cuius rei exempla in Iona & alijs quibusdam habetur. Interim obserua quàm uariè deus Paulum tentari uoluerit. Spiritu alligatum Hierosolymam trahit. Per singulas urbes & ecclesias ipsum uinctum & captū iri prædicit. Etiam accedunt, qui uaticinandi spiritu præditi, ipsum ne eò proficiscatur, monent. Quorsum uerò ista omnia? Voluit nimirum deus apostolum suum diutina meditatione ad crucem præparari, ne furentis populi clamoribus & multiuarijs hostium insidijs territus deficeret. Simul uerò nobis Christianæ constantiæ & obedientiæ exemplum proponit, cuius studium tantum tamq; firmum esse debet, ut ne ijs quidem obsecundemus, in quibus non uulgaria spiritus sancti indicia apparent, si illos aliquid à dei uoluntate & iussu alienum monere audiamus. Refer huc infelicem prophetæ casum, qui ab alio propheta sub diuini oraculi prætextu seductus, contra dei mandatum in Bethel cibum sumpsit, & à Leone discerptus est. 1. Reg. 13. Hinc simul de spirituum apparitionibus iudicare discito, quarum autoritate ferè Monachi sua de Purgatorio & reliquis superstitionibus figmenta probāt, quæ nullis scripturis probari posse intelligunt, &c.

Porrò ubi Paulus dei uocationem potius, quàm illorum consilium secutus, in cœpto itinere pergit, ipsi quoq; dei uoluntati spontè cedentes, illū unà cum uxoribus & liberis extra urbē usq; comitantur & honorificè deducunt. Quo in loco & nouū Christianæ charitatis argumentū elucet, & promissionū Christi Veritas cernitur, quæ Mar. 10. cap. in hæc uerba habetur: Amen dico uobis, Quisquis reliquit domum, aut fratres aut sorores, aut patrem, aut matrē, aut uxorē, aut liberos, aut agros, mea causa & euangelij, is recipiet centupla nunc in tēpore hoc, cū persecutionibus, ac in seculo uenturo uitam æternā, &c. Paulū enim omnia hæc Christi causa reliquisse scimus. At idem paßim fratres et sorores inuenit, qui ipsi tum opibus & fortunis, tū corporibus suis ministrare cupiunt, imò uxores & liberos ad præstanda illi pietatis officia paratos habet. Docet præterea locus hic, Christianorū esse, ut omnia sua ad dei cultū destinent, simulq; curent, ut non ipsi modò in pios Christi cultores officiosi sint, sed familiā quoq; omnē ad pia officia assuefaciant. Requirit hoc alibi in uidua ecclesiastica Paulus. 1. Tim. 5. Et quod uiduas facere decet, id maiori iure à reliquis exigi poterit. Sed ô detestabilē nostri seculi socordiā, qua pleriq; patresfamiliâs ità suos instituunt, ut peregrinos uexare potius, contemnere & odisse, quàm humanitatis officijs prosequi soleant. Meminerint illi quid pueris, Heliseo caluitium exprobrantibus, euenerit, quos ab ursis laniatos fuisse, scriptura docet. 2. Reg. 2. cap.

Tyrij Paulum honorificè deducunt.

Postremò Tyrij fratres in littore positis genibus orauerunt. Vbi rursum preces nobis commendari uidemus quibus in arduis & publicis negotijs cūprimis opus est. At quia de his alibi diximus, in præsenti hoc maximè obseruemus, quòd publicè in aperto littore fideles orant, id quod sine arbitris fieri non poterat, quibus fortaßis ridicula uideri potuit ista religio. At non pudet suæ uel fidei uel religionis eos, qui Christo uerè insiti sunt. Norunt enim quæ gloria eos maneat, qui Christum coram mundo hoc confitentur: quæ item confusio & ignominia ijs destinata sit, quos Christi coram mundo hoc adultero & prauo pudet. Vide Marc. 8. Vtinam uerò horum memores execrabili illa ignauia & pestifero metu nos quàm primùm liberaremus, quo hodie in hominum gratiam quiduis simulare & dissimulare consueuimus, &c.

Tyrij publicē orant.

Quartò & ultimo loco Ptolemaidem Paulus cum suis appulit, ubi rursus unius diei moram traxit cum fratrib. Ergo illic quoq; ecclesiam constitutam fuisse patet. Et sanè dignū obseruatione est, quòd paucorū annorum spatio euangelij doctrina tam longè lateq; uulgata tot Christo ecclesias constituit. Si enim historiæ seriem expendas, circa annum Conuersionis Pauli uigesimum tertium hæc contigisse, uerisimile est. Quare intra uiginti tres annos per Asiam & Europam euangelij uox audita fuit, & paßim fructum post se reliquit uberrimum. Ita uerò olim à prophetis prædictum fuisse legimus. Docent hæc quàm feliciter succedant, quæcunq; deo auspice & duce instituuntur, utut contra huius consilium tumultuetur mundus hic. Stulti ergo, qui huius minas atq; conatus formidant. Meditemur hæc nostro seculo, & constanti fide armati, Christi Iesu regnū propagare studeamus, cū eodem ipsi quoq; olim regnaturi. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternū. Amen.

Euangelij cursus feliciß.

HOMILIA CXXXVIII.

Postridie uerò qui cum Paulo erant, profecti uenerunt Cæsaream. Et ingressi domum Philippi euangelistæ, qui erat unus è septem, mansimus apud eum. Huic autem erant filiæ uirgines quatuor prophetantes. Et cum permaneremus dies complures, aduenit quidam à Iudæa Propheta, nomine Agabus. Is cum uenisset ad nos, tulit cingulū Pauli, & alligās sibi pedes ac manus, dixit: Hæc dicit spiritus sanctus, Virum, cuius est cingulum hoc, sic alligabunt Hierosolymę Iudæi, tradentq; in manus gētium. Cum aūt audissemus hæc, rogabamus & nos & cæteri, qui loci illius erant, ne ascenderet Hierosolymā. Tūc respondit Paulus, ac dixit: Quid facitis flentes & affligentes cor meum? Ego uerò non solum uinciri, sed & mori paratus sum Hierosolymis pro nomine domini Iesu. Cum uerò non persuaderetur illi, acquieuimus, dicētes: Domini uoluntas fiat. Post dies autem istos sublatis sarcinis conscendimus Hierosolymam. Venerunt autem unà quidam discipulorum ex Cæsarea nobiscum, adducentes secum, apud quem hospitaremur, Mnasonem quendam Cyprium, antiquum discipulum. Et cum uenissemus Hierosolymam, libenter exceperunt nos fratres.

VT deus euangelium filij sui Iesu Christi per Pauli uincula illustrare uoluit, ita ut Paulus ad uincula festinauerit, per Lucam diligentißimè describi curauit. Ita enim uniuersale constantis fidei simul & fidelis obedientiæ exemplum, omnibus nobis imitandum, proponere uoluit. Nam per terras & maria, adeoq; per mille discrimina rerum Hierosolymam, ubi se capiendum fore nouerat, illum contendisse, hucusq; audiuimus, nec ullas prophetarum prædictiones admisisse, quibus ab eo reuocabatur, ad quod se à deo uocari nouerat. Porrò incœptam narrationem Lucas persequens, in præsenti quid Cæsareæ (quæ ultima apostoli in ea profectione statio fuit) factum sit, deinde ut Hierosolymam tandem peruenerit, narrat.

Philippus euangelici pastoris typus.

RES *Cæsareæ gestas ab hospitis descriptione orditur, quem Philippum fuisse dicit, unum ex septem illorum numero, quos ecclesiasticarum opum administrationi & egenis à primitiua ecclesia præfectos fuisse, supra Cap. 6. uidimus. Grassante autem Hierosolymis persecutione, in qua Pauli crudelitas maximè emicuit, ecclesia hinc inde dispersa fuit, & Philippus Samariam delatus illic regni dei semina iecit. Nunc autē Cæsareæ egit, & ecclesiæ Christi, quæ illic erat, minister siue antistes fuisse uidetur. Estq; hoc haud uulgare dei iudiciū, ut eo hospite nunc utatur Paulus, quem olim Hierosolyma abire & sua relinquere coegerat. Cæterum proponit in Philippo egregium ueri pastoris typum Lucas, paucis omnia ea comprehendens, quæ ab episcopo Paulus in priori ad Timoth. 3. & ad Titum. 1. cap. requirit.*

1. Euangelista.

Primò enim euangelistam fuisse ait. Fuit ergo ad docendum idoneus, quæ prima & maximè necessaria ministri uirtus est. Fuit autem euangelistarum gradus inter apostolos & pastores medius, ut ex Paulo Ephes. 4. cap. colligi potest. Nam certis quidem in locis consistebant, non tamen ita illis alligati erant, quin ad uicinos simul & remotiores locos, si quando urgebat necessitas, excurrerent. Nomine autem suo officij admonebantur, quod illis cum apostolis simul & pastoribus, quoad doctrinam, commune erat, nimirum ut euangelij prædicationi incumberent, & illius doctrina homines erudirent. Nec enim liberum esse uoluit apostolis suis Christus, ut pro suo arbitrio quiduis docerent, sed abs se traditam doctrinam prædicare iussit, quæ hodie etiam sola ecclesijs proponi debet.

2. Hospitalis.

Deinde domum habuit Philippus & facultates, quæ tum suis usibus, tum exercendæ hospitalitati (quam ipsam quoq; Paulus in ministro requirit) sufficerent. Paulum enim cum numeroso comitatu ad se recipit, & diebus aliquot benignè tractat, id quod absq; sumptu, saltem mediocri, fieri non potuit. Non ergo uel mendicus uel erronis instar fuit, quales hodie quidem iniquissimi muneris ecclesiastici censores ministros uerbi esse uellent, quos uel inuidia fascinat, uel ignorantia decipit, qua inter apostolos & pastores non distinguunt. Et hospitalem cumprimis fuisse oportet, qui Paulū cum tāto comitatu benignè excipit, qui ipsi exilij author fuerat, ut paulò ante diximus.

Præte-

3. Vxoratus.

Praeterea filias habuisse dicitur. Ergo & uxorem, nisi (quod uel cogitatu nefandum foret) scortatorem dicere uelimus, quod fortaßis aequius ferrent impuri coelibatus defensores, quem Papatus ecclesiae obtrusit. Conuincuntur autem tam hoc quàm aliorum apostolorum exemplo, quos uxores secum circumduxisse Paulus disertè fatetur. 1. Cor. 9. Idem episcopum unius uxoris maritum, id est, coniugio legitimo iuxta primam domini institutionē astrictum esse iubet. 1. Tim. 3. Et uanißimum est illorum commentum, qui matrimonio & uxoris conuersatione ecclesiasticum ministerium pollui putant, cum illud à deo institutum & per se sanctum atq; impollutum esse constet. Heb. 13. Verè ergo diabolicam doctrinam Paulus uocat, quae coniugij usum prohibet: quia diaboli proprium est, dei constitutiones uel impuras, uel inutiles & perniciosas dicere. Vide. 1. Tim. 4. Sed & coelibatus Papistici fructus doctrinae huius authorem egregiè arguunt, cum ex eo stupra, adulteria, incestus & horrendum Sodomiae scelus frequenter emanare soleat. Postremò quales Philippi filiae fuerint, indicatur: Prophetantes nimirum. Scimus autem, prophetandi uerbo nonnūquam simpliciter diuini uerbi et scripturae sacrae studium significari. Ita enim prophetare dicuntur Paulo, qui scripturas in ecclesia exponunt, & ad huius aedificationem, institutionem & consolationem omnia referūt. 1. Corinth. 14. Idem foeminas prophetantes uocat, quae uerbum dei publicè audiunt, quas in ecclesia uelatis capitibus sedere iubet. 1. Cor. 11. At quia singulare quid de Philippi filiabus Lucas narrare uoluit, de peculiari spiritus sancti dono locus hic exponi debet, quo illas dominus ornare uoluit. Quid enim opus erat hoc annotauisse, quod omnibus Christianis, doctis pariter & indoctis, omni deniq; aetati & sexui commune est? Et quis obsecro alios, quàm uerbi dei studiosos, cogitaret fidelis euangelistae liberos? Sed singulare uaticinādi donum intellig[...] quo foemineum quoq; sexum, iuxta Ioelis prophetiam, Christi tempore insigniri deus uoluit, ut a[...]ores essent ad audiendam euangelij doctrinam homines, & Christi meritum ad mulieres quoq; pertinere, omnibus constaret. Interim patet, Philippum educationis & institutionis liberorum praecipuam rationem habuisse, id quod iuxta Pauli doctrinam cumprimis necessarium est, cum propter exemplum publicum, tum quòd uix credibile est, ecclesia[...] ab eo regi posse, qui domui suae praeesse non nouit. 1. Timoth. 3. Et Heli sacerdotis exemplum docet, quàm indignetur deus eccl[...] ministris, qui liberorum petulantiam non seuerius cohercent. Vide 1. Sam. 2. 3. 4. cap. &c.

4. Filiae Philippi prophetantes.

Agabus Paulū de uinculis admonet.

Porrò apud Philippum agente Paulo, Hierosolymis uel ex Iudaea superuenit Agabus propheta, qui illum denuo de uinculis admonet, nec id uerbis modò, sed ueterum prophetarum more chriam adhibet, qua rem omnem quasi oculis spectandam exhibere uoluit. Nam [P]auli cingulo sibijpsi manus & pedes alligat. Addit autem facti sui expositionem, dicens: Virum, [c]uius est cingulum hoc, sic alligabunt Hierosolymis Iudaei. Saepius uerò Paulum admoneri uoluit deus, partim quidem ut illustrior esset illius constantia & fides (ut iam alibi docuimus) partim uerò, ut exemplo hoc discamus, pericula praesentia non semper iustam fugae causam esse, cum illa [no]nnunquam, non ut ea deuitemus, praedicat deus, sed ut ad illa ferenda & subeunda praeparemur.

Comites Paulo profectionem Hierosol. dissuadent.

Hic uerò cumprimis obseruari debet, quid in praesenti & aperto periculo cum ipse Paulus, tum illius comites fecerint. Et hi quidem (ut ex Pauli uerbis colligitur) fleuisse, & cum lachrymis illum rogauisse dicuntur, ne Hierosolymam ascenderet. Nec paucas rationes habuerunt, quibus id suadere poterant. Nam & deum tentare [u]idebatur, & non tam suam quàm ecclesiae salutem negligere, quam suo ministerio spoliabat. Sed zelus est hic, bonus quidem, non tamen secundùm scientiam: qualem in Petro Christus grauißimè reprehendit, cum is quoq; ipsum à cruce ferenda dehortaretur. Matth. 16. Interim laudem meretur pietas, qua Paulo consultum cupiunt: longè dißimiles ijs, qui nostro seculo ministros periculis temerè obijciunt, & se probè officio functos putant, si horum capitibus & sanguine mundi pacem ad tempus redimant. Caeterum acerrimè illis contradicit Paulus, deq; illis conqueritur, quòd fletu suo plus se quàm periculi recordatione commoueant. Non ergo ferreus fuit Paulus, qualem suum uirum bonum & beatum Stoici fingunt. Ingenuè autem fatetur, dei uocationem sibi suo corpore simul & uita potiorem esse. Huius exemplum ministris omnibus imò Christianis singulis, imitandum proponit spiritus sanctus. Nisi enim nobis quoq; idem animus fuerit, in Christi causa nihil aut parum proficiemus, quando undiq; pericula imminent ijs, qui Christo seruire uoluerint. 2. Tim. 3. Nec hoc graue est uerè pijs, si rem ipsam probè aestiment. Quae enim

Pauli constantia.

uitæ huius momentaneæ & corporis alioqui in terram reuersuri utilior iactura fieri potest, quàm ut Christo impendatur, quem ideo mortuum & resuscitatum esse scimus, ut siue nos uiuimus siue morimur, ipsum dominum & protectorem habeamus? Rom. 14. Quæ causa est, quòd Christus quoque eos timere uetat, qui corpus quidem occidere possunt, nihil uerò in animam, quæ potior hominis pars est, iuris habent. Matth. 10. Atqui his rationibus Pauli etiam comites acquiescunt. Vbi enim illum non temere tanta constantia pergere uident, Fiat (inquiunt) uoluntas domini. Diuina uocatione ipsum urgeri, iam demum sentiunt. Ne ergo huic reluctari uideantur, se totos & negotium hoc omne illi committunt, Christi nimirum & exemplum & præceptum secuti. Et sanè non alius tutior portus est, in quem pij inter graues huius mundi æstus sese recipiant, quàm dei uoluntas. Hæc quia & sancta & salutaris est, animos æstuantes sua consyderatione efficacissimè recreare & consolari potest. Horum igitur exemplo in hanc unā respicientes, forti animo, quicquid dominus dederit, subeamus, qui cùm fidelis sit, nos ultra uires tentari non patietur, imò unà cum tentatione euētum quoque faciet, quò sufferre possimus, &c. 1. Cor. 10.

Amicorũ fidelium exemplũ.

Sequitur Pauli aduentus in Hierosolymorum urbem, in quem tria incidunt. Primum comitantur illum amici, qui hucusque illi comites fuerunt, & insuper noui amici ex Cæsareensibus accedunt. Quo loco dei fides cernitur, qui pro suo nomine periclitantibus laborum socios adiungere solet, sicut alibi quoque monuimus. Simul uerò præclarum in his elucet fidei & constantiæ exemplum. Nam quid Paulo euenturum esset, non ignorabant. Nec parua causa erat, quæ ut sibi quoque timerent, mouebat. Non deserunt tamen eum, quem Christi causam agere nouerant, nec aduersæ fortunæ fluctibus se ab illo diuelli patiuntur. Obseruent exemplum hoc ollæ amici, qui dum læta fortuna arridet, huius se comites præbere solent: ubi primùm uero illa tonat, amicitiæ & beneficiorum obliti, terga uertunt. Alterum est, quòd de hospite commodo fideles illius loci Paulo prospiciunt. Licet enim semel periclitandum sit, locum tamen habet prudentia religioni coniuncta, sicuti Christus monet, dum nos serpentum instar esse uult in periculis. Matth. 10. Hospes autem Mnason fuit, Cyprius natione, & uetus discipulus. Eo autem nomine perseuerantia [illegible], quam in fide seruanda adhibuit. Fidem uerò charitas comitatur, cuius argumentum cumprimis euidens est, quòd Paulum & huius comites, quos periculo [illegible]os esse nouerat, hospitio excipit. Est autem hoc fidei ueræ ingenium, ut eò feruentior eluceat, quò propius & uehementius periculo urgetur. Dignus igitur uituperio languor hic noster, qui in periculis & fidem dissimulamus, & charitatis officium planè negligimus. Postremò, Hierosolymitani fratres Paulum libenter excipiunt. Atqui sinistros rumores de hoc iam sparsos fuisse, infrà audiemus. Illum tamen causa inaudita damnare nolunt. Sunt autem imitatione dignissimi, & suo exemplo docent, ne temerè fidem illis adhibeamus, qui de fratribus crimina spargunt. Sunt enim hi ferè selecta diaboli organa, qui ecclesias nulla re efficacius & grauius, quàm fratrum dissidijs, turbari nouit. Charitatis ergo memores simus, quæ à suspicionibus quàm maximè abhorret, & in hoc toti simus, ut ecclesiarum unitatem illæsam seruemus in Iesu Christo domino nostro: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Mnason Pauli hospes.

Charitas non est suspicax.

HOMILIA CXXXIX.

Postero autem die introiuit nobiscum Paulus ad Iacobū, omnesque adfuerunt Seniores. Quibus salutatis narrauit per singula, quæ deus fecisset inter gentes per ministerium ipsius. At illi cum audissent, glorificabant dominum, dixeruntque ei: Vides frater, quot millia sunt Iudæorum, qui crediderunt, & omnes sunt studiosi legis. Audiuerunt autem de te, quòd defectionem doceas à Mose omnes, qui inter gentes sunt, Iudæos, dicens non debere eos circūcidere filios, nec secundùm instituta uiuere. Quid est ergo? Omnino oportet conuenire multitudinem: audient enim te uenisse. Hoc ergo fac quod tibi dicimus. Sunt nobis uiri quatuor, uotum habentes super se. His assumptis purifica te cum illis, & impende super eos ut radant caput: & sciant, quòd quæ de te au-

te audiuerunt, nihil sunt: sed ambulas & ipse custodiens legem. De his autem qui crediderunt ex gentibus, nos scripsimus, decernentes, ne quid eiusmodi obseruent, nisi ut caueant ab his, quæ sunt idolis immolata, & à sanguine, & suffocato, & scortatione.

Quamuis de electo Iesu Christi organo, apostolo Paulo, multi rumores sinistri sparsi essent, quibus illius tum fama tum doctrina ab aduersarijs acerrimè petebatur, eundem tamen ab Hierosolymitanis fratribus amicè & benignè exceptum fuisse, Lucas scribit, ita docens, illos maiorem charitatis, quàm paucorum hominum odio contabescentium rationem habuisse, & horum exemplum omnibus nobis imitandum proponit, quod nisi fiat, prauis suspicionibus omnis inter homines charitas turbari solet. Sequitur autem in præsenti narratione, quid inter Paulum & Hierosolymitanos fratres factũ sit, qui locus propter multa, quæ ex hoc nostræ institutioni seruire possunt, diligenti & attenta consyderatione dignus est.

Paulus Seniores Hierosoly. accedit, &c.

Principiò Paulus unà cum suis comitibus ad Iacobum apostolum, qui tunc temporis in vrbe agebat, accessit, & illic in Seniorum cœtu rerum abs sese gestarum rationem reddidit, singula quæ per ipsius ministerium deus hucusq; gesserat, ordine recensens. Quo loco primùm admonemur, in ecclesia ordine certo opus esse, ne quiduis cuiuis ubiq; liceat. Fuit Paulus electum Christi organum, & plus omnibus alijs apostolis laborauit. Nihil tamen priuata authoritate agit in aliena ecclesia, sed priusquàm aliquid tentet, loci illius ministros & antistites accedit, & illis honorificè salutatis sui ministerij rationem reddit. Sufficit unum hoc exemplum ad confutandam Romanorum Pontificum insolentiam, qui in omnes ecclesias sibi primatum & dominium vendicant. Eodem etiam Anabaptistæ turbatores confutantur, qui cùm nullas ecclesias uspiam plantent, aliorum labore & periculo plantatas turbant, hoc uno sibi laudem eximiam vendicantes, si pijs ministris insana sua & mordaci garrulitate negotium faciant, eosq; odio & inuidia apud quosuis aggrauent. Deinde Pauli modestia in eo etiam elucet, quòd ita rerum abs se gestarum narrationem contexit, ut omnium authorem deum faciat, sibi verò nihil præter ministerium tribuat. Nouerat enim frustra ab hominibus plantari & rigari, nisi deus incrementum dederit. 1. Cor. 3. Ita alibi cùm se plus omnibus alijs apostolis laborauisse dixisset, mox addit: Non tamen ego, sed gratia dei, quæ mihi adest. 1. Cor. 15. Hoc ipsum in omni vocatione obseruandum esse, alibi monuimus. Nisi enim domum ædificauerit deus, frustra laborabunt, qui illi ædificandæ student. Psal. 127. Nisi respub. suo fauore deus protegat, inanes erunt magistratuum curæ & consilia. Nisi studijs nostris idem suo spiritu adsit, & ingenij vires acuat, nihil uel legendo uel scribendo proficitur. Horum ergo memores humiliter de nobis ipsis sentire discamus, studijsq; nostris omnibus preces frequentes interponamus, quibus deus rogari & dona sua impetrari uult. Porrò de Senioribus additur, quòd auditis Pauli laboribus dominum glorificauerint. Est hoc haud uulgare charitatis argumentum, quòd Symmystæ laudibus non inuident, nec quicquam amarulenter oganniunt, quod ferè faciunt, qui charitatis omnis expertes priuatæ potius gloriæ quàm diuinæ student. Vt autem Paulus rerum abs se præclarè gestarum authorem deum fecerat, ita ipsi quoq; non Paulum fictitijs laudibus inebriant, sed illi congratulantes deum glorificare student. Docent autem suo exemplo, ut nos de sanctorum laboribus & uirtutibus iudicare conueniat. Homines fuisse sciamus, humanis affectibus & casibus obnoxios. Si quid ergo ab illis plus quàm humanum factum est, dei opus hoc esse agnoscamus, qui ex mera gratia illorum ministerio uti voluit. Illis ergo eam felicitatem gratulemur: obedientiam, qua dei organa sese præbuerunt, imitemur: facti uerò laudem omnem deo tribuamus. Ita & illos imitando uerè honorabimus, & sua deo gloria integra manebit, quam improbè uiolant, quicunq; sanctis inhærentes, illos bonorum authores & largitores faciunt, ita ut ab illis opem & auxilium petendum esse existiment. Vide supra cap. 3. & 14.

Paulum odio leuare student Seniores.

Sequitur autem actio perquàm memorabilis, cuius primarij authores suo consilio Seniores Hierosolymitani fuerunt. Suadent enim, ut Nazarei uotum Paulus suscipiat, & illius tempore euoluto iuxta legem sese in templo purificari aut à uoto expiari patiatur. Quæ res impijs hostibus contra Paulum tumultuandi occasionem præbuit, qua tandem comprehensus & uinctus est. Quia uerò actioni huic quædam utcunq; tolerabilia insunt, quædam uix ulla ratione excusari possunt, pe-

nitius nobis excutienda erit. Quare ut rectius intelligantur singula, paulò altius controuersiam
Rom.3. Galat.3. hanc omnem repetemus. Docebat Paulus, mera dei gratia per Iesum Christum homines fide iustificari: quam doctrinam unanimi apostolorum consensu approbatam fuisse, supra cap.15. audiuimus. Quia autem Paulo, inter gentes prædicanti, multa lis erat cum ijs, qui legem euangelio miscere, & gentes ad circumcisionis & aliarum ceremoniarum obseruationem cogere nitebantur: De Legis fine & usu illi diligentius disputandum erat, & singula ad uiuum (ut dicitur) resecare cogebatur. Quare ingenue docebat, legem & huius ceremonias ad iustificationem nihil conferre, eò quòd illi nemo mortalium satisfacere poßit: datam autem à deo, ut nostram corruptionem arguat, conuictos peccati ad Christum deducat, in quo uno huius completio habeatur. Addebat simul, illorum opinione Christum euacuari, qui legi iustificationis meritũ tribuunt, & eosdem non posse non damnari, quando ipsi sibi sponte legis maledictionem accersant. Hinc illæ locutiones: Lex iram operatur: Veniente
Rom.7. 1.Cor.15. Galat.3. mandato, peccatum reuixit: Potentia peccati, lex. Item: Quotquot ex operibus legis sunt, execrationi sunt obnoxij, &c. Videbantur hæc duriuscula illis, qui legi à teneris assueuerant, illamq́ diuinitus per Mosen datam esse sciebant. Et qui Paulo plus satis infensi erãt, inde calumniandi occasione arrepta, illum legis diuinæ prophanum contemptorem & euersorem clamabant, quasi hanc simpliciter damnaret, cùm nõ illam, sed illorum potius errorem impugnaret, qui alium legis finem & usum commenti, huius obseruatione iustificari & saluari uolebant. Omnibus ergo inuisus Paulus erat, perinde ut nostro seculo bonorum operum hostes esse dicimur, quando illa ad iustificandum & saluandum nihil conferre dicimus, cùm interim suum illis locum relinquamus, & debita officia esse doceamus, quæ homines necessariò deo præstare debeant. Cæterum his præmißis, facile patebit, quorsum sua oratione Seniores tendant, quisq́ illis totius actionis scopus fuerit. Quare ipsam orationem per singulas ipsius partes modò inspiciemus.

Seniorum oratio. Primò, nomen & famam Pauli apud omnes laborare, ingenue ipsi indicant. Nam fertur de te (inquiunt) quòd defectionem à Mose doceas, &c. Estq́ hoc in illis uehementer probandum, quòd nihil dißimulant. Præstat enim ingenuè cum fratribus & amicis agere, ut si quid peccauerunt, emendari poßit, & culpa liberentur, si falsis criminibus suspecti sunt. Nec leue illorum peccatum est, qui cùm absentes accusent, iisdem præsentibus adulantur: qui item fratres ab alijs traduci patiuntur, nec illos à quibus sibi cauere debeant, admonent. Ita enim fit, ut obtrectandi libido paßim amicitias violet, & pleriq́ quid ipsis maximè cauendum sit, ignorent.

Simul verò, ut se publice purget, consulunt, & sui consilij rationes adducũt minimè leues. Nam primò multitudinem credentium allegant, qui omnes sinistrã de ipso suspicionem conceperint. Dicũt enim: Vides frater, quot millia sunt Iudæorum qui crediderunt, & hi omnes zelo legis feruent. Disertè verò credentes nominant, ne quis ipsos præfractis & contumacibus patrocinari velle putaret. Et multa millia horum esse dicunt, ut ostendant, tot simul hominum salutem minimè negligi oportere. Et sanè verisimile est, hac ratione cumprimis motum fuisse Paulum, qui gentis suæ tanto studio ardebat, ut pro illis anathema quoq́ fieri optaret. Sed & zelum legis allegant, ut constet, aliquid illis adhuc concedendum esse, cùm in zeli huius ardore violentis remedijs nihil profici poßit. Præterea à necessario argumentantur, cùm dicunt: Oportet omnino conuenire multitudinem. Quia enim te venisse omnes norunt, res amplius dißimulari non potest. Purgatione ergo omnino opus erit. Quia verò apud eos, qui inueterata suspicione toti tenentur, verbis nihil aut parum proficies, publico aliquo facto te hucusq́ immerito traductum fuisse, testeris oportet. Atqui non parui momenti erãt rationes hæ, nisi causa eiusmodi fuisset, quæ non tam studiosos legis lucrifacere, quàm superstitiosos & contumaces huius obseruatores in errore confirmare potuisset, ut mox audiemus.

Sequitur enim consilium ipsum, quo Paulum suæ famæ & nomini prospicere posse putant. Sunt (inquiunt) nobis viri quatuor, votum habẽtes super se, Nazaræorum nimirum, de quo cap. decimo octauo ex libri Numerorum cap.6. diximus. His te coniungito, & communibus sumptibus tecum illis iuxta legem radi & purificari curato publicè. Quod ut factu leue fuerit, ita ex eo omnibus constabit, te hucusq́ falsa suspicione grauatum fuisse, nec te legis prophanum contemptorem censeri de-
Consilium Seniorum excutitur. bere, cùm in illa mandatas Ceremonias ipse obserues. Hoc illud Seniorum Hierosolymitanæ ecclesiæ consilium est, quod in speciem quidem tolerabile videtur, & idem cum eo, quod Paulus in

Cenchreis

Cenchreis antea fecerat. Sed rem exactius perpendenti magnum inter hæc discrimen apparebit, nec debuisse illorum consilio cessisse apostolum, qui in alijs leuioris momenti fidei professionem & Christianam libertatem acerrimè asseruerat. Primò enim Nazaræi uoto apud Corinthios sese obstrinxerat, quòd ea re infirmos aliquos lucrifieri posse sciebat, sicuti ipse testatur, 1. Cor. 9. Nec quicquam per hoc fidei professioni derogabatur, cum sola capitis rasura illum uoto liberaret. Hîc uerò sacrificium accedit, quod reuera locum nullum habebat amplius, cùm iam olim in Christi morte uelum templi scissum, & sacrificia in uniuersum abrogata essent. Deinde quod in Cenchreis fecerat, solis infirmis dabatur, nec in exemplum aut legalium ceremoniarum confirmationem trahi poterat. At huius facti finis est, ut Paulus testetur, sibi uniuersam legem cum suis ceremonijs minimè displicere. Quid verò hinc aliud oriri poterat, quàm quòd Iudæi in errore confirmarentur, & qui in Christo eousq; profecerant ut legi renuntiassent, ad eius obseruationem reuocarentur? Præterea si primis nascentis ecclesiæ annis id factum fuisset, meritò hoc infirmis datum uideri poterat. At cùm iam annis totis uiginti tribus euangelium in toto orbe prædicatum esset, nimia profectò hæc fuit indulgentia, qua contumacissimæ gentis superstitio fouebatur. Quid quòd deus suo iudicio sibi ista displicere docuit? Vt enim de eo omittamus dicere, quòd infeliciter Paulo cessit istud consilium, deus certè paucis post annis, urbem unà cum templo, superstitionis officina, funditus euertit, cùm non ante legalis cultus finem vellent facere. Nimio igitur gentis suæ studio Seniores decepti, ista consulunt, & nimia facilitate illis Paulus acquiescit, qui ea potius libertate uti debebat, qua in Titi causa & contra Petrum antea usus fuerat. Galat. 2. Longè ergo falluntur, qui exemplo hoc ijs patrocinantur, qui in hominum gratiam quiduis admittendum putant. Id quidem in ijs locum habere scimus, quæ nec confessioni, nec Christianæ libertati derogant. At ubi ista in periculum ueniunt, ne latum vnguem nobis à veritatis via discedendum est. Quare maximorum & sanctissimorum uirorum error non in exemplum trahi debet, sed potius cautiores reddere, ne simili modo nos quoq; abduci patiamur.

Porrò vltima parte quod de gentibus obijci poterat, præoccupant. Illis enim Pauli exemplum præiudicare, & illorum sententiæ subscribere videbatur, qui gentibus circumcisionem & reliquas ceremonias obtrudere nitebātur. Illud ergo negant, dicentes: His autem, qui ex gentibus crediderunt, iam ante scripsimus, illosq; ab omni legalium ceremoniarum obseruatione liberos esse iussimus, modò à palàm prophanis abstineant, & inter libertatis suæ usum charitatis non obliuiscantur, ne uel idolorum cōmunione & scortatione sese polluant, aut suffocati & sanguinis esu intempestiuo (quo abstinere nec difficile nec incommodum est) quenquam offendant. Vide de his Acto. 15. Elucet autem in tota hac actione Iudaicæ gentis peruicacia, & quàm parum prærogatiuæ habeat in religione mundi huius dignitas, quando non alibi maior infirmitas & imperfectio fidei apostolorum temporibus inuenta est, quàm in Hierosolymitana ecclesia, quæ & vrbis celebritate, & Christi cōcionibus, & nascentis euangelij primitijs gloriari poterat. Docemur item quantum euangelio incōmodent superstitiosi illi ceremoniarum magistri, qui infirmitatem fidei harum diuturniori conseruatione fouent, & sua indulgentia ardentioribus ministris remoras obijciunt. Abiectis ergo infirmis hisce carnis vacillantis & hæsitabundæ præsidijs, fidei veritatem impollutam teneamus, & libertatis Christianæ memores, constanter huius authorem celebremus, qui est vnigenitus dei filius, dominus & saluator noster Iesus Christus: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CXL.

Tunc Paulus assumptis uiris, postero die purificatus cum illis intrauit in templum, annuntians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro unoquoq; eorum oblatio. Cùm autē septem dies iam penè essent expleti, qui ex Asia erant Iudæi, cùm uidissent eum in templo, conturbarunt totum populum, & iniecerunt ei manus, clamantes: Viri Israelitæ, succurrite. Hic est ille homo, qui aduersus populū, & legem, & locum hunc omnes ubiq; docet. Insuper & Græcos induxit in templum, & prophanauit sanctum locum hunc. Viderant enim Tro-

phimum Ephesium in ciuitate cum ipso: quem existimauerunt quòd in templum introduxisset Paulus. Commotaq́ est ciuitas tota, & factus est concursus populi, & apprehensum Paulum trahebant è templo: statimq́ clausæ sunt fores. Quærentibus autem illis eum occidere, nuntiatum est Tribuno cohortis, quòd tota conturbata esset Hierosolyma. Qui statim assumptis militibus & Centurionibus, decurrit ad illos. At illi cùm uidissent Tribunum & milites, cessauerũt percutere Paulum.

QVoniam Paulus apostolus propter suam de lege doctrinam apud Hierosolymitanos pessimè audiebat, quasi illam cum suis præceptis & ceremonijs simpliciter & absolutè, vt per se malam & noxiam damnaret, ecclesiæ illius Seniores, ut se palàm omni suspicione liberet, consulunt. Et probandum quidem in illis est, quòd tanti viri famæ consultum uolunt: improbandum verò, quòd eiusmodi cõsilium præbent, quod cum ingenua fidei simul & libertatis Christianæ professione pugnabat. Hæc enim legales cultus & Ceremonias per Christum abrogatas, & proinde nullum posthac illarum in religione vsum esse, docet. Cur enim post Christum inter ea, quæ ad dei cultum faciunt, numerarentur, quando ne olim quidẽ deus illis coli uoluit, sed vt rerum futurarum, & promissæ redemptionis typi essent, instituit? Proponit autẽ exemplũ hoc Spiritus sanctus, non vt imitemur, nec etiam ut uel Pauli vel Seniorũ, & inter hos Iacobi cumprimis, authoritatem labefactet: sed vt discamus carnis prudentiam in salutis negotio & religionis causa suspectã habere, & à dei verbo ne latũ unguẽ discedere. Id verò rei totius exitus plenius docebit, quẽ modò maxima ex parte inspiciemus.

Paulus Nazaræi uotum suscipit.

Obtemperat enim Seniorum consilio Paulus, qui haud leuem cum illis expostulandi causam habebat, qui manifestos errores & superstitionem hucusq; tulerant. Modestè tamen & amicè illis cedit, cum ne contumax & præfractus habeatur, tum quòd ea ratione se apud Iudæos quoque liberius docendi occasionem inuenturum putabat. Quare templum unà cum quatuor illis uoti suscepti socijs ingreditur, purificationis tempus publicè annuntiat, curat deniq; ut pro singulis sacrificium promere offeratur. Quis uerò hic non manifestum errorem uideat? Cur enim non idem facit quod olim, quando ne minimam quidem simulationem in Petro ferre voluit? Cur non gentium rationem habet, quæ hoc illius facto non leuiter offendi poterant? An uerò nullos Hierosolymis falsos fratres esse credit, qui clanculum Christianorum libertatem explorent? Cæterum docet exemplũ hoc, quantùm in religione aberretur, si nimiam facilitatem cum carnis prudentia in consilium adhibeas. Hac enim deceptus Paulus à solita simplicitate recedit, & ijs quidem, qui ex gentibus crediderant, offendiculi occasionem præbet, apud Iudæos uerò nihil omnino proficit. Quos enim diuini uerbi authoritas non mouet, eos frustra uel lenitate vel carnis consilio flectere instituas. Tutissimum ergo est, vt religionis causam omnem ad solum deum pertinere, nec quicquam in illa nostri iuris esse, agnoscamus. Ita fiet, ut nihil nobis in ea permittamus, sed dei verbum vnicè sectemur, quod ille nobis tum fidei & religionis tum totius vitæ nostræ regulam esse uoluit. Vide Num. decimo quinto. Deut. 4. & 12. cap.

Infelix consilij humani exitus.

Sed uideamus tandem quis consilij huius & facti finis fuerit. Videtur quidem initiò successurũ negotium, cum totis ferè septem diebus nullum uspiam periculum appareat. Sed ecce, cùm iam fini proximus est Paulus, iamq; se in portum recipere uidetur, undiq; fluctus & procellæ insurgunt, & præsens uitæ periculum imminet, ut nunquam aliâs. Nam paucorũ aliquot improbitate tota Hierosolymorum ciuitas cõmouetur, & à seditiosis Paulus comprehensus haud dubiè perijsset, nisi singulari dei consilio excitatus Tribunus, illum furentium manibus eripuisset. Sed singula ordine uideamus, ut plus inde ad nos institutionis redeat.

1. Authores turbæ Iudæi.

Primò authores totius Tragœdiæ indicantur, Iudæi, qui ab Asia aduenerant. Illi ipsi ergo sunt, quos implacabili Pauli odio iam diu laborauisse, & ipsum per multas urbes insecutos fuisse, supra non semel uidimus. Nec enim unquam, nisi his authoribus, persecutionẽ Paulus aliquam sustinuit. Cernitur in his incurabilis gentis illius cæcitas, quàm ipse Paulus in priori ad Thess. 2. cap. deplorat, & quæ tandem iusto dei iudicio grauissimè punita fuit. Interim obseruabis quàm laboriosos & audaces reddat ueritatis odium. Nam & Paulum ubiq; insequuntur, & in aliena urbe seditionem

concitant

concitant; id quod absq; euidenti periculo fieri non posse, satis intelligebant. Sed vtinam huius rei exempla non passim nostro etiam seculo ederentur.

2. Seditio concitatur.

Deinde opportunitatem aliquam nacti totum populum conturbant, & quasi ad commune incendium restinguendum excitant. Nam iniectis in Paulum manibus, clamant: Viri Israelitæ, succurrite, &c. Quid verò ope & auxilio opus erat aduersus illum, qui nec occultas seditiones, nec apertam vim alicui parabat? Vides ergo, qui ferè seditionum authores sint. Impingitur ferè crimen hoc Verbi ministris, vt passim videmus. Sed si rem omnem penitius inspiciamus, non aliunde quàm ab horũ osoribus & inimicis seditionis initiũ sumere patebit. Quia enim Veritatis lucem ferre non possunt, hanc si non alia ratione licet, saltem publica ruina (ut olim Catilina dicebat) extinguere conantur. Refer huc, quæ Cap.14.16.17.18.& 19. vidimus.

3. Accusationis contra Paulum institutæ Capita.

At ne temere tumultuari videantur, clamoribus seditiosis accusationis capita intermiscent. Et primò quidem doctrinam accusant, quòd ea & populo dei, & Legi & Templo noxia siue damnosa sit. Id verò inde sumpsisse videntur, quòd Paulus in Iudæis inanem suæ gentis & patrum fiduciam concuteret, ostendens, veros Israelitas non ex carne nasci, sed ex spiritu, nec omnes in dei populo statim censeri, qui ex Abrahamo secundum carnem nati sunt, nisi iuxta Abrahami exemplum in Christũ credant. Item quòd de vero legis usu differens, huic iustificationem minimè tribui debere doceret, vt in praecedenti Sermone vidimus, & quòd legales cultus Christi aduentu & mortis ipsius merito abrogatos esse diceret. Ne tamen verbis inanibus illorum accusatio niti videretur, de facto etiã Pauli, & quidem recenti conqueruntur, nimirũ quòd homines ethnicos in templum introduxerit, & per hunc locum sanctissimum prophanarit. Atqui falsissima simul & impudentissima hæc erat calumnia, quæ tamen apud omnes fidem inueniebat, quòd inter Pauli comites Trophimum Ephesiũ in vrbe conspexissent. Ita enim hunc in templum quoq; ab illo introductum fuisse suspicantur. Rursum verò admonet locus hic, quibus ferè criminibus grauentur Veritatis ministri: nimirum quòd in electum dei populum, in dilectam eius sponsam, ecclesiam, peccent improbè: quòd leges & traditiones ecclesiæ impudenter damnent, & quòd templa simul & cultus veteres impiè euertant. Ita Christum accusatum fuisse legimus. Et hæc ipsa aduersus Stephanum Veritatis hostes protulerunt. Et hæc quidem nobis etiam hodie quidam obijciunt, quos nec vllus ecclesiæ dei respectus, nec diuinæ legis authoritas, nec veræ religionis cura aut studium mouet. Interim ea Veritatis sors est, vt calumnia aduersus nullos alios & impudentius & efficacius, quàm huius ministros, stringi soleat. Quia enim mundo inuisi, & quodammodo cõmuni omnium præiudicio damnati sint, quiduis aduersus illos facilè omnes admittunt & recipiunt, nec quenquam suæ leuitatis pudet. Sed patienter feramus quæ non prophetas modò & apostolos, sed ipsum quoq; dei filium, tulisse scimus.

4. Vitæ periculum Paulus subit.

Porrò non contenti comprehendisse hominem & falsis criminibus obruisse, simul apertam quoq; vim illi inferunt. Nam è templo protrahunt, verberibus indesinenter mulctant, imò eundem indignis modis trucidare conantur, prius tamen occlusis Templi foribus, nimirum quòd de illius pollutione anxiè timerent. Quo exemplo docemur, quòusq; tandem impietas & Verbi dei odium progrediatur. Licet enim diu occultum lateat, oblata tamen occasione erumpit, nec aliud quàm sanguinem ministrorum sitit, quo vno Veritatis hostes satiari & placari possunt. Exemplæ huius rei plura sunt passim, quàm vt longa demonstratione opus sit. Imprimis autem egregiam (si Dijs placet) istorum hominum sanctimoniam obserua, qui pro focis & aris pugnare videri volunt. Nam de templo soliciti, ne illud sanguine polluatur, confestim occludunt. Interim verò manus suas seq; totos innocenti sanguine polluere non verentur. Similia his in euangelio Christus exprobrat, quando illos culicem colare, camelum verò deglutire dicit. Ita prætoriũ ingredi nolunt Sacerdotes, ne in diem festum polluantur, qui interea innocentem Pilato tradunt, & illius sanguinem summa iniquitate simul & importunitate postulant. Quàm verò fucus iste deo placuerit, ex eo patet, quòd paucis post annis elapsis, sanguinarios hypocritas unà cum templo & vrbe infelici per Romanos excindi curauit.

Deus Paulo liberatorem excitat.

Cæterum non deest periclitanti apostolo dominus, qui cùm iam de illo prorsus actum esse videretur, liberatorem & uindicem, quem minimè sperauisset, excitat. Tribunus enim clamore vulgi & seditionis fama excitatus, mox cum parata militum manu aduolat, & Paulum ex furentis populi manibus eripit. Et hic quidem magistratus officio probè fungitur, quod nimiũ oscitanter negligunt,

qui insontes audacißimorum hominũ improbitate violenter opprimi patiuntur. Obseruabis autem dei fidem & paternã curam, qua suis nunquam deest, licet illos aliquando negligere videatur. Nec illi hos liberare graue est, quãdo per eos quoq; id facere potest, qui à fide & religione vera alieni sunt. Hîc enim per Romanos milites Paulus asseritur, & Ieremiam olim per Nabuzardan, publicũ populi dei hostem, seruatum fuisse constat. Ierem. 39. & 40. Possent huius generis exempla multa referri, quorum omnium finis est, ne in Cruce & periculis desperemus, nec ad media illicita confugiamus, sed omni cura & fiducia animi in deum collocata, illius manũ expectemus. Sensit hanc in præsenti efficacißimam Paulus. Seditiosi enim, quos ab immanißimo scelere nec dei timor, nec pudor, reuocare poterat, mox conspecto Tribuno & militibus manus abstinent, & Paulum percutere desinunt. Est hoc proprium impijs omnibus quòd hominum magis metu quàm dei coercentur: & ideò magistratu opus est, qui illorum improbitati metam & fines statuat. Nos autem dei potius timore perfusi, illi studia nostra omnia approbemus, qui non modò ex impiorum manibus suos eripere potest, sed eosdem ex mortis quoq; & inferni faucibus asserit per filium suum Iesum Christum, dominum nostrum: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CXLI.

Tunc accedens Tribunus apprehendit eum, & iussit alligari catenis duabus, & interrogauit quis nam esset, & quid fecisset. Alij autem aliud clamabant in turba. Et cùm nõ posset certum cognoscere præ tumultu, iusit eum duci in castra. Cùm autem uenisset ad gradus, contigit ut portaretur à militibus, propter uiolentiam turbæ. Sequebatur enim multitudo populi, clamans: Tolle eum. Et cùm cœpisset induci in castra, Paulus dicit Tribuno: Licet ne mihi loqui ad te? Qui dixit: Græce nosti? Nónne tu ille es Aegyptius, qui ante hos dies tumultum concitasti, & induxisti in desertum quatuor millia uirorum sicariorũ? Dixit autem Paulus: Ego quidem homo sum Iudæus, Tharsensis, non obscuræ Cilicum ciuitatis ciuis. Rogo autem te, permitte mihi loqui ad populũ. Et cùm ille permisisset, Paulus stans in gradibus annuit manu ad plebẽ. Et magno silentio facto, allocutus est lingua Hebræa, dicens:

QVod Dauid, vir secundum cor dei, dicit multas esse tribulationes iustorum, ex quibus omnibus tamẽ illos liberet dominus: hoc ipsum in præsenti historia verißimè dictum esse apparet. Audiuimus enim Paulum à furenti Iudæorum multitudine captum, verberibus contusum, iamq; morti vicinum fuisse, cùm illum occidere statuissent, qui veteri odio Paulini nominis inflammati, nihil perinde vt illius sanguinem sitiebant. Sed ecce ex improuiso uindicem & assertorem excitat dominus, & apostolum suum per eos liberat, qui & ipsi à fide & religione erant alienißimi. Quia verò de horum fine & usu in præcedenti Sermone diximus, in præsenti liberationis huius historia inspicienda erit, quam per singulas circumstantias diligentißimè Lucas describit.

Paulus catenis uincitur.

Primò quid Tribunus militum fecerit, commemorat. Is ante omnia Paulum furentium manibus ereptum, duabus catenis vinciri iußit: nec id temerè vel præcipiti ira superatus fecisse uidetur, cùm tota actio moderati animi haud obscura argumenta habeat. Sed facit hoc partim, quòd hominem maleficum putaret, cum in illius caput omnes unanimiter sæuirent: partim verò quòd furentem turbam non alia ratione commodius sedari posse uideret, quàm si spem faceret, illum dignas meritis suis pœnas breui exoluturum. Interim uerò officij sui haudquaquam immemor, diligenter quis sit quidúe fecerit, interrogat. Est enim hoc magistratus officiũ, ne quid temere aut præcipitanter agat. Nec enim aliquis excusationi locus superest, si iam iniuriam passus sit, qui illius authoritate defendi debebat. Ideò Moses Iudices tam paruũ quàm magnum, adeoq; causarũ circumstantias omnes audire & inquirere iubet, ne quid vel ignorãtia vel cæco carnis affectu peccent. Interim hoc loco liberationis modus probè obseruandus erit. Eripitur quidem præsenti uitæ periculo, quod ab Iudæis imminebat, Paulus, idem uerò catenis duabus instar facinorosi alicuius constringitur.

Atqui

atqui illum omnino liberare poterat dominus. Id uerò quia non facit, certũ est, catenas has Paulo salutariores fuisse, & illius captiuitatem ad propagandum Christi regnum plus momenti habuisse. Estq; hic perpetuus dei mos, quo beneficia sua temperare solet, maximè quando nobis adhuc capistro opus esse intelligit. Experimur hoc frequenter in morbis & reliquis tribulationibus, in quibus quicquid dominus dederit, nos patienter ferre decet, quando & illius uoluntas bona est, & nullis aduersis à diuinæ prouidentiæ cura & protectione separari possumus.

Quid uerò interea populus agit? Primùm confusis & incertis clamoribus miscet omnia, ut nihil certò cognosci aut intelligi poßit: quod proprium esse seditionibus Cap. 19. dictum est. Deinde cum uinctum in castra abduci iußisset, ut illic causam cognosceret, impudenter omnes sequuntur, & ea uiolentia irruunt, ut milites illum gestare cogantur, ne quid à seditiosis mali patiatur. Tandem in hoc uno omnes consentiunt, quòd hominem è uiuis tollendum esse clamant. In quibus ut uiuam seditionis imaginem Lucas proponit, ita docet locus hic, nullos grauiores ueritatis & piorũ hostes esse, quàm qui pietatis zelum suis conatibus prætexunt. Hic enim maiorem multò cum æquitatem tum humanitatem in barbaris militibus, quàm in Iudæis, qui pro templo & religione pugnare uideri uolebant, cernere licet. Hi indicta causa occidere uolunt, in cuius causam Tribunus diligenter inquirit. Hi clamoribus incertis & horrendis omnia turbant, cum Tribunus animo sedato & tranquillo agat omnia. Hi conculcant impudenter, quem manibus & humeris milites gestare dignantur. Quid multis? nec ueritatem inquiri, nec causam cognosci, sed hominem illico occidi uolunt, ut innocentis sanguinis conspectu nefarios oculos satient. Simile exemplum in Christi paßione contigisse legimus. Nam & illic maior in Pilato & Herode æquitas, quàm in Sacerdotibus & scribis elucet. Et in Crucem suspensum Sacerdotes impiè deludunt, cui barbari milites propter uisa signa innocentiæ testimonium deferunt. Hodie non desunt exempla, quando multos ob Veritatis confeßionem à Turcis æquius & humanius tractari constat, quàm à Monachis & Episcopis, qui pietatis zelo toti ardere uideri uolunt. Sed hæc diaboli, sub pietatis uelo sæuißimè grassantis, uiua imago est. Admonemur autem exemplis istis, minimè excusari eos, qui huius zeli prætextu Christi fidelibus iniuriam faciunt. Hoc enim fore, Christus olim prædixit. Et Paulum zelo patriæ legis flagrauisse constat, quando ecclesiam persequebatur. Sed idem eam ob causam se primum & maximum inter peccatores esse fatetur. 1. Timoth. 1. Nec enim nostro nos zelo ferri uult deus, sed scientiam requirit, ut uerbi sui cognitione illustrati, quod ille iubet & præcipit, faciamus. Vide Numer. 15. Cap.

Seditionis descriptio.

Hypocritæ militibus crudeliores.

Sed ad Paulum reuersi, quid is tot undiq; periculis circumuentus fecerit uideamus. Vnum uerò de hoc Lucas commemorat, ex quo tum fidei ipsius inuictam constantiam, tum animi magnitudinem æstimare licet. Nam in tanto populi furore & confusis clamoribus excusationem meditatur: partim quidem quòd summo suæ gentis studio teneretur, & illam lucrifacere cuperet: partim uerò, quòd Christi causam, cuius minister erat, suspicione liberatam uellet. Estq; Pauli exemplum omnibus ministris imitandum, ut in priuatis periculis cum aliorum hominum salutem, tum Christi gloriam unicè quærant. Sed præstat singulas huius actionis partes inspicere. Primò non temere ad dicendum prorumpit, quod seditiosorum est, sed honorificè & modestè à Tribuno dicendi copiam petit. Nec illum quia miles erat contemnit: sed potius, quia legitimum imperium & magistratum gerebat, ueneratur. Quo exemplo tum Pontifices tum Anabaptistæ arguuntur, quorum hi quidem magistratus omnes simpliciter damnant, illi uerò eosdem pedum osculis subijciunt, imò improbè conculcant. Porro Tribunus, quàmuis latronem arbitretur, amicè respondet, & num Aegyptius ille sit rogat, qui paucis antequam hæc gererentur diebus, ad res nouas populum excitarat, & cum dispersis sui exercitus reliquijs hinc inde latrocinia exercebat. Ita enim fieri oportebat, ut qui uerum Meßiã amplecti noluerant, ab impostoribus miserè deluderẽtur, ut alibi monuimus. Docet autem Tribuni exemplum, amicè cum captiuis agendum esse. Quia enim uinculorum finis est, ut malefici coerceantur, ne nocere poßint, utq; alijs exemplo sint, inhumanum simul & iniquum est, ultra hos fines in eum sæuire, cuius nos potius propter communem humanitatis sensum misereri oportebat. Vides rursum in Tribuni quæstione quàm horrendis criminibus seruos suos grauari & suspectos fieri deus patiatur, qui tamen eorundem memoriam asserere & seruare consueuit. Psalm. 34. Quare non est, ut illa nos moueant, sed Paulum imitemur, qui indigna hac quæstione nihil cõmotus, amicè & modestè,

Paulus apologiã meditatur.

Vide Ioseph. de bello Iud. lib. 2. cap. 12.

quis sit, indicat, eaq; modestia (ita negotium omne moderante deo) dicendi copiam à Tribuno impetrat. Quòd si uerò cum Tribuno hoc nostri seculi Monachos & hæreticæ prauitatis Inquisitores conferas, qui Martyrum Christi linguas erui curant, ne dum ducuntur, populo loqui possint, facilè patebit quantò maior sit illorum cum impietas tum truculẽtia. Cæterum Paulus impetrata à Tribuno dicendi copia, populo mox manu annuens, ab illo quoq; silentium impetrat, & extempore orationem accuratam, & non leue animi præsentis indicium, instituit. Quo loco dei cum potentia tum Veritas nobis obseruanda uenit. Illa enim in eo elucet, quòd furentis populi animos momento cicurare potuit, ut illi aures præbeant, quem modò ad mortem deposcebant. Huius autem argumentum haud uulgare est, quòd Paulo clamoribus seditiosorum obturbato & uerberibus miserè contuso animum præsentem & uerba suggerit, quibus causam suam coram sæuißimis hostibus intrepidè simul & artificiosè agat. Ita enim impletur, quod Christus dixerat: In illa hora dabitur uobis, quod loquamini, &c. Vide Matth. 10. Marc. 13. Confer cum Paulo hoc catenato Romanæ eloquentiæ parentem Ciceronem, & intelliges quantis interuallis Christi spiritus omnem humani ingenij industriam et longum dicendi usum superet. Is enim cum olim lectica in forum delatus, Milonis causam agere deberet, uisis Pompeij armis toto foro coruscantibus, faucibus metu interclusis uix singultire potuit. At Paulus catenis uinctus, & recentium adhuc uerberum dolorem sentiens, inter militum arma, astante simul Tribuno, proprij capitis causam constanti ore & animo agit, nimirum Christi spiritu animatus, quem ille suis paracletum & aduocatũ promiserat. Horum meditatione ipsi quoq; animemur, ut intrepidè coram mundo hoc salutis & fidei causam agamus, nec enim nos quoque suo spiritu & fauore destituet is, cui credidimus, qui est dominus ac saluator noster, Iesus Christus: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Pauli & Ciceronis comparatio.

CAPVT XXII.

HOMILIA CXLII.

VIri fratres & patres, audite meam, qua nunc apud uos utor excusationem. Cum autem audissent, quòd Hebræa lingua ipsis loqueretur, magis præstiterunt silentium. Et dicit: Ego quidem sum uir Iudæus, natus in Tharso Ciliciæ, educatus autem in hac urbe ad pedes Gamalielis, institutus accuratè in Lege patria, studiosus dei, sicut & uos omnes estis hodie: qui hanc uiam persecutus sum usq; ad mortem, alligans ac tradens in carceres tam uiros quàm mulieres: sicut & Princeps sacerdotum mihi testis est, & totus Seniorũ ordo. A quibus etiam acceptis ad fratres epistolis Damascum pergebam, adducturus & illos, qui illic essent, uinctos Hierosolymam, ut punirentur.



Vàmuis Saluator noster, Iesus Christus, discipulos suos in ferendis conuicijs & calumnijs patientes esse uelit, hoc ipsum tamen non obstat, quò minus suam innocentiã publicè simul & constanter asserant. Imò hoc illos facere non rarò neceßitas iubet, ne propter ipsos tum Christus tum fides Christiana malè audiant. Prudenter ergo hoc in præsenti actione Paulus obseruat. A Iudæis enim hunc, ut publicum populi dei, Legis diuinæ & templi hostem accusatum fuisse audiuimus. Acceßit his sinistra Tribuni suspicio, qui eundem Aegyptium & sicariorum ducem esse putabat. Quæ omnia cum non tam Paulo quàm Christianæ religioni & uniuersæ causæ Veritatis fraudi esse possent, non securus negligit, nec trunci instar tacet, sed in hoc diligentißimus est, ut se purgandi copiam à Tribuno impetret: qua impetrata, nihil eorum intermittit, quæ causam ipsius iuuare poterant. Diligenti enim & longa narratione rerum abs se gestarum seriem contexit, ut omnium illarum ratio toti populo pateat, ne quid uel turpi leuitate, uel impia audacia fecisse uideatur. Proderit autem, eximium Christi apostolum è uinculis concionantem diligenter audire, & singulas orationis ipsius partes inspicere.

Princi-

Exordium & Propositio.

Principiò Exordium & Propositionem paucis simul comprehendit. Nam fratres & patres uocat, quod beneuolentiæ conciliandæ seruiebat. Quò etiam facit, quòd lingua Hebræa utitur, qua illos comprimis delectari nouerat. Mox uerò excusationem promittit, ut se innocentem esse intelligant. EST autem diligenti obseruatione digna modestia, qua apertos hostes & tot modis in se iniurios, fratres & patres appellare dignatur. Nec enim adulandi causa, aut periculi metu suppressus id facit, sed partim quòd se ex populi numero esse agnoscit, partim uerò quòd spes erat, in tanta multitudine saltem aliquos bonos inueniri, aut per uerbi doctrinam conuerti & lucrifieri posse. Arguuntur itaque Pauli exemplo, qui legitimos & receptos honorum titulos damnant, quos alibi idem apostolus obseruare præcipit, cum iubet ut nos mutuo honore præueniamus. Quàmuis non probamus eos, qui in his inepta adulatione modum omnem excedunt, dum non tam aliorum honori & famæ quàm suis commodis consulere student. Interim officij admonemur, ne propter paucos, qui in nos iniurij sunt, totam aliquam gentem damnemus. Quæ enim atrociores iniuriæ excogitari possunt, quàm quas à Iudæis Paulus sustinuit? Memoria repete quæ hoc libro à Luca exposita audiuisti, qui tamen singula non commemorauit, ijs nimirum contentus, sine quibus historiæ series constare non poterat. Illos tamen amat Paulus, & honorifice compellat. Eosdem saluos cupit, & illorum salutem animæ propriæ iactura redemptam uellet. Imò recenti adhuc uerberum dolore excruciatus & uinctus fratres patresq; suos agnoscit. Examinent sese ad huius exempli regulam, qui præcipiti ira excæcati, ob leuiculam iniuriam, à uilißimo homuncione illatam, totas nationes conuicijs obruunt & diris deuouent, quum Christiano homini ne contra hostem quidem uindictam persequi fas sit. Quæ ergo uæsania est, unius hominis improbitatem toti nationi aut genti acceptam ferre?

Narratio.

Sed ad Paulum reuertamur, qui breui hoc Exordio præmisso, Narrationem rerum suarum omnium instituit: non quidem ut gloriosulus suas uirtutes iactet, sed quòd illud res ipsa postularet. Primò enim à natalibus suis exorsus, Tribunum sinistra suspicione liberat, qui ipsum sicariorum ducem Aegyptium esse suspicabatur. Deinde Iudæis respondet, qui partim religionis auitæ mutationem indignè ferebant, partim succensebant quòd euangelium inter gentes prædicaret. Summa uerò huius scopus totius narrationis est, se nihil priuato consilio aut arbitrio, sed omnia ex dei iussu & uocatione fecisse. Cæterum ita narrando progreditur, ut omnibus sinistris suspicionibus occurrat, ne uel inscitia & ignorantia, uel prophano omnis religionis concemptu, uel turpi leuitate ad Christi fidem & apostolatum transiuisse uideatur. Et hæc quidem singula ordine uideamus.

Paulus non inscitia religionē mutauit.

Primò sunt, quos inscitia & ruditas in religione leues reddit, dum rerum ignari quouis doctrinæ uento sese agitari patiuntur. Ne quis ergo illum ex horum numero putaret, à prima institutione orditur. Educatus sum (inquit) in hac urbe ad pedes Gamalielis, institutus accuratè in lege patria. Nō temerè autem tum urbis Hierosòlymorū, tum præceptoris sui meminit: quia in illa schola erat totius gentis celeberrima, huius autem præcipua erat inter doctores siue legisperitos authoritas, ut supra Cap. 5. audiuimus. Fieri ergo non poterat, ut religionis & scripturæ sacræ rudis & ignarus esset, qui à pueris in illa urbe, inter media sacra educatus, & à tanto uiro institutus fuerat. Porrò omnium nostrum institutioni pulchrè seruit Pauli exemplum, qui religionis & fidei causam acturus, primò omnium inscitiæ & ruditatis crimen amolitur. Docet enim neminem in religione rudem & ignorantem esse debere, nec eorum sententiam probari, qui simpliciter credendum esse docent, nec permittunt, ut in religionis causa diligentius examen & iudicium maturum exhibeas. Vult enim nos à teneris institui deus, ut uidere est Exod. 13. Deute. 6. Psalm. 78. Nec alia de causa magis laudatur Abraham, quā quòd in posteritate sua religiosè instituenda diligentißimus fuit. Gen. 18. Habent ergo quod hoc loco obseruent parentes, qui nisi teneris puerorum animis religionem instillauerint, eosdem ubi cum ætate indurauerunt, nunquam tractabiles habebunt. Quod enim in plantis, equis, canibus & alijs brutis experimur, hoc ipsum in puerorum educatione fieri consueuit. Sed ô nostram socordiam & impietatem, qui canes quidem & equos magno labore instituimus, liberos uerò indomitos & effrenes negligimus, &c. EST præterea non parum modestiæ simul & pietatis argumentum, quod præceptoris sui, Gamalielis, honorificam mentionem facit, quem tamen in multis errauisse nouerat, & ex cuius traditione præposterum legis zelum hauserat. Gratiam tamen se illi

debere agnoscit, cuius labore saltem bonas literas didicerat. Quantò maiorem ergo illis praeceptoribus gratiam debemus, qui cum bonis literis pietatē quoq; & ueram salutis rationem tradunt? Refer huc dei praeceptum, quod de parentibus honorandis in decalogo habetur.

Paulus nō propbano contemptu religionem mutauit.

Sed ut in Pauli narratione pergamus, sunt rursum alij, qui propbano contemptu ad alienas religiones transeunt, dū in quauis homines saluari posse sibi persuasum habent. Hi dum omnes religiones probare uidentur, religionem omnem simpliciter euertunt, & deum quendam stultè ambitiosum fingunt, quem uaria & diuersa histrionum genera delectent. Ne quis ergo Paulum istis adnumeraret, se non absq; zelo ueteri Iudaeorum religioni operam dedisse dicit. Nam studiosus dei (inquit) fui, sicut & omnes uos. Alibi se supra omnes suos coaetaneos profecisse scribit. Quo exemplo, in religione zelum requiri, docemur. Licet enim zelo suo Paulus grauissimè peccarit, non tamen simpliciter ille damnari meretur. Nam totos nos sibi deus uendicat, dum toto corde, tota anima & cunctis uiribus à nobis amari, timeri & coli uult. Minimè ergo probari debent, qui stultum & ineptum arbitrantur, si quis cum quoquam in religionis causa contendat. Quasi uerò in utrunq; latus claudicare, imò quotidie religiones, monetae instar, permutare liceat. Sed sunt isti homines ex eorum numero, quos ob teporem ignauum deus se euomiturum minatur. Apoc. 3.

Paulus non leuitate religionem mutauit.

Tertiò alij inueniuntur, qui cum natura ad res nouas procliues sint, leuissima quaq; priuati cōmodi spe & occasione impulsi, quiduis sibi persuaderi patiuntur, aut etiam nemine suadente recipiūt. Quod ut turpissimum hominum genus est, ita ab hoc quoq; se alienissimum esse Paulus diligenter probat, cum ait: Hanc uiam persecutus sum usq; ad mortem, alligans ac tradens in carceres tam uiros quàm mulieres. Nec contentus eos uinxisse, qui in urbe hac Christo nomen dederant, publicarum literarum authoritate instructus, Damascum usq; excurri, ut illic quoq; credentibus negotium facerem. Et huius quidem facti testes sistit ipsum Pontificem et Seniores, ne quis dubitaret. Hu uerò docere uult, tantum zeli feruorem, non nisi diuina uirtute subitò mutari potuisse, adeoq; se diuinitus uocatum, imò coactum ad Christi fidem transiuisse, quemadmodum in sequentibus clarius docebit. Admonet autem Pauli exemplum, in religione cumprimis cauendum esse, ne carnis affectu in consilium admittendo nostra quaeramus. Qui enim id faciunt, quouis uento circumferūtur, & licet ueram religionem aliquando apprehendant, mox tamen ab ea quoq; resiliunt, ut primùm illam suis affectibus minus respondere senserint. Abiecto igitur caeca carnis & mundi studio, dei uocem audiamus, quam secuti Christum amplectamur, ut huic superaedificati aduersus omnes procellas immoti stemus, ac in illo adolescamus, cum eodem olim in caelis regnaturi: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in aeternum. Amen.

HOMILIA CXLIII.

Accidit autem mihi iter facienti, & appropinquanti Damasco, circiter meridiem, ut subitò de coelo circumfulgurauerit me lux multa, cecidiq; in terram, & audiui uocem dicentem mihi: Saul, Saul, quid me persequeris? Ego uerò respondi: Quis es domine? Dixitq; ad me: Ego sum Iesus ille Nazarenus, quem tu persequeris. Et qui mecum erant, lumen quidem uiderunt, & exterriti sunt: uocem autem non audierunt eius, qui mecum loquebatur. Tūc dixi: Quid faciam domine? Dominus autem dixit mihi: Surge & uade Damascum, & illic tibi dicetur de omnibus, quae ordinata sunt tibi ut facias. Et cum non uiderem prae gloria luminis illius, per manum deductus à comitibus, qui erant mecum, ueni Damascum.

DIuus Paulus, coram Iudaeis è uinculis uerba faciens, diligentem rerum suarum narrationem contexit, non quidem ut inani ambitione suarum uirtutum praeconem agat, sed ut sinistris suspicionibus occurrat, notumq; fiat omnibus, se ex dei iussu & uocatione, non temere aut priuato consilio ad Christi fidem transiuisse, & eandem praedicauisse gentibus. Et huc quidem cumprimis referri debent, quae in hesternis de sua educatione, de suo item in legis disciplina profectu, de Iudaica

religioni

religionis zelo, & ecclesiæ Christi persecutione dixit. Ex illis enim cuiuis facile fuit coijcere tantum tamq; feruentem Iudaismi propugnatorem & Christianismi hostem, non nisi diuina uirtute tam subitò mutari potuisse. Id uerò in præsenti euidentius docet, dum suæ Conuersionis historiam ordine cũ omnibus circumstantijs commemorat. Quæ cum alibi copiosius tractata sit, modò ea duntaxat attingemus, quæ ad præsentis causæ statum faciunt, unà cum paucis alijs, quorũ repetitio minimè superuacanea esse uidetur, & in quorum consyderatione nos frequentius uersari decet.

Et primò quidem obseruãdum uenit, quòd Paulus suum à Iudaismo ad Christi fidem transitũ hoc uno argumento excusat, quòd huius authorem & suasorem habuerit deum. Vnde colligimus, minimè reprehendi debere eos, qui deo uocante ueteres superstitiones deserunt, & ueram religionem amplectũtur, quando constat, deum non nisi quod rectum & salutare est iubere, nosq; illi simpliciter debere obedientiam. Nisi enim hoc statuamus, leuitatis & inconstantiæ culpa nec Paulum nec apostolos liberare poterimus, qui omnes dei filium secuti, religionem in qua nati & enutriti fuerãt, mutauerunt. Docẽt hæc, quàm iniquè ab aduersarijs nostris accusemur ob desertam à nobis Romanam ecclesiam, cum idem illis respondere poßimus, quod in præsenti Paulus Iudæis respondit: Nihil uimirum à nobis priuato consilio factitatum esse, sed nos ex Christi iussu & mandato religionem mutauisse. Licet enim non eodem modo & ratione nobiscum Christus egerit, qua olim Paulum aggressus est, eiusdem tamen uocem, in euangelio sonantem, audiuimus & secuti sumus. Clamat ille: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego requiem uobis præstabo. Matth. 11. Si quis sitit, ueniat ad me & bibat, &c. Iohan. 7. Ego sum lux mundi. Qui me sequitur, non ambulat in tenebris. Iohan. 8. Ego sum ostium. Per me si quis introierit, seruabitur, & ingredietur & egredietur, & pascua inueniet. Qui non intrat per ostium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro. Iohan. 10. Item, Ego sum uia, lux et ueritas. Nemo uenit ad patrem, nisi per me, Iohan. 14. Accedunt his apostolorum uoces, qui Christi spiritu extimulati, in hoc uno & solo salutem haberi & inueniri, uno ore clamant. Quis ergo cordatus nobis uitio uertat, quòd uiuam Christi uocem secuti, Romanam sedem deseruimus, quæ nobis extra hunc infinitas salutis rationes monstrabat, imò suis traditionibus salutis omnino incertos reddebat? Quantò magis reprehendi debent, qui Christum expansis brachijs & clara uoce ad se inuitantem improbè aspernantur, ingratis illis & pertinacibus similes, de quibus apud Isaiam conqueritur? Quòd si quis excusationem nostram non admiserit, næ is abundè probat, se eodem cum impijs Iudæis spiritu agitari, qui & ipsi Paulum hac ipsa ratione sese excusantem audire dedignati sunt, &c.

Religionis mutatio per solius dei uerbũ excusari potest.

Psal: 11
Jo: 7:8:10.

Secundò elucent hic mirabilis Christi potentia & modus, quo ille in hostibus suis oppugnãdis uti consueuit. Vbi tria consyderanda ueniunt. Primũ est, quòd Paulum Damasco appropinquare patitur, priusquam aliquod suæ iræ & iudicij specimen edat. Nec dubium est, quin in conspectu habens urbem, quam credentium asylum esse putabat, totus rabie exarserit, miserè interim in urbe trepidantibus pijs, ad quos accelerantis lupi fama præuenerat. Sed iam iam uoraturo obiectum bolum occurrit dominus. Est enim hoc dei ingenium, ut multa impijs indulgeat, & ad illorum conatus aliquandiu conniueat, ut dum suos illorum opera castigat, ipsis interea paretur fouea, & gloriosior fiat suorum liberatio. Vide Psal. 94. Deinde facillimè & sine negotio sternit tyrannum, qui & animi uiribus minax & publica authoritate instructus ueniebat. Fulgure enim totum quasi exanimat. At quid deo tam facile, quàm fulgura eiaculari cœlitus? Mox uerò cadit furibundus ille Enceladus, quem nec comites itineris, nec Pontificum literæ contra Christi iram defendere possunt. Nec mora, mitis iam & placidus, quis ille antagonista tam potens sit, interrogat, seq; illi ad omne obsequium obedientem & facilem offert. Accedit, quòd non corpore modò debilitatus, uerumetiam oculis captus in eam urbem manibus aliorum ducitur, è qua Christianos uinctos educturus aduenerat. Ita solet mirificè deus suorum hostium conatus eludere, ut omnium ludibrio exponantur, qui modò inuicti esse, & cœlis etiam leges ponere uidebantur. Exempla huius rei plura alibi produximus, quorum omnium hic finis esse debet, ne hostium potẽtia terreamur, sed in deo spem fixam habeamus, cui tam facile est suos ex illorum manu asserere.

Christi potentia in hostibus suis oppugnandis.

Et huc cumprimis faciunt (quod tertium huius tractationis caput est) Christi uerba dicentis: Saul, Saul, cur me persequeris? Item: Ego sum Iesus ille Nazarenus, quem tu persequeris. His

enim ad se pertinere fatetur, quæcunq; contra fideles ipsius hucusq; gesta fuerant. Ea enim inter nos & Christum coniunctio est, quæ inter caput & membra esse consueuit. Quis uerò ecclesiam Christo curæ esse putauisset, quando Stephanus lapidum aceruo obrutus indigna morte peribat? Vel cum Saulus domos piorum effringens uiros & mulieres in uincula trahebat? Atqui ista non modò uidit tum Christus, nec modò suorum cladibus doluit, sed ita illis affectus est, ac si uincula & flagra in proprio corpore sustineret. Huc pertinet quòd apud prophetam ait: Qui uos tangit, tangit pupillam oculi mei. Zach. 2. Hæc uerò ut piorum consolationi seruiunt, ita omnes eos terrere debent, quibus leuiculum uidetur, Christi membra uel fidei et religionis ergò persequi, uel alioqui iniurijs afficere, uel usuris aut ui iniusta opprimere. Audit enim suorum clamores, & uindicem ait potentissimum. Interim docet Christi exemplum, qualis συμπάθεια inter nos quoq; esse debeat, qui cũ Christo capite gloriamur, unius et eiusdem corporis membra nos esse profitemur. Gaudeamus ergo cum gaudentibus, & ploremus cum plorantibus. Vide 1. Cor. 12. Rom. 12. &c.

Conuersionis ueræ exemplũ.

Postremò memorabile conuersionis ueræ exemplum hic proponitur, cuius singulas circumstantias inspexisse multum proderit. Initiò autem ipse Paulus consyderandus erit, quem priusquam conuerteretur, lupi instar fuisse constat, qualem fore Iacob patriarcha prædixerat. Et rabie totus flagrans ad dissipandum Christi ouile pergit, nihil interim de conuersione suiipsius ad Christum cogitans. Ad interitum ergo ruit insano ardore, & perijsset haud dubiè, nisi cœlitus extensa manu illum retraxisset dominus. Vnde discimus, Conuersionis initium ex deo esse. Eadem quippe omnium nostrum conditio est, quæ Pauli fuit. Natura corrupti, cæcos carnis affectus sequimur, & quia peccatorum blanditijs fascinamur, adeoq; inter peccandum nobisipsis placemus, de emẽdatione nunquam cogitamus, nisi quid tale bonus dei spiritus nobis suggerat. Quid enim hic faceremus, qui ex nobis ipsis non sumus idonei ne ad cogitandum quidem? 2. Cor. 3. Rectè ergo propheta clamat: Conuerte nos, & conuertemur. Ier. 31. Thren. 5. Et Paulus deum in nobis tum uelle tum facere operari testatur, pro bona sua uoluntate. Phil. 2. Posset pars hæc quàm plurimis exemplis illustrari, sed quia scripturas legenti passim occurrunt, breuitati studemus. Conuincuntur autem hic liberi arbitrij assertores, qui hominem propria sua uoluntate ad pœnitentiam conuerti posse docẽt. At si Conuersionis initium ex nobis est, utiq; operi nostro aliqua meriti laus tribui debet, quod tamen absq; Christi contumelia fieri non potest. Quòd si uerò initium boni ex uno deo est, quid obsecro superba liberi arbitrij gloriatione efferimur, quando ea in re nullus illius usus est, in qua nobis illo cumprimis opus erat, iuxta illorum hominum sententiam? Sed omissis his modum Conuersionis uideamus, qui quedam externa, quedam interna habet. Ad illa pertinet, quòd fulgure consternatur Paulus & ex equo deijcitur, & quòd uerbo suo peccati atrocitatem Christus arguit. Interius autem spiritu suo operatur, & animum illius tractabilem reddit. Est hic solennis & communis modus, quo in conuertendis peccatoribus deus utitur, & quem nostræ naturæ corruptio planè requirit. Quia enim securi in peccatis uoluptuamur, insolita aliqua clade nos expergefieri oportet: & in eum finẽ uarias castigationes deus immittit, quales sunt, Morbi, egestas, sterilitas, fames, bella, & quæcunq; huius generis aduersa uel publicè uel priuatim accidunt. Rursum quia de peccato nunquam uerè iudicat carnis sensus, dei uerbo illius atrocitatem reuelari necesse est, quod etiam Christus innuit, de spiritu suo dicẽs, quòd mundum de peccato arguat. Iohan. 16. Accedũt externis his occultæ spiritus suggestiones, quibus animæ aures nobis uellicat deus, et excitat, ut de pœnitentia seriò agenda cogitemus. Atqui hunc dei ordinem, ab ipsa seculi origine obseruatum, facilè in semetipso deprehendet, quisquis non omnem humanitatis sensum exuit. Quid uerò nos facere cõueniat, cum istis medijs à deo inuitamur, Pauli exemplum docet. Apparet quidem in hoc carnalis socordiæ uestigium, quando prostratus adhuc dominum ignorat. At laude dignum est, quòd domini uoce edoctus, mox quid is fieri uelit, interrogat. Ea enim animi uerè humiliati uox est, qua se totum diuinæ uoluntati obedienter subijcit. Imitemur ergo exemplum hoc, quod ut nostræ institutioni seruiret, literis mandari uoluit spiritus sanctus. Et castigati quidem, nos à domino castigari cogitemus, qui pœnitentiam flagitet. Hanc uerò non ex nostro cerebro, prout nobis bonum uidetur, sed iuxta dei placitum, quod ex uerbo ipsius discetur, instituamus. Ita enim aduersa quoq; emendationi nostræ seruient, nostra uerò emendatio siue conuersio deo approbari poterit. At si hæc cum nostri seculi moribus conferas, uidebis quàm uariè peccetur.

Margin notes: 1. Initiũ conuersionis ex deo. — 2. Conuersionis modus. — 3. Cõuersorum officia.

tur. Paucos enim inuenias, qui castigati, eius rei authorem agnoscant deum, sed pleriq; sua infortunia alijs causis accepta ferunt. Quòd si quos aliquis religionis sensus tangit, vt dei manum agnoscere cogantur, ille vel perexiguus & momentaneus est, vel cum superstitione coniunctus, qua deceпti, falsam & momentaneam pœnitentiam instituunt, qualem Israeli apud prophetam deus exprobrat. Vide Hos. 6. Atqui hæc præcipua tot tamq; pertinacium nostri seculi calamitatum causa est, quam nisi tollamus, meliorem sortem nunquam sperare licebit. Postremum in hac tractatione habetur, quòd in vrbem ad Ananiam relegatur Paulus, à quo pleniorem instructionem petat. Huius præcepti siue facti causas supra exposuimus, vnde eas petere licebit. Nos Pauli exemplum imitari docet, vt diuinæ vocationi nos accommodantes, à superstitione & reliquis peccatis ad deum conuertamur, ab illius ore toti pendeamus, & uitæ nostræ conuersationem voluntati illius conformemus. Ita enim vitam hanc feliciter emensi, in cœlis cohæredes erimus Iesu Christi, filij dei æterni: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen. Vide Homil. 63. cap. 9.

HOMILIA CXLIIII.

Ananias autem quidam, uir pius secundum legem, testimonio probatus omnium illic habitantium Iudæorum, ueniens ad me, & astans, dixit mihi: Saul frater, recipe uisum. Et ego eadem hora recepto uisu uidi illum. At ille dixit: Deus patrum nostrorum præparauit te, ut cognosceres uoluntatē suam, & uideres Iustum, & audires uocem ex ore eius: quia eris testis illi apud omnes homines eorum quæ uidisti & audiuisti. Et nunc quid cunctaris? Exurge, & baptizare, & ablue peccata tua, inuocato nomine domini.

QVoniam omnis mutatio religionis odiosa est, vt quæ leuem & inconstantem animum arguat, Paulus non temere suum è Iudaismo transitum tanta diligentia excusat. Et primò quidem, se in illo non obiter aut perfunctoriè, sed magno cum zelo, versatum fuisse docuit, ne quis ipsum vel inscitia lapsum, vel disciplinæ odio extimulatum, vel prophana animi leuitate impulsum, fidei professionem mutauisse diceret. Inde verò suæ vocationis historiam contexuit, vt se non tam à deo vocatum, quàm coactum hoc fecisse, intelligerent. Istis in præsenti subijcit, vt ad apostolicæ functionis munus legitimè per Ananiæ ministerium ordinatus sit, quem etiam cœlestis visionis & oraculi à deo destinatum interpretem habuerit. Loci verò huius principalis finis est, vt illis occurrat, qui vocationis suæ historiam suspectam habebant, & Paulum inani phantasia delusum fuisse, calumniabantur.

Commodè verò à personæ descriptione orditur, ne quis ipsum homini leui credidisse suspicaretur. Et quia apostatæ testimonium Iudæi minimè admisissent, ante omnia à diligenti legis obseruatione Ananiam commendat, dum illum uirum pium secundum legem fuisse dicit. Addit huic elogio publicum Iudæorum omnium, qui Damasci illo tempore habitarunt, testimonium. Accedit his restituti visus miraculum, cuius hunc præcipuum vsum videri vult, vt Paulus Ananiam diuinitus ad se missum esse, agnosceret. Quis verò vanitatis eum accuset, qui cœlesti oraculo admonitus, imò totus consternatus, & tantum oraculi interpretem secutus, religionem mutauit? Atqui docet Pauli exemplum, in religionis causa cumprimis leuitatem fugi debere, ne temere cuiuis fidem habeamus. Vt enim in hac nostræ salutis summa consistit, ita omnibus seculis impostores fuisse constat, qui simplicium animis errorum laqueos tetenderunt, & tales in posterum quoq; exorituros esse, tum Christus tum apostoli abundè testantur. Deploranda ergo est nostri seculi hominum socordia, qui in clarissima euangelij luce, contra Iohannis apostoli præceptum, cuiuis spiritui credunt: imò eos demum pro verè apostolicis habent, qui scurrili maledicentia & verbi ministros & magistratus clanculò proscindunt: cùm interim nec eruditionis laude, nec morum grauitate commendentur. Simul autem obseruemus, quæ vera sit ministrorum commendatio, adeò omnium, qui in publico aliquo munere versantur. Primum hîc locum habet, Pietas, quando ea iuxta legem, id est, dei præscriptum instituta fuerit. Nec enim sufficit, pium esse simpliciter, nisi in dei verbum respiciatur. Alioqui enim zelus Ananiæ descriptio. Vera ministrorum laus.

erit sine scientia, quali Iudæi simul & Paulus olim decepti fuerunt. Deinde bonum testimonium habeant ab ijs, quibus cùm versantur, tum ab exteris quoq;, ne propter ipsos euangelium malè audiat. Vide de hoc Paulum in priori ad Timoth. 3. cap. His verò legitimam vocationem accedere oportet, cuius nisi sibijpsis probè conscij fuerint, nec fortiter, nec cum fructu aliquo munus suum obibunt. Atqui tales omnino esse constat, quibus credidimus, prophetas nimirum & apostolos. Nam dei verbum in omnibus secuti, ab illo ne latum vnguem sibi discedendum esse putauerunt. Ea verò fuit vitæ illorum integritas, vt hodie etiam inter Turcas & Papistas sancta habeatur nominis ipsorum memoria. De vocatione eorundem nemo dubitare potest, quando tot eius in scripturis sacris testimonia extant. Minimè ergo vanitatis accusari debent, qui his crediderunt. Quin potius fidem ab ipsis traditam constanter retineamus, vt quæ sola salutem afferre poterit.

Ananiæ oratio.

Porrò vbi Ananiæ personam descripsit Paulus, illius quoq; orationem verbotim commemorat, eò quòd singula, quæ in hac habentur, causæ ipsius egregiè seruiebant. Nam & totius negotij authorem vnicum, deum, esse docet, & vocationis finem indicat, ac postremò ad baptismum capessendum hortatur. Ad primum caput pertinet quod dicit: Deus patrum nostrorum præparauit te. Hinc nimirum Paulus de sua vocatione ita certus fuit, vt postea se ab vtero matris ad euangelizandi munus præparatum fuisse, dicere ausit. Galat. 1. Disertè autem deum patrum nominat, vt ita se nequaquam à veri dei cultu defecisse, testetur. Cæterum, vt hæc Pauli è Iudaismo transitum excusant, & eiusdem doctrinæ fidem faciunt: ita eundem nullo suo merito, sed mera dei gratia vocatum fuisse docent. Quid enim in Paulo, acerrimo Christi hoste & protomartyris Stephani sanguine madente, esse potuit, cuius gratia vocaretur? Ipse certè se inter peccatores principem constituit, & meræ bonitatis dei beneficium fuisse fatetur, quòd Christi minister & apostolus sit factus. 1. Timoth. 1. At quod de Paulo dicimus, de omnibus nobis debet intelligi. Eadem enim omnium nostrum conditio est, vt nisi sua bonitate nos deus præueniat, nos ex nobis ipsis ne ad cogitandum quidem idonei simus: qua de re alibi copiosius diximus.

I. Paulus à deo uocatus.

II. In quem finem Paulus uocatus.

Audiamus modò, in quem finem deus Paulum præparauerit, vbi multa nobis consyderanda veniunt. Primum est: Vt cognosceres voluntatem suam. Hinc autem orditur, quia hoc initio verbi ministris opus est: qui nisi ipsi voluntatem dei intelligant, hanc alios docere nunquam poterunt. Licet verò in lege à pueris institutus esset Paulus, dei tamen voluntatem, quæ ibi sub inuolucris continetur, hucusq; ignorauerat. Lege enim homines iustificari & saluari putabat, eius voluntatis plane ignarus, quæ est, vt omnis qui videt filium, & credit in eum, à quo ille missus est, non pereat in peccatis, sed filij merito iustificatus habeat vitam æternam. Iohan. 6. Hanc ergo illi reuelari oportuit, ne in legalibus vmbris, salutis suæ incertus, oberraret. Porrò quia dei salutifera voluntas in uno Christo continetur & addiscitur, huius quoque cognitionem mox subijcit Ananias, Paulum ad hoc præparatum esse, dicens, vt videret Iustum. Ita verò Christum nominat, tum quòd ipse iustus & inculpatus est, tum quòd iustos reddit in se credentes. Vnde hoc illi nomen fore propheta prædixit, Dominus iustitia nostra. Ierem. 23. At cùm dei opus fuerit, quòd Christum agnouit Paulus, constat in eiusdem cognitionem neminem peruenire, nisi deus illam manifestare dignetur. Nam etiam Christo teste, nemo videt filium, nisi pater, & cui is reuelare dignabitur. Matthæi vndecimo. Vnde rursus, salutem nostram gratuitam esse, constat. Tertiò in hoc præparatum esse docet, vt audiret vocem ex ore dei, adeoq; præter vulgarem morem diuinitus edoceretur, id quod alibi Paulus præcipuè inculcat contra eos, qui ministerij sui authoritatem eleuare conabantur. Galat. primo & secundo. Est verò hoc admirabile dei beneficium, & tale omnino apparebit, si Paulum dei hostem fuisse cogitemus, quem tamen ille amico & salutari alloquio dignatus est. Agnoscamus & nos dei bonitatem, qui alloqui quotidie eos dignatur, quos hostium loco censere & persequi optimo iure poterat. Interim hic officij sui omnes ministri admonentur, ut nimirum ex dei ore, scripturis videlicet, doctrinam suam hauriant, nec sibi liberum esse putent, pro suo arbitrio noua decreta ecclesijs obtrudere. Vide quæ in hanc sententiam alibi diximus. Postremò officium, ad quod à domino destinatus erat, disertè exprimit, ideo illi dei voluntatem, Christi cognitionem simul & vocem innotuisse dicens, quòd Christo testis futurus sit apud omnes homines, auritus nimirum & oculatus. Ita verò reliquis apostolis parem factum fuisse constat, quando illis quoque non aliud iniunctum fuit, quàm

ut de

vt de Christi vita & morte, doctrina item & miraculis, tandemq́; de eiusdem resurrectione & ascensione testimonium ferrent. Comprehendit autem testis nomen vniuersum apostoli & cuiusuis ministri officium, vt supra capite primo diximus, vnde peti debent, quæ hîc breuitatis studio omittuntur. Disertè verò omnium hominum meminit, vt illis respondeat, quibus indignum & iniquum videbatur, quòd Christi euangelium gentibus incircumcisis prædicauisset. Simul verò generalis doctrina hinc decerpi potest, quæ officij admonet omnes eos, quos deus suæ voluntatis & filij sui cognitione illustrauit. Est hoc, vt eandem cognitionem longè lateq́; propagent, & de dei gratia paßim testentur. Iubet hoc partim gratitudinis lex, vt dei gloriam prouehant, cuius salutarem manum senserunt: partim charitas fraterna, vt aliorum salutem, non minus quàm nostram nobis commendatam habeamus. Quibus rationibus simul & expresso dei mandato Paulũ quoq; extimulatum fuisse constat, vt officium suum, quantumuis indignantibus Iudæis, intermittere non potuerit.

Restat vltima orationis Ananiæ pars, qua illum ad baptismum suscipiendum hortatur, vt iuxta Christi institutum publicè etiam ipsi nomen det, & ecclesiæ suæ inseratur. Id verò magna grauitate vrget. Quid cunctaris? inquit: non quòd Paulus tergiuersari voluerit, sed vt illi adhuc metu perculso & ob sceleris conscientiam trepidanti acriores stimulos adhiberet. Quare addit: Surge, baptizare, & ablue peccata tua, inuocato nomine domini. Est autem obseruanda nobis Sacramentalis locutio, quæ baptismi rationem & dignitatem exprimit. Nec enim ea Ananiæ mens fuit, quòd aquæ elemento peccata ablui putauerit, quæ solius Christi sanguine ablui & expiari scriptura vbiq; docet. Sed quia ablutio, quæ Christi sanguine fit, per baptismum extrinsecus quoq; figuratur & obsignatur, communi scripturæ more fit, vt baptismo peccata ablui dicantur. Et sanè, ne Paulus duriusculum putaret dictum hoc, mox additur: Inuocato nomine domini. His enim verbis ad Christum relegatur, qui fide apprehensus & inuocatus, ea nobis salutis dona communicat, quæ sacramentis figurari & obsignari solent. Vt verò in Sacramentorum vsu Christum nos respicere conuenit, si illa nobis salutaria esse volumus: ita hæc minimè superuacanea esse, nec vllo modò negligi debere admonemur. Nec enim quicquã sine graui ratione deus instituit, qui ecclesiã suam minimè grauari vult. Ideò Aethiopem quoq; post perfectam fidei confeßionem Philippus baptizat. Et Petrus Cornelij familiam, post acceptum spiritum sanctum, baptizandam esse censet. Imò ad baptismum suscipiendũ hoc loco Paulus vrgetur, quem tot tantisq́; elogijs spiritus sanctus modò dignatus fuerat. Arguunt exempla Sacramentorum contemptores, qui dum nimium spirituales videri volunt, dei instituta improbè conculcant. Imprimis autem nobis Paulus obseruandus erit, vt illius exemplum secuti, in religionis causa nihil temere aut leuiter agamus, de veritate autem probè edocti, illam constanter tenere studeamus. Ita enim per labores & pericula huius seculi ad æternæ vitæ hæreditatem penetrabimus, quam nobis ab æterno destinauit deus pater misericordiæ, in filio suo Iesu Christo: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

III. Paulus baptizatur.

HOMILIA CXLV.

Factum est autem cùm essem reuersus Hierosolymam, & orarem in templo, ut raperer extra me, ac uiderem eum, dicentem mihi: Festina, & exi uelociter Hierosolyma: quoniam nõ recipient testimoniũ tuum de me. Tum ego dixi: Domine, ipsi sciunt, quòd ego conijciebam in carceres, & cædebam in singulis Synagogis eos, qui credebant in te. Et cùm funderetur sanguis Stephani testis tui, ego quoq; astabam, & consentiebam morti eius, & custodiebam uestes interficientium ipsum. Et dixit mihi: Vade, quoniam ego ad gentes procul mittam te. Audiebant autem eum usq; ad hoc uerbum. Et sublatis uocibus suis dixerunt: Tolle de terra hominem talem: non enim conuenit eum uiuere.

Paulus apostolus (sicuti iam sæpe dictum est) diligenti hac & prolixa rerum suarum narratione sinistris Iudæorum suspicionibus & hostium calumnijs, quibus grauabatur, mederi instituit.

Erant autem duo potißimum, quæ vulgi animos aduersus ipsum irritabant: nimirum quòd è Iudaismo ad Christi fidem transiuisset, & quòd euangelium salutis gentibus incircumcisis prædicans, illas Iudæis æquaret. Ex his enim colligebant, ipsum populi dei hostem, legis totiusq; cultus Leuitici prophanum & impium cōtemptorem esse. Ad primum caput respondit hactenus, vnum hoc vrgens, quòd nihil temerè aut priuato consilio, sed omnia ex dei iussu & vocatione fecerit: ita suo exemplo docens quid nos quoq; in religione vel mutanda vel defendenda obseruare conueniat. Nunc verò ad alterum caput descendit, in quo idem argumentum adducit, à deo nimirum se euocatum fuisse docens, vt gentibus prædicaret, nec tamen se vnquam sui populi studium deposuisse: id quod ex singulis eius historiæ, quam hîc commemorat, partibus clarißimè patebit.

Paulus redit Hierosolymam.

Primò enim se Hierosolymam reuersum esse dicit: nimirum vt ijs suam operam locaret, ex quibus prognatus, & à quibus enutritus simul & institutus fuerat. Nec enim aliam ob causam huius profectionis meminit, quàm vt probet, per se nō stetisse, quò minus suæ gentis hominibus salutis nuntium afferret. Porrò profectionem hanc in quartum conuersionis Pauli annum incidere, supra capite nono ex ipsius ad Galatas epistola docuimus. Quare omissa temporis supputatione, Pauli exemplum considyeremus, quo ministri admonentur, se licet omnibus hominibus debitores sint, suæ tamen gentis & patriæ præcipuam curam gerere debere. Siquidem ea naturæ lex est, vt ijs præ cæteris obstricti simus, quibus natales nostros omnemq; à pueris institutionem debemus. Obseruauit hanc Christus quoq;, quando Nazarethanis suis salutis doctrinam ab initio statim obtulit, quorum tamen ingratitudinem ignorare non poterat. Quod autem ministris dicitur, idipsum singulis obseruandum venit, vt patriam gentem sibi commendatißimam habeant. Qua in re Mosen illos sequi decet, qui aulæ opes & delitias potius, quàm fratres suos tyrannide oppressos, derelinquere voluit. Agnoscant hinc suam improbitatem, qui eò impudentiæ processerunt, ut patriæ libertatem, iura & leges, omnia deniq; venalia habeant, modò priuatis commodis poßint consulere.

Paulus in templo orauit.

Sed ad Paulum redeamus, qui in vrbem reuersus, in templo orauit. Templi verò meminit, partim ne quis illum clàm latuisse diceret, partim vt templi prophanati suspicionem declinet, quam multorum animis iam insedisse nouerat. Quid verò orarit, ex Romanoruus decimo capite facilè colligi potest, vbi se pro Iudæis frequenter deprecari dicit, vt salutem consequantur. Nec alium huius quoque precationis scopum fuisse, ex sequenti colloquio, quod illi de Iudæis cum Christo intercesßit, palàm videbimus. Rursum verò hîc officij sui admonentur ministri: vt nimirum populi salutem aßiduis precibus iuuare & prouehere studeant. Vt enim hoc charitatis & fidei lex iubet, qua gregi sibi commisso obstricti sunt: ita hoc ipsum neceßitas quoque postulat, quando constat, vanos & irritos ipsorum labores fore, nisi deus incrementum dederit. Viderunt hoc veteres etiam prophetæ, quorum non paucæ pro populo preces extant. Idipsum verò magistratus quoq; obseruare decet, quando nec hi quicquam absq; dei ope efficient, cuius spiritu ipsos duci & regi necesse est. Exempla habent etiam hi, quæ imitentur, Mosis nimirum, Dauidis, Solomonis, Ezechiæ, vt de innumeris alijs taceam.

Paulus ad gentes ablegatur oraculo.

Tandem verò oraculum exponit Paulus, quo ad gentes proficisci iussus fuit. Se verò in ecstasi fuisse dicit, ut maior oraculi fides esset & authoritas. Diligenter autem suum cum Christo colloquium narrat, cuius singulas personas consyderare oportet. Primò Christus illi apparens, festinanter ipsum Hierosolymis discedere iubet. Mandati verò sui rationem subijcit: Quia non recipient tuum de me testimonium. At si hæc cum Pauli vocatione conferas, haud leuiter illum tentari potuisse patebit. Audiuerat enim, se electum Christi organum, & eiusdem testem fore apud omnes homines. Nec dubium est, quin de suæ gentis conuersione præcipuam spem conceperit, cuius tanto studio & amore flagrabat. Nunc verò se omni spe frustrari audit. Sed ita suorum fidem exercet dominus, quando sanctißimis illorum votis & conatibus euentus non semper respondet. Ita Moses dum suis liberator & assertor esse incipit, se ab illis ipsis impiè repelli sensit. Sic Helias, cùm post superatos & occisos Baalitas omnia sibi tuta pollicetur, nouis Iesabelis minis & diris conatibus terretur. His & similibus exemplis edocti, non succumbamus, sed stationem teneamus firmiter, nec deerit tandem occasio, qua vtile deo obsequium præstemus. SED Paulum audiamus, qui quasi cum deo disputaturus tergiuersari videtur. Priorem enim conditionem repetens, putat fieri non posse, quin

repentinus

repentina sua mutatione commoueantur, & euangelio credant. Est autem hoc frequens in scriptu-ris, quòd cum deo contendere videntur sancti, non quidem contumaci animo & rebelli, sed quòd diuersarum rationum examine fidē suam confirmari sentiunt. Quæ causa est, quòd id illis amicè permittit deus, qui si ius suum persequi velit, ne alloquio quidem suo nos dignaretur. Sternitur hîc illorum superstitio, qui Diuis intercessoribus opus esse putant, eò quòd nobis peccatoribus in dei conspectum venire non liceat: cùm non preces modò suorum, verumetiam contrarias suis mandatis rationes, quas illi afferunt, clementer audiat. Curandum tamen nobis, ne dei clementia abusi, contendendo ad murmura vsq; & contumacem inobedientiam progrediamur: quin potius deo nos totos submittamus, cui rationes nostras omnes cedere conuenit. Nec enim ille, quasi per nos edoctus, sententiam mutat vnquam, cùm illius consilium in æternum maneat. Experitur hoc ipsum Paulus in præsenti. Vrget enim mandatum suum dominus, & disertè ad gentes illum ablegat, nihil interim de euangelij profectu inter illas pollicens: quia simpliciter nos sibi obedire vult.

Porro plura dicturo Paulo, & haud dubiè doctrinæ suæ rationem reddituro, Iudæi insanis clamoribus obstrepunt, imò ad necem illum deposcunt. Gentium enim mentione audita, nullum amplius vel patientiæ vel modestiæ locum superesse putant. Huius verò importunitatis causa est, insolens suipsius fiducia. Quia enim sibi solis populi dei titulum vendicabant, & legalis cultus merito nitebantur, indignum & iniquißimum facinus esse credebant, si quis gentes incircumcisas, nulla adhuc legis disciplina cicuratas, ipsis in salutis causa pares faceret. Adeò ferox & insolens est hypocrisis malum. Ita Christo olim Pharisæos infensos fuisse scimus, quòd publicanis salutem prædicaret. Ita hodie Monachis & horum sectatoribus intolerabilis videtur euangelij doctrina, quòd peccatoribus salutem in Christo nuntiat, eosq; sola fide iustificari docet. Ita enim sua figmenta sterni uident, quibus totis animis confidunt. Nos verò dei bonitatem agnoscamus, nec nos salutis socios habere pigeat peccatores ad fidem conuersos, quando inter latrones suspendi, & illic peccata totius mundi expiare voluit vnigenitus dei filius, & saluator noster, Iesus Christus; cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Pauli oratio interturbatur.

HOMILIA CXLVI.

Vociferantibns autem eis, & proijcientibus uestimēta, & puluerem iactantibus in aerem, iusit Tribunus eum induci in castra, & imperauit eum flagris examinari, ut sciret propter quam causam sic acclamarent ei. Et cùm astrinxisset eum loris, dixit astanti sibi Centurioni Paulus: Num hominem Romanum & indemnatum licet uobis flagellare? Quo audito, Centurio accessit ad Tribunum, & nuntiauit, ei dicens: Quid facturus es? hic enim homo Romanus est. Accedens autem Tribunus dixit illi: Dic mihi, num tu Romanus es? At ille dixit: Etiam. Et respondit Tribunus: Ego multa summa ciuitatē istam comparaui. Paulus uerò dixit: Ego autem etiam natus sum. Protinus ergo discesserunt ab illo, qui illū examinaturi fuerāt. Tribunus quoq; timuit, postquàm resciuit quòd Romanus esset, & quòd uinxisset eum. Postero autē die uolens scire certum, qua de causa accusaretur à Iudæis, soluit eum à uinculis, & iusit principes Sacerdotum conuenire totumq; concilium, & deductum Paulum sistebat coram illis.

ETsi Paulus apostolus ad accusationis capita, quibus illum aduersarij petebant, ita responderit, vt pijs omnibus satisfacere potuerit, utpote cùm dei mandatum & imperium in omnibus allegarit: Iudæis tamen adeò non satisfecit, vt illum ne audire quidem dignati sint amplius. Indignationis verò huius causa vnica fuit, quòd se diuinitus ad gentes ablegatum fuisse diceret. Ita enim se tanquam salute indignos reijci, et gentes ipsis præferri sentiebant, id quod ipsis indignißimum facinus videbatur, eò quòd Iudæorum populus iam ante dei peculiū, gentes verò pro immundis & alienis à regno dei habitæ fuissent. Est enim hoc omnibus hypocritis proprium, quòd peccatores in salu-

tis consortio ferre non possunt, vt nuper audiuimus. Cæterum cœptam historiam persequens Lucas, quid porrò factum sit, narrat. Vbi singulæ personæ nobis consyderandæ veniunt.

Iudæorum importuna malitia.

Et primò quidem de Iudæis dicendũ, qui Paulum væsanis clamoribus ad necem poscunt, priusquàm perorauerit. Quod eò indignius fit, quòd suæ gentis hominem, prophani ethnici & militis libidini (quantum in ipsis est) excruciandũ propinant. Accedit etiam, quòd nullis vel argumentis, vel aliqua saltem honesti specie, sed clamoribus, vestium abiectione, pulueris iactatione, alijsq; gestibus furiosis causam hanc agunt, qui insanis & mente captis in usu esse consueuerunt. Quo exemplo admonemur, quantum possit Veritatis odium, dum eos, quorum mentes occupauit, omnis tum modestiæ, tum æquitatis & charitatis obliuisci facit. Quod enim aduersus Paulum hîc fit, id antea coram Pilato in Christi causa factitatum scimus. Nec exempla desunt, quibus probari possit, hodie etiam ab impijs hoc ipsum usurpari. Docet præterea locus hic, quibus argumentis ferè Christi cultores oppugnentur, si quando illorum simul & fidei causa agitur. Clamoribus nimirum, minis, supplicijs, ferro, igne, &c. Pugnatum his armis ab ipsa rerum origine, & ijsdem hodie etiam pugnatur. Estq; hæc deploranda mundi cæcitas, siue peruersitas, quòd cùm in prophanis negotijs maturam deliberationē omnes laudent, in religionis negotio & communi æternæ salutis causa plerique improbis clamoribus & væsanis tumultibus rem transigendam esse existiment.

Paulus uirgis cædi iubetur.

Quid autem in tanto Iudæorum furore Tribunus agit? Primò Paulum in castra abducere iubet: quod prudenter ab illo factum fuit, eò quòd non aliud erat efficacius sedandi populi medium, quàm è conspectu eum subducere, aduersus quem tanta ira & odio exarserant. Mox autem iniustitia peccat, dum flagris eum examinare iubet pro veteri more, in quo nulla adhuc satis firma criminis suspicio hærebat. Nihil enim aduersus illum Iudæi probauerant. Et Paulum cordatissimè illorum calumnijs respondisse audierat. At excusatione dignus esse videtur, quòd verisimile erat, non extra culpam eum esse, qui communibus populi suffragijs ad necem postulabatur. Cæterum si hoc demus, quis obsecro innocens erit? Quis non seditiosis clamoribus obruetur? Graue ergo hoc Tribuni peccatum est. Et ex eo discant quicunq; in magistratu versantur, ne in tormentis siue quæstionibus nimium vel præcipites vel crudeles sint. Vt enim grauis culpa est, innocentem infamibus tormentis subijcere: ita non rarò fit, vt dolore superati homines, ea se fecisse fateantur, quæ ne cogitarunt quidem. Interim verò impiorum magistratuum mores obseruabis. Prudentia quidem in rebus ciuilibus mirificè pollent, & ea ferè filios lucis superant. Interea autem non veram iustitiam, sed huius inanem duntaxat speciem habent, qua palliati, iudicia pro suo arbitrio & commodo versare solent. Exemplum huius in Pilato quoq; habetur: & multa eius generis per omnes historias extant. At infelix ferè iudiciorum eiusmodi exitus est, vt paulò post videbimus. Iustitiæ ergo veræ studeant, quicunq; in magistratu versantur, quando dei iudicia illis credita sunt, & suorum sanguinem aliquando de ipsorum manibus dominus requiret. Docemur item exemplo hoc, quæ nam in hoc mundo sanctorum sors sit. Cum facinorosis deputantur, & mortalium vilissimi habentur, in quorum corporibus & vita cuiuis pro suo arbitrio impunè ludere liceat. Experti sunt hoc olim prophetæ. Sensit idem Christus, cui hoc euenturum esse, propheta prædixerat. Isa.53. Luc.22. Et eiusdem præcursorem Iohannem indigna sua morte incestæ Herodis & Herodiadis libidini seruire oportuit. Horum ergo catalogo nos quoq; adnumerari non pigeat, nec iniquis mundi iudicijs offendamur, quando constat, deum suorum memoriam asserere, nec diu latitare posse calumnijs oppressam innocentium famam. Vide Psal.34. Luc.12.

Paulus Rom. legibus sese tuetur.

Sed Paulum videamus, de cuius capite hîc agitur. Num is trunci instar tacet? Minimè. Imò ad Leges recurrit, & Rom. ciuitatis ius allegat, quo etiam defenditur & liberatur. Vt primùm enim Romanum ciuem esse Tribunus audit, illum vinculis solui iubet, nec tormentis in illum utitur. Sanctorum ergo patientia non ignauia quædam aut belluina stupiditas est, qualem multi imaginantur. Parati quidem sunt pro Christo quiduis ferre. Interim legitimam defensionem, quæ cum fide non pugnat, minimè negligunt. Vt enim alijs dei creaturis vti licet, ita legibus quoq;, quando harum authoritas à deo maximè dependet, à quo magistratus institutos esse constat. At quanto iniquior (proh dolor) hodie sanctorum sors est? Licet enim religionis causam hîc agi Tribunus sciret, Paulum tamen Romanis priuilegijs gaudere patitur. At hodie leges simul & publica iura silent, si quan-

si quando de religione controuersia est. Id uerò omne Pontificibus debemus, qui de hæresi suspectis datam quoque fidem fallere, licitum esse docent. Plura, quæ in hunc locum dici poterant, ex Cap. XVI. petantur, ubi quid Philippis Paulus simili omnino ratione egerit, describitur.

Sequitur tandem primi actus huius Tragœdiæ exitus. Timet Tribunus, non quidem deum, sed Romanarum legum seueritatem. Est hic omnium impiorum mos, ut præpostero metu territi, homines magis quàm deum timeant. Interim errorem commissum emendare, & causam omnem certius cognoscere uolens, crastino Paulum in Concilium producit, de cuius integritate & sanctitate nimirum sibi multa promittebat. Ex eorũ enim numero Tribunus hic est, qui hodie quoque de Concilijs nihil non boni sperant, cum illa iam multis seculis omnium piorum spem fefellisse constet: quando ab illis & conuocantur & reguntur, quibus sacra omnia uenalia sunt, quorumque tyrannide orbis Christianus premitur. Obseruemus autem, quàm prosit publicas Leges seueriter custodire. Licet enim infamis bestia Claudius Cæsar fuerit, quo regnante hæc gesta sunt, quia tamen Legum authoritas adhuc uiguit, aliqua superfuit bonis defensio. Ast ubi eadem extincta iacet, respub. diu stare impossibile est. Admonet præterea Tribuni exemplum, quid eos maneat, qui iudicia in hominum gratiam præcipitare solent: Metus nimirum, infamis trepidatio, & pudenda rerum omnium confusio. Horum itaque memores, quicunque magistratus gerunt, maturè iudicia administrent. Interim consolationem hinc petant pij, quãdo impios persecutores tam facilè terrefieri posse uident Christi uirtute: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Tribunus metu legum coercetur.

CAPVT XXIII.

HOMILIA CXLVII.

INtentis autem oculis in Conciliũ Paulus ait: Viri fratres, Ego omni conscientia bona cõuersatus sum coram deo usque in hodiernum diẽ. Princeps autem sacerdotum Ananias præcepit astantibus sibi, ut percuterent os eius. Tunc Paulus dixit ad eum: Percussurus est te deus, paries dealbate. Et tu sedes iudicans secundùm Legem, & contra Legem me iubes percuti? Qui uerò astabant, dixerunt: Summo sacerdoti dei maledicis? Dixit autem Paulus: Nesciebam fratres, quòd Pontifex esset. Scriptum est enim: Principi populi tui non maledices.

VT Paulum electum sibi organum esse uoluit Christus dominus: ita eiusdem exemplo omnes nos docet, quid fideles suos in hoc mundo maneat, quodque illorum sit in ferendis aduersis officium. Paulus enim, ut primùm Christo nomen dedit, eos acerrimos hostes sensit, pro quorum salute dies & noctes exultabat: Iudæos nimirum, in quorum gratiam anathema quoque fieri optauit. Eòusque uerò illorum rabies processit, ut Romanos Tribunos (quos alioqui cane & angue peius oderant) aduersus ipsum armauerint. Est hæc omnium piorum sors, ut domesticos suos & intimos quosque sibi hostiliter aduersari sentiant, quorum odium plerunque ita exardescit, ut ab hostibus quoque contra fratres Christianos auxilia postulare non uereantur. Sed constans animi Paulus & ad quosuis aduersariorum conatus imperterritus, solo dei uerbo & iussu se & causam suam tuetur: cuius exemplum nos quoque, cum similis casus urget, imitari conuenit. Porrò in tota hac actione cumprimis admirandum est & consolationis plenum, quòd maiorem æquitatem in Tribuno, ethnico & militari homine, Paulus inuenit, quàm apud suæ gentis primates, qui & pietatis & eruditionis titulum sibi uendicabant. Ille enim apertam uim prohibet, & furentium manibus de uita periclitantem eripit. Deinde Leges inuocantem audit, illumque Romanis priuilegijs gaudere patitur. Tandem cum causam hanc circa religionem maximè uersari uideret, nihil temere sibi amplius permittendum putans, ad eos rem omnem refert, qui huius professione gloriabantur. Cõuocato enim Sacerdotum & Scribarum Concilio, in hoc Paulum sistit, ut legitima & seria fiat in illius causam, inquisitio. Prudẽter quidem hoc nec iniquè, quoad ethnicũ hominem, sed (ut heri monuimus)

eo fallitur, quòd de Concilij sanctitate plus sibi pollicetur, quàm deberet. Docet hoc abundè sequens actio, quæ Sacerdotes hosce summam tum audaciam tum improbitatem cum hypocrisi commixisse testatur. Sed singulas eius partes ordine uideamus.

Paulus in Concilio intrepidus

A Paulo enim exorsus Lucas, quomodo sese in Concilio hoc gesserit, docet. Et primò quidem gestum corporis & uultum denotans, ipsum intentis oculis totum illum consessum inspexisse dicit. Fuit hoc præsentis & constantis animi argumentum, quo cumprimis armatos esse conuenit, qui Veritatis causam agunt: ne metu superati & hanc perfidè deserant, & animum addant impijs Christi hostibus, qui plerunque ex piorum ignauia uires colligunt. Interim apparet hic promissionum Christi ueritas. Pollicetur is suis spiritum aduocatum, qui illos confortaturus simul & consilia suggesturus sit, si quando in frequenti procerum consessu fidei suæ rationem reddere cogantur. Promissionis ergo suæ memor in tanto tamque præsenti periculo apostolum suum minimè deserit, sed eundem inuicta animi constantia armat. At cum generales sint promissiones hæ, nos quoque ex his consolationem petere decet.

Pauli innocētia

INDE uerò dicendi Exordium faciens Paulus, de innocentia sua confidenter pronunciat. Ego (inquit) omni conscientia bona conuersatus sum coram deo usque in hodiernum diem. Quæ uerba non ita accipi debent, quasi se omnis peccati immunem esse, & coram dei tribunali propria iustitia consistere posse glorietur. Sed ad præsentem causam respicit. Accusabant enim illum aduersarij turpis ab auita religione defectionis, impietatis item, & quòd instar publici hostis Legem & templum totumque cultum Leuiticum improbè uiolauisset, & impuras gentes impio ausu in populi dei consortium intrudere conatus esset. Ne qui ergo sinistris suspicionibus præuenti, aures ipsi negarent, se initiò statim omni culpa liberat, dum se, quoad apostolicum munus, bona conscientia omnia egisse dicit, adeò ut suæ integritatis testem deum citare possit. Alioqui se peccatorem esse, & Christi gratia ac merito indigere passim fatetur. Ita frequenter sancti in priuatis causis aduersus calumniatores suam innocentiam allegant, qui interim se in dei conspectu immundos & peccatores esse, humiliter agnoscunt: cuius rei exempla in Dauide, Mose & innumeris alijs extant. DOCET autem hoc Pauli Exordium, in religionis causa cumprimis conscientiæ rationem habendam esse, ne quid dolo malo aut per hypocrisim fiat. Quia enim hic cum deo nobis res est, qui corda renesque scrutatur, nullus dolo aut simulationi locus esse poterit. Licebit autem nobis de conscientiæ integritate gloriari, si religionem non pro nostri ingenij arbitrio, sed iuxta dei uerbum instituamus, & in dei uocatione diligenter ambulemus. Quod si fiat, quotidianos uitæ lapsus, qui ex carnis infirmitate accidunt, clementer condonat deus, eò quòd ad Christum conuersi, in illo pœnitētiam iugem agimus.

Antichristiani Concilij typus.

Porro cum dicendi initium Paulus fecisset, Ananias qui Concilio præsidebat, illius os percutere iussit: Vel quòd nondum requisitus cœpisset causam dicere: Vel quòd suam innocentiam tam libere asserendo, ipsos iniustitiæ & iniquitatis accusare uideretur: Vel etiam quòd insolentes illos & superbos titulos, quibus iam antè assueuerāt, omisisset. Est enim cumprimis irritabile hoc hominum genus, maximè quando æstimationem suam labefactari putant, quam ipsi tum gloriæ dei, tum publicæ hominum saluti longè præferunt. Obseruemus autem hoc loco, qualia ferè esse soleant impiorum antistitum Concilia. Calumnijs ante grauatus fuit Paulus, quibus totius gentis odium illi conciliare studuerunt. His cum in frequenti totius populi concione responderet, furiosis clamoribus dicentem interturbarunt: nunc denuò excusationem paranti aperta ui resistunt, idque in loco iustitiæ sacro, cuius studiosissimi uideri uolebant. Tale omnino Concilium fuit, in quo Christus, Caiapha præsidente, damnatus fuit. Nec multum dissimile uidimus illud, quo Stephanus oppressus est. Talia item iam multis seculis fuerunt Pontificum Concilia, quod uel uno Constantiensi probari poterat, in quo iisdem armis sanctissimos Christi martyres, Iohannem Hussum & Hieronymum Pragensem damnatos fuisse legimus. Quid uerò de nostri seculi Concilijs sperari debeat, ex ipsis Indictionibus siue Bullis abundè patet: quarum fraudem & impudentiam qui non animaduertunt, næ illi cōmuni sensu carere censendi sunt, &c.

Paulus non peccat arguendo Pontificem.

Sed ad Paulum reuersi, ut is facinus h[illegible] acceperit, uideamus. Percutiet te (inquit) deus, paries dealbate, &c. Quibus uerbis nonnulli contra Christi præceptum peccare uisus est, quo percutienti nos in unam maxillam, alteram obuertere iubemur. At culpa facilè liberabitur, si tum uerba cum

ho tum personam eius inspiciamus. Nec enim quicquam illi prauo affectu imprecatur, sed pro apostoli officio peccatum arguit, & pœnam à deo paratam denunciat. Et primò quidem parietem dealbatum uocat, nimirum Christi exemplum secutus, qui totum illum ordinem sepulchris dealbatis similem esse dixit. Mox uerò sui dicti rationem reddit, addens: Tu sedes me secundùm legem iudicaturus, id est, legis prætextu superbus, iudicandi potestatem tibi uendicas, interim uerò contra legem me percuti iubes. Minimè ergo iudicis titulo & personæ respondes, sed sub hoc inuolucro animum ueritatis impatientem & sanguinis sitientem improbè celas. Ideo te deus percussurus est, licet nemo sit mortalium, qui tibi uindices manus inijcere ausit. Hæc (inquam) non conuiciandi studio, sed pro ministri officio Paulus loquitur: nec dubium est, ipsum ad Christi exemplum respexisse, qui percutienti se Pontificis seruo, non alteram maxillam obuertit, sed illius proteruiam seuerè corripuit. Atqui hoc etiam loco docemur, patientiam, quam sacræ literæ præcipiunt, non socordiã quandam esse, quæ impijs quiduis faciendi copiam faciat. Licet enim patienter ferre iubeamur quicquid dominus dederit: minimè tamen impijs blandiri aut dei iudicia dissimulare debemus. Simul uerò generalis doctrina ijs, qui in magistratu uersantur, hinc petenda est. Quod enim Ananiæ Paulus minatur, non multò post accidit, quando circa initia belli Iudaici à Manaimo rebellium Iudæorum duce crudeliter occisus est: dignus ut à talibus occideretur, qui deo rebellare non uerebatur. Nec unquam dei uindices manum subterfugient, quicunq; hunc imitati, deo aduersantur, & innocentes uiolenter opprimunt, uel ab alijs opprimi patiuntur. Percutiet illos dominus, quem solum uerumq; iudiciorum præsidem & uindicem esse scripturæ passim docent. Et licet homines terrere possint, dei tamen manus nunquam euadẽt. Exempla sunt in Pharaone, Saulo, Achabo & multis alijs, quorum prophanæ historiæ mentionem faciunt.

Tyrannorum patroni adulatores.

At Paulo hæc dicente, mox prodeunt, qui illum corripiant, cum nemo interim Ananiæ iniustam iram reprehenderit. Vt enim tyranni sibijpsis quiduis faciendi potestatẽ faciunt, ita adulatores quoq; facilè inueniunt, qui illorum authoritatem aduersus quosuis tueantur. Quò fit, ut cum omnibus ferè iniurias inferant intolerabiles, nemo tamen de illis conqueri audeat. Similis in ecclesia iam multis annis Cleri tyrannis grassata est. Cũ enim libidine sua omnibus molesti fuerint Monachi & Sacrificuli, sacrosancti tamen habiti fuerunt, illosq; uel dicto lacessere fuit periculosissimum. Cæterum Paulus eleganti Ironia hypocrisim tyrannicam arguit, dicens: Nesciebam fratres, quòd Pontifex esset. Quasi diceret: Quis uerò pro Pontifice eum agnoscat, in quo nihil isto nomine et titulo dignum cernitur? Si enim Pontifex est, cur non causas pacato animo & æquis auribus percipit? Cur causam dicenti impudenter obstrepit? Cur indamnatum percutere iubet? Alioqui non ignoro Lege dei cautum esse, ne quis legitimis magistratibus maledicat. Vide Deutero. 22. & Exodi 22. Admonentur autem Pauli Ironia magistratus, tunc ipsis suam authoritatem integram & saluam fore, si officium faciant, & tales se præbeant, ut illos honore dignos esse cordati quiuis iudicare possint. Nisi enim dei gloriam prouehant, uim prohibeant, leges bonas tueantur, exemplo uitæ honesto præeant, idem illis dici poterit, quod Ananiæ Paulus hoc loco obijcit. Quis enim blasphemos homines, sanguinarios oppressores, Legum dissipatores, ebrios, adulteros, aleatores, scurras & alios similis farinæ homines Senatorum & Principum loco habeat? Scimus equidem tales aliquando iusto dei iudicio ordinari, quorum intemperiem in prophanis negotijs pij patienter ferunt. At si ijsdem non suus honos habeatur, mirari desinant, & culpam suam agnoscant simul & emendent. Ita enim fiet, ut authoritatis suæ uindicem habituri sint regem Regum & dominum dominantium, Iesum Christum: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Magistratuum authoritas quo modo seruetur.

HOMILIA CXLVIII.

Sciens autem Paulus, quòd una pars esset Sadducæorum, & altera Pharisæorum, exclamauit in Cõcilio: Viri fratres, ego Pharisæus sum, filius Pharisæi: de spe & resurrectione mortuorum ego iudicor. Et cum hoc dixisset, facta est seditio inter Pharisæos & Sadducæos, & scissa est multitudo. Nam Sadducæi quidem dicũt non esse resurrectionem, neque angelum, neq; spiritum. Pharisæi autem utraque confitentur. Fa-

ctus est autem clamor magnus, & surgentes scribæ de secta Pharisæorum pugnabant, dicentes: Nihil mali inuenimus in homine isto. Quòd si spiritus locutus est ei aut Angelus, ne repugnemus deo. Et cum magna seditio coorta esset, ueritus Tribunus, ne discerperetur Paulus ab ipsis, iussit milites descendere, & rapere eum de medio illorum, ac deducere eum in castra.

Varijs quidem & grauissimis tribulationibus deus electos suos exercere solet: at idem uarijs quoq; & nonnunquam insperatis medijs eosdem liberat. Exempla utriusq; rei passim extant. Sed inter hæc cumprimis memorabile est, quod in Paulo, electo organo Christi, spiritus sanctus per Lucam proponit. Illum enim Iudæorum insidijs multiuariàm petitum fuisse, & aliquoties uitæ periculum subiuisse, audiuimus. Sed noua quoque auxilia subinde deus excitauit, quæ eiusmodi ferè fuerunt, ut de ijs Paulus ne cogitare quidem, nedum illa petere siue optare potuerit. Primò enim per Tribunum & milites furentium Iudæorum manibus eripitur. Mox, cum causam dicere nequicquam tentauisset, Romanæ ciuitatis priuilegio à flagris defenditur. Tandem cum illius causam simul & uitam Tribunus iniquissimis iudicibus commisisset, ipsos Pauli hostes inter sese plus quàm hostiliter deus committit, quò fit, ut ij innocentem pronuncient, qui paulò ante extinctum cupiebant. Debent hæc nos consolari, ne in tentationibus ignauo metu succumbamus. Nam dei promissiones confirmant, quibus ille se suorum uindicem esse, passim pollicetur. Quia autem præsenti loco multa alia quoq; insunt, consyderatu dignissima, singulas rei gestæ, quæ hic commemoratur, circumstantias uidere proderit.

De sectis Iudæorum. *Principiò autem causam dissensionis penitius excutere oportet, quam sectarum diuersitatem fuisse Lucas tradit. Aduersariorum enim alij quidem Pharisæi, alij uerò Sadducæi erant. Atqui de Iudæorum sectis multa apud Iosephum extat, qui illarum originem ferè ad Machabæorum tempora usq; extendit. Et sub Ioanne Hircano primo illas cœpisse authores probatissimi testatur. Cum enim Sacerdotes regni potius quàm sacrorum curis & negotijs uacarent, diuersæ circa religionem sententiæ oriri cœperũt, cessante nimirum uerbi dei doctrina, quam in suo populo deus assiduam esse*
Pharisæi. *uoluerat. Tres ergo sectæ exortæ, ecclesiæ & populi dei unitatem sciderunt. Prima Pharisæorum fuit, qui Lege non contenti, traditiones sectabantur, & operibus iustitiam ac salutem acquiri posse credebant. Adhæc astris & Astrologiæ dediti fatum docebant, ea re non multum à Stoicis differentes. Et hi quidem externa operum specie uelati, pro sanctissimis haberi solebant. Secunda Sadducæos habuit, qui fato res hominum regi negantes, liberum arbitrium homini tribuebant. Et quàmuis*
Sadducæi. *uirtutis studium anxiè commendare uiderentur, Epicuro tamen & peccandi licentiæ fenestram aperiebant, cum spiritus simul & animarum immortalitatem, deniq; & corporum resurrectionem negarent. Fuit ea potentissima omnium, ut alibi uidimus, eò quòd Pharisæorum traditiones austeriores*
Esseni. *laxaret, & proinde plerisq; grata esset. Tertiam sectam Esseni constituerunt, qui cùm Pharisæos & Sadducæos uirtutem uerbis duntaxat metiri dicerent, ipsi eam factis expressuri, cælibes uiuebant, seruis carebant, bona sua habebant communia, manuum labore uictum parabant, sacra quoq; publica non adibant, ne aliorum hominum conuersatione polluerentur. Et quia hi pauci erant numero, nec rempub. affectarent, ad loca hortis balsami secesserũt, ubi & hortos plantabant & rei medicæ operam dabant, qua cum multis prodessent, eximiam uirtutis existimationem apud omnes sustinebant. Horum mores ferè nostri seculi Anabaptistæ referunt, nisi quod nostri illi & rempub. magis turbant, & professioni suæ minus fideliter respondent, quando in omne libidinis genus procliues ruunt, & belluinis odij inuidiæq; affectibus miserrimè ringũtur. Quia tamen austerior fuit Essenorum regula, pauciores quoq; (ut diximus) sectatores habuit. Quæ causa est, quòd priorũ duntaxat mentionem faciunt scriptores euangelici. Nobis uerò obseruandum uenit, quantum mali antistitum auaritia, & quæ ex hac nascitur socordia, parere soleat: quando hæ pestes in ueteri ecclesia tam deformem tetramq; faciem induxerũt. Perpetuum enim hunc illarum effectum esse Monachorum ordines, in Papatu eadem origine exorti, abundè docet. Quò magis hodiè aduigilandum nobis erit, ne quid simile aut etiam perniciosius accidat. Simul uerò dei bonitas prædicãda est, qui in tam fœda*

gregis sui dissipatione, ecclesiæ suæ reliquias seruauit, ex quibus illa tandem renasci posset. Id quod in Papatu quoq; Monachis longè lateq; dominantibus, accidisse constat. Vbiq; enim locorum omnibus seculis inuenti sunt, qui illorum dolos & hypocrisim publicè insectari ausi fuerunt, ut interim de illis nihil dicamus, qui domi latentes, illorum superstitionibus communicare, ingens nefas duxerūt. Habes igitur hoc loco quod aduersarijs nostris respondeas, rogantibus, an nulla ante natos Lutherum & Zuinglium ecclesia fuerit? Fuisse enim hanc scimus, sed tantum non obrutam & sepultam, qualem ante Christi tempora inter Iudæos fuisse legimus: & qualis Eliæ temporibus fuit, quando septem millia hominum deus superesse dixit, qui genua sua Baali nunquam flexerant, quàmuis ne unus quidem illorum Eliæ notus esset. Porrò quoad præsentem historiam, docemur, impios licet uariè tum moribus tum in religione scindantur, contra Christum tamen & Veritatem facilè conuenire. Quia enim uni & eidem principi militant, diabolo, non possunt non omnes eum pro hoste habere, cuius regnum ille cumprimis oppugnat. Vtinam uerò in horum consyderatione diligentius uersarentur, qui ex dissensionibus & pugnis, quas contra Christi ministros, pessimis affectibus consultoribus suscipiunt, præcipuam laudem & gloriam quærunt. Ita uerò animos addunt impijs Christi hostibus, quibus facillimum uidetur eos uincere, quos tam acriter dissidere uidēt. Sed de his alibi commodior erit dicendi locus.

Nunc Paulum uideamus, qui cum ex diuersis sectis aduersariorum suorum cohortem confluxisse sciret, ex tempore de illis inter se committendis consilium capiens, exclamat: Viri fratres, ego Pharisæus sum, filius Pharisæi, de spe & resurrectione mortuorum ego iudicor. Videtur autem uel dolo malo, uel etiam fidei suæ & Christi abnegatione peccauisse Paulus, quando se ex eorum ordine esse profitetur, quos acerrimos Christi hostes esse constabat. Sed facilè excusari potest. Primò enim effugium tale quærere cogitur, quando sibi omnem dicendi copiam negari & aperta tyrannide rem agi uidebat. Maluisset utiq; fidem suam ingenuè profiteri, & eius rationem reddere, quod & facere cœperat. Sed interturbatus, nouum consilium capit. Deinde non simpliciter totum Pharisaismum confitetur & probat, sed in solo resurrectionis articulo, quem illi orthodoxè tenebant, illorum partibus sese aduersus Sadducæos coniungit. Quid uerò de reliquis Pharisæorum dogmatibus, & imprimis operum fiducia, qua illi turgebant, senserit, epistolæ ipsius abunde declarant. Minimè ergo illis patrocinatur Pauli exemplum, qui ut uitæ & existimationi suæ consulāt, in fidei causa callidè tergiuersantur, & cum fide Christiana palàm pugnantes articulos recipiunt atq; probant. Docemur tamen, licere pijs, ut iniquis iudicijs circumuenti effugia quærant, quatenus illa sine Veritatis iactura inuenire possunt: ne temerè periclitando Veritatem quoq; secum in periculum adducant. Imprimis uerò obserua, quòd se de mortuorum resurrectione iudicari, dicit Paulus. Atqui longè aliter sonabant accusationis capita. Sed resurrectionem allegat, eò quòd circa hanc totum fidei & religionis negotium uersatur, quemadmodum ipse in priori ad Corinth. cap. 15. docet. Et quia in eadem omnis sanctorum spes consistit, de spe quoq; se iudicari dicit. Nam si resurrectionem tollas, quid habebunt quod sperent præterea fideles, quando in mundo nil præter crucem sibi propositam esse uident? Hinc patet, quo loco habendi sint, qui resurrectionem negant. Nam & fidei Christianæ fundamenta conuellunt, & improbæ mox licentiæ fenestras aperiunt.

Paulus se Pharisæū esse profitetur.

Cæterum egregiè Paulo suus conatus succedit. Mox enim Pharisæi illius causam contra Sadducæos sustinent, & seditiosis utrinq; clamoribus exortis, pro illo pugnantes, clamant: Nihil mali inuenimus in homine isto. Quòd si spiritus locutus est ei, aut angelus, ne repugnemus deo. Et hæc quidem pijssimè simul & uerissimè dicunt, nullam tamen apud deum laudem merentur, quia non Veritatis aut iustitiæ studium, sed prauus affectus hanc illis confessionem extorsit. Estq; hoc memorabile exemplum, quantum possint partium studia, quando his abrepti, mox Pauli defensores fiunt, qui paulò ante illius sanguinem sitiebant. Solet hoc frequenter tum in religione, tum in reliquis controuersijs accidere. At quia plerunq; in deteriorem partem eiusmodi iudicia inclinant, diligenter ea uitari conuenit. Sunt præterea & alia duo, quæ obseruauisse prodest. Primum, impiorum consensum non posse diuturnum esse. Vt enim affectibus incertis, Euripi instar, hinc inde rapiuntur: ita illorum consilia deus ex alto irridere & dissipare consueuit, idq; ea dexteritate facere potest, ut interdum hostium impijssimorum opera in saluandis suis abutatur. Sic Philistæorum

Pauli hostes inter sese cōmittuntur.

incursiones Dauidi profuêre, dum ab eius persecutione Saulum retraxerunt. Et nostro seculo Turcica bella non semel ecclesiæ pacem dedisse, uidimus. Neminem ergo impiorum conspirationes offendant, sed in deo salutis spem firmissimè fixam habeamus. Alterum est, deo illos repugnare, qui doctrinam diuinitus reuelatam oppugnant. Horrendum hoc facinus, sed nimium frequẽs hodiè. Nam in euangelio oppugnando cum principes tum antistites ecclesiarum maximè laborant, cum illud dei filius suo ore mundo primùm reuelare dignatus sit. Sed tandem magno suo malo gigantes illi sentient, quantò illis potentior deus sit, quamq; horrendum sit in illius manus incidere.

Tribunus denuò Paulum Iudæorum manibus eripit.

Porrò in apertam seditionem clamores isti utrinq; exorti uergunt, eoq; res progreditur, ut rursus Tribuni & militum opera Paulum liberari & in castra reduci oporteat. Quos, ut ante etiam, diuinitus ad hoc excitatos fuisse, nemo dubitare potest. Imitentur autem Tribuni exemplum magistratus omnes, & sui officij esse meminerint, bonos tueri atq; defendere. Detestabilis enim illorum socordia est, qui bonos uel ignaui negligunt, uel etiam in hominum gratiam excruciandos tradunt, qua in re Pilatum peccauisse constat. Obseruent item, quid expectent, si quando ueritatis ministros Antichristianis Concilijs committant. Hos enim aut turpiter deserere, aut si saluos uelint, maiori periculo ex illorum manibus liberare cogentur, quibus lusus iocusq; uidetur iura publica simul & datam fidem impiè uiolare. Exemplum huius in Sigismundo Imperatore, Constantiensis Concilij dolis & tyrannide circumuento, extat: quando Iohannem Hussium Imperatoria fide è Bohemia euocatum, ex illorum manibus eripere nequiuit. Porro utut humana omnia cedant, Paulum imitati, ueritatis causam constanter tueamur, nec suis deerit saluator & redemptor noster, Iesus Christus: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CXLIX.

Sequenti autem nocte assistens ei dominus ait: Bono animo esto Paule. Vt enim testificatus es de me Hierosolymis, sic te oportet & Romæ testari. Orto autem die collegerunt se quidam ex Iudæis, & deuouerunt se, dicentes, neque esuros neq; bibituros se, donec occiderent Paulum. Erant autem plures quàm quadraginta uiri, qui hanc coniurationem fecerant. Qui accesserunt ad Summos Sacerdotes & Seniores, & dixerunt: Deuotione deuouimus nos ipsos, nihil gustaturos, donec occidamus Paulum. Nunc ergo uos significate Tribuno & concilio, ut cras producat illum ad uos, tanquam aliquid certius cognituros de eo. Nos uerò priusquam appropinquet, parati sumus interficere illum. Cum autem audisset filius sororis Pauli insidias, uenit, & intrauit in castra, nunciauitq; Paulo.

Paulus apostolus in posteriori ad Corinth. 1. cap. ait: Sicut abundant afflictiones Christi in nobis: ita per Christum abundat consolatio nostra. Est hæc memorabilis simul & plena consolationis sententia, ut quæ multis exemplis ab ipsa rerum origine confirmata sit. Quibus præsens hoc, quod de Paulo narratur, meritò adnumerari debet. Illum enim hucusq; uarijs & grauissimis periculis exagitatum fuisse, audiuimus. Nec pauca acciderunt, quæ illum ad desperationem impellere poterant, cum se à Romanis militibus uinctum, unanimi Iudæorum consensu ad mortem postulari uideret, nec aliud hactenus auxilium apparuisset, quàm quod milites tulerant, homines à religione alienissimi. Sed non deest periclitanti apostolo suo dominus qui uarijs curis æstuantem amicissimè consolatur, & quod uerbis pollicetur, mox reipsa præstat, dum illum immanissimorum latronũ manibus miraculosè eripit. Quia uerò hæc, ut omnium institutioni & consolationi seruiant, scripta sunt, singulas partes ordine inspiciemus.

Deus Paulum consolatur.

Primùm in his locum Consolatio habet, qua Pauli animus confirmatur. Nocte enim illi assistit dominus, nimirum per angelum suum, ut uerum esse doceat, quod se nobiscum fore dixit usq; ad consummationem seculi. Iubet autem bono & præsenti animo esse Paulum, qui fortasse de dei erga se cura & bonitate dubitare incipiebat. Causam uerò subijcit, quòd ipsum Romæ etiam de Christo testifi-

testificari oporteat. Hinc verò euidentissimè patet, deum non negligere res hominum, etiamsi illorum aliquando oblitus esse videatur. Quomodo enim homines negligeret, apud quem ne passerculos quidem in obliuione esse, Christus testatur? Luc.12. Videri quidem poterat deo nequaquam curæ esse Paulus, in quem orbis terrarum coniurauisse videbatur. At cùm illi in custodia agenti dominus assistat, facilè patet nihil illi hucusq; vel inscio vel inuito deo accidisse. Cæterum quia huius generis exempla passim extant, in præsenti ipsam Consolationē videamus. Cuius si nuda verba ad humanæ rationis captum examines, deus minari potius aut terrere videbitur. Ait enim: Bono animò esto Paule. Vt enim testificatus es de me Hierosolymis, sic te oportet & Romæ testari. Ergo nouos labores & noua certamina prædicit dominus, perinde ac si ægroto medicus dicat: Cōfortare ô bone, nam noui te morbi manent, & nouis doloribus non multò post excruciaberis. Vel si quis recenti pugna defessum militem ad grauius quodam certamen prouocet. Quis verò hanc consolationem esse diceret? Atqui tale quid est quod Paulo in præsenti dicitur. Nam vnius Romæ mentio illi itinerum molestias, nauigationum pericula & multiuarias immanissimasq; suppliciorum species, in mentem reuocare poterat: cùm illic rerū potiretur Claudius, vecors & crudelis homo, & ad supplicia innoxijs inferenda promptissimus. Sed si rem ipsam penitius inspiciamus, duo fuisse patebit, quæ Paulum haud mediocriter consolarentur. Alterum quòd se deo curæ esse videret. Alterū, quòd se organum & vas gloriæ futurum audiret, cuius opera apud Romanos quoq; rerū dominos, nomen Christi innotescere deberet. Admonemur igitur hoc loco, vnde nobis in aduersis Consolationes petendæ sint. Non utiq; ex læto rerū successu, aut ignaui otij spe, sed ex dei prouidentia, & ex eo quòd nos suæ gloriæ vasa & organa deus facere dignatur. Et huius quidem Christus nos admonet, quando discipulis non quidē lætos conatuum suorū euentus pollicetur, sed illis nihil absq; diuinæ prouidentiæ consilio euenturum dicit. Rursum docemur, deum dum liberat & consolatur, nos non ad ocium, sed ad maiora certamina præparare. Ideò enim suæ veritatis & promissionum gustu nos recreat, vt alacriores ad opus redeamus, id quod sanctos omnes sedulò facere videmus. Pudendus ergo illorum error est, qui diuinam opem experti, immunitatem quandam à periculis & laboribus sibi vendicant, aut etiam toto sese carnis libidini dedunt, & effrænem quiduis audendi & faciendi licentiam sectantur, &c.

Consolationum diuinarum ratio.

Porro quia multis præterea periculis vexandus erat apostolus, priusquam Romam veniret, recentem consolationem nouo statim beneficio confirmat, dum è summo & improuiso periculo illum eripit. Conspirauerunt enim in illius necem quadraginta viri, seq; deuouerunt nec esuros nec bibituros, donec Paulum occidissent. In quorum facinore non immeritò dubites, audaciámne aut sanguinarios animos magis admireris. Nam præter id, quòd insonti necem parant contra dei legem, sese deuouent etiam, immemores quàm multa incidere possint, quæ illorum conatus impediant. Sed illorum exemplo de impiorum audacia iudicare discimus, deq; omnibus illis, qui religionem quam profitentur, armis potius quàm scripturis defendendam esse putant. Sed ad nostros hosce redeamus, qui sanguinarium consilium ad Sacerdotes referunt, magnam nimirum apud illos gratiam inituri, eosq; facinoris socios expetunt. Vos (inquit) significate Tribuno & Concilio, vt cras producat illum ad vos, tanquam aliquid cogituros de eo. Nos verò priusquam appropinquet, parati sumus interficere illum. Elucent hîc impiorum artes, & quóusque progrediatur veritatis odium. Zelum auitæ religionis profitentur illi, & iustitiam mirificè simulare possunt, cùm interim facinus ab omni tum religione tum iustitia alienissimum animo conceperint. Atqui ad posteros quoque stratagema hoc satan propagauit, & constat non semel ad disputationem euocatos Christi ministros, carnificum manibus occurrisse. Nec desunt nostri seculi exempla, quæ eiusmodi artes hodie etiam pertimescendas esse docent. Simul verò quanta illo tempore in Iudaica gente corruptio fuerit, considera, quando nefarium illud scelus sacerdotibus & Senioribus communicare audent, quos haud dubiè socios fore sciebant. Digni ergo fuerunt, qui simul omnes miserè perirent. Quod ipsum sibi euenturum sciant, quicunque hodie etiam innocentis sanguinis effusione & piorum proscriptionibus Antichristianis sacerdotibus seruire student. Quàm tamen irriti ferè illorum conatus sint, sequens historia docet. Rescifcit enim impium consilium Pauli nepos, puer quidem, sed ad illud turbandum (ita moderante deo) aptissimus. Is enim rem omnem Paulo nuntiat, qui illum ad

Deus consolationem factis confirmat.

X

Tribunum ablegat, cuius studio & industria sanguinarius ille conatus (ut aliâs audiemus) interturbatur. Ita verò deus recenti promissioni fidem facere, nosq; omnes docere uoluit, quàm illi facile sit, impiorum consilia turbare. Quid enim aduersus illum impij hostes possent, qui nihil non videt, & infirma quoque aduersus illos armare potest? Ita per infantem expositıtium, Mosen, impiam Pharaonis tyrannidem destruit. Ita fœminis occidendos præbuit Sisaram & Holofernem, duces rei militaris peritissimos fortissimosq;. Ita pueri Danielis solertia impuram senum libidinem arguit, & Susannæ pudicitiæ vitæq; patrocinatur. Et in præsenti pueri opera consilium turbat, quod vix ulla ratione turbari posse videbatur, cùm ab audicissimis hominibus susceptum, & voti religione confirmatum, Sacerdotum etiam & Seniorum authoritate confirmareetur. Extant huius generis exempla in omnibus historijs. Ex illis verò nos dei potentiam agnoscere conuenit, qua confisi impiorum tyrannidem minus formidemus, & in veritatis causa strenui spem & fiduciam omnem in uno deo repositam habeamus, per Iesum Christum dominum nostrum: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CL.

Accersito autē Paulus ad se uno ex Centurionibus, ait: Adolescentem hunc abduc ad Tribunum: habet enim quod renuntiet ei. Et ille quidem assumens eum duxit ad Tribunum, & ait: Vinctus Paulus accersitum me rogauit, ut hunc adolescentem perducerem ad te, habentē aliquid, quod loquatur tibi. Apprehensa autem manu illius Tribunus secessit cum eo seorsum, & percunctatus est illum: Quid est quod habes significandum mihi? Ille autem dixit: Iudæi conspirarunt ut rogarent te, uti crastino die educas Paulum in Concilium, quasi aliquid certius inquisituri sint de illo. Tu uerò ne morē gesseris illis. Insidiantur enim ei ex ipsis uiri plures quadraginta, qui seipsos deuouerunt, ne uel edant uel bibant, donec interfecerint eum. Et nunc parati sunt, expectantes ut promittas. Tribunus igitur dimisit adolescentem, præcepitq; ei: Ne cui effutias, quòd hæc indicaueris mihi. Et accersitis duobus Centurionibus dixit: Parate milites ducentos, ut eant Cæsareā, & equites septuaginta & lancearios ducentos, à tertia hora noctis, & iumenta parare, ut impositum Paulum saluum perducant ad Felicem Præsidem.

QVàmuis deus electos suos nunquam deserat, sed illis iuxta promissiones suas semper & ubiq; fideliter adsit: idem tamen secundis aduersa & tristia subinde intermiscet, eò quòd illos ita in officio retineri & ipsorum fidem exerceri plurimùm prodest, vt nimirum ab vno deo pendere & euentus lætos rerum vni illi tribuere discant. Exempla huius multa passim extant, maximè in Iosephis, Dauidis, & aliorum historijs: quibus præsens hoc, quod de Paulo commemoratur, meritò adnumerari debet. Huic enim grauiter simul & multiuariàm tentato dominum apparuisse, & efficacem consolationem adhibuisse audiuimus, dum illum non modò Iudæorum manus euasurum, sed Romæ etiam de se testificaturum esse pollicetur. Sed ecce vix dum exorto die quadraginta viri in illius necem conspirant, & Sacerdotibus simul atq; Senioribus in consilium adhibitis, ita rem omnem instituunt, vt vix saluari posse videatur. Id verò cum dei promissione ex diametro pugnare videbatur. Quia tamen dei morem Paulus non ignorat, nec ipse improuisi periculi mentione terretur, nec suis promissis deus deest: imò vnde minimè sperasset, illi opem & auxiliū offert, sicuti modò uidebimus. Vsus verò omnium horum est, vt hinc in aduersis fidei confirmationem petamus, nec ideò spem omnem abijciamus, si quando rerum progressus cum dei promissionibus minus conuenire videamus. Nam etiamsi cunctetur dominus, non tamen in perpetuum nostri obliuisci poterit. Sed vt plus hinc ad nos vtilitatis redeat, singulæ personæ nobis consyderandæ erunt.

Primus

Primus hic omnium Paulus prodit, qui licet oraculo confirmatus esset, non tamen uel promissionem vel prouidentiam dei stultè iactat, nec periculum securus negligit: sed quod unum restabat in humanis medium, & quo salua religione & fide Christiana uti poterat, prudenter apprehendit, curat nimirum, ut Tribunus per nepotem suum rem omnem intelligat, & officij admonitus ipsum sanguinarijs coniuratorum manibus subducat. Et ne res leuis momenti videatur, aut ob pueri ætatem suspecta sit, Centurionem intercessorem illi addit. Quo exemplo primùm admonemur, ut nos dei promissionibus & prouidentia in aduersis vti conueniat. Minimè enim dubitandū est, deum æterno suæ prouidentiæ consilio res omnes mortalium administrare, nec illud vllis hostium ipsius conatibus vel dissipari vel saltem impediri posse. Ipse enim gentium consilia dissipare solet, at illius consilium (ut Dauid testatur) manet in æternum. Psal. 33. Rursus idem ille se suis affuturum, & illos in aduersis asserturum esse, pollicetur: cuius promissionibus nos sanctè credere decet. Interim media, quæ & per se licita sunt, & diuinitus offeruntur, nullo modo contemni aut negligi debent, ne temere nos in pericula conijciendo deum tentare uideamur. Hoc ipsum enim in omnibus negotijs, quod in agricultura, obseruari debet. Nam licet in illa quoq; omne incrementum solius dei sit, hanc tamen absq; insigni diuinæ ordinationis contemptu nemo negligere potest. Ita Dauidem nunc fuga, nunc alijs medijs, à deo oblatis, religiose usum fuisse legimus, quamuis de dei veritate, qui regnum illi pollicitus erat, minimè dubitaret. Idem Ezechiam obseruauisse constat. Imò Christus à fuga non abhorruit, cùm horam suam nondum venisse sciret: nec etiam satana suasore è templi pinna sese præcipitare voluit, quàmuis ille dei promissionem allegaret, cuius authoritas illi sanctissima erat. Quid quòd idem discipulos quidem amplissimis promissionibus instruit, sed eosdem vt sibi ab hominibus caueant, diligenter admonet? Matth. 10. Turpis ergo & impius illorum error est, qui dei prouidentia ad temeritatem suam & quiduis audendi licentiam abutuntur, & huius prætextu non prudentiam modò, sed etiam diuinitus oblata media improbè contemnunt. Diffidentiæ potius malum nos vitare conuenit, ne hoc superati ad illicita media impiè conuertamur: interim licitis & diuinitus oblatis religiose utentes, euentum omnem bonæ & sanctæ dei voluntati committamus. Ita enim media via tutissimi ibimus, quando & diffidentiam & confidentiam vitare studebimus: id quod Paulus hoc loco prudenter simul & piè facit, deumq; sui consilij approbatorem habet. Docemur præterea huius exemplo: licere pijs & Christianis hominibus vt magistratus opem implorent, & armatam quoq; (si ita necessitas iubeat) defensionem postulent. Neq; hic audiendi sunt, qui Christi regnum armis propagari negant, & ab illo nobis mandatum esse clamant, ne malo resistamus. Nec enim legitimam à magistratu defensionem postulamus, quòd Christi regnum armis propagare in animo sit: sed officium petimus, quod magistratus, si bonus esse velit, negare non potest, & quo pijs salua fide & religione uti licet. Constat enim à deo constitutos esse magistratus, & quidem in bonum, nec illis frustra gladium esse à deo creditum. Vide Rom. 13. Et reges ecclesiæ nutritios fore per Isaiam Deus promisit. Quoad verò Christi præceptum, quo malo resistere prohibemur, illo nequaquam legitimam magistratus functionem abrogare, sed priuatis hominibus immanem vindictæ cupiditatem extorquere voluit, quæ & leges publicas, & amicitias pacemq; omnem turbare solet. Rectè ergo Paulus à Tribuno defendi cupit, nec militum arma aspernatur, quibus coniuratorum insidias reprimi posse videbat. Nec etiam illi imputandum erat, etiamsi cum militum equitumq; manu coniurati illi commissi cædem vtrinq; commisissent: sed in impijs illis omnis potius culpa hæsisset, qui nefarij conatus authores fuerant. At si Paulo Romanorum militum præsidio uti licuit, næ illi nimium seueri fidei censores sunt, qui hodie verbi ministris uitio uertunt, si Christianorum magistratuum opem implorent, & ab illis hoc ipsum officij postulent, quod ethnicus Tribunus Christi apostolo minimè denegandum esse putauit.

Paulus Tribuni opem petit.

Sed omisso Paulo ad Centurionem transeamus, quo internuntio ille vsus est. Vocatum enim ad se rogat, ut adolescentem ad Tribunum abducat: in quo officio præstando admodum facilem & promptum sese præbet. Solet enim suis apud exteros quoque gratiam conciliare deus, & occulta quadam vi hominum animos illis deuincire. Ita Iosephus olim singulari gratia apud Potipharem pollebat, & Israelitas ab Aegyptijs preciosissima quæq; facilè impetrauisse legimus, eò quòd dominus his illos gratiosos & amabiles reddidisset. Debent hæc nobis pietatis studium commendare,

Centurio benignè Paulo morem gerit.

quando videmus tunc demũ nos hominibus quoq; facillimis & beneuolentißimis vsuros esse, quando deum nobis obstrinxerimus, cui hominum animos pro suo arbitrio inclinare, facillimum est. Simul autem imitandus est nobis Centurio hic, vt illius exemplo afflictis & calamitosis libenter inseruiamus: quando sibi collatum Christus putat, quicquid in illos collatum fuerit. Vide Matth. 25. Sed ô enormem nostri seculi improbitatem, quo eò impietatis progreßi sunt homines, vt à Christianis difficulter impetres, quod à milite ethnico Paulus tam facilè impetrare potuit. Plerosque enim captiuorum Christi hodie pudet, eosq; vel hoc uno nomine negligunt, ne dum horum causam agunt, ipsi quoq; suspecti fiant.

Tribunus Paulo opem ferre paratus est.

Cæterum qualis in Pauli causa Tribunus ipse fuerit videamus: ubi in ethnico homine maximarum virtutum specimina elucent, nimirum huius quoque animum deo impellente, qui apostolum suum impijs coniuratorum insidijs subducere voluit. Primò enim singularem humanitatē exercet, dum ad se venientem puerum non fastidit, nec captiui nomine audito toruus aspernatur, sed manu prehensa seorsum abducit, & amicè qua de causa venerit, interrogat. Quod exemplum omnes eos, qui in magistratu versantur imitari conuenit, cùm hæc non postrema illorum virtus sit, vt facilem ad se quibusuis aditum præbeant, & subditorum causas clementer & patienter audiant. Ita enim dei ingenium referunt, qui etiam spontè nos inuitat, auresq; suas afflictorum precibus semper patere uult. Et sanè cùm multos vel pudor vel metus impediat, quò minus animi cõcepta coram magistratibus eloqui poßint, humanitatis & beneuolentiæ significatione illis animum addere conuenit, ne præposterus ille vel pudor vel metus illis fraudi sit. Deinde humanitati prudentiam coniungit Tribunus, quæ ex eo colligitur, quòd puero non difficulter fidem adhibet, quàmuis multa essent, quæ narrationem possent suspectam facere. Sed cùm Iudaicæ gentis malitiam iam antè non semel perspexisset, & ex prioribus actionibus facilè intellexisset, quàm iniquo quamq; hostili in illum animo essent, tales omnino inter illos inueniri arbitratur, quales à puero describebantur: imò quæ illius est humanitas, non iniquè fert, à puero sibi consilium dari, qui ne Paulum ad illos produceret, monebat. Habent ergo hîc quoq;, quod imitentur, principes. Nam vt nimia credulitas, quæ leuitatis speciem habet, vitari debet: ita ad credendum difficiliores esse minimè conuenit, maximè si rationes probabiles afferri audiant. Quin prudentes præsenti animo in omnem euentum aduigilent, ne (quod sæpè accidit) nimia difficultate vel respublicas totas, vel viros bonos in periculum adducant. Postremò summam in Tribuno hoc industriam videre licet: quando nihil eorum intermittit, quæ præsenti negotio seruire poterant. Nam à puero silentij fidem prudenter exigit, ne res patefacta noui consilij occasionem coniuratoribus præbeat. Deinde accersitis duobus Centurionibus militum manum, quanta sufficere poterat, huic negotio destinat. Præterea iumenta quoque parari iubet, quibus Paulus deuehi poßit. Adhæc noctem obseruat, ne quis tumultus temere excitetur. Addit quoque commendatitias literas ad Felicem Præsidem. Quæ omnia absque labore & absque sumptibus fieri nullo modo potuerunt. Sed officij sui memor, nec laboribus nec sumptibus sibi parcendum esse putat, vt captiuum hominem, & nullius adhuc sceleris conuictum, ex latronum manibus liberet. Simili industria Christianos magistratus in bonis defendendis vti decet, quando in hunc finem illos præcipuè institutos fuisse constat. Sed ethnici hominis exemplo multorum tum negligentia tum nequitia arguitur, qui centum potius verbi ministros hostibus laniandos traderent quàm illorum causa tantos labores sumptusq; facere vellent. Neminem tamen seculi nostri ingratitudo absterreat, quò minus officio suo fideliter fungatur. Etsi enim cessent homines officium facere, nec ulla apud ipsos auxilij spes affulgeat, nunquam tamen promißis suis deus deerit, qui cultores suos inter mille pericula inopinis medijs seruare tandemq; ad cœlestis regni hæreditatem transferre consueuit, per Iesum Christum filium suum: cui debetur benedictio, bonor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CLI.

Scripsitq; Tribunus literas in hanc formã: Claudius Lysias præstantissimo Præsidi Felici salutem. Virum hunc comprehensum à Iudæis, cùm iam propè esset interficiẽdus, superueniens eum militibus eripui,

cognito quòd Romanus esset. Volensq; scire causam, ob quam accusarent illum, deduxi in conciliũ eorum. Quem comperi accusari de quæstionibus legis ipsorum, nullum dignum morte aut uinculis habentem crimen. Et cùm indicatum esset mihi de insidijs, quæ homini à Iudæis imminebant, protinus eum misi ad te, denuntians etiã accusatoribus ut quæ habent aduersus eum, dicant apud te. Vale. Milites uerò iuxta quod sibi iniunctum erat, assumptum Paulũ duxerũt per noctem Antipatridem. Postridie autem dimissis equitibus, ut cum eo irent, reuersi sunt in castra. Qui cùm uenissent Cæsaream; ac tradidissent epistolam Præsidi, statuerũt etiam Paulũ coram ipso. Quum legisset autem Præses, & interrogauisset, ex qua esset prouincia, & cognouisset quòd ex Cilicia, Audiã te (inquit) cùm accusatores quoq; tui aduenerint. Iussitq; in prætorio Herodis custodiri eum.

SVperuacanea alicui videri poterat Lucæ euangelistæ diligentia, qua vt Paulus Romanorum militum ope insidias, quas ipsi latrones quidam coniurati struxerant, effugerit, commemorat, eaq; commemoratione minutissima quæq; tantumnon ad nauseam usq; inculcat. At quia ex spiritus sancti suggestione illum scripsisse constat, nihil quod illo authore traditur, nobis superuacaneum uideri debet. Ita enim infallibilem dei fidem siue Veritatem, & eiusdem inuictam potentiam, qua in suis asserendis vtitur, nobis ob oculos statuit. Nec enim vulgari modo impiorum latronum conatus eludit, Paulumq; iuxta promissionem suam liberat, sed ita negotium omne instituit & administrat, vt illorum potissimum opera conficiatur, à quibus nihil tale sperauissent pij, cùm etiam ipsi Christianæ fidei hostes, & fortassis ab omni religione alienissimi essent. At quia Veritas ipsa deus est, promissa fallere non potest: & quia hominum corda mentesq; sua manu versat, facillimum illi est hostium quoq; opera in ijs perficiendis vti, quæ fieri decreuit. Huius ergo virtuti tribuenda erit cùm Tribuni tum militum industria, quæ talis describitur, vt omnes hosce in Pauli obsequium perinde coniurauisse putes, vt alteri in eiusdem necem conspirauerant. Omnium verò horum consyderatio (vt sæpè monuimus) fidei nostræ confirmandæ seruire debet: quam cùm propter quotidianas tentationes crebris consolationibus fulciri oporteat diligentius aliquantò, vt Paulus Cæsaream ad Iudææ Præsidem perductus sit, videamus, quando in singulis multa deprehendes, quæ fidem nutantem erigere & sustentare possunt.

Initiò autem exemplum epistolæ, qua Paulum Felici Lysias Tribunus cõmendauit, ponitur. Docet hæc præter multa alia, qua breuitate veteres in rebus grauissimis vsi sint, cùm hodie in leuissimis rebus immodica verborũ copia adhiberi soleat, cuius non alia causa adduci potest, quàm quòd fides omnis extincta est, cuius loco mendacium & vana simulatio passim dominantur. Habet autẽ epistola hæc suas partes, inter quas primum locum Inscriptio obtinet. Exprimit hæc cùm authoris nomen, tum eius ad quem scribitur, & quis nam illo tempore Iudæis Præses fuerit, docet: Felix nimirum, cuius multa apud exteros quoq; historicos mentio fieri solet. Hunc Claudij Cæsaris libertum fuisse, & principis stoliditate in tantum fastigium ascendisse tradunt, vt summos honores Romanis ciuibus & Patritijs facilè præriperet. Retinuit tamen seruile ingenium, cum libidine, stupris & cæde passim omnia fœdarit. Nam trium reginarum maritum fuisse Suetonius scribit, quas illum partim Claudij authoritate, partim lenocinio infami in coniugium pellexisse constat. Drusillam certè, Herodis filiam (eius, inquam, quem ab angelo percussum fuisse Cap.12. audiuimus) Aziazo Amasorum regi Cyprij cuiusdam Magi arte & opera eripuit. Idem Ionathæ Pontifici latrones submisit, qui nihil tale cogitantem in templo crudeliter trucidarent. Quæ omnia in eum finem dicuntur, vt Pauli sortem agnoscas, quem tam nefarij hominis potestati deus permisit, simul verò eundem defendit, ne quid ab illo mali pateretur. Stultè ergo hominum potentiam & libidinem metuimus, quando leoninos quoq; animos cicurare deus nouit, vt præter ingenium & morem suis parcant. Simul verò apparet hoc loco, quis populi status sit, qui aliquando libertatis dono abusus, dei iram in se prouocauit. Tales enim Iudæos fuisse constat, quos non libertate modò deus donauerat, verumetiam

Epistola Tribuni, Cl. Lysiæ.

Felix quis?

Ioseph. Antiq. lib.20. cap.9. & 11.

sibi soli consecratos suumq́ peculium inter omnes gentes esse voluerat. At quia nec sanctis dei legibus parere, nec prophetarum & Christi monitis corrigi voluerunt, & libertatis dono impiè abusi sunt, illo spoliati Præsides tales ferre coguntur, quos nec generis nobilitas, nec virtutum gloria, sed insaturata libido & belluina crudelitas famosos reddebat. Cumq́ nec istis malis emendarentur, tandem repudium passi, & à dei regno prorsus exclusi sunt. In quorum consyderatione eos frequentius versari oportebat, qui hodie etiam libertatis prærogatiua licentiosius abutuntur, eamq́ in effrenem quiduis audendi & faciendi licentiam conuertunt, &c.

Pauli commendatio.

Sed ad Lysiæ Tribuni epistolam reuertamur, qui post Inscriptionem à Narratione orditur, qua Paulum non uulgariter commendat. Illum enim nulla sua culpa aut merito, sed Iudæorum improbitate captum esse testatur. Deinde Romanum ciuem esse fatetur. Tandem innocentiæ etiam testimonium fert, dum in illo nullum crimen morte aut saltem uinculis dignum hærere scribit, nec ipsos Iudæos aliam ob causam, quàm propter ipsorum Legem & religionem aduersus illum tumultuari. Est hoc quidem præclarum testimonium, sed cogitandum est, hæc militis verba esse, & illum pro communi Romanorum more loqui. Hi enim cùm Iudaicam religionem omnino abolitam cuperet, illam à suis Præsidibus minimè defendi uolebant. Quare illos religionis controuersias nequaquā curauisse, passim uidemus. At longè aliud deus iubet, qui magistratus primam religionis curam habere præcipit. Nec enim decet, ut dei cultum uel negligant, uel prophanari patiantur, qui in summum hunc dignitatis gradum dei beneficio collocati sunt. Interim filiorum huius seculi astutia in Tribuno elucet, qui suum errorem, quem in vinciendo & ad flagra relegando Romano ciue commiserat, tam egregiè dissimulat, ea modò scribens, quæ sibi laudem & fauorem conciliare poterant. Cumprimis verò obseruandum venit, quàm deo curæ sint veri cultores, quando illorum innocentiam hostium quoq́ testimonio asserit. Exemplum huius hodie passim cernitur, quando apostolorum & prophetarum laudes magnificè ij prædicant, quos eorundem doctrinam & fidem plusquam hostiliter persequi videmus. Quid ergo hostium calumnias aut mundi infamiam metuimus?

Restat vltima epistolæ pars, quæ præoccupatione constat. Ne enim Felix indignè ferret, hominem innocentem non dimissum, sed potius tanto sumptu ad se ablegatum esse: huius quoque instituti ratio redditur. Propter insidias enim à Iudæis structas hoc factum esse scribit, quas dimissus Paulus nunquam effugere potuisset. Ita ergo cùm innocentis hominis saluti, tum publicæ paci consultum oportuit. VBI rursum Tribuni exemplo magistratus officij admonentur, vt curent nimirum, ne quis vim patiatur, quando in hunc finem ipsos potissimùm institutos esse constat, ne boni malorum libidine & insolentia opprimantur. Vide Psal.72. Rom.13.

Paulus Felici sistitur.

Sequitur quem euentum res ista habuerit, felicissimum nempe, ita moderante domino. Milites enim iniunctum sibi munus fidelissimè exequuntur, & Paulum saluum coram Felice præside statuunt. Hic verò, quasi naturam exuerit, præter morem humanus & affabilis, illum cuias sit interrogat. Quo cognito, causæ cognitionem in accusatorum aduentum vsque suspendit. Docet enim naturæ lex, utranq́ partem audiendā esse, priusquam sententiam feras. Meminerimus autem omnia hæc, deo sic administrante, euenisse. Huius enim opus est, quòd milites absq́ murmure Paulo inseruiunt, quòd pro eius salute quiduis facere parati sunt, quòd Felix solito humanior illum amicè excipit, & in Herodis prætorio non illiberali custodia asseruari curat. Vsus horum est, vt hominum conatus non multum moremur, sed uni deo placere studeamus, qui barbaras mentes mansuefacere, mores efferos cicurare, & hostes quoq́ in nostri amorem conuertere potest. Animent hæc nos, ut inuicta fidei constantia mundi tyrannidem vincamus, æternum olim in cœlis victuri cum Iesu Christo saluatore nostro; cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

CAPVT

CAPVT XXIIII.

HOMILIA CLII.

POst quinque autem dies descendit Princeps Sacerdotum Ananias cum Senioribus & Tertullo quodam oratore, qui comparuerunt coram Præside contra Paulum. Et citato Paulo cœpit accusare Tertullus, dicens: Nos per te tuæque prudentiæ egregia in hac gente facinora multam pacem consecutos esse, & prorsus & ubique agnoscimus, præstantissime Felix, cum omni gratiarum actione. Sed ne diutius te detineam, oro te ut audias nos paucis pro tua humanitate. Nacti enim sumus uirum hunc pestiferum & concitantem seditionem omnibus Iudæis in uniuerso orbe, & principem sectæ Nazaræorum, qui etiam templum prophanare conatus est. Quem & apprehensum uoluimus secundum Legem nostram iudicare. Sed superueniens Tribunus Lysias, cum magna ui eripuit eum è manibus nostris, iubens accusatores eius ad te uenire: ex quo poteris ipse inquisitione facta de omnib. istis cognoscere, de quibus nos accusamus eum: Adiecerunt autem & Iudæi, dicentes hæc ita habere.



Arrat hoc Capite Lucas quid Paulo apostolo apud Felicem præsidem euenerit, ad quem illum à Tribuno, qui Hierosolymis in præsidio erat, transmissum fuisse audiuimus. In qua narratione primum locum actio capitalis habet, quam contra apostolum Pontifices & Seniores instituerunt. Quàmuis uerò ita ille causam suam agat, ut nullum in eo crimen capitale Felix deprehendere possit, toto tamen biennio in uinculis detinet, & ut aliquam apud Iudæos gratiam ineat, eundem prouincia decedens successori suo, Portio Festo, captum uinctumque relinquit. Porro in eum finem ista describuntur, ut inde discamus, quæ semper piorũ in hoc mundo sors futura sit, & quàm pertinaci odio illos mundus hic persequi soleat: quando Iudæos nullis uel sumptibus uel laboribus pepercisse uidemus, ut Paulum diuini uerbi fidelissimũ præconem opprimere possent. Sed ut hæc suis euentura esse Christus prædixit, ita quod prædixerat apostolorum exemplis illustrari & probari uoluit, quò minus offenderemur, si quando nobis etiam similia acciderent. Nam ut aduersa queuis & persecutiones grauissimas apostoli sustinuerunt: ita suo etiam exemplo docent, quid nos cum persecutionibus & aduersis tentamur, facere conueniat. Et hic quidem præcipuus præsentis quoque loci, imò totius sequentis historiæ usus est. At in præsenti prima pars actionis contra Paulum institutæ commemoratur, cuius singulas partes modò excutiemus.

Orditur autem à descriptione partium, quæ coram Felice præside comparuerũt. Et ab una quidem parte steterunt Pontifex Ananias, Seniores, & cum his Tertullus Rhetor celeberrimus & longo dicendi usu instructus. Altera uerò pars solum Paulum habet, & hunc quidem uinctum, multisque nominibus iam ante suspectum. Patet rursum hoc loco (quod iam sæpè aliâs diximus) qui ferè præcipui Veritatis & huius ministrorum hostes sint, quibusque armis pugnent. Hi nimirum, qui cum religionis tum rerumpub. fortissimi assertores uideri uolunt: & inter hos cumprimis ij, qui religionem quæstum fecerunt. Tales enim in præsenti Pauli aduersarios fuisse, passim euangelica historia abunde testatur. Atqui eiusmodi homines plerunque rerum usu, prudentia, dicendi facultate, potentia item & authoritate præstare solent: quæ causa est, quòd sectatores & fautores habeant quàm plurimos. E contra uerò ueritatis ministri, ut numero pauci, ita ferè ignobiles et obscuri sunt, adhæc omnibus uel inuisi uel contempti, ut qui animi amarulentia potius aut inscitia, quàm publicæ salutis studio, mundi studijs sese opponere uidentur. Atqui perpetuam hanc in mundo hoc piorum conditionem fuisse, ut nimirum pauci & contempti cum multis authoritate & potentia instructissimis pugnare coacti sint, omnium seculorum exempla docent. Ita enim Moses & Aaron cum Magis Aegyptijs committuntur, quos Regis fauor totiusque Aegypti nobilitas tuebatur. Ita unus Elias cum Baalis sacerdotibus quadringentis & quinquaginta, totidemque ferè lucorum prophetis coram Achabo, ini-

Pauli accusatores præstãtissimi & præclari

quißimo iudice, congreditur. Et Micheam paulò post cum quadringentis pseudoprophetis commissum fuisse legimus. Possent etiam aliorum prophetarum & apostolorũ, adeoq́ ipsius Christi historiæ allegari, quas breuitatis studio omittimus, cũ scripturas legentibus paßim occurrant. Nobis potius usus horum obseruandus erit, è quo fructus haud exiguus ad nos redit. Primum enim communi omnium institutioni seruiunt, ne uidelicet de religione aut fide ex sectatorum multitudine siue authoritate iudicemus, id quod uulgò etiam hodie fieri consueuit. At si hoc admittamus, iam non Paulus modò causa cadet, qui solus & ignobilis à Pontificibus et toto Senatorio ordine accusatur, uerumetiã prophetæ omnes unà cũ Christo & apostolis reliquis periclitabuntur. Imò Turcas Christianis præferemus, qui & amplißimis regnorum finibus, & hominum multitudine, uictorijs item & secundis rerum successibus nos longè superant. Quare Christum potius audire decet, qui gregem suorum fidelium pusillum uocat, & per angustam uitæ portam paucißimos ingredi, multos autem per latiorem uiam ad interitum cateruatim ruere, ait. Luc. 12. Math. 7. Deinde consolationem quoq́ haud uulgarem horum consyderatio nobis affert: ne uidelicet terreamur, etiamsi nobis quoq́ aliquando solis standum sit aduersus multos potentia, gloria & authoritate insignes. Qui enim Paulo in præsenti affuit, hic ipse nos quoq́ in simili causa periclitantes minimè deseret. Extant enim promißiones amplißimæ, quibus spiritus sui suggestionem, os & sapientiam nobis pollicetur, cui nulli aduersarij possint resistere. Vide Luc. 21. & 12. Matth. 10. Marc. 13. &c.

Tertulli oratio

Sed Tertullum Rhetorem audiamus, cuius oratio tribus potißimum partibus constat. Prima exordium habet, qua non tam artificiosè quàm subdola & impudenti adulatione beneuolentiam captat, partim ab ipsius Felicis, partim à propria ipsorum persona. Illius enim beneficium esse dicunt, quòd pace læta fruantur, & multa in dies ipsius cura & prouidentia in melius restituantur. Rursum ab ipsis beneficium hoc agnosci & cum gratiarum actione suscipi fatentur. At utrinq́ splendidè mentiuntur. Felicem enim peßimè prouinciam administrauisse, multa truculenter & iniustè fecisse, omnia deniq́ immoderata libidine, stupris & cædibus fœdauisse, supra audiuimus, & ethnici eius seculi scriptores abundè testantur. Deinde Iudæos quoq́ illis temporibus indesinentibus & perpetuis seditionibus contra Romanos tumultuatos esse, omnes nouerunt, quibus uel mediocris est historiarum cognitio. Attamen non pudet uanißimos homines impudenter mentiri, & tyrannum laudando publicam totius gentis causam, quæ ipsis commendatißima esse debebat, turpiter prodere. Sed ideo pacem & tranquillitatem publicam falsis laudibus euehunt, ut Paulum Felici inuisum reddant, quasi seditiosum huius turbatorem. ET in his quidem, quanta odij aduersus ueritatem concepti u..rulentia sit, facilè elucet. Quia enim mũdo nihil tam inuisum est, quàm Veritas, eò quòd huius luce illius opera mala arguuntur, acerrimos & immanißimos hostes potius, quàm hanc, ferre & amare consueuit, & tolerabiles omnino tyranni uidentur, modò suam in opprimenda Veritate operam conferant. Ita Tiberium Cæsarem, libidine & tyrannide infamẽ, Christo saluatori præferunt, quando se alium regem, præter Cæsarem habere negant. Imò Barrabam latronem & seditionis nefariæ authorem Christo præferre non puduit. Nec noua est in mundo ista iudicij peruersitas. Hac ipsa enim Mosi olim in deserto Israelitas obstrepuisse, legimus, dum Aegyptiacam seruitutem propter pepones, cepas, allia, carnes & alia eius generis mirificè laudant, eam uerò conditionem, quæ in singulas horas noua diuinæ beneficentiæ exempla exhibebat, ceu infelicißimam & miserrimam detestatur. Vide Nume. 11. cap. Atqui utinam non hodie etiam similia exempla extarent, quando multi pacem publicam, quæ sub Papatu floruit, magnificè prædicant, eamq́ euãgelij prædicatione turbatam esse quiritantur, interim uero funestißima bella callidè dißimulant, quorum Romani Pontifices iam seculis aliquot authores fuerunt, nec aliquam faciunt eorum grauaminum mentionem, quæ cum fortunas tum conscientias hominum miserrimè attriuerunt. Quid quòd eousq́ quorundam dementia progreditur, ut cum acerrimis & inueteratis hostibus potius colludere, quàm euangelicæ ueritatis lucem ferre uelint. Sed idem aliquando isti homines experiẽtur, quod à Romanis infelix Iudæorum gens non multis post eiectos apostolos annis perpessa est.

Accusationis capita.

Porrò ad Tertullum redeamus, qui secunda orationis suæ parte accusationem aduersus Paulum grauißimam instituit, quæ tribus capitibus continetur. Primò seditiosum dicit, imò ipsißimam pestem uocat, eò quòd paßim in toto orbe Iudæos seditiosè turbet. Ita autem in Paulum transfert

crimen,

crimen, cuius ipsi præcipui authores erant. Iudæorum enim opera hactenus seditiones aduersus Paulum & illius collegas excitatas fuisse, tota huius libri series docuit. Nam huc referri possunt, quæ de Corintho, Thessalonica, Epheso, Antiochia, Iconio, Lystris, & infinitis alijs ciuitatibus per hos turbatis, audiuimus. Deinde propugnatorem sectæ Nazarænorum uocant. Schismatis ergo & hæresios accusant, quod crimen omnibus seculis in ecclesia grauissimum habitum fuit. Videtur autem Tertullus Christianos per contemptum Nazarænos dicere, utpote qui obscuram & ignobilem suæ sectæ originem haberent. Nazarethū enim oppidulum nullius ferè pretij fuisse, ex Iohannis cap. 1. patet, ubi Philippo Iesum Nazarenum nuncianti, Nathanael respondet: A Nazareth potest ne aliquid boni esse? Estq; hoc uetus diaboli stratagema, quòd ueram religionem ignobilitatis nomine suspectam reddit. Cuius impulsu olim quoq; Iulianus apostata Christum Galilæum, & Christianos Galilæos nominauit. Tertiò templi prophanati accusant, & templi nomine uniuersum cultum externum comprehendunt. Sunt hæc nobis hodie eò diligentius obseruanda, ut intelligamus, quibus criminibus ferè grauetur Veritas, & ne offendamur, si quando nos quoq; seditiosi, schismatici, hæretici, templorum & imaginum prophanatores, sacrilegi deniq; & religionis auitæ euersores dicimur. Hæc ipsa enim crimina sunt, quæ & prophetis et ipsi Christo maximè obiecerunt impij hostes. Vt uerò illa nos non offendere debent, ita nec illis statim fidem habere debemus, qui insontes & pios uiros istis criminibus impudenter grauant.

At ne falsis criminibus Paulum urgere uiderentur, testes sistunt: Primò quidem ipsum Tribunum, quem tamen obiter accusant, ut qui nimium importunus iam iam pœnas secundū legem daturum eripuerit. Deinde uerò omnes unanimi consensu Tertulli uerbis astipulantur. Quo loco effrenis audaciæ simul & impudentiæ exemplum proponitur. Nam Tribunum accusare audent, & sibi sanguinis fundendi occasionem ereptam esse quiritantur per hunc, qui eo nomine maximam laudem merebatur. Adeò non piget scelerum impios, ut eos perpetuo oderint, qui illorum improbis conatibus obstant. Præterea cum primò quidem accusatores, deinde iudices huius causæ fuerint, nunc testes quoq; sunt, adeoq; quiduis sibi credi uolunt, nec dei iudicium uerentur, qui falsos testes maximè exosos habet, & eosdem talionis pœna coercere iubet. Prouerb. 9. Deuterono. 19. Nobis uerò hæc non parum conducunt. Nam & eos suspectos habere discimus, qui hodie horum similes sunt, & minus offendimur, si quid tale nobis etiam accidit. Viuit enim & regnat Christus Iesus, qui similibus præiudicijs oppressus, omnem inferorum potestatem uicit, & in cælos euectus, hostium suorum consilia ridet, suorum uerò causam fidelissimè tuetur. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen. Cōfirmatio accusationis.

HOMILIA CLIII.

Respondit autem Paulus, cum annuisset ipsi Præses ut diceret: Aequiore animo pro meipso causam dico, cum sciam te à multis iam annis fuisse iudicem genti huic: qui possis cognoscere, quòd non plures sunt mihi dies quàm duodecim, ex quo ascendi adoraturus Hierosolymam. Et neq; in templo inuenerunt me cum aliquo disputantem, aut concursum turbæ facientem, neq; in Synagogis, neq; in urbe, neq; probare possunt ea, de quibus me accusant. Cōfiteor autem hoc tibi, quòd iuxta uiam, quam uocant hæresim, sic colo patrium deum, credens omnibus quæ in Lege & Prophetis scripta sunt, spem habens in deum, fore quam & hi ipsi expectant, resurrectionem mortuorum, iustorum simul & iniustorum. In hoc autē ipse studeo sine offendiculo conscientiam habere erga deum & erga homines semper.

Audiuimus heri grauissimæ accusationis, aduersus Paulum institutæ, capita, quæ ex Tertulli ore spiritus sanctus diligentissimè conscribi uoluit, partim quidem ut apostolicæ historiæ ueritas nobis minus suspecta esset, quando hostium quoque uerba bona fide recenseri uidemus: partim uerò ut minus offendamur, si quando nobis aut alijs ueræ fidei sectatoribus similia obijci audi-

mus. Porrò audiamus nunc Paulum apostolum, qui innuente sibi Felice præside omnia ista constanter simul & uerè diluit. Priusquam tamen apostoli uerba aggrediamur, duo nobis obseruanda ueniunt. Alterum Felicis exemplum est, quo admonemur in iudicijs utranq; partem audiri debere. Nisi enim id fiat, partialis erit iudex, nec unquam causæ ueritatem cognoscere poterit. Alterum in Pauli exemplo proponitur, qui grauissimis conuitijs petitus, non tamen impudenter ad dicendum prorumpit, nec impotenti iræ affectu abripitur, ut conuitia conuitijs diluat: sed expectata dicendi copia & præsidis permissione, modestè & prudenter causam suam agit. Imitentur hunc pij omnes, ne animi impotentia & conuitiandi libidine ueritatis causam, quam tuentur, suspectam reddant: quod non rarò ab ijs fieri solet, qui suis potius affectibus indulgere, quàm rationis dictata sequi uolunt.

Pauli apologia.

His præmissis ad Pauli responsionem accedamus, quæ Exordio & obiectorum criminum confutatione constat. Et Exordio quidem ipse quoque à Felicis persona beneuolentiam captat, sic tamen ut citra ineptam & mendacem adulationem aduersarios occultè perstringat. Nam eò æquiori animo se coram Felice causam dicere ait, quòd multis iam annis genti huic præfuerit, & proinde eius mores probè cognitos habeat. Est enim hoc cumprimis optandum reo, ut iudicem peritum & gnarum habeat, quando non rarò fit, ut ignorantia peccent, qui aliâs iustitiæ uehementer studiosi sunt. Quo periculo se liberum esse Paulus fatetur, nec timendum esse, ut Felix sibi à Iudæis imponi patiatur, quorum impudentiam, & seditiosos spiritus multorum annorum experientia cognouerat. Hinc uerò uniuersalis doctrina peti debet, à magistratibus diligentiam requiri in causarum cognitione, eò quòd ignorantiæ excusatio apud illos nulla est, si hæc uoluntaria aut crassa fuerit. Cur enim rerum ignarus sit, qui dei uices gerens, illius iudicia sibi cõcredita habet? Memores ergo, dei iudicium esse, populi sui mores, ingenia & facta diligenter obseruent, causarum quoq; circumstantias probè examinent. Ita enim fiet, ut aut ignorantia peccare nequeant, aut excusabilis illorum error erit, si quem non turpi desidia, sed aliorum fallacijs decepti commiserint. Sed utinam in horum consyderatione frequentius uersarentur, qui hodie honorum titulis & imperij fastu turgidi, ocio turpi & comessationibus, choreis item & uenationibus se totos dedunt, adeò ut ferarum lustra & quæuis libidinum instrumenta melius quàm populi sui conditionem, mores & ingenia perspecta habeant. Porrò priusquam hinc discedamus, illud quoq; obseruandum erit, quòd Felicem, turpissimum tyrannum, annis aliquot in sua gente præsidere deus uoluit. Id enim mirum alicui uideri poterat. Sed merebatur hoc gentis illius ingratitudo planè incurabilis. Cum enim duces & pastores optimos illis imposuisset dominus, illos adeò dedignati sunt, ut ne Christum quidem æternum dei filium, audire uoluerint. Patiuntur ergo quod sæpè minatus fuerat deus: ut huius præsidio nudati, eiusmodi præsides habeant, qui suæ potius libidini & auaritiæ, quàm publicæ gentis saluti consultum cuperent. Possunt hæc docere, quid omnibus illis expectandum sit, qui uel libertatis donum, uel pios magistratus & fidos uerbi ministros Iudaica planè ingratitudine & improbitate aspernantur.

Seditionis crimen diluit.

Sed in Pauli responsione progressi, quomodo obiecta crimina diluat, uideamus. Inter hæc primum est quòd seditionum authorem dixerant, cui etiam uiolati templi crimen coniungit, eò quòd huius gratia cumprimis tumultuati fuerant. Est uerò in istis diluendis ualde diligens. Primò enim à tempore argumentum ducens, impossibile esse dicit, abs se seditionem commotam fuisse, cum duodecimus demum dies agatur, ex quo Hierosolymas uenerit. A quo dierum numero si eos subtrahas, quos in uinculis iam egerat, uix unus aut alter reliquus erit. Quis uerò repentè aduenicns intra bidui aut tridui spatium urbem populosissimam uniuersali seditione turbaret? Deinde non ueni (inquit) ut turbas darem, sed ut adorarem, & (ut postea sequetur) ut eleemosyna inter gentes collecta huius populi inopiæ subuenirem. Falsum ergo est, quod illi de templi prophanatione dicunt. Tertiò nusquam me tale quid molientem inuenerunt. Nec enim uel in templo uel in Synagogis docui, nec aliquem fecì populi concursum. Deniq; nunquam probabunt ea, quæ de me dixerunt. Id quod grauiss. dicit. Ita enim illos non mendacij modò, sed falsi testimonij insimulat. At non repugnat Christianæ patientiæ ratio, quò minus cum aduersariorum ignominia obiecta crimina diluamus, quando non tam nostram existimationem, quàm ueritatis causam periclitari uidemus. Cæterũ institutioni seruit, quòd à seditionis crimine tam diligenter sese purgat Paulus. Inde enim discunt ministri, sibi maximè cauendum

mundum esse, ne respub. seditiosè turbent, quando illis nihil exitialius est, & deus concordia ac unitate cumprimis delectatur. Quòd si uerò ad uerbi prædicationem citra illorum culpam seditiones ab impijs excitantur, uel incertis authoribus oriuntur, tum illud Ambrosianum locum habet, in nostro iure esse ut excitemus populum, in dei manu autem esse concitatum mitigare. Lib. 5. epistola 33. ad Marcellinam sororem.

Deinde ad hæreseos crimen Paulus transit. Fateor (inquit) me deum colere iuxta eam uiam & rationem, quam illi hæresim uocant. Interim me propterea hæreticum aut schismaticum esse, pernego. Nam deum patrium colo, & scripturis credo, &c. Quo loco multa nobis obseruanda ueniunt. Hæreseos crimen diluit. Primùm, quod fidem, de qua accusatus fuit, ingenuè fatetur, & quidem coram ethnico iudice. A fide ergo confeßionem separare nefas est, nec sufficit ut corde credas, id est opinionem quandam penes te animo concipias, sed coram hominibus fidem in Christum confitearis oportet. Nec enim eiusmodi cultores fert Christus, quos sui pudeat, ut sæpe iam dictum est. Deinde fidem suam quatuor articulis comprehendit, quibus omnes alij continentur. Primò patrium deum se colere ait, eum intelligens, qui cum patribus egit, & quem illi coluerunt. Est hic præcipuus fidei articulus, ut uno uero deo contenti, nullos nobis uel nouos uel alienos deos faciamus. Est autem uerus deus, qui cum patribus olim agens, filium promisit, & in hoc salutem hominibus contulit. Vnde constat nec Iudæos nec Turcas hodie ueri dei cultores esse, quando deum sine filio sibi imaginantur. Secundò formam & modum sui cultus exprimit, dum se credere dicit omnibus quæ in Lege & prophetis scripta sunt. Atqui omnium horum finis Christus est, de quo Mosem & prophetas testatos fuisse constat. Fide ergo in Christum Paulus deum coluit. Vbi iam omnes fidei nostræ articuli, qui de Christo sunt, comprehenduntur. Nec sanè alius cultus deo placere potest, quando in solo illo hic nobis placatus est. Nec patrem honorat, quisquis filium non honorauerit. Iohan 5. cap. Simul uerò Pauli exemplum monet, Dei cultum iuxta scripturas, non iuxta hominum traditiones institui debere, quando illum bis frustra coli, paßim docemur. Vide Isa. 29. Matth. 15. Tertiò, resurrectionem mortuorum fatetur, quam ideo nominatim allegat, quia in illa omnis nostræ salutis ratio consistit, ut ipse in priori ad Corinth. cap. 15. docuit. Vniuersalem uerò resurrectionem agnoscit, non ut fanatici quidam, qui hanc ad solos pios restringunt. Vt enim hos pietatis præmia in nouißimo die accipere oportet, ita impios æternis pœnis subijci iustum est. Quartò, se huius fidei ductu in hoc unum incumbere dicit, ut conscientiam tum coram deo tum coram hominibus integram seruet. Qui germanus fidei fructus est. Hæc enim iustificat homines: at qui iusti sunt, iustitiam operantur. 1. Iohan. 3. cap. Nec fieri potest, ut conscientiam suam scelerum fœditate polluant, quicunque resurrectionem fore ex animo credunt. Ex his uerò, quæ Pauli fides fuerit, patet. Atqui his probat, se pro hæretico haberi non posse. Quotquot ergo imitati, deum patrium iuxta scripturas uera in Christum fide colunt, resurrectionis spem retinent, & conscientiæ puritati erga deū & homines pro uirili student, hi uerè Paulini & apostolici, imò Christiani & orthodoxi sunt, ut ut in illos infelix mundus desæuiat. Teneamus ergo fidem hanc, ô fratres, & inuicta futuræ resurrectionis spe per omnes tribulationes fortiter eluctemur, æternum olim præmium habituri cum Christo Iesu, saluatore nostro: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Fides Pauli quæ.

1. 2. 3. 4.

HOMILIA CLIIII.

Post annos autem plures accesi, eleemosynas exhibiturus in gentem meam, & oblationes: in quibus compererunt me purificatū in templo, haud cum turba neque cum tumultu. Quidam autem ex Asia Iudæi, quos oportebat apud te præstò esse, & accusare si quid haberent aduersum me: aut hijpsi dicant, si quid deprehenderūt in me iniquitatis, cum steti in Concilio: nisi de una hac uoce, qua clamaui inter eos stans: De resurrectione mortuorum ego iudicor hodie à uobis. Auditis autē his Felix distulit illos, certò sciens quæ ad eam uiam attinebant, dicens: Cū Tribunus Lysias descenderit, pernoscam causam uestram. Iussitque Centurioni, ut custodiret Paulum sineretque eum relaxari: & ne quem ex illius familiaribus uetaret subministrare ei, aut adire eum.

QVemadmodum accusationem à Iudæis aduersus Paulum institutam spiritus sanctus diligentissimè describi uoluit, ut ex ea discamus, de quibus fideles Christi ministros mundus hic semper accusaturus sit: ita non minori studio Pauli apologiam recenset, quà docemur, ut nos in simili casu gerere debeamus. Primò autem ad seditionis crimen constantissimè simul & diligentissimè respondit, suo exemplo docēs, Christi ministros ab hoc alienissimos esse debere. Quoad fidem uerò, cuius nomine illum hæreseos & schismatis accusarunt, illam ingenuè confessus est, ac eius rationem paucis quidem, sed dilucidè reddidit. Vnde colligimus, fidei confessionem Christi ministros cumprimis decere, quam tamen ita fieri conuenit, ut eiusdem ratio omnibus constare possit, qui aliquo numinis sensu tanguntur.

Violati templi crimen diluit.

Sequitur in præsenti loco uiolati templi crimen, in quo diluendo mirè diligens est Paulus, cum templi usum & maiestatem Christi aduentu & morte, maxima ex parte abolitam esse, non ignoraret. Nec uerò hoc illum Iudæis dare putabimus, qui templum adhuc superstitiosius obseruabant, sed ad uerum templorum usum respicit, quo nec Christiani homines carere possunt. Licet enim nec dei maiestas templis includi aut circumscribi possit, nec ijsdem cultus dei alligari debeat, externa tamen religio locum certum postulat, in quo sacri cœtus colligi, uerbum prædicari, & sacramenta administrari possint. Atqui communis sensus dictat, locos hisce tantisq́ rebus sacros ab omni prophanatione diligenter custodiendos esse: quando Christum olim prohibuisse legimus, ne quis uas aliquod per templum gestaret. Marc. 11. Nec credibile est illum aliquo religionis sensu affici, qui hos consecratos locos improbè cōtemnit & prophanat. Quæ potissima causa fuisse uidetur, propter quam Paulus in hoc crimine diluendo tantum laborare uoluit. Quo exemplo simul admonemur, hodie quoq Christianorum templa siue Oratoria ab omni contemptu & prophanatione fortiter asseri ac uindicari debere, id quod Constantinum Magnum olim & alios huius similes magna cum laude fecisse, historici tradunt.

I. Sed Pauli apologiam uideamus, qui primùm argumento à tempore ducto sese excusat. Nā multis annis se Hierosolymis abfuisse, ait. Vnde liquidò patet, nihil abs se contra templum tentari po-
II. tuisse. Deinde causam aduentus sui allegat, quem non templi gratia instituerit, sed ut eleemosynam inter gentes collectam, egenis Syriæ fratribus afferret. Vide de hac, quæ in epistolis ad Corinthios habentur, imprimis posterioris epistolæ Cap. 8. & 9. Obiter uerò illos inhumanitatis & ingratitudinis accusat, qui optimè de tota gente meritum, & nouum beneficium offerentem, tam indignis modis exceperint. Nobis autem hoc loco, præter Christianæ beneficentiæ exemplum, de quo circa finem Cap. undecimi diximus, mundi huius ingratitudo obseruanda uenit, qua Christi ministros prosequi consueuit. Tanta hæc est, ut perditos uelit, qui pro communi omnium salute dies & noctes inuigilant. Ita Lotum Sodomis inuisum fuisse legimus, cuius gratia ab hostibus captos Abraham asseruerat. Et Mosem ab Israelitis nihil præter conuitia & minas retulisse constat, propter quos aulicæ uitæ delitias & Aegypti thesauros reliquerat. Quid prophetis euenerit, & post hos Christo domino, notius est, quàm ut multis exponi oporteat. Sed cumprimis memorabile est, quod Paulo hic accidit, qui post multorum annorum labores, tot uigilatas noctes & undiq conquisitam eleemosynam, qua pauperum egestati subueniret, hanc unam mercedem retulit, quòd ab illis ipsis uerberibus, uinculis & quouis alio contumeliarum genere mulctatus est, quorum saluti unicè studebat, imò pro quibus anathema fieri optabat. Quid ergo mundi ingratitudine offendimur, qui cum totus in malo constitutus sit, meliorem gratiam salutis suæ authoribus referre nescit? Sed ad Pauli
III. argumenta reuertamur, qui tertio loco, se in templo purificatum & sine turba atq tumultu uersatum fuisse dicit. Vnde rursum constat, templum abs se minimè prophanatum fuisse. At si uera est Pauli argumentatio (quod nemo Christianus negauerit) simul uerum est, templa ab ijs, qui purificati sunt, uiolari non posse. Tales uerò sunt quotquot in Christum credunt, cum hos à peccatis expiatos suo sanguine Christus sanctificet. Vide 1. Cor. 5. & 6. Cur ergo hodie templorum prophanatores dicimur, qui & Christum saluatorem ex animo agnoscimus, & ueterem templorum usum pro uirili asserimus, qui est, ut precibus, uerbi doctrinæ & Sacramentorum administrationi seruiant? Quartò uerius ijs hoc nomen conueniet, qui in templis sacra nundinantur, idola prostituunt,
IIII. & infinita alia exercent, quibus deum omnibus seculis offensum fuisse constat? Quartò in Asiam

Mundi ingratitudo erga ministros dei.

Iudaeos crimen hoc trãsfert, quos tumultus omnis authores fuisse supra audiuimus, eos uerò iam abesse conqueritur. Est enim hic perpetuus seditiosorũ omnium mos, ut postquàm turbas concitarunt, in quibus ferè boni periclitantur, ipsi sese occultè subducant, & rei euentum securi expectent. Utinã huius meminisset semper infelix uulgus hominum, quando illius intemperie & praecipiti audacia nebulones eiusmodi ad res suas conficiendas abuti uolunt.

Porrò post criminum confutationem, ipsos aduersarios confidenter Paulus prouocat. Si isti (inquit) Asianorum illorum causam agere uolunt, agedum dicant quid in me sceleris deprehenderint. Pauli confidentia.
Scio illos nihil habere, nisi fortè tumultum in ipsorum Concilio propter liberam resurrectionis mortuorum confessionem obortum, mihi imputare uelint. At qua fronte id facient, qui resurrectionem ipsi quoq; fateri coguntur, nisi palàm impij esse uelint. Est autem obseruatione digna Pauli fiducia & dicendi libertas, quae non obscurum innocentiae illius argumentũ praebet. Huic Christi ministros omnes studere conuenit, ut certi sint, se propter solam ueritatem mundo inuisos esse. Hoc enim uerè intrepidos & aduersus quaeuis pericula constantes reddit. Uide Petrum in priori epist. 3. & 4. cap.

Restat actionis huius exitus, longè alius quàm Iudaei sperarint. Felix enim causam omnem in Paulus accusatorum manus
Lysiae tribuni aduentũ differt, tum quòd non ignoraret quae ad uiam hanc pertinebant, nempe perti effugit.
naces de fide & religione controuersias, unà cum Iudaeorũ indomitis moribus: tum quòd ipsi in Lysiae testimonio accusationem totam fundauerant. Interim Pauli rationem habet, cuius innocentiam haud obscurè uidebat. Illũ enim relaxari iubet, eiusq́; familiaribus liberũ facit ipsum accedendi eiq́; ministrandi copiam. Perseuerarunt enim cum Paulo captiuo familiares quidam, è quorũ numero Lucam quoq; fuisse constat: quorum exemplo docemur, non deserendos esse eos, qui pro Christi nomine periclitantur, quando is sibi factũ reputabit, quicquid officij in illos contuleris. Rursum Felicis exemplo magistratus discunt, cauendum esse, ne in hominum gratiam iudicia praecipitent. Dei enim est iudicium, cuius se ministros esse meminisse debent. Illius ergo aequitatem longanimitate temperatam imitentur. Interim captiuos non inhumanius tractent, quando facinorosis etiam propter communem humanitatis sensum aliqua misericordia debetur. Ante omnia uerò dei fidẽ erga suos cultores, & eiusdem in hostes suos potentiam in istis obseruemus. Huius enim opus est, quòd Felix praeter ingenium suum (de quo saepe iam diximus) in Paulum humanus & facilis est. Nec difficile est deo feroces animos mollire, & suis apud hostes quoq; gratiã conciliare, cùm illi libera in omnes creaturas, adeoq́; hominũ corda etiam, potestas sit. Nemo igitur nostrum homines timere in animum inducat, nec in illorum gratiam aliquid praeter officium faciat. Quin potius deo nos & studia nostra approbemus, qui in medio hostium suos tueri, hostium animos flectere, & tandem omnibus angustijs ereptos in regnum suum transferre potest, cuius haereditatem omnibus sui nominis cultoribus praeparauit, per Iesum Christum: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in aeternum, Amen.

HOMILIA CLV.

Post aliquot autem dies, cùm aduenisset Felix cum Drusilla uxore sua, quae erat Iudaea, accersiuit Paulum, & audiuit eum de fide, quae est in Christum. Disputante autem illo de iustitia & temperantia, & de iudicio futuro, tremefactus Felix respondit: In praesentia abi, caeterũ opportunitatem nactus, accersam te. Simul & illud sperans fore, ut pecunia sibi daretur à Paulo, ut solueret ipsum. Propter quod & frequenter accersens eum, loquebatur cum ipso. Biennio autem expleto, accepit successorem Felix Portium Festum. Volens autem gratiam praestare Iudaeis Felix, reliquit Paulum uinctum.

Perquàm memorabile & praeclarum diuinae tum bonitatis tum potentiae exemplum fuit, quòd Paulus Felice Praeside humano & facili usus est, cuius tyrannidem iniquissimam ethnici quoq; scriptores literis prodiderunt. At longè praeclarius est, quod in praesenti Lucas commemorat. Nec enim tutus modò sub Felice agit Paulus, uerumetiam coram illo concionandi occasionem inuenit. Unde Paulini illius dicti ueritas omnibus patet, dei uerbum uidelicet uinciri non posse, licet eius

ministri interdum uinculis & carceribus constringantur. Nam quod Paulo euenit, id in multis Christi martyribus hodie etiam euenire solet, vt qui uincti ad rogos ducuntur, dei verbum ad impiorum terrorem, piorum verò consolationem libere prædicent. Sed in præsenti singula huius loci ordine uideamus.

Felix & Drusilla Pauli auditores.

Principiò auditores Pauli describuntur, quos si penitius inspiciamus, haud obscuris argumentis, quæ Paulo habendæ concionis occasio fuerit, colligere poterimus. Felix enim, qui Cæsarea per aliquot dies abfuerat, illuc cum Drusilla vxore reuersus fuisse dicitur, quam ego potissimam concionis huius causam fuisse crediderim. Iudæa enim fuit, Herodis Agrippæ filia, qui post occisum Iacobum apostolum, ab angelo percussus impietatis & tyrannidis graues pœnas dedit. Primum verò Antiocho Epiphani desponsata, non autem coniuncta fuit, eò quòd Iudaicis ceremonijs ille initiari nollet. Inde Aziazo Amazorum regi nupsit, à quo per Felicem Præsidem magnificis promissis & Cyprij cuiusdam Magi artibus abductam fuisse, supra diximus. Quare non turpis modò adultera facta, verumetiã dei legem & patrum religionem impiè transgressa, homini incircumciso connixa. Quæ omnia licet ab illa indignissimè facta sint, verisimile tamen est, aliquem in illa reliquum fuisse purioris religionis sensum, cui à teneris assueuerat. Quæ causa fuisse videtur, quòd Paulum, cuius doctrinam ab omnibus prædicari audiebat, concionantem audire voluerit, id quod à Felice marito, sui amantissimo, non difficulter impetrare poterat. Hic verò in transitu videre est, quid ferè eos maneat, qui cum impijs & alienis à vera religione coniugia faciunt. Licet illi vel libidinis æstro excæcati, vel opum & honorum splendore fascinati, omnem religionis sensum exuere conentur, redit tamen conscientiæ scrupulus, & accenditur rursus fidei malè desertæ & negatæ desyderium, quo feri frustra exagitantur, qui tam paruam dei simul & salutis propriæ rationem habuerunt. Quare non temere factum putabimus, quòd suos coniugijs infidelium deus per Mosen abstinere iussit, cùm hinc certum saluti nostræ periculum oboriri posse, non ignoraret. Qua de causa Paulus quoq; veterem legem ratam esse volens, cum incredulis iugum ducere vetat. 2. Corinth. 6. Simul verò dei bonitatem nos obseruare conuenit, qui tam fœda libidine pollutis euangelij verbum prædicari passus est, quo salus & vita mortalibus offerri solet. Verè ergo is est deus, qui homines saluos fieri cupit, nec vult mortem peccatoris, sed potius vt resipiscat & viuat. Pertinent huc multa euangelicæ historiæ exempla, in quibus Christum publicanis & meretricibus singulari quadam gratia atq; familiaritate salutem obtulisse legimus. Quod ut consolationi seruire debet, quando tentationibus satanicis vexamur, quibus salutis nostræ certitudo in dubium vocatur: ita officij quoq; admoneat, ne dei gratiam, quam is tam amicè nobis offert, improbè aspernemur. Vt enim euangelij prædicatio salutis causa est credentibus & pœnitentiam agentibus: ita inexcusabiles coram deo fiunt, qui pœnitere nescij oblatã impiè contemnunt, è quorum numero Felicem quoq; fuisse, postea audiemus.

Concionis Pauli capita.

I.

Fides in Christum.

Veruntamen Pauli concionem videamus, quam non quidem verbotim Lucas recenset, prima verò capita commemorat, ex quibus quid dixerit, facilè colligitur. Sunt ea tria numero. Primò de fide in Christum disserentem audiuit Felix. Porrò vt Christus semper sibiipsi constat, atque unus & idem est heri, hodie & in æternum: ita vna & eadem semper est fidei in Christum ratio, quæ mutari nequit. Quare non alia Paulum in præsenti dixisse putabimus, quàm quæ alibi in eius tum concionibus tum epistolis continentur. Quorum omnium summa est, Sola fide in Christum, absque legis operibus, homines gratis iustificari & salutem consequi. Et vt Iudæos à legalium operum fiducia ad Christum abducere studuit: ita verisimile est, illum coram Felice multa de moralibus virtutibus dixisse, quòd nimirum illæ ad iustitiam veram in dei conspectu nihil conferant, sed propter solam fidem in Christum deo acceptæ & gratæ fiant. At quia de his dicendi locus passim occurrit, non est quòd illis in præsenti diutius immoremur. Illud verò obseruabis, fidem in Christum non in angulis modò, aut ubi nullus periculi metus est, prædicari debere: sed tum demum illius confessionem liberam & ingenuam requiri, quando propter illam mundum nobis infestum esse sentimus. Minimè ergo audiendi sunt, qui fidei confessionem inter adiaphora numerant. Ita enim dementiæ accusant apostolos & sanctos Christi martyres, qui nusquam in fide asserenda feruentiores fuêre, quàm ubi illam sæuissimè oppugnari viderunt. Simul verò Anabaptistæ Pauli exemplo arguuntur, qui à magistratibus comprehensi, vix unquam adduci possunt, ut fidei suæ rationem reddant,

Rom. 3.
Gal. 2. et 3. &c.

dant, & plerunq; nec ipsi sua dogmata argumentis confirmare, nec ad obiecta argumenta responde-re volunt. Atqui Petrus Christianos paratos esse iubet ad reddendum fidei suæ ratione͂ cuiuis exi-genti. 1. Pet. 3. Et Paulum suæ cùm fidei tum doctrinæ adeò non puduit, vt ex vinculis quoq; cora͂ ethnico tyranno & turpi adultera illam prædicare dignetur.

Secundò de iustitia & temperantia disseruisse dicitur Paulus. At sub hisce duabus virtutibus germani fidei iustificantis fructus comprehenduntur, & iustitiam quidem in præsenti intelligimus, quæ suum cuiq; tribuit, & proinde omnes in se virtutes complectitur. Commendat hanc Christus, quando quæ dei sunt deo, & Cæsari quæ sunt Cæsaris reddere iubet. Et ad eandem referri debet, quod Paulus alibi scribit: Reddite omnibus quod debetur: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem, &c. Romanorum decimo tertio. Temperantia verò illicitis desiderijs obstat & voluptates refrænat, ne harum illecebris abrepti contra deum & iustitiam peccemus. Quicquid ergo de virtutum studio & bonis operibus dici potuit, duabus hisce speciebus, Iustitia nimirum & Temperantia Paulus complexus est. Atqui hæc fidei doctrinæ necessariò subijci oportet, tum quòd huius germani fructus sunt (vt modò diximus) ex quibus illa dignoscitur, tum ne quis fidei prætextu ad effrænem carnis licentiam abutatur: contra quam multa passim in apostolorum scriptis leguntur. Porrò obseruanda hîc venit Pauli prudentia cum ingenua dicendi libertate coniuncta. De ijs enim fidei veræ fructibus maximè disserit, qui in auditoribus præcipuè desiderabantur. Felicem enim in prouinciæ administratione multa tyrannicè egisse supra diximus, & maiorem quæstus sui quàm iustitiæ ratione͂ habuisse. Drusilla verò turpis adultera præter legem dei incircumcisò nupserat. Hæc ergo illis ob oculos ponenda erant, vt quantùm à salutis ratione abessent, liquidò intelligerent. Docemur exemplo hoc quid & quomodo prædicari oporteat. Vellent quidem pleriq; solam dei gratiam & fidem iustificantem prædicari. At longè aliud requirit mundi huius & nostri seculi nequitia, qua in omne scelus passim omnes ruere videmus. Argui ergo illa oportet, ne frustra dei gratiam illis prædicemus, qui sibi illo opus esse, nondum intelligunt. Nec quid mundus velit videndum est, sed quid Christus iubeat, qui in nomine suo pœnitentia͂ primùm, deinde verò peccatorum remissionem prædicari voluit. Luc. 24. Parum ergo piè nec prudenter agunt, qui dum coram mundo pœnitere nescio solam dei gratiam & fidem iustificantem docent, peccandi licentiam plantant, & hominibus pestilentissimæ securitatis authores sunt. Quin potius duo hæc coniungantur, vt scelerum conuicti homines pœniteant, & remissionem peccatorum in sola dei gratia per fidem in Iesum Christum quærere discant.

II. Iustitia & temperantia, fidei fructus.

Tertiò de extremo iudicio disputat Paulus, nimirum vt eum errorem confutaret, quo gentes mundum hunc æternu͂ fore credendo maximè decepti & securi facti sunt. Inde enim Epicureismus prodijt, qui deum terrena curare negabat. Quare de fine mundi & nouissimo Christi ad iudicium aduentu omnino dicendum fuit, ne ludicra & friuola putaretur quæ de iustitia & temperantia dixerat. Admonemur autem obseruatu dignissimum esse hunc fidei articulum, quo Christum iudicem viuorum & mortuorum venturum esse credimus. Nam infirmis medetur, quos mundi huius facies offendit, dum impios lætis rerum successibus frui, pios autem affligi vident. Nam vicissitudinem aliquando fore discunt, cuius gratia Christus suum illum aduentum nostræ redemptionis diem vocat. Luc. 21. Rursum non alia efficacior ratio est commouendi homines, vt officium faciant & à peccatis abstineant, quàm cùm ille dies & seuerus iudicis conspectus illis ob oculos ponitur. Quæ causa est, quòd Christum frequenter huius mentionem facere audimus, & apostoli hinc ferè adhortationu͂ & dehortationum argumenta petunt.

III. Extremum iudicium.

Restat modò, vt Paulinæ concionis effectum videamus, qui quoad Felicem planè irritus fuit. Primò enim terretur quidem horum mentione, sed nihil de emendatione cogitat. Paulum enim abs se ablegat, quasi illum diutius audire, ipsi minus co͂modum sit. Sunt autem isti impiorum mores, qui interdum curiositate adducti verbum audiunt, eoq; nonnihil afficiuntur, adeò vt conscientijs territi contremiscant. Sed nondu͂ hæc melioris naturæ indicia sunt, quando hoc ipsum diabolos solere, apostolus testatur, Iacob. 2. Nam ut primùm dei verbum votis suis minus respondere sentiunt, illud amplius audire dedignantur. Ita Achab Micheam odit, quòd nunquam placentia loquatur. Porrò, alio rursum argumento reprobam mentem Felix prodit. Pecuniam enim captat à Paulo, & quem

Concionis Paulinæ effectus.

iure dimittendũ esse nouerat, non nisi pecunia accepta dimittere statuit. Venale ergo ius habet, cuius vitij causa fuit auaritia, quam in Romanis vt insatiabilem exteri quiq; taxauerunt. Discant autem tam fœdo exemplo magistratus, vt in iudicijs munerum corruptelam caueant, quæ deo teste sapientũ corda excæcare & vias iustorum peruertere consueuit. Exod. 13. Deut. 16. Perdidit eadem respub. florentißimas, & quantum hodie vbiq; noceat, quotidiana exempla abundè docent. At ne hîc quidẽ peccandi finem Felix facit. Sed quia Paulũ (qui nimirum nec fratribus oneri esse, nec mali exempli author fieri uoluit) ad numerandum pecuniam tardiorem esse videt, aliud ex innocenti commodum venatur. Misso enim successore Festo, prouincia decedens, Paulum in vinculis relinquit, vt vel hoc pacto apud Iudæos gratiam ineat, quos multis indignis modis offenderat. Vbi sanctorum sortem videre licet, quorum patientia impij pro ludibrio abutuntur, & ex illis sibi inuicem gratificandi materiam sumunt. Ita in Christo impiè diuexando Pilatus & Herodes conueniunt. Ita Drusillæ pater Iacobum gladio ferit, & vbi id Iudæis placuisse videt, in eorundem gratiam Petro quoq; necem molitur. Attamen non semper votorũ impij compotes fiunt, quos etsi tardior sequatur dei vindicta, tarditatem tamen supplicij grauitate compensat. Nostrum est, Pauli exemplo fidei constantiam & in afflictionibus diuturnis patientiam discere, vt tandem omnibus malis superiores triumphemus in Christo Iesu: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

CAPVT XXV.

HOMILIA CLVI.

FEstus ergo suscepta prouincia, post triduum ascendit Hierosolymam ab urbe Cæsarea. Significaruntq; illi principes Sacerdotum ac primores Iudæorum de Paulo, & rogabant eum, postulantes fauorem aduersus eum, ut accerseret eum Hierosolymã, insidias tendentes ut interficerent eum in uia. Festus autem respondit, ut seruaretur quidem Paulus Cæsareæ, se uerò breui illò profecturum. Qui ergo inter uos, inquit, potentes sunt, unà descendant, & si quod est in hoc uiro crimen, accusent eum. Demoratus autem inter eos diebus amplius quàm decem, descendit Cæsaream: ac postero die sedit pro tribunali, iussitq; Paulum adduci. Qui cùm perductus esset, circumsteterunt eum qui ab Hierosolymis descenderãt Iudæi, multa & grauia crimina proferentes aduersus Paulũ, quæ non poterant probare, ipso excusante, quòd neq; in legem Iudæorum, neque in templum, neque in Cæsarem quicquam peccasset.

DEscribuntur hoc vigesimo quinto & sequenti cap. duæ grauißimæ Pauli apostoli actiones, quarum alteram coram Festo Præside nouo sustinuit, altera verò coram Agrippa rege & Beronice regina fidei causam dixit. Eo autem nomine prior actio potißimum memorabilis est, quòd illius prætextu ingens periculum Paulo Iudæi struxerunt, quod tamen dei beneficio euasit, qui illum saluum fore promiserat, vt Romæ etiam apud Cæsarẽ de Christo Iesu testari posset, sicut supra cap. 23. dictum fuit. Porrò præcipuus omnium horum finis est, vt deum suorum curam habere discamus, & permittere quidem vt variè tententur, eosdem tamen ex omni tentatione fideliter asserere, quando suæ vocationis memores, in ipso spem & fiduciam omnem collocatam habent. Quare fidei nostræ confirmandæ hæc potißimùm seruire debent: quod vt maiori cum fructu fiat, singula ordine consyderabimus.

Nouus Iudæorum cõtra Paulum conatus.

Primò enim nouus Iudæorum conatus narratur, quo Paulum opprimere tentarunt. Nam cùm Festus Hierosolymam profectus esset, nimirũ vt eius loci ciues & incolas fide publicè data sibi obstringeret, illico ad ipsum Sacerdotes & reliqui primates confluunt, Paulum, quem in vinculis Felix reliquerat, accusant, & eam sibi à nouo Præside gratiam concedi petunt, vt Hierosolymam abductum,

ductum, iudicio sistat, vt aduersus illum iuxta suæ gentis leges procedere possint. Interim illum iter facientem insidijs excipere, & occidere statuerunt. Quo loco videre licet, quàm inquieti sint impiorum animi, postquàm veritatis odio semel exarserunt. Quia enim huius luce ipsorum praua opera nunquam non arguuntur, fieri non potest, vt semel conceptum odium facilè deponant. Quin potius in cordibus suis Euripi instar fremunt & æstuant, in omnem occasionem totis animis intenti, qua inuisam sibi veritatis lucem extinguere possint. Et tantæ ferè huius odij vires sunt, vt posthabitis interdum priuatis commodis, hoc vnum quærant & cupiant, vt è medio tollantur veritatis ministri, quorum doctrina sese excruciari sentiunt. Vtrunque in præsenti exemplo cernitur. Nam toto biennio Paulum captum fuisse, audiuimus. At nec temporis diuturnitas, nec infelix vinctorũ sors, illorum animos mitigare potuit, qui quiduis potius quàm veritatis doctrinam, ferendum esse putabant. Quare omnem occasionem diligentissimè uenantur, nec vllis vel laboribus vel sumptibus parcunt, vt tandem voti compotes fiant. Deinde apud nouum Præsidem primas preces contra Paulum insumunt, quas reipublicæ potius debebant, cuius nomine ea petenda fuissent, quæ ad communem omnium salutem pertinerent. Sed hoc quasi præiudicio Paulum grauari voluerunt, vt publicum patriæ & gentis totius hostem esse suspicaretur Præses, pro quo puniendo illi cumprimis laborabant. Nec verò in istis solis tantas odij contra veritatem vires fuisse putabimus. Est enim hoc commune impijs omnibus, vt si optionem rerum maximarum illis offeras, ipsis nihil antiquius sit, quàm vt ij occidantur, quos suæ impietati & libidini aduersari nouerunt. Pertinet huc quod de Herodiade Euangelistæ scribunt: quæ cùm filiæ ab Herode dimidiam regni partem oblatam audiret, vnius tamen Iohannis caput sibi dari postulauit, eò quòd hoc viuente & docente, non regnum modò, verumetiam vitam omnem sibi amaram esse putabat. Possent huius generis multa commemorari, & quidem nostri seculi exempla, sed quia passim obuia sunt, breuitati studendum arbitramur. Vsum potius horum obseruemus, qui est, ne fidamus ijs temere, quos semel in veritatem coniurauisse constat. Licet enim huius odium interdum egregiè dissimulare possint, manet tamen alta mente repostum eius odij virus, quod prima quaque occasione magno cum conatu proferunt. Et in his potissimùm illud prophetæ locum habet, qui cor hominis prauum & inscrutabile esse, dixit. Ieremiæ decimo septimo. Rursum verò, quæ impiorum arma sint, apparet. Primò iuris speciem simulant, quando illum Hierosolymis in iudicio sisti postulant: id quod æquissimum videri poterat, tum quòd in ea vrbe turba hæc omnis primùm exorta fuisset, tum quòd ipsos qui & numero & authoritate valebant, unius hominis causa ingentes sumptus & itinerum molestias sustinere parum æquum esse videretur. Interim sub plausibili iuris prætextu horrendum facinus & sanguinarium occultant, vt modò dictum est. Discamus autem hoc loco de ijs iudicare, qui hodie similia faciunt, quos plures passim inuenire licet, quàm Christianæ reipublicæ conducat. Christus certè tales potestate tenebrarum pugnare ait, & proinde diaboli ministros esse, qui & mendax & homicida fuit ab initio. Lucæ vigesimo secundo. Iohannis octauo. Et Paulus Antichristum mendacijs præcipuè & aperta vi regnaturum, prædicit. Quotquot ergo proditorijs artibus & violenter veritati eiusq; ministris negotium faciunt, eos sub Antichristi signis diabolo militare constat, cum quo (nisi in tempore resipiscant) æternæ damnationis stipendia olim recipient.

Porro, vt deus sanguinaria hostium suorum consilia eluserit, videamus. Huius enim opus fuit, quòd Festus Iudæorum precibus & postulationi non consensit, quorum tamen gratiam illum non parui fecisse, postea patebit. Et sanè non leues causæ erant, quæ illum, vt Iudæis morem gereret, mouere poterant. Nam & meritò apud illum suspectus esse poterat Paulus, quem prouincia decedens Felix uinctũ reliquerat: & minimè reijciendæ videbantur preces, quas omnes gentis Iudaicæ proceres offerebant: parũ prudens videri poterat, qui circa initium gubernationis totius gentis odium propter unicum hominem, & illum quidem captiuum & nullius authoritatis, in sese deriuaret. At dei occulta suggestione fit, vt maiorem Legum Romanarum & iustitiæ, quàm Iudaicæ gentis rationem Festus habeat. Quare Paulum Cæsareæ seruandum esse censet, interim Iudæis contra hunc iure agendi copiam facit. Voluit autem ethnici exemplo omnes, qui in magistratu versantur, erudire dominus, quid ipsos facere oporteat. Ne quid videlicet in hominum gratiam, aut priuati emolumenti respectu faciant, sed iura legesq; sequantur, absque quarum obseruatione respub. saluas ma-

Deus hostium suorum conatus dissipat.

nere, impoßibile est. Pudeat ergo suæ cùm leuitatis tum iniustitiæ Christianæ professionis Reges & principes, qui euangelicæ veritatis & fidei studiosos hodie in Pontificum & episcoporum gratiam ferè inauditos damnant, imò vt satis religiosi videantur, illis omnem in Christi fideles potestatem permittunt, ita nimirum oues lupis committentes. Sentient illi aliquando magno suo malo quid faciant, quando & Pontifices sanguinarij pœnas dabunt, & ex Regum manibus populum suum, ipsorum fidei commissum, Christus iudex requiret. Præcipuè uerò omnium horum author, deus, nobis obseruandus erit, cuius omne hoc opus fuisse, paulò ante diximus. Is enim, cùm Paulū Romæ etiam apud Cæsarem de Christo testificaturum esse dixisset, promissa præstare voluit. Cuius consilia cum nulla hominum astutia euerti poßint, facilè illi fuit Iudæorum conatus frangere. Et cùm illi in animos quoq; hominum ius sit, eam nunc Festo voluntatem suggerit, vt Paulo potius, quàm Iudæorum commodo, consultum velit. Postea verò, cum Iudæis gratificari cupit, alio medio obstat quò minus id facere poßit. Hinc autem haud vulgaris consolatio peti potest, quando impios quoque & mundo addictos homines dei imperio subiectos esse videmus, adeò ut illi integra in illorum animos & corpora potestas sit. Quid ergo illorum consilijs terremur? quid potentiam formidamus? Quin potius deo securi confidimus, qui nouas illorum animis voluntates suggerere, vel etiam manus potenter constringere potest?

Actio Iudæorū cōtra Paulum.

Sed ad Iudæos reuertamur, qui ex Præsidis mandato rursus Cæsaream profecti, actionem grauißimam aduersus Paulum instituunt, in cuius descriptione breuior est Lucas, eò quòd ea ferè recurrant, de quibus iam antè non semel dictum fuit. Nobis tamen Iudæi actores inspiciendi veniunt. Qui primò Paulum, in forum productum, circumstetisse dicuntur: quòd præter communem iudiciorum morem factum fuit, nimirum vt & ipsum externa specie perterrefacerent, & sua authoritate Festum monerent. Deinde vetera accusationis capita denuo proferunt, vt ex Pauli responsione videre licet. Cumprimis tamen seditionis crimen illos vrsisse, apparet, quasi per hoc in ipsam Cæsaris maiestatem peccarit. At quàmuis multa dicant, nihil tamen probare possunt, Paulo ita causam dicente, vt se neque in Legem dei, neque in templum & externa sacra, neque in Cæsarem aliquid peccauisse, omnibus liquidò constaret. Quibus verò argumentis vtrinq; pugnatum sit, ex præmißis actionibus quiuis facilè colliget. HIC autem, quanta hostiū Veritatis impudentia atq; audacia sit, obseruandum est. Quid enim ab istis impudentius fieri poterat, quàm quòd absque argumentis & testimonijs ea denuo proferunt, ad quæ non semel Paulus responderat? Interim cùm se & argumentis & testibus destitui sciant, ea tamen confidentia Paulum circumstant, quasi sola ipsorum authoritas in capitis causa valere debeat. Est hoc proprium impijs, vt nullis responsionibus sibi satisfieri patiantur, sed ad calumnias veteres semper recurrant. Experimur illud hodie, quando tot argumentis, imò tot iam annorum experientia conuicti aduersarij, adhuc tamen nobis seductionis, seditionis, blasphemiæ & infinita alia huius generis crimina impudenter intentant. Cur enim illos coram hominibus mendacij puderet, quos deo contradicere non pudet? Cæterū in Pauli responsione obseruatu dignum est, quòd se in Cæsarem quoq; peccauisse, negat. Atqui deum prædicabat Christum & nouæ fidei suscipiendæ author erat populis Romano Imperio subiectis, id quod per leges Rom. nemini licuisse, Tertullianus docet. Quomodo ergo Paulus se nihil in Cæsarem peccasse, ait? Hic tenendum est, fratres, religionem nec Cæsari nec vlli magistratui ita subiectā esse, vt illis pro suo arbitrio quiduis in ea statuere liceat. Ad deum enim illa pertinet, & iuxta dei verbum atq; præscriptum debet institui. Et vt Cæsari, quæ Cæsaris sunt, dare iubet Christus: ita deo quoq; integrum seruari vult, quod illi debetur. Quare in magistratum non peccat, qui absq; tumultuandi studio verum dei cultū asserit, licet id magistratus fieri prohibeat. Fines enim suos cùm trāsgrediatur magistratus eiusmodi, & in dei pomeria vsq; regnū suum extendat, minimè audiri debet. Imò tunc Petri regula valeat, qui deo magis, quàm hominibus obediendum esse, monet. HABES ergo quod ijs respondeas, qui nos quoq; contra Cæsarum edicta seditiose multa innouare clamant, & Regibus in religionis quoq; causa simpliciter obediendum esse contendunt. Quorum sententia si audiatur, non nos modò, verumetiam prophetæ omnes, & cum his Christus atq; apostoli damnabuntur, quos contra magistratuū edicta dei verbum prædicauisse, superstitiones oppugnauisse, & fidem veram plantauisse constat. Non est ergo quòd calumnias eiusmodi moremur. Quin potius bene nobis conscij, in fide vera pergamus,

& pura

& pura mente seruiamus saluatori nostro, Iesu Christo: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CLVII.

Festus autem uolens gratificari Iudæis, respondens Paulo, dixit: Vis Hierosolymam ascendere, & ibi de his iudicari apud me? Dixit autem Paulus: Ad tribunal Cæsaris sto, ubi oportet me iudicari. Iudæis nullam iniuriam feci, sicuti & tu melius nosti. Si enim iniustè quid facio, uel dignum aliquid morte commisi, non recuso mori. Si uerò nihil est eorum, de quibus me isti accusant, nemo potest me illis donare. Cæsarem appello. Tunc Festus cum Concilio collocutus, respondit: Cæsarem appellasti? ad Cæsarem ibis.

QVod Paulus apostolus apud Corinthios de suis afflictionibus loquens, se mundo & angelis atque hominibus spectaculum fuisse ait, id ex ijs potissimùm cernitur, quæ illi in captiuitate sua postrema acciderunt. Iam enim quartò sistitur, capitis causam dicturus, cum primam actionem coram Hierosolymitana plebe in castrorum gradibus, secundam coram Concilio Sacerdotum, tertiam apud Felicem præsidem habuisset. Quas modò noua hæc apud nouum præsidem, Festum, subsecuta est. Singulæ uerò periculis grauissimis insignes fuerunt, ut suis locis uidimus, quæ tamen omnia dei uirtute adiutus effugit. Docent hæc, quantum impijs quoque in electos suos deos permittat, quos tamen pro sua fide ex omnibus tribulationibus potentissima manu asserit. Quare nos minimè offendi decet, si quid huius generis nobis quoque euenire sentiamus. Et hic quidem præcipuus huius loci usus est, quo docetur, ut nouum periculum, cuius ipse præses author fuit, Paulus effugerit: ne quis illum antehac hominum potius beneficio & præsidum uirtute, quàm dei gratia, liberatum putaret. Singula igitur ordine uideamus.

Primus autem Festus nobis consyderandus uenit, qui cùm Iudæos meris calumnijs causam agere, & Paulum innocentem esse, comperisset, nihilominus tamen illis gratificari statuit. Vnde facilè conijcitur, illum uel muneribus uel magnificis promissis ab illis corruptum fuisse, quando sententiā tam subitò mutauit. Siue uerò de insidijs Paulo structis intellexerit, siue minus, iniquissimè tamen illum fecisse constat. Interim mira astutia iniquitatem tegit. Ne quid enim præter officium Iudæis dare uideatur, Paulum num Hierosolymam ascendere uelit, interrogat, & se illic etiam huius causæ iudicem fore spondet: hoc unum quærens nimirum, ut apud Iudæos gratiam ineat, & inuidiam omnem declinet. Docemur exemplo hoc, quàm facilè corrumpantur, qui dei cognitione & timore carent. Quia enim natura ad malum procliues sumus, quauis occasione impellimur, nisi dei timore, ceu fræno cohibeamur. Exemplum huius cumprimis euidens est Festus hic, qui ita repentè spem omnem, quam de se optimam fecerat, fefellit. Minimè ergo talibus fides haberi debet. Nam licet aliquando non obscurum de se præbeant uirtutis specimen, mox tamen ad ingenium redeunt. Quod enim in Festo hic cernitur, idipsum de Pharaone, Saule, Achabo & alijs impijs scripturæ tradunt. Admonet præterea locus hic quanta iudiciorum pestis est, personarum respectus, quo apud homines gratiam uenamur. Hoc enim Felix omnem priorem laudem obscurat, & ex iustissimo iudice, qui paulò ante uidebatur, immanissimus latro efficitur, quando illis gratificari cupit, qui innocentis hominis cædem iam animo conceperant. Extant huius generis exempla in omnium gentium historijs. Non temerè ergo cum diuinæ leges, tum publica gentium iura personarum respectum à iudicibus alienissimum esse uolunt. Et sanè conueniens est, ut qui dei uices obeunt, dei mores referant, quem personas nequaquam respicere omnes scripturæ unanimi consensu testantur. Rom. 2. Ephes. 6. Acto. 10. &c. Festi iniquitas & iniustitia.

Quid uerò Paulus, qui periculum uix iam euasurus uidetur? Sentit ille quorsum res tendat, nimirum ex spiritus reuelatione, quem suis aduocatum fore, Christus promisit. Liberè ergo ait, & ualidissimis rationibus iniquam Festi postulationem reijcit. Primò, ad Cæsaris tribunal sto, ait. Ibi ergo me iudicari conuenit. Ita uerò ad ipsum Cæsarem iniuriam redundaturū innuit, si ab ipsius Paulus ad Cæsarē prouocat.

tribunali auulsus, Iudæis iudicandus subijciatur. Est hoc obseruandum prouinciarum præfectis & quotquot magistratus inferiores gerunt: ut intelligant delicta, quæ ab ipsis præter ius & aequum committuntur, in eos redundare, à quibus illi suum gradum obtinuerunt, & proinde dignos esse, qui illis graues pœnas exoluant. Hinc illa apud ueteres Romanos censuræ seueritas, qua magistratuum licentiam coercendam putarunt. Cuius memorabile exemplum Porcius Cato edidit in L. Flaminium, quem è numero Senatorum sustulit, quòd in prouincia quendam damnatum securi percusserat, tempore supplicij ad arbitrium mulierculæ, quam amabat, delecto. Nolebant enim grauissimi & sapientissimi uiri sui imperij maiestatem hominum leuissimorum licentia prostitui. Hodie quia ad omnia conniuent principes, tyrannis ubiq; regnat, & summorum magistratuum authoritas ubiq; collabitur. Sed de his aliàs, nunc in Pauli responsione pergamus, qui secundò loco ait: Iudæis nullam iniuriam feci. Vndè colligit, non æquum fore, ut secundùm illorum Leges & priuilegia iudicetur. Innocentiæ uero suæ testem citat ipsum præsidem, qui hanc ex ipsius apologia facilè intellexisse poterat. Tertiò dilemmate pugnat ualidiss. Si mortem merui, non recuso mori: sin minus, nemini tanta potestas erit, ut innocentem me hostium arbitrio tradat. Atqui his rationibus præmissis ad Cæsarem prouocat, tum quòd nulla amplius de Festo spes esse poterat, tum quòd oraculo admonitus sciebat, dei Consilium esse, ut apud Cæsarem quoq; de Christo testificaretur. Quo exemplo primùm admonemur, pios Christianæ patientiæ legibus minimè cogi, ut se temerè impiorum libidini subijciant: imò licere potius illis, ut pericula aperta declinent, siquidem illud salua fidei confeßione & obedientia, quam Christo debent, facere possunt. Ita enim flagella illaturos antea legitimè à se depulit, & latrones coniuratos Tribuni auxilio elusit. Ridiculus ergo illorum error est, qui Petri uerbis abusi (quibus ille nos paratos esse iubet ad reddendam cuiuis petenti fidei rationem) uerbi ministros Papisticis Concilijs obijciendos esse censent, ut ibi fidei rationem reddant, ubi nulla ratio admittitur, sed mera tyrannis regnat. Quorum sententia si admittatur, iniquè Paulus fecisse dicetur, qui Romæ potius quàm Hierosolymis fidei causam agere uoluit. Sed piè & prudenter fecit. Dei nimirum oraculum secutus, quem etiam rectißimè ex ueteribus imitati sunt Athanasius & Ambrosius, quorum hic quidem Mediolani tantummodo de se iudicium ferri uoluit, ubi docuerat: ille uerò ut causam suam Concilijs suspectis committeret, nunquam adduci potuit, fugam sibi tutiorem & laudabiliorem putans, quàm eorum cœtus, quos iam ante contra Veritatem conspirauisse nouerat. Deinde illud quoq; obseruandum uenit, quòd ita periculum declinat Paulus, ut diligentem habeat suæ innocentiæ rationem. Imitentur hoc pij omnes, imprimis autem qui euangelij ministri sunt, ne dum uitæ suæ nimis imprudenter consulunt, famam suam in periculum adducant, sicq; fiat, ut propter ipsos euangelium malè audiat. Tertiò quod sæpe dictum est, nouo exemplo probatur, licere nimirum Christianis hominibus iudicio contendere, & ad regum præsidia confugere, quando nimirum ita neceßitas postulat. Paulus enim, qui Romanæ ciuitatis priuilegium antea contra apertam uim opposuit, nūc prouocatione etiam utitur, quod rarißimè absq; iudicis contumelia fieri potest, nedum partis aduersariæ. Abutuntur ergo Christi & Pauli uerbis, quæ Matt. 5. & in priori ad Corinth. 6. cap. leguntur, phanatici quidam, quando illic non legitimus iudiciorum usus improbatur, sed priuatæ & illegitimæ uindictæ cupiditas, & insatiabilis litigandi libido cohercetur, quæ & bonis alienis inhiat, & charitatem omnem turbat. Postremò generalem doctrinam, ad magistratus maximè pertinentem, Pauli uerba continent: Nemini uidelicet licere, ut innocentem aliorum libidini donet, eiusq; sanguine illorum gratiam redimat. Dei enim ministri sunt, quicunq; in magistratu uersantur, ut innocentes defendant, malos autem & iniquos puniant. Quotquot ergo secus agunt, diaboli ministri fiunt, & Pilati atq; Herodis socij, quorum ille Christum Iudæis crucifigendum tradidit, hic uerò in scorti gratiam Iohannem Baptistam decollauit.

Festus prouocationem admittit, quàmuis inuitus.

Sed ad Festum redeamus, qui insperata Pauli prouocatione attonitus, cum se spe frustratum uideret, cum assessoribus re deliberata, tandem nō sine stomacho respondet: Cæsarem appellasti? Quasi dicat: Itáne confidens es, ut Cæsarem potius quàm me iudicem habere uelis? Agedum, ad Cæsarem ibis. Egregiè uerò impiorum mores exprimit, qui cum suæ iniquitatis sibi probè sint conscij, indignissimè tamen ferunt, si quis illam uel leuiter suggillet, uel remoram illorum decretis obijciat. Attamen melior multò est plerisq; nostri seculi principibus. Festus hic, qui nimirum Christi fideles nullo legum

aut

aut publici iuris præsidio gaudere patiuntur. Et sanè memorabilis est hæc Romanorum in iure administrando seueritas, qua ita usi sunt, ut Festus in uilissimum quoque hominem, post factam prouocationem, nihil sibi amplius licere intelligat. Quo neruo rempub. multis alioqui uitijs labefactatam, diu seruatam fuisse constat. Eadem seueritate hodie etiam præsides coherceri oportebat (ut paulò ante monuimus) quam si summi magistratus adhiberent, & ipsi minori inuidia grauarentur, & plus præsidij paßim haberet innocentia. Imprimis tamen dei potentiam ac fidem obseruemus, qua suos aduersus hostium conatus tuetur. Hac freti ueritatem totis animis complectamur, semelque apprehensam teneamus firmiter, nec ullis minis nos abstrahi patiamur à saluatore nostro unico, Iesu Christo: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CLVIII.

Et cum dies aliquot transacti essent, Agrippa Rex & Bernice descenderunt Cæsaream, salutaturi Festum. Et cum dies complures ibi commorarentur, Festus regi retulit causam Pauli, dicens: Vir quidam est relictus à Felice uinctus, de quo cum uenissem Hierosolymã, significarunt mihi principes Sacerdotum & Seniores Iudæorum, postulantes aduersus eum iudicium. Quibus respondi: Non est Romanis consuetudo, ob gratiam donare aliquem hominem ut pereat, priusquam is qui accusatur, presentes habeat accusatores, & locum defensionis accipiat de crimine. Cũ ergo huc conuenissent, sine ulla dilatione, sequenti die sedens pro tribunali iussi adduci uirum. De quo cum stetissent accusatores, nullum crimen obijciebant super hisce rebus, de quibus ego suspicabar: sed quæstiones quasdam de sua superstitione habebant aduersus eum, & de quodam Iesu defuncto, quem affirmabat Paulus uiuere. Hæsitans autem ego de hac quæstione, rogaui num uellet ire Hierosolymam, & illic iudicari super istis. Cum autem Paulus appellasset, ut seruaretur Augusti cognitioni, iussi seruari eum, donec mitterẽ ad Cæsarem. Agrippa autem dixit ad Festum: Volebam & ipse hominem audire. Cras (inquit) audies eum.

MVltis quidem & uarijs tribulationibus suos in hoc mundo deus exercere consueuit, sed pro sua sapientia & bonitate easdem ad sui nominis gloriam & illorum salutem dirigit. Exemplum huius cumprimis euidens in præsenti hac Pauli historia proponitur. Ex quo enim Hierosolymis captus fuit, nouam indies prædicãdi occasionem habuit. Et primò quidem in urbe ex castrorum gradibus ad populum uniuersum concionari potuit, quod illi aliâs nunquam facere licuisset. Deinde in Sacerdotum & Seniorum concilio fidem suam profitetur, qui ipsum alioqui nunquam dignati fuissent audire. Tertiò coram Felice præside prolixam de sua uocatione & officio orationem habuit, & ab illo sæpius accersitus, frequenter cum illo collocutus est. Tandem apud Festum quoque fidei & doctrinæ suæ rationem reddidit, ut nuper audiuimus. Ita uerò causam suam ubique egit, ut & præsides Romani & barbari milites illius innocentiam non obscurè deprehenderent, id quod ad euangelij propagationem non parum facere potuit, & haud dubiè in multorũ animis fidei semina sparsa sunt, quæ aliquantò post fructus haud uulgares protulerunt: quando dei uerbum (sicuti Isaias testatur) nunquam frustra prædicari solet. Porrò ad id quod modò diximus sequentia quoque referri debent, quibus narrabitur, ut Paulo coram Agrippa rege & Bernice totaque gentis illius nobilitate concionandi occasio oblata sit. Et quia rari exempli res fuit, reges è uinculis concionantem audire, nihil eorum, quæ hic acciderunt, Lucas silentio prætereundum esse putauit.

Principiò autem totius negotij occasionẽ præmittit, quæ fuit, quòd Agrippa Rex unà cum Bernice Cæsaream descendit, ut Festum, qui nuper Roma aduenerat salutaret. Nec mirum fuit hoc officij Regem præsidi exhibuisse, quando illum à Cæsaribus regnum ex gratia consecutum fuisse, & ita obtinuisse constat, ut Romanos rerum dominos agnoscere cogeretur. Fuit autem Agrippa hic Agrippa & Bernice.

Herodis Agrippæ, de cuius tyrannide simul & horrenda morte Cap. 12. dictum est, filius. Bernice uerò soror erat, quàm uulgò suspectam fuisse, Iosephus tradit, quasi cum fratre stupri consuetudinem haberet. Quare uitandæ suspicionis causa, Polemoni Lyciorum regi nupsit, cum quo tamē paulò post diuortio facto, ad fratrem rediit, qui Romanorum amicitia & potentia fretus, uulgi sermones facilè contemnebat. EST uerò hoc haud uulgare diuinæ bonitatis exemplum, quæ salutem in Christo partam duobus hisce, ex nefaria familia ortis, & incestu pollutis, per Paulum annunciari uoluit. Proauus enim horum Herodes Magnus fuit, qui Christo recens nato insidias struxit, & infantes Bethlehemiticos inaudita crudelitate trucidari curauit. Aui uerò Aristobuli (siue Alexandri, ut quidam uolunt) frater, Herodes Antipas, ipse quoq; incestu infamis, Iohannem Baptistam decollari iussit, & Christo uincto scurriliter illusit. De patre Agrippa modò diximus, qui Iacobum necauit, & Petrum apostolum in carcerem coniecit, illum quoq; occisurus, nisi angeli ope liberatus fuisset. His (inquam) progenitoribus orti, Agrippa & Bernice, ex Paulo euangelium salutis audiunt. Vnde facilè constat, deum non ita morosum aut uindictæ auidum esse, ut patrum scelera filij luere cogantur: imò illius gratiam omnibus patere, quicunq; ad ipsum conuerti & pœnitere uoluerint. Vide de hoc, quæ Ezechielis 18. Cap. ipse dicit. Quò etiam referri debet, quòd ad illos Christum peculiariter missum fuisse scimus, quorum maiores, multis nominibus in deum ingrati, prophetas ad se missos occiderant. Et hodie multis, qui horribiliter peccauêre, gratiam dei & Christi meritum benignissimè offerri uidemus. Hinc ergo consolationem petant, quos satan de dei clementia dubitare docet, quasi hæc nostris peccatis superari possit. Simul etiam institutioni hæc seruiat, ne quem temerè propter maiores suos damnemus, quando in Christi Iesu genealogia multi sceleribus infames numerantur, ut illum ad peccatores cumprimis pertinere, nemo dubitare posset.

Sed ad institutum reuersi uideamus, qua occasione Agrippa Paulum uidere & audire cupierit. Id uerò post multos demum dies (quos in delitijs & ludis transactos fuisse, credibile est) factū fuisse dicitur. Nec enim regibus & magnatibus multùm curæ sunt captiui et uincti homines. Festum uerò apud Agrippam Pauli mentionem fecisse crediderim, quòd illius consilio se in causa admodum difficili & molesta iuuari posse putaret. Narrationem ergo totius rei instituit, sed subdolam planè & uafram, dum suam iniquitatē, qua Iudæis gratificari uoluit, callidè dissimulat, ut suo loco uidebimus. Sunt enim orationis partes tres, quas ordine excutiemus.

Festi de Paulo ad Agrippam oratio.

Prima parte, quis Paulus sit, quid in eius causa Iudæi postulauerint, quidq; ipse illis responderit, commemorat. Et Paulum quidem ex captiuis esse, & à Felice in uinculis relictum fuisse, ait. Quod ideo præmittere uidetur, ne Agrippa abs se captum putaret. Iudæi uerò (inquit) per suos Seniores & Pontifices, ut in illum capitis sententiam ferrem, postulauerūt. Quod abs me illis negatum est. Nam Romanorum consuetudinem allegaui, quibus moris est, neminem in hominum gratiam morti dare, sed legitima inquisitione uti, sic ut accusatores coràm accusent, & reus sese defendendi locum tempusq; habeat. Est autem memorabilis omnino consuetudo hæc, quam Festus allegat, qua omnes magistratus docentur, ne quid in alicuius hominis gratiam faciant legibus et iustitiæ contrarium. Nam magna licet sit humanitatis laus, iudices tamen primam semper iustitiæ rationem habere decet, quod tum dei leges, tum publica omnium gentium iura disertè monēt. Solomon certè deo non minus exosum esse dicit eum, qui scelerato parcit, quàm qui insontem occidit. Prouerb. 17. At deploranda omnino est nostri temporis peruersitas, qua fit ut inter Christianos uix locum inueniat, quod Romanis in usu fuisse, Festus testatur. Frequenter enim fieri uidemus, ut Christi fideles in Pontificum gratiam, indicta causa, diris supplicijs è medio tollantur. Quotquot ergo ex magistratibus officio suo probè defungi uoluerint, legitimos iudiciorum processus obseruari curent. In his ante omnia requiritur, ut præsentes sint accusatores, ne calumnijs & obtrectationibus locus detur, quas non raro innocentibus periculum struxisse constat. Inde uerò reis quoque defensionis legitima copia fiat, & cogitent iudices, binas ideo sibi aures datas esse, ut altera quidem actores, altera uerò reos audiant. Imprimis autem ualeat regula hæc, in nullius hominis gratiam iura legesq; publicas uiolari debere. Quia enim communem personam iudices sustinent, singulis hominibus ex æquo sese obstrictos esse sciant. Porrò ut laudem meretur Romanarum legum æquitas, ita detestabilis omnino fuit hæc Iudaicorum Sacerdotum impudentia, qua illud petere ausi sunt, quod ethnicus homo iniquum

& iniu-

& iniustam esse intellexit. Id quia fecerunt, qui sanctißimi adeoq; ecclesiæ dei columnæ uideri uoluerunt, nónne meritò gentibus ipsorum religio quoque suspecta fuit? Atqui utinam non hodie quoque similis esset Monachorum & Episcoporum impudentia, qui in regum aulis iniquißima decreta facere, & principum indulgentia ad suam tyrannidem stabiliendam contra Christi cultores abuti consueuerunt.

Altera parte, quomodo causam hanc egerit Festus, narratur. Vt primum huc uenerũt (inquit) absque dilatione illos audiui. Mox uerò innocentem esse comperi. Nec enim quicquam eorum proferebant, quæ expectabam. Sed quæstiones aliquot, ad ipsorum superstitionem pertinentes, in medium adduxerunt, & causam Iesu cuiusdam tractauerunt, quem Paulus à mortuis resuscitatum dicebat. Ita uerò contemptißimè de puriori religione homo prophanus loquitur, quam tamen Paulum multis & diligenter tractauisse, ex ipsius Festi sermone colligitur. In hoc autem exemplum omnium eorum proponitur, qui uerbi dei mysteria, & imprimis resurrectionem, contemnũt atq; rident. In quibus erudiendis etsi parum proficiamus, nemo tamen offendi debet, quando Festum eorum, quæ à Paulo grauißimè dicta fuerunt, tam paruam rationem habuisse, uidemus. Interim aliud in ethnico homine obseruare licet iudicibus, nimirum, ut absque dilatione causas audiant: quando iniquis procrastinationibus multos circumueniri constat, qui quòd sumptibus non sufficiunt, ius suum persequi non possunt. Imprimis uerò Pauli innocẽtiam multiplici testimonio approbatam, obseruemus. Huius enim testem initiò Lysiam Trib. habuimus. Postea Felicem. Nunc Festum. Paulò post uero Agrippa quoq; istis accedet. Et licet in accusando pergant impij Pontifices, Pauli tamen innocentiam magis confirmant, dum nihil eorum, quæ aduersus illum proferunt, probare possunt. Eandem aliorum quoq; apostolorum rationem fuisse, iam sæpè uidimus. Ita Christum à Pilato simul & Herode innocentiæ testimonium habuisse, euangelistæ tradunt. Facit hoc ad commendandam Christianæ fidei & doctrinæ dignitatem. Quam qui hodie calumniantur, se gentibus deteriores esse, palàm produnt. Patet præterea hoc loco, quàm infelix Iudæorum sors fuerit illo tempore, quando omnis religionis contemptor inter ipsos summum ius atq; potestatem obtinet, & coram illo religionis causas agere coguntur. Atqui hoc impijs sacerdotibus & impiæ ingratitudini debebant, qua Christum regem & saluatorem coram Pilato abnegauerant. Similis hodie multorum sub Turcarum tyrannide conditio est: quorum exemplo nisi in tempore resipiscamus, periculum est, ne eandem sortem aliquando subeant omnes, qui hodie dei uerbum audire dedignantur, & spiritus sancti de religione ac fide iudicium detrectant.

Festus Paulo innocentiæ testimoniũ fert.

Postremò, cur in uinculis adhuc detineat innocentem, docet: nimirum quòd ad Cæsarem prouocauerit. Ibi uerò astutè suum scelus dißimulat, quod tamen non aliter potest, quàm quòd sese prodit, dum se innoxium eò compulisse non obscurè fatetur, ut ad Cæsarem prouocandum fuerit. Nisi enim Iudæis cum Pauli periculo gratificari uoluisset, nunquam is ad Cæsarem prouocare in animum induxisset. At uulgare nimis hoc est inter principes, ut flagitia sua artificiosè tegant, & tunc sibi maximam iustitiæ opinionem apud homines uendicent, quando omnes iustitiæ & æquitatis metas longißimè transiliunt. Porro hac occasione factum est, ut Agrippa Paulum uidere & audire cuperet, quæ res celeberrimæ concioni, quã sequenti Cap. describet Lucas, causam præbuit. Ita uerò dei prouidentiam uidere licet, qua fit, ut quæ minimè putares illius regnum prouehant. Quid ergo nostris ipsorum consilijs anxij tumultuamur? Quin potius in deum reiecta omni cura, officium singuli facimus? Ita enim fiet, ut paßim sese deo seruiendi occasio nobis offerat, & in periculis uindice & tutore utamur Iesu Christo: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CLIX.

Postero autem die cum uenisset Agrippa & Bernice cum multo apparatu, & introisset in auditorium cum Tribunis & uiris principalibus ciuitatis: iubente Festo adductus est Paulus. Et dicit Festus: Agrippa Rex, & omnes qui simul adestis nobiscum uiri, uidetis hũc hominem, de quo omnis multitudo Iudæorum interpellauit me & Hierosolymis & hic, acclamantes, non oportere eum uiuere amplius. Ego uerò com

peri, nihil dignum morte eum admisisse. Cæterum quia is ipse appellauit Augustum, statui mittere eum. De quo quid certum scribam domino, nō habeo. Quare produxi eum ad uos, & maximè ad te Rex Agrippa, ut examinatione facta habeam quod scribam. Absurdum enim mihi uidetur mittere uinctum, & crimina de quibus accusatur, non indicare.

QVàmuis mortalibus nihil uel præstantius uel salutarius à deo datum sit, quàm euangelij uerbum, quo ille inexhaustos suæ gratiæ thesauros & ueram salutis rationem nobis offert; ea tamen est infelicis mundi peruersitas, ut nihil perinde, atq; uerbum hoc, inuisum & exosum habeat. Quæ causa est, quòd huius ministri uarijs subinde afflictionibus exercentur, & quasi publica quædam sunt mundi catharmata. Cæterum ne istis offenderemur nos, in quos fines seculorum inciderunt, quando mundum Antichristo duce cumprimis sæuiturum constat, deus nos partim oraculis, partim exemplis instrui uoluit, quibus disceremus, nihil noui nobis contingere, sed hanc ipsam omnibus seculis in mundo hoc cum uerbi tum ministrorum eius sortem fuisse: nec tamen illud ullis unquam hostium conatibus potuisse extingui. Nam & in æternum manet, & legitimos fructus quouis tempore profert, ut paßim scripturæ docent. Exempla huius multa extant, sed inter hæc memorabile cumprimis est, quod in Paulo apostolo Lucas proponit. Is enim licet in uinculis uitam degat, et cum hostium improbitate, tum præsidis iniquitate ad Cæsarem prouocare coactus sit, tamen coram Agrippa rege, coram Tribunis, coram Cæsareæ primatibus, tota deniq; gentis illius nobilitate, Christi causam sic agit, ut & innocentiam suam omnibus probet, & non obscuros uerbi dei aculeos in auditorum animis relinquat. SED *præstat singula suo, quo dicuntur, ordine inspicere.*

Auditores Pauli.

Orditur autem à Pauli auditoribus narrationem hanc euangelista. Inter quos primi numerantur Agrippa & Bernice soror, quos cum multo apparatu & planè regio fastu auditorium ingressos fuisse dicit. Comitantur hos Tribuni militum, nobiles item aulici, & quicunq; in urbe dignitatis gradum obtinebant. Quos nimirum actioni huic Festus interesse uoluit, ut quòcunq; tandem res exiret, ipse inuidiam apud Iudæos facilius subterfugeret. Imprimis uerò Agrippa nobis consyderandus, quem audiendi Pauli cupidum fuisse, supra dictum est. Desyderium enim hoc non tam ueritatis & salutis studium, quàm curiositas quædam & animi uanitas, excitauit. Vnde aui sui fratrem Herodem Antipam refert, qui & ipse Christi uidendi desyderio tenetur, sed eam duntaxat ob causam, quòd illius miracula à multis prædicari audiuisset. Eius animi indicium est, quòd noster hic, mundi discipuli instar ad Pauli cōcionem accedit, nec quicquam ex regio fastu prætermittit, sed illum totum magna cum ostentatione in auditorium affert. At isto exemplo docemur, quomodo erga dei uerbum mundus hic affici soleat. Illud certè natura uel odit, uel saltem contemnit, ut qui eius luce argui nō uult, & terrena cœlestibus præferre solet. Fit tamen interea, ut frequenter aliqui ad illud audiendum accedant, nō quidem salutis studio, sed carnis affectibus ducti, curiositate nimirum, uel priuati alicuius commodi spe, uel Papisticæ disciplinæ odio, uel ne toti ἄθεοι & omnis religionis hostes esse putentur. At quia tales, non ut discipuli, sed ut censores & iudices ueniunt, & ante concepta præiudicia secum afferunt, fieri nequit, ut in illis erudiendis aliquid proficiat euangelium, cuius finem hunc esse Paulus docet, ut tota carnis ratio, ceu captiua, sub fidei obedientiam redigatur. Humiles ergo & honestos atq; discendi cupidos animos afferamus oportet, siquidem aliquid proficere uolumus. Vide Luc. 8. Rursum monemur exemplo hoc, quales censeri debeant, qui luxum & fastum templis ac sacris concionibus inferunt. Sunt hi Agrippæ & Bernicis similes, nec leue illorum peccatum est. Primò enim leuitatis magnæ argumentum est, quòd nec se lutum esse meminerunt, nec uestium originem ex peccato prodijsse cogitant, adeò ut illis nos humiliari potius quàm superbire conueniat. Accedit & offendiculi scelus, dum alijs uel stultæ imitationis, uel libidinosarum cogitationū, uel etiam tenuioris fortunæ hominibus impatientiæ & murmuris contra deum authores sumus. In horribilem ergo Christi sententiam incurrimus, qua Væ illud horrendum ijs imprecatur, qui alijs scandalum præbuerint. Adhæc belluinæ cuiusdam stupiditatis & animi plus satis peruersi indicium est, si in dei conspectu superbiamus, ubi nos cumprimis humiliari oportebat. Quis enim non dementem diceret eum, qui coram Rege delictorū ueniam postulaturus, insolenti uestitu & procaci uultu prodiret?

Et nos, ut peccatorum pœnas deprecemur & salutis uerbum audiamus, immani luxu & Sybaritico fastu templa accedimus? Christus certè nos de necessario quoq; vestitu sollicitos esse vetat. Qua fronte ergo nos vestes ad luxum & libidinem indefessa cura & solicitudine componimus? Vide quæ de hoc peccato multis apud Isaiam Cap.3. dicuntur.

Sed Paulũ quoq; videamus, qui Festo iubente producitur, & quidẽ catenis uinctus, vt ex ipsius sermone patebit: non tamen iam vt reus ad iudices, sed vt doctor & ecclesiastes. Elucet autẽ in hoc spectaculo admirabile dei consilium, quo fit, vt præstantissimorum hominum consessus, totus auro & ostro fulgens, Paulũ carceris situ squalidum & manibus vincula trahentem, audiendi cupidus expectet. Imò offert deus in vinculis agenti præclaram pro suo nomine fortiter agendi occasionem. Vnde patet, quàm nihil suis consilijs & conatibus impij proficiant. Quid enim aliud hucusq; quæsiuerũt Iudæi, quàm vt Paulo omnem prædicandi occasionem præriperent, adeoq; illius doctrinam omnem extinguerent? Id verò adeò non assequuntur, vt potius in celeberrimos cœtus ipsorum opera producatur, in quibus illi vix vnquam aliâs dicendi copia facta fuisset. Seruiant hæc consolationi nostræ in terrificis mundi conatibus. Cur enim mundum posthac timeamus, quando eadem hodie quoq; est dei in suis asserendis & prouehendo verbi sui cursu, potentia? Præcipuè verò Paulus hoc loco obseruandus erit, quem præsenti omnino & forti animo fuisse sequentia docebunt. Nec enim Regis aspectu & nobilium corona mouetur. Sed intrepido ore causam suam sic agit, vt ipse uinctus non paruum auditoribus terrorem incutiat, ipsumq; Regem mediocriter commoueat. Quod ipsum supra Felici quoq; euenisse vidimus. Docent hæc, dei verbum minimè vinciri, licet ipsius ministri vinculis & carceribus constringantur. Nec enim ex hominibus illius vel authoritas vel effectus dependet. Nam ubi ipse vult spirat dei spiritus, nec hominum vanissimorum arbitrio subiacet. Admonemur præterea, quid nobis quoq; in simili casu agendum sit. Intrepidi Christi causam agamus, nec vnius assis faciamus mundi huius authoritatem siue tyrannidem. Causa enim, quam agimus, iusta & bona est, & ex illa vniuersa salutis nostræ ratio dependet. Eadem, non nostra, sed dei est, cui illam asserere non difficile fuerit. Nec nos illam agimus, sed dei spiritus, qui in nobis agit & loquitur, iuxta Christi promissionem. Quis ergo dei spiritum oppugnet? Quis illi præualebit? Aut quis illo confortatus & adiutus, ignauo metu sese corripi patiatur?

Paulus uinctus producitur ut concionetur.

Postremò Festus Paulũ Agrippæ & reliquis auditoribus sistit, eiusq; causam & præsentis actionis finem paucis repetit. Hunc enim illum esse ait, quem omnes Iudæi ad mortem deposcant, qui tamen, se iudice, nullum morte dignum scelus admiserit. Quia verò ad Cæsarem prouocarit, cupere se, vt illum attenti audiant, & singulorum examinationem faciant, vt certum quid de illo ad Cæsarem perscribi possit. Ita verò attentionem Paulo Præses Romanus conciliat, quod ipsum non sine numine factum fuisse, satis constat. Interim nouum habemus innocentiæ Pauli testimonium, quam multoties asseri oportuit, cùm doctrinæ ipsius acerrimos hostes omnibus seculis passim fore, deus præuideret. Simul verò incurabilis elucet Iudæorum malitia, qui innocentem ad suppliciũ poscere non destiterunt. Ita enim patrũ vestigijs pertinaciter insistunt, quos simili impudentia dei filium, etiam multùm reclamante Pilato, ad mortem postulauisse legimus. Iusto ergo dei iudicio funditus excisi, & commune exemplum facti sunt, quod illis euenturum esse, Christus non semel prædixerat. Est præterea obseruanda nobis Festi sententia, qui absurdum esse dicit, captiuum mittere, nec significare de quibus ille accusetur, & quare in vincula coniectus sit. Docet hæc, ita cum captiuis agendum esse, vt omnium ratio certa nobis constare possit. Nec enim in hominis vita temerè ludendum est. Hoc cum Ethnicus homo viderit, quid eos magistratus decebit, qui Christi nomine & verbo gloriantur? Qua deniq; animi moderatione singulos nos captiuos tractare conuenit, qui in his ipsi Christo beneficium conferri, aut iniuriam fieri scimus? Atqui utinam hac æquitate in Christi cultores hodie aduersarij nostri vterentur, quibus leuiculum videtur absq; causa omni inhumanitatis genere in nos sæuire. Minimè tamen nos illa offendant, quando Christum quoq; iniquissimè tractatum fuisse nouimus. Cur enim discipuli sors potior esset quàm præceptoris? Quin volupe sit, pro veritatis causa quiduis malorum subire. Hæc enim proxima ad cœlos via est, in quibus æterna regni hæreditas nos manet, vt illam possideamus cum capite nostro, Iesu Christo: cui debetur benedictio, honor, gloria, & potestas in æternum, Amen.

Festus Paulo attentionem conciliat.

CAPVT XXVI.

HOMILIA CLX.

AGrippa uerò ad Paulum ait: Permittitur tibi loqui pro temetipso. Tunc Paulus extenta manu pro se dicebat: Super omnibus, de quibus accusor à Iudæis, Rex Agrippa, existimo me beatū, qui causam dicturus sum apud te hodie: cùm tu maximè sis gnarus earū, quæ apud Iudæos sunt & consuetudinum & quæstionum. Quapropter oro te ut patienter me audias. Itaq; uitam quidem meam, quam egi ab adolescentia, quæ ab initio fuit in gente mea Hierosolymis, nouerunt omnes Iudæi, qui prius nouerant me ab initio, si uelint testimonium ferre, quòd secundum exquisitissimā sectam nostræ religionis uixerim Pharisæus.

DOminus & saluator noster, Iesus Christus, de Paulo & ministerio illius cum Anania colloquens, inter alia dicit: Organum electum est mihi iste, vt portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filijs Israel. Quæ verba vt Pauli ministerium magnificè commendant, ita nos quoq; excitare debent ad diligentem omnium eorum consyderationem, quæ in ministerio suo ille vel fecit vel passus est: quando in his nihil illi absq; singulari diuinæ prudentiæ consilio accidisse constat. Obseruandum hoc cumprimis in præsenti actione, qua coram Agrippa rege, coram nobilibus aulicis & præcipuis eius gentis proceribus fidem & doctrinā suam ea dexteritate simul & constantia defendit, vt & auditores ipsos non mediocriter commouerit, & suo exemplo docuerit quanta cùm verbi dei tum fidei veræ virtus sit atq; efficacia. Quod euidentius patebit, si singula ordine videamus.

Paulo datur pro seipso dicendi copia.

Primò autem Agrippa proponitur, qui prior Paulum compellans, liberam illi pro seipso dicendi copiam facit. Id verò dei consilio factum fuisse nemini dubium est, qui hac occasione istis hominibus euangeliū prædicari voluit. Quia enim (ut Paulus alibi testatur) vult omnes homines saluos fieri, simul etiam salutis verbum omnibus reuelari & prædicari uult. Atq; tam firmum & stabile est hoc illius decretum, vt nullis unquam mundi huius & tyrannorum conatibus impediri potuerit. Cuius rei tum testimonia tum exempla paßim in scripturis occurrunt, quibus nos fidem nutantem in aduersis confirmare decet. At quia de hoc iam sæpè dictum est, modò æquitatis & iustitiæ exemplum obseruemus, quod in Agrippa, quantumuis fastuoso & impuro homine, spiritus sanctus proponit. Is enim Paulum à tota Iudæorum gente ad mortem postulari audiuerat, nec in illo quicquam uidebat, quod ipsi aliquam vel quæstus vel honoris spem facere posset. Minimè tamen totius gentis præiudicio mouetur, nec suijpsius potius quàm iustitiæ publicæ rationem habendam esse putat: sed ipsum quoq; Paulum coràm audire instituit, adeoq; illum prior ad dicendum prouocat. Imitentur exemplum hoc quicunq; in magistratu versantur, & quò plures aduersus aliquem conspirauisse vident, eò maiori studio & diligentia causam illius inspiciant: ne sua vel indulgentia vel oscitantia aliorum improbitatem adiuuent. Est autem hoc (proh dolor) nimis vulgare hodie, & frequenter fieri consueuit, vt regum & principum aures Christi fidelibus minimè pateant, eò quòd illi episcopis potius & horum assectis morem gerendum esse existiment, & præiudicio corrupti, non omnino extra culpam esse eos putent, quos ab illis tanto zelo & studio oppugnari sentiunt.

Paulus absq; metu causam agit.

Sed ad Paulum transeamus, qui licet ex improuiso coram tam illustri consessu causam ex vinculis dicere cogatur, mox tamen extenta manu sermonem orditur, qui vt omnia complectitur, quæ ad causam hanc pertinebant, ita nullum habet animi consternati aut dubij indicium. Quo loco veritatem simul & effectum promißionum Christi videre licet. Habuit enim Paulus cùm generales promißiones, tum peculiarem illam, cuius initiò meminimus, fore nimirum, vt Christi nomen coram regibus quoq; & magnatibus prædicaret. In has ergo respiciens, pericula quæuis facilè cōtemnit, cum non ignoraret, maiorem multò Christi potentiam esse, quàm quæ mundi conatibus impediri aut superari poßit. Cæterū nos quoq; ex huius exemplo consolationem petere conuenit: eò quòd omnibus pijs suum spiritum Christus pollicitus est, qui corda & ora nostra regat, si quādo fidei nostræ rationē reddere cogimur. Porrò quoad orationem Pauli, tota narratione argumentosa & ad sui defensionem

Argumentum Paulinæ orationis.

egregiè

egregiè accõmodata constat. Narrat enim, quam vitæ rationem à puero secutus sit, & quàm nulla abs se vnquam data sit vel leuitatis vel impietatis suspicio. Quomodo item ad fidem Christianam & apostolatum vocatus, nihil scripturis contrarium docuerit vel fecerit. Quibus probare vult, se immerentem tam pertinaci Iudaicæ gentis odio grauari.

Agrippa rerum Iudaicarum peritus.

Præmittitur autem narrationi breue exordium, quo à Regis persona beneuolentiam captat, dum se beatum dicit, quòd causam hanc coram ipso agere debeat, qui ritus & quæstiones Iudæorum non ignoret. Nouerat enim Paulus, frustra apud eos de rebus grauibus disputari, quos inscitia & ignorantia totos occupauit. Quare vt iustitiæ studio iudices flagrare conuenit, ita ijsdem prudentia cum rerum experientia coniuncta cumprimis necessaria est. Nec verò politica duntaxat illos nouisse conuenit, verumetiam ea quæ ad fidem & religionem spectant, cuius curam & studium magistratibus scriptura passim commendat. Quia enim à deo illi ordinati sunt, qui ipsos authoritate simul & potestate exornauit, ipsa naturæ lege monentur, vt vicissim pro dei gloria & cultu asserendo aduigilent. Ideò legis librũ Regibus familiarissimum esse voluit deus, & idem sanctissimorũ regum exemplis magistratus omnes ad studium illud excitare consueuit. Quos non ineptè Agrippa hic imitatus, religionis negotium cognitum & perspectum habuit. At nostro seculo eò stoliditatis deuentũ est, vt Reges tum demum sibi religionis laudem vendicent, si illius causam nec intelligant, nec quicquã ad se pertinere dicant. Debemus hoc Pontificum tyrannidi, qui in regum ignorantia suæ potentiæ vires maxima ex parte consistere viderunt.

Pauli pueritia & educatio.

Porrò narrationem, cuius argumentum modò exposuimus, ab ipsa pueritiæ vel vitæ anteactæ primordijs orditur, ipsos Iudæos testes citans, quàm sanctè pieq; illam transegerit. Quia enim alibi episcopũ ab exteris quoq; testimoniũ bonum habere debere scribit, ipse vel hostium testimonio suam innocentiam probare conatur. Ne uerò in obscuro uitam duxisse putaretur, se Hierosolymis educatum fuisse ait, vbi religionis sedes erat, & schola totius gentis celeberrima florebat. Illic se laudatissimum vitæ genus iam statim ab initio secutum fuisse dicit, nimirum Pharisæorum sectam. Iure enim hæc alijs omnibus præferri debuit, cùm & scripturas in maximo honore haberent Pharisæi, & vitæ honestati præ cæteris studerent. Præcipuus verò illorum error in eo consistebat, quòd suorum operum iustitiam & meritum statuebant. Cæterũ finis & scopus Pauli est, vt Agrippæ persuadeat, se nihil vel impio vel leui & vago animo temere facere potuisse, cùm ab ipsa pueritia religioni & omnium seuerissimæ sectæ assueuerit. Non temere autẽ pueritiam abs se piè transactam fuisse commemorat. Ita enim docet, in publicis psonis multùm referre, qualis quis à pueris fuerit. Quàmuis enim minimè reijci debeant, qui in sera demum senecta conuertuntur, longè tamen præferendi sunt alteri illi, quos nulla uitæ anteactæ macula infames reddit. Tales enim in assueto uirtutũ studio cõstantius pergunt, & maiori cum authoritate improborũ conatibus sese opponere possunt: cùm alteri non rarò ad intermissa vitia reuertuntur, & improborũ exprobrationibus atq; calumnijs expositi, authoritatem omnem paulatim amittunt. Quid, quòd bonis quoq; illorum consilia, honesta licet & sancta, ferè suspecta sunt, dum illos vel animi leuitate, vel quouis alio affectu duci metuunt. Magnam igitur & diligentem educationis curam habere eos conuenit, qui liberos suos vel ecclesiæ vel reipub. destinauerunt. Et hîc quidem duo hæc cumprimis necessaria sunt, quæ de seipso Paulus commemorat. Alterum videlicet, vt in ijs locis educentur, vbi religio maximè floret, vt cum literis & rerũ experientia huius quoq; gustum imbibant. Alterum verò, vt ab initio statim tale vitæ genus deligant, in quo minima uitiorum occasio occurrat. Quia enim iuuentus ex innata corruptione ad peccandi licentiam procliuis est, mali occasiones vitandæ & arcendæ potius, quàm captandæ sunt. Hæc utinam obseruarent nostri seculi homines, qui liberos suos plerũq; inter eos educari curant, quos à Christi cognitione & religione vera alienissimos esse constat: nec ulla religionis cura tanguntur, sed solius quæstus rationem habere solent. Ex eiusmodi ergo scholis illud hominũ genus prodit, quod religionem hominũ amicitia & quæstu metitur, quodq; sublatis veræ pietatis repagulis, in omne scelus præceps deuoluitur, nec sibijpsi modò, verumetiam ecclesijs & rebuspub. exitiale est. Docent hoc exempla tum uetera tum recentia, quibus nos excitari conuenit, ut liberos nostros deo cõsecratos ita à pueris institui curemus, ut tum sibijpsis tum ecclesijs & reipub. utiles, tandem cælestis regni hæreditatem adeant cum Christo Iesu, domino nostro: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Institutio liberorum pia quantum momenti habeat.

CAPVT XXVI.

HOMILIA CLXI.

Et nunc ob ſpem repromiſsionis, quæ ad Patres noſtros facta eſt à deo, ſto iudicio ſubiectus: ad quam duodecim tribus noſtræ inſtanter nocte & die colentes deum ſperāt ſe peruenturas. De qua ſpe accuſor, Rex Agrippa, à Iudæis. Cur incredibile iudicatur apud uos, ſi deus mortuos ſuſcitat?

FIdei & doctrinæ ſuæ rationem redditurus Paulus apoſtolus, in hoc maximè incumbit, ut nihil abs ſe impia animi leuitate aut temeritate factum eſſe, euincat. In quem finem ſua etiam pueritiæ mentionem fecit, ita ſe à pueris & inſtitutum eſſe, & vitam duxiſſe, probans, vt nulla in ipſum temeritatis aut leuitatis ſuſpicio circa religionem meritò cadere debeat. Quo exemplo inter alia admonemur, ita nobis in religione verſandum eſſe, vt quales in ea fuerimus à teneris annis, rationem cuiuis reddere poßimus. Vt enim omnis ætatis tutor & aſſertor eſt deus, ita omnem quoq; ætatem huic conſecratam eſſe conuenit: & ipſum hoc non ſemel poſtulare legimus, ut pueri quoq; in ipſius lege & cultu à primis annis inſtituantur. Quo loco pudendus illorum error arguitur, qui religionis cauſam grauiorem perplexioremq; eſſe clamant, quàm ut eam laici tractare debeant, cùm in illa teneram quoq; ætatem deus exerceri velit, nec quicquam ita ex æquo ad omnes homines pertineat, vt religio, ad quam illos ab initio ſtatim creatos fuiſſe, ſcriptura docet. At quia de his alibi diximus, modò in Pauli oratione pergendum erit.

Status totius controuerſiæ.

Is verò cœptam paulò ante narrationem nonnihil interrumpens, ſtatum totius controuerſiæ, quæ ſibi cum aduerſarijs Iudæis intercedat, exponit. Se enim accuſari dicit propter ſpem promißionis, quæ patribus olim à deo facta ſit, & ad quam duodecim tribus, id eſt, tota Iudæorū gens, aßiduo dei cultu ſeſe peruenturas eſſe ſperent. Nec id ſemel dixiſſe contentus, mox denuo repetit quod dixerat: De hac (inquiens) ſpe accuſor, Rex Agrippa. Quæ verba aliquam præ ſe ferunt indignationis ſpeciem, qua rei indignitatem exprimere voluit. Quaſi diceret: Quis non videat, quæ & quanta ſit aduerſariorum meorum iniquitas, quando me capitis accerſunt, & ſchiſmatis accuſant, cuius doctrina ſimul & fides circa veterem illam dei promißionem verſatur, in qua patres omnes olim ſpem omnē collocatam habuerunt, & cuius conſortes eſſe cupiunt quotquot in Iſraele veri dei cultores ſunt, vt qui non alium ſui cultus & totius religionis ſcopum habeant? Cæterum ſpes illa promißionis, de qua loquitur, dei filius eſt, Ieſus Chriſtus, in quo uno deus ab ipſo mundi exordio patribus, per Adami peccatum in exitium prolapſis, uitam & ſalutem pollicitus fuit, vt paulò poſt pluribus dicetur. Non obſcurè autem illorum tum ignorantiam tum præpoſteram ſuæ religionis fiduciam perſtringit, qui fœdere quidem & promißionibus dei glorientur, & populus dei omnino cenſeri velint, interim uerò Chriſtum reijciant, cuius merito & interceßione promißiones illæ ratæ ſunt, quarum nullus omnino fructus foret, niſi ille fœderis vindex eſſet & aſſertor. Quia verò tam diuina potentia Chriſti, quàm eiuſdem officium, cui illum pater deſtinauit, in reſurrectione ex mortuis potißimum elucet (ſicuti alibi Paulus teſtatur) omißis modò reliquis articulis, reſurrectionem ſolam tractandam ſibi ſumit: id quod ad præſentem quoq; controuerſiam cumprimis faciebat. Ita enim & Chriſtum Ieſum uitæ ac ſalutis authorem eſſe patebat, qui è mortuis reſurrexerat, & ſimul Sadducæorum error confutabatur, qui reſurrectionem in vniuerſum negabant. Nam veriſimile eſt, illorum ſectam apud pleroſq; tunc temporis præualuiſſe, adeoq; ex Pauli auditoribus non paucos illa fuiſſe infectos. Niſi enim hoc demus, importunior planè videri poterit Paulus, qui non ſine ſtomacho quærit, cur ipſis incredibile videatur, quòd deus mortuos reſuſcitare dicitur. Nec dubium eſſe poteſt, omnia hæc fuſius à Paulo tractata & ſcripturarum teſtimonijs confirmata fuiſſe. At Lucas ſumma tantum rerum capita perſtringere voluit, vt nobis de ſingulis cogitandi occaſionem præberet. Et ſanè planißimus erit locus hic, quem breuitas obſcuriorem reddidit, ſi propoſitiones Pauli ex eo elicias, quas illum tractauiſſe conſtat. Ex his prima erit: De ſpe promißionis, patribus à deo factæ, adeoq; de tota ſalutis ratione, controuerſia nobis eſt. Secunda: Hanc ego in uno Chriſto Ieſu ſitam eſſe doceo, quod illi conſtanter negant. Tertia: In Chriſto vitæ & ſalutis rationem omnem conſiſtere, reſurrectione illius probo, quæ illum & dei filium & vitæ authorem eſſe declarauit. Quarta: Nec incredibilis cuiquam

Summa & ordo præſentis loci.

uideri

videri debet resurrectio Christi, cum deo facillimum sit in fine mundi omnes mortuos resuscitare, quod illum facturum esse, scripturæ omnes docent. Hic mihi tractationis Paulinæ ordo, omniumq́; quæ hoc loco dicta fuerunt, summa esse videtur, quam si obseruemus, facillimum erit singula fusius explicare. Ita verò attentos quoq; facere voluit auditores rerum maximarum enumeratione, ne sibi (quod Festus antè dixerat) cum Iudæis de re nihili controuersiam esse putarent. Interim nobis loci quidem communes, qui hîc incidunt, consyderandi erunt.

Et primò quidem, quæ omnium sanctorum, adeoq; totius ecclesiæ dei omnibus seculis fides atque spes fuerit, admonemur. Ea nimirum, quæ Christo dei filio pro nobis incarnato nititur, & in uno hoc vitam atq; salutem omnem sitam esse credit. Hanc enim in præsenti Paulus spem promissionis, patribus olim factæ, nominat. Atqui in Christo promissiones omnes ratas esse, fides catholica dictat, & ipse Paulus ubiq; fatetur, maximè in posteriori ad Corinth. primo capite, & in priori ad eosdem Corinth. cap. 10. ubi eandem patrum in veteri Testamento conditionem nobiscũ fuisse scribit, sic ut nostra quoq; Sacramenta, Baptismum & Cœnam, illis accõmodet, sicut alibi nobis pascha & circumcisionem spiritualem tribuit. 1. Cor. 5. Colos. 2. Clarius tamen patebunt hæc, si promissiones dei, quas ille patribus olim fecit, consyderemus. In his primus meritò Adam numeratur, cui cùm ex Paradiso in hanc lachrymarum vallem extruderetur, non alia salutis spes à deo facta fuit, quàm quæ in uno Christo reperitur. Promittitur enim illi semen mulieris, cuius calcaneo quidem insidietur serpens, sed frustra, cùm illud huius caput sit contriturum. At mulieris semen solus Christus dici potest, qui nulla interueniente virilis seminis commixtione, ex virgine Maria carnem assumpsit. Huius calcaneo, humanæ nimirum naturæ, improbè insidiatus est vetus ille serpens diabolus, perq́; sua organa, vt in cruce occideretur, effecit: id autem magno suo malo. Ita enim factum est, vt moriens Christus suæ mortis merito diaboli caput, id est, principatũ & tyrannidem conculcaret, ipsumq́; exarmatum planè è regno suo eijceret. At quia promissioni huic Adamum credidisse, minimè dubium est, cùm ideò vxoris quoq; nomine mutato, illam Heuam, vtpote quæ viuentes paritura esset, dixerit, omnem illius spem atq; fiduciam in vno Iesu Christo, promisso illo mulieris semine collocatam fuisse constat. Christianus ergo fuit Adam, & se solius Christi merito è diaboli tyrannide cum posteris suis liberari & saluari credidit. Eandẽ Abelis quoq;, Henochi, Noæ & aliorum patrum, quotquot ante diluuium deo placuerunt, fidem fuisse, Paulus ad Hebræos vndecimo capite luculentissimè probat. Post diluuium verò Abraham præcipuè inspiciendus erit, cum quo fœdus suum deus instaurare dignatus est, & quem omnium credentium patrem scripturæ vocant. Illum deo credidisse, eamq́; fidem illi ad iustitiam imputatam fuisse, Moses & Paulus testantur. Gen. 12. Rom. 4. Quid verò crediderit, omnibus notum est, dei nimirum promissionem ratam fore, quæ in ipsius semine omnes gentes benedictionem & salutem consecuturas esse, aiebat. Atqui semen illud Christum fuisse tum Paulus ad Galat. 3. tum Christus ipse testatur. Hic enim inquit: Abraham exultauit ut videret diem meum & vidit, atq; gauisus est. Iohannis octauo. Id verò de sola fidei contemplatione intelligi potest. Vnde colligimus, Abrahamum quoq; sola fide in Christum sustentatum & tandem saluatum fuisse. De huius posteris, Isaaco & Iacobo, quid dicere attinet, quando promissiones patri factas multoties apud illos repetitas fuisse constat? Quid, quòd moriturus Iacob filijs suis de promisso saluatore concionatur, & illius aduentum haud obscurè designat? Quòd si Mosen videamus, hunc quoq; in Christum vnum respicere patebit. Ad hunc Israelis populum relegat, quando magnum illum prophetam promittit, quem omnes audire debeant, vt supra ex Stephani & Petri verbis intelleximus. Deinde legis ceremonias omnes, totumq́; cultum illum Leuiticum ipsius Christi & rerum illius vmbras fuisse, vel vnica ad Hebræos epistola docere potest. Prophetarum testimonia breuitatis causa omittimus. Sufficiat pro omnibus istis, quòd Christus suæ cùm mortis tum resurrectionis mysteria iam ante per Mosen, prophetas & Psalmorum authores prædicta fuisse, docet. Luc. 24. Rectissimè ergo Paulus se non aliam fidem aut spem salutis docere profitetur, quàm quæ patrum olim fuerit, qui promissionibus à deo factis crediderunt.

Simul verò obseruemus, quòd de hac ipsa fide se accusari queritur, & quidem apud Iudæos, qui & patribus & promissionibus maximè gloriabantur. Docet hoc, quæ veritatis in hoc mundo sors sit: ea nimirũ, vt non modò ab apertis hostibus petatur, verumetiã ijs, qui huius sectatores strenuissimi

Fides uetustissima omnium patrum.

Adam.

Abel, Henoch, Noe.

Abraham.

Isaac & Iacob.

Moses.

Fidei ueræ sors in hoc mundo.

videri volunt. Hoc quidem olim prophetarum tempore factum fuisse legimus. Et Christo docente prophetarum sepulchra ab illis colebantur, qui eorundem doctrinam cane & angue peius oderant. Ita cum ad eos veniret Christus, qui oraculis freti ipsum indies expectabant, ab ijsdem tamen nec agnitus nec receptus fuit. Hoc ipsum nostro etiam seculo fieri uidemus. Qui enim Christi nomine gloriantur, qui Christi matrem Virginem & Diuos unà cum illorum reliquijs propter Christi nomen superstitiosius colunt, hi ipsi ueram Christi fidem & apostolorum doctrinã hoc ipso nomine persequuntur, quòd uni Christo omnem nostræ redemptionis & salutis gloriã uendicat. Et passim hodie inter Christianos impietatis & hæreseos accusantur, qui uni Christo fidendum, & penes hunc unum salutem oẽm quærendam esse, docent. Non minor ergo nobis etiam hodie quiritandi occasio datur, quàm Paulo, cui indignũ visum fuit, se à Iudæis propter spem promissionis patribus olim factæ accusari. Sed hæc est mundi huius peruersitas, qua nos minimè offendi decet, cùm & vetus sit, & omnium seculorum exempla doceant, perpetuam semper cum hac veris dei cultoribus luctam fuisse.

Fidei asserendæ ratio uera.

Obseruemus præterea, quo ordine & qua ratione suam tum fidem tum doctrinam Paulus asserat. Primò dei promissionem siue Verbum allegat, & huic deinde totius ecclesiæ consensum subijcit. Duodecim enim tribus simul nominat, ita ingenuè declarans, se non quid pauci quidam Sacerdotes sentiant, sed quid omnibus seculis vniuersus cultorum dei cœtus iuxta dei verbum crediderit, respicere. EST hæc optima fidei asserendæ & defendendæ ratio. Quia enim nulla est apud deum humanarum traditionum authoritas, dei verbum ante omnia produci, & ex hoc dogmatum omnium ratio reddi debet. Quo fundamento iacto, ecclesiam quoq; obseruare licet, non quidem paucorum quorundã chorum, qui hunc sibi titulum vendicant, sed vniuersalem illum cultorum dei cœtum, quem continuo ordine ab ipso mundi exordio fuisse scimus: licet interdum rarior & obscurior, interdum frequentior & illustrior fuerit, prout illi visum fuit, qui nos in filio suo priusquàm mundi fundamenta iacerentur, elegit. EST ergo enormis & absurdus planè nostri seculi error: quo nonnulli primo statim loco ecclesiæ consensum allegant, hanc verò ex coniuratis quibusdam laruis, vnctis nimirum & rasis Antichristi creaturis, constituunt, quibus & dei verbum eiusq; interpretationem subijciunt, & quiduis in fide decernendi potestatẽ faciunt. Quos si ad veteris ecclesiæ notas examines, ne pro membris quidem ecclesiæ, nedum eius proceribus haberi merebuntur.

Resurrectio mortuorum nõ debet incredibilis putari.

Postremò certum & indubitatum esse debere videmus inter Christianos resurrectionis articulum, quando illum Paulus, non sine indignationis specie, contra eos qui de hoc dubitabant, allegat, cùm inquit: Cur vobis incredibile videtur, si deus mortuos suscitat? Ac si diceret: Mirum est de hoc aliquem dubitare, cuius tot passim argumenta extant? Nam ut scripturas omittamus, diuinæ iustitiæ ratio exigit, vt mortui resurgant, eorumq; quæ hic fecêre retributionem accipiant, quando in hoc seculo plerunq; impios feliciter, pios autem infeliciter agere videmus. Extant præterea exempla, quæ quotannis in plantis, arboribus adeoq; tota rerum natura apparent. Quid quòd primum hominem ex terra creatum, & nonnullos per prophetas, & tandem per ipsum Christum, miraculosè resuscitatos fuisse, legimus? Sed omissis argumentis hisce Paulus ad solius potentiæ dei consyderationem auditores relegat: nimirum ut huic morbo occurreret, quo fidei mysteria iuxta nostræ rationis captum metimur. Est verò ridiculus error, deo quoq; impossibile putare, cuius rationem nos nusquam videre possumus. Nec in solo resurrectionis articulo id obseruandum erit, verumetiam omnibus alijs, vt nimirum nostræ rationis captum sub fidei obedientiam cogamus. Minimè tamen (vt quidam solent) sub omnipotentiæ dei prætextu dogmata noua & absurda inuehere debemus. Vbi enim de dei voluntate ex ipsius verbo constat, ibi demum ab omnipotentia eiusdem argumentari licebit: quod frustra facies, nisi prius deum hoc, quod intendis, velle probaueris. Porrò quod præcipuum huius loci caput est teneamus, vt spe veterum promissionum freti, dies & noctes deum colamus, qui vitam & salutem æternam nobis aperuit in promisso semine, Iesu Christo, domino nostro; cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CLXII.

Et ego quidem existimabam me aduersus nomen Iesu Nazaræni multa oportere repugnãdo facere. Quod & feci Hierosolymis, & multos

tos sanctorum ego carceribus inclusi, à principibus Sacerdotum potestate accepta: & cum occiderentur, detuli sententiam. Et per omnes Synagogas frequenter puniens eos, compellabam blasphemare. Et amplius insaniēs in eos, persequebar etiam in exteras usq; ciuitates. Quarum rerum studio cum irem Damascum cum authoritate & permissu principum Sacerdotum, die medio, Rex, in uia uidi è cœlo supra splendorem Solis lumen me circumfulgens, & eos qui mecum faciebāt iter. Cum autem omnes nos decidissemus in terram, audiui uocem loquentem ad me, & dicentem Hebraica lingua: Saul, Saul, quid me persequeris? Durum est tibi contra stimulos calcitrare. Ego autem dixi: Quis es domine? At ille dixit: Ego sum Iesus, quem tu persequeris.

Diuus Paulus totius controuersiæ, quæ ipsi cum Iudæis erat, statum in hesternis exposuit, docens, non de re leuicula, sed uniuersa salutis ratione contendi: ubi simul nihil aliud abs se tum credi, tum doceri probauit, quàm quod olim patribus deus promiserit, & in quo omnibus seculis Israeliticæ ecclesiæ spes unica collocata fuerit. Quo loco didicimus, Christianam fidem & uetustissimā & unicam esse, per quam patres olim omnes saluati sint. Porrò quia initio narrationis suæ Paulus se Pharisæum fuisse dixerat, commodè nunc ad intermissam narrationem reuersus, suæ conuersionis historiam contexit: cuius hic unicus finis & scopus est, ut leuitatis crimen excuset, quando se à deo uocatum, imò præter animi sui uoluntatem coactum fuisse, docet.

Vt uerò plus ponderis haberet narratio, ante omnia quali erga fidem Christianam animo fuerit, commemorat, & id quidem diligentissimè, sic ut nihil eorum prætermittat, quæ abs se contra Christum tentata fuerant. Primò enim omnium causam præmittit, dicens: Et mihi quidem olim idem animi fuit quod meis aduersarijs. Omnino enim mihiipsi persuaseram, oportere me aduersus nomen Iesu Christi multa facere. Vnde uerò ista persuasio exorta fuerat? Nimirum ex zelo carnis cæco & præcipiti, quem alibi Iudæis omnibus tribuit. Nec tamen, ut peccatum suum uel excuset uel extenuet, huius meminit: sed ut suo exemplo doceat, quòusq; homines delabantur, nisi dei uerbo studia sua dirigant. Nam alibi se maximum peccatorem fuisse, nec apostoli nomine dignum, fatetur. 1. Tim. 1. cap. & 1. Corinth. 15. Vnde liquet, quantò grauius ab illis peccetur, qui non zelo dei, aut bona (ut dicunt) animi intentione, sed prauissimis affectibus abrepti, Christum & uerbum eius persequuntur. Interim obseruabis, hostium ecclesiæ conatus meram opinionem esse, & uanos cæcæ mentis conceptus, qui utut initiò procedere uideantur, finem tamen suum nunquam attingunt. Nam ut Psaltes inquit, molestiam quidem & afflictionem bonorum concipiunt, parturiunt uerò uanitatem, & mendacium pariunt. Psal. 7. Id autem de se occultius fatetur Paulus, ut simul suo exemplo auditores admoneat, quid ipsis expectandum sit, si contra Christum grassari incipiant, aut etiam pergant. Quid enim proficiant, quorum consilia & conatus deus è cælo ridet & dissipat? Vide Psal. 2. & 33. Paulus præter animi sui uolūtatem ad Christum transiuit.

Cæterum ne quis Paulum Thrasonicè potius quàm uerè & seriò loqui putaret, facta quoq; sua recenset, quibus ecclesiæ Christi negotium fecerit. Multos sanctorum carceribus inclusi, inquit, potestate à Sacerdotibus accepta, quam illi nunquam mihi commisissent, nisi me seriò uidissent ipsorum negocium agere. Sanctos autem uocat Christianos, eò quòd Christi sanguine & merito sanctificati sunt. 1. Cor. 5. Deinde cum occiderentur, ipse quoq; in illos mortis sententiam tuli, & aliorum suffragia collegi. Adhæc, in Synagogis flagris & omni tormentorum genere excruciatos coegi blasphemare, Christum uidelicet abnegando & recantando quæ antea benè pieq; dixerant. Vnde colligitur, nunquam tam bene constitutam fuisse Christi ecclesiam, quin suas quoq; paleas habuerit, quæ persecutionis uentilabro excussæ defecerunt. Deniq;, ne quid insaniæ omitterem, in exteras quoq; ciuitates excurrere cœpi, ne quem Christianis locum tutum relinquerem. ET *in his quidem tum persecutorum Christi imago euidens, tum piorum & fidelium sors siue conditio, quam in hoc mundo sustinent, proponitur. Hi enim potentissimis mundi ferè inuisi & exosi sunt: maximè uerò ijs, qui religionis titulo & ecclesiæ primatu celebres, eo prætextu priuatæ tantummodo gloriæ & quæstui student.*

Pauli contra ecclesiam Christi tyrannis.

Ecclesiæ conditio.

Habent isti postea idoneos scelerum suorum ministros, qui ut dominis suis gratificentur, nullam occasionem oppugnandæ ecclesiæ præterlabi sinunt, nec ullis parcunt laboribus. Hinc ergo enasci solent incarcerationes, condemnationes, tormenta omnis generis, exilia, cædes, blasphemiæ & infinita alia, quæ contra pios crudeles isti carnifices excogitare consueuerunt. Quos interim obseruare conueniebat, quid faciant quando ob Christi fidem pios persequuntur. Nimirum blasphemare cogunt infirmos, dum reclamante conscientia fidem abnegant, seq; erraui sse impio & infelici metu fatentur. Id enim Christus inter species peccati & blasphemiæ in spiritum sanctum connumerat. Luc. 12. Et Paulus disertè blasphemiam uocat fidei ueræ abnegationem, ad quam ipse credentes coegerat. Quid ergo persecutores illos aliud maneat, quàm horrendum illud Væh, quod scandalorum authoribus Christus minatur? Quod enim grauius & perniciosius scandalum poni potest, quàm illud, quo ut in spiritum sanctum peccent, homines adiguntur? Sentient itaq; grauem domini manum, quibus hoc hodie leuiculum omnino esse uidetur. Porrò ut in pristinis Pauli conatibus insani tyranni imago elucet: ita in eorundem confeßione pectus uerè Christianum & totum gloriæ dei studio flagrans cernitur. Quo enim alio consilio sua illa facinora commemorat, quàm quòd illud ad dei gloriam facere nouerat? Ita enim & ministerij sui authoritas asserebatur, & immensa commendabatur dei bonitas, qua ille in Christo Iesu peccatores maximos, imò hostes quoq;, complectitur. Vide. 1. Tim. 1. Atqui hæc præcipua causa est, ob quam sancti in peccatorum suorum confeßione frequenter uersari consueuerunt, quemadmodum in Dauide & multis alijs cernimus. Turpißima ergo est illorum ambitio, qui ut suæ gloriæ consulant, peccata sua & errores grauißimos uel nunquam confiteri uolunt, uel saltem mirificè extenuant.

Persecutores blasphemare cogunt.

Conuersionis Pauli historia.

Porrò suis contra Christum conatibus conuersionis historiam opponit, ut ex ista collatione pateat, se non animi leuitate sed diuina uirtute compulsum, ad Christi fidem transiuisse. Et huc cumprimis diligens omnium circumstantiarum expositio referri debet. Nam & locum, & tempus, & Christi colloquium, & comites testes allegat, ne quis ipsum inani spectro aut mentis alienatione delusum putaret. At quia alibi de conuersione ad deum & conuersorum officio diximus, eadem in presenti repetere opus non est. Finem modò omnium horum obseruemus, qui est, ut suam uocationem asserat. Non temerè tamen Christi uerba, quibus ille ipsius temeritatem corripuit, tam diligenter commemorat. Illis enim docere uult auditores, ipsis quoq; non cum mortali homine rem fore, si euangelij doctrinam oppugnēt, sed cum dei filio, qui audaciam illam magno ipsorum malo puniturus sit. Debent autem hæc nostræ consolationi seruire, ut in uera fide constantes, inter omnes mundi conatus uni deo firmiter hæreamus, qui omnibus cultoribus suis cœlestis regni hæreditatem pollicitus est in filio suo Iesu Christo: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CLXIII.

Sed exurge & sta super pedes tuos. Ad hoc enim apparui tibi, ut constituam te ministrum ac testem & eorum quæ uidisti, & eorum in quibus apparebo tibi: eripiens te à populo & gentibus, in quas nunc te mitto, ut aperias oculos eorum, ut conuertantur à tenebris ad lucem, & à potestate satanæ ad deum, ut accipiant remißionem peccatorum & sortem inter sanctificatos, per fidem, quæ est in me.

QVoniam Paulus se à Iudæis de duobus potißimùm accusari nouerat: quòd nimirum à Iudaismo ad Christi fidem transiuisset, & quòd euangelium inter gentes prædicando, has Iudæis æquaret: non temerè conuersionis suæ historiã diligentißimè narrat, quando sola hæc ad utriusq; criminis dilutionem sufficiebat. Ad primum enim pertinent, quæ hucusq; dicta sunt, quibus, se non leui inconstantia religionem mutauisse, sed cum Christi hostis esset, diuinæ uocationi coactum cessisse, probauit. Alterum præsenti hoc loco diluetur, quo ipsius Christi uerbis totius ministerij sui rationem reddit, quod ea conditione sibi creditum fuisse docet, ut non Iudæis modò, uerumetiam gentibus euangelium prædicaret. Quia uerò hæc non tam ad Pauli defensionem, quàm ad nostram institutionem faciunt, qui inde cum ministerij ecclesiastici, tum omnem salutis nostræ rationem discere poßumus, singula ordine consyderanda erunt.

Primo

Primo autem loco occurrit, quòd Christus Paulum, quem modò ut hostem & persecutorem suum horribiliter prostrauerat, nunc amicè surgere & pedibus insistere iubet. Id uerò non antea factum fuisse, alibi audiuimus, quam cum animo deiectus de uoluntate Christi humiliter interrogauit, & hunc suum agnouit dominum. Quod ipsum tamen nunquam fecisset, nisi efficacem sensisset in animo suo spiritus Christi operationem. EST uerò hoc insigne diuinæ bonitatis exemplum, quæ tunc quoq; sese haud obscurè profert, quando irasci uidetur deus. Nec enim in perpetuum nobiscum altercatur, sed quia saluos uult fieri homines, hunc quoq; in iudicijs suis finem & scopum obseruat, ut illis ad salutem erudiantur potius homines, quàm perdantur. Nec prius flagella exerit, quàm ubi se uerbo suo minus proficere uidet. Nec tamen aliter flagellat, quàm ut ad se conuersis certam semper relinquat salutis spem: cuius rei cum testimonia tum exempla paßim in scripturis extant: quibus nos in omnibus aduersis contra fidei nutantis lapsum confirmari oportet. Paulus erigitur à Christo, qui ante prostrauerat.

Cæterum quàmuis magnum sit, quòd acerrimo hosti surgendi copiam Christus facit, maius tamen est, & stupendum planè, quòd eundem apostolatus muneri destinat, quo nullum in orbe est tum honorificentius tum salutarius. Imò in hunc finem se ipsi apparuisse testatur, ut illum ministrum & testem constitueret omnium quæ iam uiderat & postea uisurus erat. Hic uerò duobus uocabulis uniuersum antistitum ecclesiæ munus siue officium comprehendit. Primò ministrum fore dicit Paulum, non dominum & principem. Ita uerò paßim nominantur apostoli, & tales quidem, qui in animarum cibo apponendo & curandis salutis humanæ negotijs toti ecclesiæ publicè seruire debeant. Vide Matth. 20. & 24. Luc. 12. Quò Paulus respexisse uidetur, quando se omnibus hominibus, Iudæis & Græcis, doctis & indoctis, debitorem esse fatetur. Rom. 1. Excluditur his dominandi libido, contra quam multa sæpe coram apostolis Christus disseruit, cùm non ignoraret uenturos olim, qui sub ministerij huius prætextu in ecclesia tyrannidem affectarent. Deinde testem fore dicit, quo nomine apostolos quoque appellatos fuisse Cap. primo uidimus. Ita uerò ministerij rationem apertius definire uoluit, cum simul exponat, de quibus ipsum testificari oporteat: ijs nimirum quæ uiderat, & quæ postea ipsi reuelaturus erat. Viderat autem Paulus, nec uiderat modò, sed uerè expertus erat, Christum uiuere & regnare, suiq; populi uindicem esse acerrimum. Ex quibus facilè colligere poterat, eundem humani generis redemptorem, nec nudum hominem modò, sed deum quoque esse, qualem ab apostolis prædicari cognouerat. De his ergo illum testificari oportebat. Patet autem ex hoc loco (quod etiam alibi monuimus) quàm certa & infallibilis haberi debeat apostolicæ doctrinæ authoritas, quando qui hanc uulgauerunt, non circumforanei quidam præcones, sed Iesu Christi iurati testes fuerunt, quorum uocatio infinitis quoque miraculis confirmata fuit. Simul uerò omnes ministri se testes esse meminerint, & proinde nequaquam pro suo arbitrio noua dogmata prædicent, sed quæ ex sacris literis certò comperta habent, liberè proferant, ne quis illos falsi accusare poßit. Paulus ad apostolatum uocatur. Minister. Testis.

At graue uideri poterat Paulo, ad illud munus se destinari, quod periculis infinitis obnoxium esse, uel ex ijs solis nouisse poterat, quæ ipse paulò ante fuerat conatus. Commodè ergo consolationem intermiscet dominus, qua se illum ex populi Iudaici simul & gentium manibus erepturum esse pollicetur. Ita uerò quasi aliud agens ostendit, se ad gentes quoq; missum fuisse, ut etiam illas ad ecclesiæ communionem adduceret. Interim docet locus iste, ministros in hoc mundo odia, persecutiones & omnis generis aduersa manere. Nisi enim hæc illorũ sors esset, nec consolationibus nec promißionibus Christi toties repetitis illos confirmari oporteret. Sunt autem diligenter obseruandæ promißiones hæ, quibus docemur, Christum suos in tribulationibus nunquam deserere. Nec tamen ita illæ intelligi debent, quasi ex omnibus aduersis liberatos in otium tutum collocet, aut eosdem, quoad corpus, nunquam interire patiatur. Nam & Paulum postremò à Nerone obtruncatum, & apostolos crudeliter occisos fuisse legimus. Sed liberare dicitur dominus, quando in præsenti seculo spiritu suo nobis adest, animi constantiam, dexteritatem agendi, os deniq; & sapientiam largitur, cui hostes nullis idoneis rationibus possunt resistere. Quando item inter supplicia consolationibus erigit, & corporis ergastulo liberatos in regni sui posseßionem transfert, deniq; apud posteros quoq; nostram famam & memoriam tuetur. Ita illum sanctos martyres liberauisse scimus, quorum hodie etiam inter fidei hostes sacrosancta memoria floret. Quæ promißiones cum & generales & semper ueræ sint, non est Deus suos in periculis liberat.

quòd ullis huius mundi conatibus nos terreri aut superari patiamur. Quis enim nos separabit à dilectione dei, &c.? Vide locum Rom. 8. cap.

Finis & usus euangelij.

Postremò omnium finem subijcit, qui est, ut Pauli ministerio oculi cæcorum aperiantur, ut illuminati conuertantur à tenebris ad lucem, & ex satanæ potestate asserti deo reconcilientur, in quo peccatorum remissionem & hæreditatem regni cœlestis per fidem percipiant cum omnibus ijs, quos sibijpsi deus elegerit. Continent hæc ministrorum uerbi officium & uerum euangelij usum. Propter hoc enim ministris tribuitur, quod propriè solius dei opus est, ut 1. Cor. 3. multis docetur. Per euangelium ergo aperiuntur hominum oculi, ut deum & salutis uiam uideant. Per euangelium à tenebris ad lucem conuertuntur homines, ut iam lucis opera faciant, qui tenebrarum operibus antea assueuerunt. Nec enim in inani speculatione Christiana philosophia consistit, sed praxin habet per omnes uitæ partes sese extendentem. Euangelio item ex satanæ potestate ad deum homines transferuntur, ut illi obtemperent & seruiant. Euangelium deniq; peccatorum remissionem & regni cœlorum hæreditatem nobis offert. Nec uerò ista per inanem uocis sonum nobis obtingere putabimus, sed quia Christus per euangelium prædicatur, qui horum unicus author est, euangelij prædicationi hæc uerè tribuuntur, quando ipsa non inanis, sed uera est. Summum ergo adeoq; unicum salutis thesaurum illa continet. Et hunc sibi scopum huius ministri præfixum habere debent, ut in horum communionem adducantur homines, nec illos inani duntaxat & theatrico concionandi apparatu ludificatos circumducant. Habemus præterea his omnem nostræ salutis rationem comprehensam. Quia enim hæc nobis diuinitus offeruntur, nos bonis istis naturaliter carere constat. Natura igitur in diuinis percipiendis cæci sumus, & ex ingenita corruptione sub satanæ tyrannide gemere meremur. Dei uerò bonitate factum est, quòd per Christum illuminati, & ex mortis ac tenebrarum potestate in regnum ipsius translati sumus. Huius enim merito sanctificati & iustificati, æternæ uitæ regnum adimus. At omnia ista (ut modò diximus) per euãgelium nobis fide percipienda deus offert: qua fide nos & purificari & iustificari scriptura docet, quòd sola hac Christum & bona ipsius nobis amplecti & percipere datur. Poterant hæc fusissimè diduci, & simul eorum exponi officia, quos Christus in patris sui regnum transtulit. Sed quia de ijsdem sæpe iam dictum est, summa rerum capita ceu digito demonstrauisse sufficiat. Interim deploranda hoc loco uenit ingrata & infelix mundi cæcitas, qui contempta hac tam simplici salutis ratione, ad labyrinthos inextricabiles & æternæ damnationis præcipitia conuertitur. Nostrum est deo nos gratos præbere, & constanti fide retinere bonorum istorum unicum authorem, qui est dominus & saluator noster, Iesus Christus: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Ordo & ratio salutis.

HOMILIA CLXIIII.

Vnde, Rex Agrippa, non fui inobediens cœlesti uisioni: sed his qui sunt Damasci primùm & Hierosolymis, & per omnem regionem Iudeæ, deinde & gentibus annunciaui ut resipiscerent & conuerterentur ad deum, opera facientes digna pœnitentiæ. Horum causa Iudæi me in templo comprehensum tentarunt interficere. Auxilium igitur nactus à deo, usq; in præsentẽ diem sto, testificans tum paruo, tum magno, nihil aliud dicens, quàm ea quæ Prophetę prædixerãt futura esse, & Moses: an passurus fuerit Christus, an primus ex resurrectione mortuorum lumen annunciaturus sit populo & gentibus.

Conuersionis suæ historiam diligenter admodum Paulus coram Agrippa narrat, eò quòd per illam luculenter probare poterat, se nec leui animo ad Christi fidem transiuisse, nec temerario ausu euangelium prædicauisse gentibus, sed omnium, quæ hucusq; fecerit, authorem habere deum, qui & longè aliud animo uersantem conuerterit, & gentibus quoq; euangelium prædicare iusserit. ISTIS uerò præmißis, in præsenti quid porrò fecerit ipse, quidq; sibi euenerit, narrat, et inde ijs qui tum aderant prædicandi occasionem arripit.

Primò obedientiam, quam cœlesti uisioni præstiterit, ingenuè fatetur. Id quod probè obseruandum est. Nam si dei præceptum cum Sacerdotum mandato, quod ab illis Paulus acceperat, conferas, illa inter se plurimum dissidere uidebis. Hi enim cum publicis literis Damascum misérunt, ut Christi fideles, qui illic erant, captiuos uinctosq; adduceret. Deus uerò illum non modò à coeptis desistere, uerumetiam euangelium prædicare iussit. Hic ergo se dei uocationi obediuisse dicit, idq; absque omni mora & tergiuersatione: nec hoc ipsum fateri pudet coram ijs, apud quos maiorem multò Sacerdotum, quàm suam, authoritatem esse nouerat. Suo igitur exemplo docet, deo potius quàm hominibus obediendum esse, nec ullam admitti debere tergiuersandi causam, ut primum de huius uoluntate nobis constat. Quam regulam qui sequũtur, maxima seipsos molestia & anxietate liberant, & minimum peccare possunt. Simul uerò modus obedientiæ huius consyderandus erit, quem ex ijs, quæ se fecisse dicit Paulus, deprehendere licebit. Fecit enim quæ illum facere deus iusserat, & sicut iusserat, tum gentibus tum Iudæis euangelium prædicans. Ea itaque demum uera obedientia est, quando absque omni exceptione dei mandata exequimur. Sunt enim qui etiam ipsi deo obediunt, sed ex parte duntaxat, & quatenus ipsis commodum esse uidetur: cuius rei exempla in Saule sacra scriptura proponit. 1. Sam. 13. & 15. cap. At longè alia dei mens est, qui nos nec ad dextram nec ad sinistram à uerbo suo deflectere, nec illi quicquam nos adimere uel addere iubet. Rectè ergo Paulus absque ulla ampliori deliberatione à deo sibi iniunctum negotium capessit, & quod iussus erat ad diuini præcepti normam exequitur. Porrò dum quid ipse fecerit narrat, docet simul quid per euangelium prædicari, & quo ordine illud proponi debeat. Primo in hoc incumbendum est, ut homines resipiscant, quando omnes nos peccatores & iræ dei obnoxios esse constat. Hinc Baptistam cœpisse legimus, & Christum deinceps, qui inde apostolos quoque exordiri docuit. Matth. 10. Luc. 24. cap. Vnde constat parum euangelicos hodie esse, qui istud principium omitti uellent. Deinde resipiscentiæ ueræ modus exprimitur qui est ut ad deum conuertamur. Vt enim à deo auersi peccamus & perimus: ita in hoc ferè tum pœnitentia tum salus nostra consistit, ut ad deum reuersi, eidem reconciliemur. Id uerò per solum Christum fit, qui & pœnitentiam ueram suo spiritu in nobis operatur, & deleto peccati ac legis chirographo nos patri reconciliat. Quare Petrus alibi illum à deo missum esse dicit, ut Israeli pœnitentiam simul & peccatorum remissionem conferat. Acto. 5. cap. Vbi illorum error confutatur, qui pœnitentiam absque Christo prædicantes, hominem ad sua ipsius opera & merita ablegant. Tertium doctrinæ Pauli caput fuit, ut homines digna pœnitentiæ opera faciant. Quæ Iohannem quoque magna cum seueritate requisiuisse, & scripturas omnes passim exigere constat. Quia enim nos minimè hypocritas esse uult deus, & totos nos sibi uendicat, necesse omnino fuerit, ut operibus & uitæ totius conuersatione nos ad deum uerè conuersos esse, probemus. Id uerò fiet, si depositis prioribus studijs, nouum uitæ genus, diuinis legibus conueniens, instituamus, de qua re multa passim in Pauli epistolis leguntur. Ita uerò docemur, bona opera non ut meriti loco sint, sed ut debita deo officia, à nobis requiri: quando illa à nobis nunquam præstari poterunt, nisi Christi spiritu & merito regenerati ad deum prius conuersi fuerimus. Et licet faciamus quæcunq; nos facere oportet, serui tamen sumus inutiles, quemadmodum Christus ipse admonet, Luc. 17.

Paulus contra Sacerdotũ decreta deo obtemperat.

Obedientiæ ueræ modus.

I. Euangelicæ doctrinæ capita & ordo.

II.

III.

Ita uerò tribus capitibus euangelium totum Paulus comprehendit, seq; illud hoc ordine prædicasse docet. His uerò, quid sibi in isto munere uersanti contigerit, narrat, ut inde cuiuis facilè probet, quàm iniquè cum illo Iudæi egerint. Horum causa (inquit) quod nimirum deo obedire studui. Iudæi me in ipso templo captum occidere uoluerunt, quod & fecissent, nisi repentino dei auxilio fuissem liberatus. Templi uerò & cædis iam imminentis meminit, ut illos cæco potius affectu abreptos, quàm iusta aliqua causa commotos fuisse probet: quando illos nec templi religio, nec publica iura & leges retinuerunt, ut modestius agerent. DOCET autem locus iste, obedientiam, quam deo sancti præstare student, præcipuam persecutionum causam esse. Nec enim alias ob causas & prophetæ & apostoli mundo inuisi fuere, quàm quòd dei uerbum prædicando homines deo adducere studuerunt. Et hodie Christi cultores hanc unam ob causam persecutionibus subiacent, quòd uni deo per Christum fidere, unum illum colere, unum illum timere, & illi uni seruire instituunt, quemadmodum ille iubet. Sed eò maior est huius rei indignitas, quòd tam malam gratiam reportant, qui

Paulus eò quod deo obedit, capitur, &c.

omnium saluti publicè & priuatim student. Interim soletur nos, quòd Paulum diuino auxilio sublevatum, & latronum impijssimorum manibus ereptum fuisse audimus. Est enim hoc generale, & passim promissiones extant, quibus docemur, deum suos ex tentationibus eripere, nec permittere ut ultrà uires tententur. 2. Pet. 2. 1. Cor. 10. Psal. 34. &c.

Paulus Agrippæ euangelium prædicat.

Cæterum postquam Paulus se innocentem & immerentem in uincula coniectum esse, abundè probauit, inde ad Agrippam regem & alios auditores conuersus, illis quoque summa cum libertate dicendi concionari incipit. Et quia mirum alicui uideri poterat, ipsum in eo munere obeundo tam constantem esse, in quo aduersam fortunam & hostium insidias toties expertus erat, eius rei rationem primò omnium reddit: quæ est, se dei auxilio liberatum esse, & proinde officio suo nequaquam deesse debere. Ita uerò deo tribuit liberationis beneficium, cuius author Tribunus fuisse uidebatur, eò quòd hunc illius manu & spiritu ductum fuisse sciret. Interim docet Pauli exemplum, eos qui dei opem semel & iterum senserunt, ad maiorem industriam accendi debere, non (ut quidam solent) negligentiores fieri, quasi iam suo officio defuncti sint. Præter id enim quòd omne officium deo debemus, nouam fidem & industriam gratitudinis lex requirit, ne benefactori deo parum grati esse uideamur. Deinde, ne parum opportunus uideretur, qui ipsis iam concionari uellet, id quoque sui ex officio facere docet. Se enim omnibus hominibus, tum magnis tum paruis, debitorem esse. Ita uero illorum quoque animos excitat, ne euangelium nihil ad se pertinere arbitrentur. Est autem diligenti obseruatione dignum, quòd euangelium ex dei mandato omnis loci & ordinis hominibus prædicari audimus. Ita enim discimus, personarum respectum apud deum nullum esse, imò uelle hunc, ut omnium conditionum homines saluentur. Ideo uerbi ministros toti familiæ suæ Oeconomos & dispensatores constituit. Soletur hoc in tentationibus constitutos, simulq́; officij tum ministros tum auditores admoneat, uel ne illi paucos modò aliquot discipulos pro suo arbitrio sibi deligant, aut hi se immunes esse, nec ad euangelij regulam astringi debere, existiment. Tandem quid doceat repetit: non aliud nimirum quàm quod Prophetæ & Moses olim prædixerint. Totam uerò doctrinam tribus Capitibus complectitur, de quibus tunc maximè certatum fuisse constat. Primum est, Christum siue promissum Saluatorem pati & mori debuisse. Id enim Iudæis omnibus imprimis absurdum uisum fuisse, illorum uerba, quæ Iohan. 12. leguntur, abundè docent. Alterum est, eundem ex mortuis debuisse resurgere, & primum quidem, non ordine (nam plures alios ante Christum resuscitatos fuisse legimus) sed dignitate & potentia, utpote resurrectionis & uitæ omnium authorem. Tertium, quòd non Iudæos modò, uerumetiam gentes omnes uerbo & spiritu suo illuminare debuerit. Hæc uerò Paulum plurimis scripturæ locis demonstrauisse, uel sola Festi exclamatio postea docebit. Et sanè passim extant tum Mosis tum prophetarum testimonia, quibus omnia hæc probari possunt. Unde rursum colligimus, euangelij doctrinam non nouam & paucorum hominum, sed uetustissimam esse, & omnium seculorum consensu approbatam. Adhæc, scripturis contineri quæcunque ad credendum necessaria sunt, quando ex his Paulus uniuersa fidei Christianæ mysteria probare potuit. His ergo solis contenti, fidem quæ istis traditur, constanter teneamus, ut iuxta has uitam assequamur sempiternam per Iesum Christum, dominum nostrum: cui debetur benedictio, honor, gloria potestas in æternum. Amen.

Paulus omnibus debitor est.

Euangelij summa.

HOMILIA CLXV.

Hæc autem cum pro se diceret, Festus magna uoce ait: Insanis Paule, multæ literæ te ad insaniam conuertunt. Et Paulus, Non insanio, inquit, præstantissime Feste, sed ueritatis & sobrietatis uerba eloquor. Scit enim de his Rex, apud quem & libere loquor. Latere enim eum nihil horum arbitror. Neque enim hoc in angulo gestum est. Credis Rex Agrippa, Prophetis? Scio quòd credis. Agrippa autẽ ad Paulum ait: Modica in parte persuades mihi, ut fiam Christianus. Et Paulus ait: Optarim à deo, non solum modica in parte, uerumetiam magna, non te modò, sed omnes etiam qui me audiunt hodie, esse tales, qualis ego sum, exceptis uinculis his. Et hæc eo locuto surrexit Rex & Præ-

ses &

stes & Bernice, & qui assidebãt eis. Et cùm secessissent, loquebantur inter se, dicẽtes: Nihil morte aut uinculis dignũ facit homo iste. Agrippa autem Festo dixit: Dimitti poterat homo hic, si non appellasset Cæsarẽ.

Postquàm Pauli orationem Lucas exposuit, deinceps quis huius apud auditores effectus fuerit, commemorat. Estq́ memorabilis valde locus hic, eò quòd duobus exemplis duo hominũ genera describit, quibus frustra dei verbum prædicatur. Finis verò & vsus omnium est, vt cùm ministri discant quid cum talibus agendum sit, tum alij omnes intelligant, quid ipsos cauere oporteat, si dei verbum non sine fructu audire velint.

Primum genus in Festi Præsidis exemplo proponitur, qui hominum prophanorum & eorum, qui nullam in vniuersum rerum diuinarum notitiam siue gustum habent, typum gerit. Vbi primò quidem ipse Festus, deinde verò Paulus consyderandus erit. Audiuit ille Paulum visiones narrantem, & scripturarum testimonijs vniuersa humanæ salutis & Christianæ fidei mysteria explicantem, de quibus nihil vnquam audiuerat, vtpote homo ethnicus, qui maiorem fortaßis rei militaris quàm religionis notitiam habebat. Quare Paulum de tam profundis & abstrusis rebus agentem insanire, & illorum instar, qui mania correpti mirifica quædam sibijpsis imaginari solent, hæc præter omnem rationem proferre putat, & dicentem admodum importunè interpellat. In uno hoc tamẽ non iniquus omnino, quòd mentis defectum, quo illum laborare arbitrabatur, nimio literarum studio tribuit, non alium aliquem affectum illi exprobrans, vt hodie pleriq́ solent. Docet verò exemplum hoc, dei verbo nihil apud eos profici, qui humana modò ratione ducuntur. Propriũ enim illis est, vt quicquid rationis ipsorum captũ & vires superat, pro delirio habeant: cùm interim nihil minus capiant, quàm ea quæ sunt spiritus dei. 1. Cor. 2. Fieri ergo non potest, quin euangelium de Iesu Christo crucifixo illis summa stultitia putetur, quando nihil tam absurdum & alienum à ratione videri potest, quàm ab eo salutem sperare & petere, qui in crucem suspensus inter latrones expirauit. Quapropter quod Paulo apud Festum concionanti euenit, hoc ipsum Prophetis antea, & deinceps apostolorum quoq́ successoribus euenisse legimus, vt pro hominibus fanaticis haberentur. Quid, quòd ipse Christus à Pilato irrisus fuit, cùm se veritatis præconem in mundum venisse fateretur? Ita enim Pilatus ex eorum numero ipsum esse putat, qui in veritate inuestiganda multùm frustra laborent, cùm inter homines omnia incerta sint & dubia. Quid ergo offendimur, si hodie etiam euangelij prædicatione parum proficiatur, quando magna paßim hominum turba est, qui carnis rationibus excæcati, totiq́ animis distracti, semen verbi in uiam excipiunt, quòd infernales graculi, affectus nimirum & satanicæ suggestiones, illicò absorbent?

Festus eorũ typus qui prophana mente uerbũ audiunt.

Quid verò Paulus? Num Festi importuna interpellatione territus conticescit, vt sinistram de se alienatæ mentis suspicionem silentio suo confirmet? Minimè. Imò cùm ministerij sui tum euangelij authoritatem constanter asserit. Non insanio (inquit) præstantißime Feste, sed veritatis & sobrietatis verba eloquor. Conuitium ergo libere reijcit, modestè tamen & cum reuerentia, quæ magistratibus debetur, ne impatienti ira abreptus conuitiumq́ referens, se mente captum esse testaretur. Itaque cordatè omnino se insanire negat: ea verò quæ Festo insanientis verba esse videbantur, verißima esse, nec abs se curiosius, sed summa qua fieri potest sobrietate exponi testatur. Id verò testibus fide dignißimis probat. Inter quos primo loco Regem sistit, qui nihil eorum, quæ hucusq́ de Christo dicta erant, ignorare poßit: eò quòd nihil horum in angulo & occultè, sed in celeberrima totius gentis vrbe, & in festo omnium frequentißimo omnia ista contigissent. Deinde prophetas simul omnes testes sistit, qui hæc ita euentura prædixerunt, sicut paulò ante fusius demonstrauerat. Et ne pondere careret oratio, prophetarum authoritatem libere & fortiter asserit. Ad regem enim conuersus, Credis ne (ait) Rex Agrippa, prophetis? Nec ipsius expectans responsum, ipse præuenit, addens: Scio quòd credis. Nouerat enim in quàmuis corruptißima Iudæorum gente eam tamen adhuc superesse scripturæ propheticæ maiestatem & fidem, vt illam nemo absque publica impietatis nota in dubium uocare auderet. Et credibile est pluribus adhuc causam hanc à Paulo tractatam fuisse, cùm Agrippa mox fateatur, se nõ mediocriter illius verbis commotum esse. Cæterum occurrunt hîc quædam diligentius nobis obseruanda, cùm ad communem omnium institutionem non parum fa-

Paulus ministerium suum constanter & modestè asserit.

Optima docendi ratio quæ sit.

ciant. Primùm docet locus hic, optimam docendi rationem esse, quem Paulus ab se hucusque obseruatam fuisse profitetur, quando se veritatis & sobrietatis verba loqui ait. Ante omnia enim veritatis ratio habenda est ministris, ne sub diuini nominis prætextu mendacium vendant, cuius patrem diabolum esse, Christus docet. In veritatis autem mysterijs tractandis sobrietatem piam & sanctam adhibeant, ijs duntaxat intenti, quæ ad pietatem homines ædificare possunt: ne dum curiositati cæcis indulgent, quæstionibus inutilibus & noxijs tum seipsos implicent, tum etiam rudiores & infirmiores offendant. Meminerint ergo, nos ex parte tantummodo cognoscere, & ex parte prophetare. Olim demum fore diem istum, quando omni sublato obstaculo coràm in dei facie uniuersa regni cælorum mysteria spectabimus. Deinde docent Pauli verba, nostræ salutis & Christianæ religionis negotium certum esse, nec quicquam vel obscuri vel suspecti habere. Vt enim nihil eorum in angulo gestum est, quæ Christo acciderunt: ita publicè & apertè cum patribus quoque olim gesta sunt, quæ Christum & in hoc salutis rationem adumbrauerunt. Nec enim obscuri aut male notæ homines fuerunt Patriarchæ, ad quos primæ promissiones delatæ sunt. Nota quoque gentibus fuit Israelitici populi liberatio ex Aegypto. Clara & miraculis celebris fuit legis promulgatio, quæ omnia Christi mysteria figurabat. De prophetis nemo bonus unquam aliquid sinistri suspicari potuit. Quid, quid omnibus Monarchijs, Assyriæ nimirum, Persicæ, Græcæ et Romanæ, cum gente Iudaica res fuit, in qua salutis negotium docebatur? Apostolorum verò voces magna cum libertate orbem terrarum personuerunt, adeò vt omnibus nota essent quæ ab illis fiebant simul & tradebantur. Est hæc magna fidei nostræ dignitas, quæ in nulla alia religione inuenitur. Eadem verò illorum impudentiam arguit, qui hodie illam in dubium vocare audent. Postremò admonet locus hic, scripturæ sacræ authoritatem & fidem certam esse, nec ulli permittendum, vt in controuersiam trahatur. Quia enim diuinitus inspirata est, nefas fuerit de illa dubitare. Quæ causa est, quòd illud extra controuersiam ponit Paulus, Agrippam Prophetis credere. Et Christus cum Iudæorum scribis agens, hoc illis tribuit, quòd in scripturis vitæ æternæ rationem contineri, firmiter credant. Ioban. 5. Quantò igitur execrabilior est nostri seculi impudentia, quo alij quidem scripturas impia scurrilitate cauillantur, alij verò illarum authoritatem mirificè imminuunt, dum illas hominum iudicio approbari & confirmari oportere contendunt?

Religionis causa certa est nec obscuritate suspecta.

Scriptura αὐτόπιστος.

Agrippa typus eorum, in quibus curæ huius seculi semen uerbi suffocat.

Porrò alterum auditorum verbi genus uideamus, quorum typus in Agrippa Rege proponitur, & eorum est, qui mundo addicti, huius curis & studio verbi semen suffocari patiuntur. Nec enim scripturas negare audet, quarum authoritatem diuinam & infallibilem esse nouerat. Illis præterea conuenire videt, ea, quæ à Paulo dicebantur. Sentit item non obscuros animi motus, quibus vt in Christi partes transiret, solicitabatur. Nec id dissimulat, quando se nonnihil persuasum esse, palàm fatetur. Quid ergo obstat quo minus non vltra progressus Christo publicè nomen det? Nimirum infelix mundi studium, cuius amicitia & gloria illi multò præstantior videtur, quàm vt hac neglecta ad illos transire debeat, quos pleriq; exosos & inuisos habebant, alij verò insanire iudicabant. Atque vtinam vnus Agrippa huius rei nobis exemplum esset, & non hodie passim illorum voces audirentur, qui cum euangelio præclarum testimonium ferant, Antichristi tamen doctrinam sibi potius sectandam esse censent, ne vel opum vel honorum iacturam faciant, aut etiam de vita periclitari cogantur. Interim elucet in illis hominibus diuina & mirifica euangelij vis, quæ inuitis quoque & reluctantibus veri confessionem extorquet: illis tamen minimè salutarem, quando spiritui sancto se opponere non verentur.

Pauli uotum ue rè Christianū.

Cæterum vt Festo prudenter admodum & fortiter Paulus respondit: ita Agrippæ verbis votum verè Christianum & charitatis ardore flagrans (quando aliud non potest) opponit. Optarim (inquit) à deo, non solum modica in parte, verumetiam magna, nō te modò, sed omnes etiam qui me audiunt hodie, esse tales, qualis ego sum, exceptis vinculis his. Nec dubium est ex animo ista optauisse Paulum, qui aliàs dies & noctes pro Iudæis deprecabatur, & pro ijsdem anathema fieri cupiebat. Interim docemur, non sufficere, vt ex parte credamus, sed fidei incrementa requiri, vt tandem in virum perfectum adolescas in Christo Iesu. Nec illorum sententia admitti debet, qui unum & alterum articulum ad salutem satis esse arbitrantur. Ita enim reliqui inutiles & superuacanei essent, id quod diuinæ cùm sapientiæ tum bonitati non parum derogaret. Docet præterea Pauli votū, ministros

nistros nihil in animos hominum iuris vel potestatis habere, sed in illis solum dei spiritum efficaciter operari. Cur enim inanibus votis seipsum discruciaret Paulus, si ipse Agrippæ mentem flectere potuisset? Sed vide quæ cùm ab ipso Paulo tum à Christo in hanc sententiam dicuntur. 1. Cor. 3. Iohan. 6. Matth. 11. &c. Nec omittendum est, quòd vincula sua Paulus excipit. Quàmuis enim hæc sibi minimè molesta essent, & in illis præcipuam sui ministerij gloriam sitam esse sciret, aliorum tamen otio & paci consultum esse optauit, quatenus id fidei & salutis nostræ ratio patitur. Ita verò omnes decet, suam quidem crucem patienter ferre, interim tamen aliorum commodis & tranquillitati pro virili consulere. Vnde patet, quo spiritu agantur, qui omnium felicitati inuident, vel qui præcipiti iudicio mox tanquam parum Christianos damnant, si quos paulò commodius vitam ducere conspexerint.

His verò actionis totius finem Lucas subijcit, qui fuit, quòd omnes soluto cœtu & consessu exierunt, nihilò nimirum meliores facti, cum causis, quas supra cõmemorauimus, impedirentur. Memorabile tamen hîc est, quòd rursum omnium consensu Paulus absoluitur, quem tamen non ideò liberum dimittunt: vnde patet, quàm parum mundo curæ sit piorum conditio, quos præter meritum affligi videt. Plurimum uerò facit ad commendandam Christianæ fidei dignitatem toties iam probata Pauli innocentia: quæ illorum quoque temeritatem arguit, qui euangelij doctrinam hodie seditiosam esse clamant, cùm à seditionis crimine acerrimus euangelij præco, Paulus, coram ethnicis & prophanis iudicibus sese toties purgare potuerit. Neminem ergo mũdi huius calumniæ moueant, sed in uera fidei doctrina constantes, deo libere seruiamus, qui cultores suos inter mundi procellas asserit, & regni sui hæreditate donat, per Iesum Christum dominum nostrum: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen. Pauli innocentia.

CAPVT XXVII.

HOMILIA CLXVI.

POstquàm autem decretum est, ut nos nauigaremus in Italiam, tradiderunt & Paulum & quosdam alios uinctos Centurioni, nomine Iulio, cohortis Augustæ. Cõscensa autem naue Adramyttina, nauigaturi iuxta loca Asiæ soluimus, perseuerante nobiscum Aristarcho Macedone Thessalonicẽse. Sequenti autẽ die appulimus Sidonem. Et Iulius humaniter tractato Paulo, permisit ut ad amicos profectus, ab illis curaretur. Et inde cùm soluissemus, subnauigauimus iuxta Cyprum, propterea quòd essent uenti contrarij. Et pelagus, quod est contra Ciliciam & Pamphyliam emensi, peruenimus Myram, quæ est Lyciæ. Et ibi nactus Centurio nauem Alexandrinam, nauigantem in Italiam, imposuit nos in eam. Et cum multis diebus tardè nauigaremus, uixq́ deuenissemus contra Cnidũ, prohibente nos uento, adnauigauimus Cretæ iuxta Salmonem: & uix prærerlegentes eam, peruenimus in locum quendam, qui uocatur Pulchri portus, cui uicina erat ciuitas Lasæa.

DIui Pauli apostoli nauigationem, laboris & periculi plenam, quâ Romam vsque, vt illic Cæsari sisteretur, delatus fuit, hoc capite Lucas describit. Et quidem superuacanea videtur primo intuitu tã operosa spiritus sancti diligentia: at si penitius singula inspicias, multa occurrent, cognitu & consyderatu dignißima. Docet enim historia hæc, quæ sanctorum in hoc mundo sors sit. Eadem in Paulo patientiæ & constantiæ exempla proponit. Adhæc infallibilem esse docet promißionum dei fidem. Licet enim ipsa rerum natura Paulo aduersari uideatur, quò minus Romam perueniat, perrumpit tamen omnia aduersa dei veritas, quæ ipsum Cæsari quoq; sistendum esse promiserat. Insunt etiam præter hæc multa alia, consolationis & institutionis plena, quæ suis locis videbimus. Argumentum capitis.

Paulus cum facinosis per milites Romam deducitur. Vide Valerium Max. lib. 6. cap. 5.

Primò autem quomodo Romam dimißus sit apostolus, narratur. Vbi Centurionis cuiusdam Iulij mentio fit, cui ipsum unà cum alijs vinctis deducendum Festus tradidit. Vbi haud vulgaris occurrit Romanorum in administrando iure diligentia, quando illos in captiuis transmittendis tantos sumptus simul atq; labores sustinuisse videmus. Extant huius alia quoq; exempla, quæ illis non paruam laudem & gloriam pepererunt. Imò hac potißimum ratione illos ad tantam imperij gloriam ascendisse constat. Nec aliam commodiorem esse cùm dilatandi tum conseruandi imperia rationem, scriptura cùm alibi, tum in Psal. 72. clarißimè docet. Nam quod Romanis felicißimè cessit, id ipsum multis alijs ad potentiam & gloriam adiumento fuisse, legimus. Rursum florentißima regna subitò corruisse scimus, vt primùm iustitiæ neruo laxato publica iura & legum disciplina negligi cœperunt. Imprimis verò piorum sortem nos obseruare conuenit. Reliquis enim vinctis Paulus adiungitur, quos maxima ex parte facinorosos & sceleribus infames fuisse, nemini dubium esse potest. Ita Christũ cum flagitiosis reputatum fuisse scriptura docet: quod etiam Martyribus frequenter accidit, quorum exemplis nos hodie animari oportet, ne iniquißimis mundi huius iudicijs offendamur. Simul verò in indigna Pauli sorte bonitatis diuinæ præclarum specimen elucet, qua factũ est, vt misera vinctorum turba talem tantumq; consolatorem simul & consultorem haberet, cuius opera illos omnes tandem seruatos fuisse, audiemus. Nec dubium est, Paulum in ijsdem instituendis & tradendis fidei Christianæ mysterijs nullam occasionem neglexisse, quem semper hominum salutem ardentißimis votis quæsiuisse, hucusq; vidimus. Ita verò deus tum quoq; præclaras bene agendi occasiones offert, quando nostri curam penitus deposuisse videtur.

Isa. 53. Luc. 22.

Pauli comites.

Huc verò sequentia quoq; pertinent, quibus deum inter tanta pericula Pauli curam cumprimis habuisse, docetur. Primò enim comites illi adiunxit fidelißimos, quorũ præsentia & ministerio sublcuaretur. Fuit inter hos Lucas huius historiæ scriptor, sicuti ex toto contextu patet. Deinde Aristarchus Macedo, vir haud dubiè diues, qui tantis sumptibus sufficere potuerit. Cum Paulo enim ex Græcia Hierosolymam ascendit: & quàmuis ab Iudæis captum videret, non tamen illum dereliquit, sed toto biennio & amplius illi fidelem operam nauauit. Nunc eundem Romam vsq; deducit. Ita verò deus suis adesse solet, ne vltra vires tententur, & ab hominibus quoq; omnino derelictos suo patrocinio tuetur. Est autem memorabile omnino Aristarchi exemplum, quo ollæ amici & molliculi quidam arguuntur, qui amicitias utilitate mentiri solent, quiq; nihil pro veritate pati sustituerunt, adeò vt illos martyrum Christi pudeat. Sed deum remuneratorem spectare oportebat, qui Aristarchi fidem immortali gloria & cœlestis regni hæreditate compensauit. Alterum verò diuinæ bonitatis & curæ argumentum est, quòd Centurionem quoque Paulo amicißimum fuisse, audimus. Nam & humaniter illum tractat, & ubi Sidonem ventum est, illi amicos inuisendi copiam facit, vt ab illis curari poßit. Similia de Lysia Tribuno & Felice Præside supra vidimus. Ita olim Abdias prophetis protector datus fuit, nec Ieremiæ amici defuerunt, qui captum auxilio simul & consilio iuuarent. Vide 1. Reg. 18. Ierem. 38. &c. Ex his verò nos quoq; consolationem petere conuenit, ne tyrannorũ conatibus cedamus, sed vni deo nos & nostra omnia approbemus. Cæterum hoc loco Paulus consyderandus venit, qui cùm in vrbe maritima & frequenti admodum facilè vel occultari vel elabi potuisset, omnem tamen occasionem illam neglexit. Causæ fuerunt, tum quòd Centurioni optimè de se merito periculum conflare iniquißimum fuisset: tum quòd se Romam proficisci debere, oraculo didicerat. Docemur autem exemplo hoc, neminem sibijpsi illicitis medijs cõsulere debere. Nam si nulla in periculis effugij via patet, nisi quæ cùm charitatis aut fidei & iustitiæ legibus pugnet, certum est, aliud de nobis esse dei consilium, cuius voluntati nos cedere conuenit, ne dum corpori aut fortunis consulimus, animæ iacturam faciamus.

Aristarchus.

Centurio Pauli amicus.

Paulus cùm posset, non tamen fugam parat.

Pauli nauigatio plena periculi.

Sequitur diligens & prolixa nauigationis descriptio, cuius cursum ex Geographorum tabulis petant, qui singula nouisse cupiunt. Nobis obseruandum est, molestam & periculi plenam fuisse, quãdo ventos aduersos fuisse disertè dicitur. Atqui facilè huic malo mederi poterat deus, qui multis exemplis, se maris quoq; dominum & rectorem esse declarauit. Ita verò electum organũ suum exerceri voluit, vt euidentior esset suæ cùm veritatis tum potentiæ gloria. Interim, quæ vita nostra conditio sit, elucet. Aerumnosa nimirum & instar peregrinationis, in qua noui indies labores & noua pericula occurrunt. Imprimis autem in piorum vita istud cernitur, quam nouæ semper molestiæ & curæ

cura infestant. Exemplum huius in Christo, capite nostro, habetur, qui recens natus hostes habuit, quorum insidiæ totum uitæ cursum amarũ & periculosum reddiderunt. Experitur hoc ipsum Paulus quoq; qui cum Iudæorum artibus & in insidijs diu conflictatus, nunc tandem elemento omnium immanissimo, mari nimirum, committitur, cuius pericula antea quoq; senserat, vt ex posterioris ad Corinth. cap. 11. patet. Poterant infinita alia huius generis recenseri, si ita opus foret. Nos usum porius horum obseruemus, qui est, vt forti fidei constantia armati, quæuis aduersa superemus, quando constat nobis in cœlis æternæ quietis præmia parata esse, quibus olim fruamur cum Christo Iesu: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CLXVII.

Multo autem tempore peracto, & cùm iam esset periculosa nauigatio, quòd iam ieiunium quoq; præterijsset: admonebat eos Paulus, dicens eis: Viri, uideo quòd cum iniuria multoq; damno non solum oneris & nauis, sed etiam animarum nostrarum futura sit nauigatio. Centurio autem gubernatori & nauclero magis credebat, quàm ijs quæ à Paulo dicebantur. Et cùm portus ineptus esset ad hybernandum, complures cœperunt consilium illinc soluendi, si quo modo possent peruenire Phœnicen, & illic hybernare. Is est portus Cretæ spectans ad Africum & ad Corum. Aspirãte autem Austro, rati se propositi compotes, cùm soluissent, propius præterlegebãt Cretam. Sed non multò post coortus est contra ipsam uentus Typhonicus, qui uocatur Euroclydon. Cumq; correpta esset nauis, nec posset obniti uento, data flatibus naue ferebamur. In insulam autem quandam deuecti, quæ uocatur Clauda, uix potuimus obtinere schapham: qua sublata, adiutorijs utebãtur, subcingentes nauem, timentesq; ne in Syrtim inciderent, demisso uase sic ferebantur. Cùm autem uehementi tempestate iactaremur, sequenti die iactum fecerũt: ac tertio die nostris manibus armamẽta nauis proiecimus. Sed neque Sole neque syderibus apparentibus ad complures dies, & tempestate non exigua imminente, iam ablata erat spes omnis salutis nostræ.

QVod dei filio & saluatori nostro Iesu Christo, in terris agenti, euenit, vt varijs & quotidianis afflictionibus exerceretur, id ipsum omnes eos manere, qui illius vestigia sequi instituerunt, cum alibi disertis verbis, tum in præsenti exemplo suo Paulus docet. Qui enim toto biennio uinculi & carceris molestias pertulerat, & nouas indies senserat hostium insidias, nunc demum immanissimo quoq; elemento obijcitur, vt nimirum maris tempestates periculosissimas & tandem infelicis etiam naufragij incommoda sentiat. Dictum enim est in ijs quæ proximè præcesserunt, vt aduersis uentis & difficili admodum nauigatione ex Syria ad Cretam vsq; insulam peruenerit. Sed longè maioris periculi descriptio sequitur, quod tandem in naufragium desijsse audiemus, cuius ordinem & progressus summa fide & diligentia Lucas commemorat, eò quòd in narratione hac, quæ sterilis primo intuitu videtur, multa occurrunt, quæ nostræ cùm institutioni tum consolationi seruiunt.

Inter quæ facilè primum locum obtinet, quòd milites simul & nautas de periculo maturè deus admonuit. Cùm enim multo tempore in Pulchroportu prope Lasæam hæsissent, iamq; hyems instaret, præterito nimirum ieiunij Iudaici tempore, quod septimo mense (qui nobis partim in Septembrem partim in Octobrem incidit) peragi solebat, Paulus ut nauigationẽ differant, diligenter suadet. Quod ipsum non sine spiritus reuelatione fecisse, vel ex eo patet, quòd pericula, quæ post secuta sunt, apertè prædicit. Et hic quidem deus nobis maximè spectandus est, qui suos nunquam negligit. Quia enim saluos uult homines, de periculis in tempore monet, vt sibi cauere & effugij viam circumspicere possint. Variè autem admonitiones suas attemperat. Aliquando enim per prophetas & verbi sui præcones monet, quæ etiam illi omnium tritissima ratio est, & præcipuum suæ erga nos

Deus de periculo admonet, & in tempore consulit.
Vide Leuit. 16

benevolentiæ argumentum, de quo vide Amos prophetæ capite tertio. Interdum priuatim per amicos & familiares, quo in periculo versemur, reuelat. Habet etiam signa omnis generis, quæ iram suam peccantibus portendunt. Adhæc per occultas spiritus sui & conscientiarũ suggestiones aures nobis vellicat. Et quosdam angelorum ministerio admonitos fuisse legimus. Quæ omnia adeò vulgaria sunt, vt illa exemplis illustrare minimè opus sit. Discamus saltem dei bonitatem agnoscere, nec contemnere fidas & salutares admonitiones, ne interitus proprij nobisipsis authores simus. Id enim contumaces ferè manere, horum quoq; exemplum postea docebit. Priusquàm verò illud tractemus, de Paulo quædam dicenda erant. Illum enim cœlesti oraculo admonitum fuisse supra audiuimus, quòd Romam venturus esset, cui illum firmiter credidisse certum est. Non tamen in eum finem oraculo abutitur, vt præter causam sese periculo præsenti committere, & ita deum tentare instituat. Quin potius noua reuelatione de periculo admonitus, huic quoq; credit, simulq; alios, vt sibiipsis caueant, admonet. Vnde patet, fidei & prouidentiæ dei doctrinam non temerarios reddere homines & dei tentatores. Vt enim prudentiam à suis Christus exigit: ita quandocunque deus legitima & licita effugij media nobis offert, certum est, illum nequaquam velle vt periclitemur. Illis ergo nos piè & religiose vti conuenit.

Pauli consilium contemnitur.

Porro non admittitur salutare Pauli consilium, sed magno omnium malo contemnitur. Vbi totius negotij progressum videre oportet, vt ex eo discamus quibus ferè causis fiat, vt multi spretis sanioribus consilijs, sibiipsis malum & nonnunquam interitum concilient. Prima causa in præsenti adducitur, quòd Centurio gubernatori potius & nauclero, quàm Paulo, credendum esse putauit. Et id quidem, si carnis rationem audias, prudenter admodum facere videtur. Errat tamen, & turpiter quidem, quòd consilia, non ex causis, sed hominum authoritate æstimat. Alioqui facilè vidisset, non absque ratione esse, quòd Paulus hyeme imminente nauigationem periculosam fore, dicebat. Est verò frequens admodum error hic, maximè si per verbi sui ministros consilium det dominus. Illos enim audire, multis non graue modò, verumetiam piaculum videtur. Et passim hodie Achabi & Zedechiæ sunt, qui nec Micheas nec Ieremias audire dignantur, sed ipsi sibi optimi consultores videntur, vel alios sibi consultores adhibent, quos suis ingenijs & moribus melius conuenire putant. Hinc ferè fit, quòd in bellorum periculis ad barbaros & sanguinarios milites, ad regum fœdera & munitiones: in morbis ad medicos solos: in egestate & inopia ad illicitas artes confugimus, eosq; solos audimus, qui similes conatus sibi aliquando successisse arbitrantur. Ita verò infinitis malis intricantur homines, quibus facilè carere poterant, si solius dei verbum, & ex hoc desumpta consilia, admitterent. Altera, quæ Pauli consilium contemnere suasit, causa fuit, quòd portus ille ad hybernandum incommodus videtur: ideò illinc soluunt commodiorem quæsituri. Eadem verò causa multis sanioribus consilijs viam obstruit, quòd nimirum præsentibus bonis non contenti, aliena & nostro iudicio meliora affectamus, Ita enim fit, vt insatiabiles & cæcos carnis affectus secuti, peccatorum laqueis intricemur, & maximorum malorum ipsi nobis authores simus. Accidit hoc istis militibus & nautis, qui cùm portum, quem deus dederat, aspernantur, tandem naufragi omnium bonorum iacturam faciunt, & vitas quoq; suas in discrimen adducunt. Extant huius generis exempla passim in historijs. Inter quæ præclarum est omnino, quòd de Israelitis legitur, qui præsentis sortis pertæsi regem sibiipsis imposuerũt, nec vllis rationibus per Samuelem adductis, sese moueri passi sunt, vt à deo traditam politiam retinerent. Simile quid de maioribus nostris, Heluetiæ incolis, Cæsar scribit, qui patrij soli fastidio correpti in Galliam sedes suas transferre magno suo malo conati sunt. Omnium verò horum vsus est, vt præsenti sorte, quam deus offert, cõtenti, nihil vltra appetamus. Ita enim carnis affectus frænare, & nosipsos in officio retinere poterimus. Vide de hac, quæ Paulus tradidit 1. Timoth. 6. SED ut ad nostros illos redeamus, tertium accessit, quod illos in suo proposito tenendo pertinaces fecit, quòd austro aspirante nauigationem feliciter exorsi esse videbantur. Nec dubium est, quin multorum ludibrio Paulus expositus fuerit, vt qui consilio suo successum hunc impediturus erat, siquidẽ illum audiuissent. At mox inobedientiæ suæ graues pœnas luunt. Est verò hoc insigne omnino diaboli stratagema, qui peccatorũ principia ferè facilia et felicia in speciem facere consueuit, ut nos successus spe pelliciat. Vt enim peccatũ corruptæ nostræ naturæ blanditur, ita læti circa initiũ illius progressus videntur: quò fit, vt fortuna ebrij, admonitiones sanas improbè spernamus,

Psal. 36.

namus, & cum risu sæpe exibilemus. Exempla huius paßim sunt obuia, nec illis diu immorari opus est. Ita enim adulteris, ebriosis, usurarijs, militibus, facinorosis deniq; omnibus mirificam læti successus spem faciunt, quæ paulò post magnæ calamitatis causa sunt. Id quod Paulini quoq; consilij contemptores experti sunt, ut modò sequetur.

Nam non multò post cõtra illos oritur uentus Typhonicus uel Euroclydon, quem alij Cæciam uocãt, ueteri quoq; prouerbio celebris, qui nauim totam insano turbine rotatam hinc inde rapit. Suo itaq; malo experiuntur, non posse diuturnos esse illorum successus, qui contra dei uoluntatem aliquid instituunt. Ferè enim fieri consueuit, ut quando sibijpsis felicißimi uidentur, subita aliqua & improuisa calamitas illos obruat. Cuius rei exempla quotidie occurrunt in adulteris, raptoribus, auaris, militibus mercenarijs, omnibus deniq; impijs, quos non dimidiare dies suos, propheta testatur. Nec in priuatis modò hominibus ista uidere licet, uerumetiam regnis & rebuspub. quæ per uim & iniustitiam contra diuinas leges propagantur. Nam & illas ferè infelix ruina subitò sternit, quando rebus suis optimè consultum, adeoq; inuictas illarum uires esse, omnes suspicantur. Docent hoc Aßyriorum & Babyloniorum occasus, Persarum clades, Græcorũ interitus, et quæ præter totius mundi expectationem incidit Romani Imperij ruina. Non est ergo, ut uel nostris ipsorum succeßibus efferamur, uel alienis offendamur. Quin potius studiorum omnium regula nobis sit dei uerbum, cuius ductum secuti, nec à uero aberrabimus, nec dei iram in nos prouocabimus. Pœna contempti consilij diuini.

Sequitur autem diligentior periculi, quod isti sibijpsis conflauerunt, descriptio. Nauem enim uenti procella tanto impetu abripuit, ut illi resistere non possent, quare uento & undis illam committentes incertis uicibus iactati sunt. Et quàmuis ad insulam Claudam delati, spem aliquam cõcipere potuerunt, mox tamen illa quoq; frustrati, de scapha simul & naui tota periclitari cœperunt. Quo exemplo docemur, uanas omnino illorum uires esse, quos diuina ultio persequitur. Quia enim deus exercituum dominus est, minutißima quæq; contra hostes suos armare poterit, ut illis domandis & coercendis sufficiant. Ita uentus, quo nihil uanius est & instabilius, si ita deus uelit, omnia turbat & subuertit. Et in Aegypto olim fornacis fuliginem, ranas, pediculos, cimices, muscas & minutißima insecta, Pharaonis uictores fuisse, legimus. Nemo igitur uel suis uiribus confidat, uel deo scelerum pœnas exigenti reluctetur. Licet enim interdum contumacibus aliqua salutis spes affulgeat, clauda tamen uerè & fallax illa est, & friuola sunt quæcunq; ex carne quæruntur præsidia. Vnica autem & certa salutis ratio est, si ad deum conuersi, cum illo in gratiam redeamus. Hominum contra deum potentia nulla est.

Porro accedit malis istis, quòd ipsi suis manibus iactum facere coguntur. In tantum modò animis mutati sunt, ut necessaria quoque ipsi sua sponte abijciant, qui pauló ante iuxta Lasæam aliquantò incommodius hybernare noluerunt: & nunc de uita soliciti sunt, qui antea delitias & summam rerum omnium commoditatem unicè quærebant. Est hæc ferè omnium illorum sors, qui ut deo obediant, nihil omnino ferre, nec quicquam amittere uolunt, etiam ex ijs quæ luxui duntaxat & uoluptati seruiunt. Tandem enim ipsi omnia erogare & abijcere coguntur, & ea quoq; amittũt, sine quibus uita sustentari nequit. Nam tritum & uerum est dictum illud, Quod non capit Christus, rapit fiscus. Et ferè tyrannis exedendi propinantur, qui in fidei & religionis causa de fortunis suis periclitari noluerunt. Similiter medicis excruciandi traduntur, qui gulæ & libidini suæ, deo monente, frænum inijcere dedignantur. Quid, quòd tales plerunq; conscientijs suis ita anguntur, ut illarum tranquillitatem omnibus fortunis & opibus suis (modò id fieri posset) libenter redimerent? Quin ergo nos nostraq; omnia Christo cõsecramus, qui retributionem liberalem & amplam omnibus ijs pollicetur, qui propter nomen suum rerum terrenarum & uitæ huius iacturam faciunt. Vide Matth. 19. Marc. 10. Abijciamus simul omnes salutis remoras, quando illam, si semel amissa fuerit, nunquam recuperari posse, scimus. Quid ijs eueniat, qui deo iubẽte nihil amittere uolunt.

Postremò per multos dies nec Sol nec sydera lucent, & tandem uniuersa salutis spes intercidit. Et hoc quidem perpetuum est, ut mortiferis & exitialibus tenebris inuoluantur, qui in uerbi diuini luce ambulare nolunt. Nec enim aliud nobis sydus datum est, cuius ductu per tempestuosum huius mundi æquor uiam rectam tutamq; tenere poßimus. Obseruandum uerò hic uenit, quòd cum immorigeris illum Paulum quoq; periclitari, & grauißimè tentari deus patitur, ita ut ad preces conuersus diuina consolatione opus habuerit, ut sequentia docebunt. Est hæc piorum in hoc mundo sors, Paulus quoque cum dei cõtemptoribus periclitatur.

quæ multos offendit, quando hos unà cum palàm impijs periclitari uident. Longè tamen alia est illorum ratio. Nam omnia ipsis in bonum cooperantur, & in medijs periculis bene sibi conscij, precibus suis dei aures patere sciunt, eiusq; promißionibus freti, ab illo uires simul, quæ ferendo oneri sufficiant, & opportunam liberationem expectant. Cum interim impios mens malè sibi conscia infestet, & pericula illorum ferè interitu ipso finiantur. Pauli ergo exemplum secuti, diuini uerbi Cynosuram obseruemus, ut si omnino nos quoq; cum infelici mundo periclitari contingat, firmam tamen & ratam salutis spem in deo repositam habeamus, qui suos non ultra uires tentari sinit, & euentum felicem largitur, ut periculis omnibus erepti, transferantur tandem in regnum filij sui, Iesu Christi: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CLXVIII.

Cum autem multa iam esset inedia, tunc stans Paulus in medio eorum, dixit: Oportebat quidem, ô uiri, mihi obtemperando, nõ soluere à Creta, nec accersere nobis iniuriam hanc & iacturam. Et nunc hortor, ut bono animo sitis. Iactura enim animę nulla erit ex uobis, sed tantum nauis. Astitit enim mihi hac nocte Angelus dei, cuius sum ego, quem & colo, dicens: Ne timeas Paule, Cæsari te oportet sisti. Et ecce donauit tibi deus omnes, qui nauigant tecum. Propter quod bono animo estote uiri. Credo enim deo, quòd sic erit, quemadmodum dictum est mihi. In insulam autem quandam oportet nos exponi.

EXposuimus nuper tempestatem horrendam, qua Paulus simul & illius comites iactati fuerũt, quam Lucas tandem ita inualuisse dixit, ut nulla ipsis salutis spes reliqua fuerit. Atqui miretur hic aliquis, qualem se interea Paulus gesserit, tum erga deum, cuius promißiones intercidere uidebantur: tum erga socios, qui sua temeritate & inobedientia malum hoc sibijpsis conflauerant. Id uerò omne ipsius oratio euidenter docet, quam in præsenti Euangelista commemorat, & quæ multas ob causas singularem consyderationem meretur.

Paulus deploratis rebus consiliũ & consolationem affert.

Principiò autem tempus notatur, & quæ rerum conditio fuerit, quando concionem hanc Paulus habuit. Quando nimirum inter pericula, quæ hucusq; descripta sunt, fames quoque prævalere incipiebat. Nec id temere factum fuit, quòd non antè ad concionandum prodijt, quando omnibus tumultuantibus dicendi locum non habuißet. Nunc uerò cum animis simul & corporibus defeßi, & amissa omni salutis spe consident, consolationem simul & consilium opportunè profert. Vndè colligitur, illum inter pericula non ignauo metu superatum desperauisse, sed per preces ad deum confugisse, qui illum ita confortauit, ut alijs quoq; confirmandis & subleuandis sufficeret. Quo exemplo docemur, in periculis non statim desperandum esse, sed in deo spem & fiduciam haberi debere, qui suos nunquam derelinquit, sicuti tum promißiones ipsius, tum exempla multorum abundè testantur. Pudendus ergo illorum error est, qui ut primum nulla in humanis spes superest, uel omnino desperant, uel ad Diuos aut alia illicita media conuersi, ex ijs auxilium & salutem quærunt. SED ipsam Pauli orationem uideamus, breuem quidem pro temporis ratione, sed quæ res multas consyderatu dignißimas comprehendit.

Inobedientiam priorem modeste corripit.

Primò inobedientiam, qua sibijpsis tanti periculi authores fuerint, exprobrat. Inde uerò orditur, partim ut causam totius mali, peccatum uidelicet suum, agnoscant: partim ut recenti malo edocti, ipsum æquiori animo audiant. Interim modestißimè hoc agit, ut potius officij admonere, quàm miseris insultare uideatur. Docemur hoc loco, argui quidem debere temeritatem & inobedientiam illorum, qui sibijpsis mala conciliant, non tamen insultandum esse amarulentius ijs, qui iam antè plus satis miseri & afflicti sunt, ne alioqui dolentibus dolorem acerbiorem addamus. Et sanè grauiter omnino peccant, qui cum rebus adhuc integris nihil potuerint consulendo præstare, in aduersis aliorum consilia nimis improbè & amarulenter exagitant. Qui ut aliorum iniqui iudices sunt, ita calamitosis calamitatem addunt, quod à Christiana charitate alienißimum est. Simul uerò illos quoq; suo exemplo Paulus arguit, qui si semel non audiantur, in posterum quoq; à consulendo in

uniuersum abstinent,nec quicquam cum illis commercij amplius habere uolunt,quibus antea nequicquam consuluerunt.

Deinde magna animi fiducia illos Paulus consolatur. Hortor (inquit) ut bono animo sitis. Ratio,Quia nullius animæ iactura erit ex uobis,sed tantummodo nauis. Vbi cumprimis spectanda est Pauli dignitas,qua uinctus licet reliquos omnes excelluit. Nam qui omnium miserrimus uidebatur,solus in rebus deploratißimis consolationem simul & consilium afferre potest. Et hoc quidem proprium Christi opus est,quòd in suis ministris,quando contemptißimi omnium putantur,gloriosißimè triumphat. Docent hoc martyrum exempla, qui inter medios ignes & horribiles cruciatus tum uoce tum exemplo spectatores partim terrefaciunt,partim ad similē fidei constantiam excitant.Quò & illud referri debet,quòd hodie etiam mundo & peccatis per omnia deditos,si quādo aut morbis,aut alijs periculis præueniuntur,apud solos uerbi ministros consilium & auxilium quærere uidemus,quos alioqui cane & angue peius odisse consueuerunt. — Consolatur.

Porrò,ne uanus quidam ardelio Paulus uideretur,oraculum allegat,dicens: Astitit enim mihi hac nocte angelus dei,cuius sum ego,quem & colo,dicens: Ne timeas Paule, Cæsari te oportet sisti. Et ecce donauit tibi deus omnes,qui nauigant tecum,&c. Habet hic singula uerba pondus suum, & de multis obseruatu dignißimis admonent. Primò enim bonitatem suam nobis deus declarat, quæ tanta est,ut huius etiam dum nos pro meritis castigat,obliuisci non poßit. Nec enim perpetuò irascitur,sed inter medias afflictiones consolatur & cōsilio nos subleuat,ne ultra quàm uires ferre poßint, tentemur. Et ita quidem nos curat,ut angelos quoq; nostræ salutis causa occupatos esse uelit, cuius rei non pauca exempla hucusq; uidimus. Deinde autem Pauli ingenuitas consyderanda uenit, qua ille circa religionem & fidem utitur. Propter hanc enim uinctum fuisse scimus. Eandem tamen ingenuè & liberè fatetur,ut non modò se dei esse, uerumetiam illum abs se coli audacter pronunciet. Tale quid Christus à nobis exigit,dum iubet,ut se coram hominibus confiteamur. Et Pauli exemplum Martyres quoq; imitatos fuisse legimus, qui fidem suam in Christum ne dißimulare quidem, nedum disertè negare uoluerunt. Docent præterea Pauli uerba,nō sufficere,ut nos dei esse dicamus: quando diabolos quoq; huius imperio subijci constat. Sed cultum & obsequium omne à nobis exigit deus,quod nisi præstemus,Christiani nominis profeßio nostræ dānationi potius quàm saluti seruiet. Adhæc docet locus iste,quàm prosit sanctis dei cultoribus cohabitare. Vt enim Paulo omnium animas,qui cum ipso uehebantur, deus donauit: ita illum frequenter propter paucos bonos multis,qui excidiū meriti erant,pepercisse constat. Nota enim sunt,quæ de Noe, Loto, Mose & infinitis alijs scripturæ tradunt. Nec tamen eò rapi debent exempla ista,ut Diuis cultum diuinum tribuamus, & ab illis petamus,quæ dare solius dei est. Nam longè alius illorum usus est. Partim enim impios quoq; suis cultoribus deus obstringere uult,quò tutius & commodius inter illos agere poßint: partim ipsorum fidem & religionem testimonijs eiusmodi commendat. Vt uerò pij conuictoribus suis prodesse solent: ita uicißim pauci impij,si qui illos impunè grassari patiatur,totis rebuspub. malum afferre consueuerunt,ut in Ionæ exemplo cernitur, propter quem nautas simul & uectores omnes periclitatos fuisse legimus,&c. Quæ si ab omnibus obseruarentur,maiori in precio boni haberentur, & inuisa magis esset impiorum hominum societas. — Oraculum allegat.

Postremò orationem suam concludens Paulus,denuo illos bono animo esse iubet. Addit præterea: Credo enim quòd sic erit,quem admodum dictum est mihi. Quoq; minus dubitarent,modū effugij exprimit,dum ipsos in insulā quandam exponi oportere dicit. Vbi admonemur,dei promißiones fide recipiendas esse,eò quòd ita ratæ fiant: non quòd ex nobis dependeat dei ueritas,sed quòd ea conditione opem suam & salutem deus pollicetur, quòd ea solis credentibus obtingere debeat. Exempla huius generis in euangelio paßim extant. Vbi tamen consolationis plenum est,quòd licet paucißimi credant,illos tamen ab impijs deus facilè discernit,& suorum rationem habet,quod in Iosue & Chaleb olim accidisse scriptura docet,quos solos in terram promissam deus deduxit, cum soli ipsius promißis credidissent. Versemur ergo in horum meditatione diligēter,& cum hodie quoq; consolationes simul & consilia salutis deus offerat,amplectamur ea fide constanti. Ita enim fiet,ut uitæ huius pelagus tempestuosißimum emensi,ad æternæ salutis portum deferamur,per Iesum Christum,dominum nostrum: cui debetur benedictio, honor,gloria & potestas in æternum. Amen. — Fide recipi oportet dei promißiones.

HOMILIA CLXIX.

Sed postquam quartadecima nox superuenit, nauigantibus nobis in Adria, circa medium noctis, suspicabantur nautæ apparere sibi aliquam regionem. Qui & demissa bolide repererunt passus uiginti. Ac pusillum inde digressi, rursum demissa bolide repererunt passus quindecim. Timentesq́ ne in aspera loca inciderent, de puppi iactis ancoris quatuor, optabant diem oriri. Nautis uerò quærentibus fugere è naui, cum demisissent scapham in mare, sub prætextu uelut è prora ancoras extensuri, dixit Paulus Centurioni & militibus: Nisi hi in naui manserint, uos salui fieri non potestis. Tūc absciderunt milites funes scaphæ, & passi sunt eam excidere. Et cum dies inciperet apparere, hortabatur Paulus omnes sumere cibū, dicens: Dies hic decimus quartus est, quòd expectantes ieiuni permanetis, nihil accipientes. Propter quod hortor uos, ut sumatis cibum. Hoc enim ad salutem uestram pertinet: quia nullius uestrum capillus de capite cadet. Et cum hæc dixisset, sumpto pane gratias egit deo in conspectu omnium. Et cum fregisset, cœpit edere. Porrò animis iam recreati omnes, sumpserunt & ipsi cibum.

QVàmuis deus cultores suos uariè tentari patiatur, iisdem tamen (ut sæpè monuimus) consilio simul & consolatione semper adest, ne tentationibus succumbant. Exemplum eius rei cumprimis euidens in præsenti historia habemus. Cum enim eòusque inualuisset tempestas, ut nulla salutis spes in humanis reliqua esset, angelum suum Paulo transmisit deus, qui illi ueterem promissionem renouaret, qua denuò confirmatus alios quoq; confirmare & consolari posset. Nec tantum inanibus uerbis miseros lactauit deus, sed promissam opem fidelissimè præstitit, ut suo loco uidebimus. Priusquam enim eòusque perueniat Lucas, quid interea factum sit, & ut alij quidem diuinæ promissioni crediderint, alij uerò minus, commemorat: de quibus singulis ordine dicemus.

Nautarum incredulitas & perfidia.

Et quidem primi omnium nautæ producuntur, qui cum in Adriatico mari ex signis quibusdam terram non procul abesse putarent, mox omnem diligentiam adhibent, ut littus attingant. Bolide enim (quæ massa plumbea est ex fune dependens) maris profunditatem metiuntur, & reliqua etiam pro tempore necessaria haud dubiè præparant. Id quod fidei opus uideri poterat, dum ita se diuinæ promissioni accommodat. Cæterum ubi iterum demissa bolide maris profunditatem uehementer decrescere sentiunt, nouo timore perculsi & promissionis oraculiq; diuini immemores, turpissimā fugam, summæ & detestabili perfidiæ coniunctam, moliuntur. Nam scapha demissa, in illam descendere parant, quasi ancoras ex prora extensuri, cum interim sibiipsis consulere & periclitantes uectores omni auxilio destituere in animo habeant. Elucet hic quod carnis ingenium sit, adeoq; omniū, qui carnis rationem sequi sibiipsis proposuerunt. Delectantur hi primùm dei promissionibus, & illis sese accommodant: quando nimirum rei euentus his conuenire uidetur, et successum sibiipsis polliceri possunt. Mox uerò, cùm noua periculorum facies oboritur, quæ successus spem euertit, fidei planè renunciant, & ad carnis consilia reuersi seipsos cum erga deum tum erga homines turpissimos dare consueuerunt. Quod enim nautæ isti faciunt, hoc ipsum in Israelitis quoq; uidemus. Qui cum primò liberationem sibi diuinitus promitti audirent, magna cum reuerentia dei consilium amplexantur. Vt primùm uerò Pharao Mosis & Aaronis postulatione irritatus seruitutem illis aggrauaret, diuinæ promissionis obliti, in conuitia erumpunt, clamantes: Videat dominus super uos, & iudicet, qui fœtere fecistis oderem nostrum coram Pharaone & coram seruis eius, dando scilicet gladium in manus eorum, ut nos interficiant, &c. Exod. 5. cap. Iidem, cum auro & preciosa suppellectile onustis ex Aegypto migrandum est, alacres iter capessunt. Vbi uerò ad mare rubrum consistentes, hostium turmas sibi à tergo imminere uident, mox Mosem & Aaronem, fidelissimos dei seruos, proditionis & latrocinij insimulant, Exodi decimo quarto capite. Rursum periculo illo miraculosè erepti, mentis lætitiam cantu quoq; testantur. Verùm illicò ad murmur & querelas redeunt, quando cibi & potus inopia premuntur. Sed quid hæc de Israelitis dicere opus est, cum hodie huius generis exempla

Carnis ingeniū in periculis.

passim

possim extent, & hæc ferè potissima causa sit, propter quam à fide homines deficiũt, & præceptorum dei immemores officium negligunt? Discamus itaq; carnis rationem à uerbo dei longè remouendam esse, & in tentationibus ad hoc solum, non ad illam, respici debere. Hæc enim, quia nihil præter præsentem rerum conditionem uidere potest, facilè omni spe deijcitur. At uera fides in dei solius uerbum intenta labi nescit, cum omnipotentẽ illum esse sciat, de cuius uoluntate per uerbum certior facta est. Vide de hoc Abrahami exemplum, quod Paulus ad Roman. cap. 4. diligenter & pulchre tractat. Rursum in nautis istis uidere licet, quo ferè ingenio præditi sint confidentes isti, qui & saniora consilia spernunt & admonitiones pias fidasq; auersantur. Hoc enim illos fecisse, supra uidimus, dum Centurioni persuadent, ut contra Pauli consilium è Creta soluat. At ijdem ubi & se & alios in periculum adduxerunt, nunc ignauo metu superati, socios turpiter deserere statuerũt. Est hoc proprium omnibus ijs, quos suæ sapientiæ fiducia inebriat. Hoc ipsum seditiosi quoq; in rebuspub. turbarum autores facere consueuerunt, ut nimirum undiq; ingrauescentibus periculis, ipsi sese subducere curent. Ita Core, cum totis castris tumultum concitauisset, ipse in tentorio suo animi securus cõsidet. Num. 16. Et Absalon dum à suis pugnatur, mulæ insidet, in cõmuni omnium periculo suæ adhuc mollitiei & uoluptati consulens. Docẽt exempla hæc, ut tales suspectos habeamus, nec aspernemur sobriorum hominum saniora consilia, quæ cum dei uerbo congruere sentimus.

Confidentium mores.

Porrò ad Paulum transeamus, qui occulta spiritus sancti suggestione nautarum consilium animaduertens, Centurionem & milites admonet, uti illud prohibeant. Hic uerò Pauli uerba imprimis consyderanda ueniunt. Nisi hi (inquit) in naui manserint, uos salui fieri non potestis. Atqui incolumitatem iam antè omnibus promiserat deus, cuius consilia irrita fieri non possunt. Quomodo igitur, nisi nautæ in naui manserint, euadere non possunt? Ergóne à nautis perfidis pendebat diuinæ promissionis ueritas? At non de dei potentia absoluta hoc loco Paulus disputat, cui facilè fuisset absque nautarum simul & nauis præsidio omnes periculo subducere. At quia de miraculosa liberatione certam promissionem non habebat, imò omnes ipsos in insulam quandam exponi oportere didicerat, naturæ ordinem & quæ ad manum erant media, haudquaquam contemnenda esse putauit, ne promissionis diuinæ fiducia in confidentiam erumpens dei tentatores faceret. Quo exemplo admonemur, dei prouidentiam & fidem quæ huic nititur, non obstare, quò minus licitis & ordinarijs medijs pij legitimè utantur. Vult enim abs se institutum ordinem seruari deus, quod multis exemplis doceri potest. In frugum prouentu certè absque dei incremento nihil succedere, scriptura docet. At eadem hunc ordinem nobis à deo traditum esse testatur, ut nostris laboribus terra exculta, cœlestem benedictionem suscipiat, & frugibus proferendis idonea fiat. Ita in Oeconomia studium omne superuacaneum esse scimus, nisi dominus domum ædificauerit. Laudantur tamen in scriptura industrij patresfamiliâs, & in cantandis frugi matronæ laudibus nimius ferè uideri poterat spiritus sanctus. Prouerbiorum tricesimo primo cap. Rectè ergo Paulus, nautas minimè dimittendos esse censet, quàmuis de dei promissione nihil dubitaret: Christi nimirum exemplum secutus, qui cum se angelorum ministerio & tutelæ commendatum esse, certò sciret, nunquam tamen adduci potuit, ut è templi pinna sese præcipitando deum tentaret. Videndum tamen, ne dum medijs legitimè uti uolumus, ijsdem nimium tribuendo à fidei meta exorbitemus, quæ nos in unum deum intentos esse docet.

Paulus nautas retinere iubet.

Legitimus mediorum usus.

Sed post hos Centurionem quoq; & milites uideamus, qui Pauli uerbis obtemperantes, illicò funes scaphæ absciderunt, & illam in mare excidere passi sunt. Est hoc ingens fidei argumentum. Ita enim scapha seipsos spoliant, cuius in imminenti naufragij periculo maximus usus esse poterat. Sed malo suo edocti, nullum tutius salutis præsidium fore intelligũt, quàm quod illis in deo Paulus monstrabat. Huic ergo obtemperandum esse censent, utut res omnis cadat. Imitemur nos horum exemplum, ut si non initiò statim, saltem periculis edomiti, dei uerbo credamus, & huic nos morigeros præbeamus.

Centurionis et militum fides.

Cæterum rursus Paulum Lucas in medium adducit, qui denuo illos consolatus, quid porrò faciant, consulit. Nam ut cibum sumant, hortatur, & eius mandati rationes grauiss. allegat. Prima, à tempore sumitur. Dies hic (inquit) decimus quartus est, quòd ieiuni permanetis, nec quicquam sumpsistis. Ita uerò periculi magnitudo exprimitur, qua impediti de cibo sumendo uix co-

Paulus ad cibũ sumendum hortatur.

gitarunt, certè toto illo tempore nulla ordinaria peregerunt conuiuia. Altera à necessario est. Hoc enim ad salutem uestram pertinet. Alioqui ex naufragio elapsi, inedia peribitis. Tertiò die promissionem magna cum fiducia repetit: Non cadet alicuius capillus de capite. Et sic illis occurrit, qui cibi usum iam iam perituris & morituris inutilem fore dicere poterant. Tandem suo exemplo illos excitat. His enim dictis, panem sumit, & in omnium conspectu gratias agens deo frangit & edere cœpit, non aliquod edens animi timidi aut parum præsentis argumentum. Ita uerò omnium animos recreat, ut & ipsi noua salutis spe concepta cibum sumant, ut imminentibus laboribus possent sufficere. Et in his quidem ueræ fidei ingenium cernitur. Quo propius enim instat naufragij periculum, quoq; minus spei apparet, eò confidentior est Pauli animus, ut solus alijs quoq; animum & uires addat. Vbi simul patet, non sibijpsis modò, uerumetiam omnibus alijs utiles esse eos, qui uera fide præditi sunt: quando unum Paulum omnia gubernare, omnibus consolatorem simul & consultorem adesse uidemus. Tales ergo in precio habere discamus, quando illos contempsisse multis exitio fuit, ut omnium gentium historiæ testantur. Insuper uerò obseruatione dignissimum est, quòd in tanto periculo cibum festinanter sumpturus Paulus, gratiarumactionis non obliuiscitur, sed illam in omnium conspectu adhibet. Decet hæc pios, imò ab omnibus iure exigitur, quando nos quotidiano pane diuinitus ali inter orandum confitemur, nec salutaris esse potest cibus, nisi dei benedictio accesserit. Quæ causa est, quòd Christus quoq; morem hunc suo exemplo nobis frequenter commendat. Pudeat ergo suæ cum ingratitudinis tum impietatis porcos istos, qui nulla uel cum reuerentia uel gratiarumactione mensas adeunt, nec non scurriliter illis nimiam superstitionem exprobrāt, quos Christi & apostolorum exempla imitari uident. Dabunt isti aliquando suæ proteruiæ graues pœnas. Nos uerò diuinæ bonitatis memores, tam secundis quàm aduersis rebus officium præstemus, nec nobis sua ope deus deerit, qui nos filiorum loco adoptatos regni sui cœlestis hæredes fecit per filium suum Iesum Christum, redemptorem nostrum: cui debetur benedictio, bonor, gloria et potestas in æternum. Amen.

Fidei ingeniū.

Mensæ disciplina.

HOMILIA CLXX.

Eramus uerò uniuersæ animæ in naui ducētæ septuaginta sex. Et satiati cibo, alleuabant nauem, eijcientes triticum in mare. Cum autem dies esset, terram non agnoscebant: sinum uerò quendam animaduerterunt habentem littus, in quod cogitabant appellere nauem. Et cum anchoras sustulissent, cōmittebant se mari, simul laxatis iuncturis gubernaculorum, & sublato artemone ad auræ flatum, tendebant ad littus. Cum uerò incidissent in locum bimarem, impegerunt nauem. Ac prora quidem infixa manebat immobilis, puppis uerò soluebatur à ui undarum. Porrò militum consilium erat, ut uinctos occiderent, ne quis postquam enatasset, aufugeret. At Centurio uolens seruare Paulum, prohibuit eos à consilio, iussitq; ut qui possent natare, abijcerent se primos, & in terram euaderent: cæteriq; partim in tabulis, partim in quibusdam fragmētis nauis. Et sic factum est, ut omnes incolumes euaderent in terram.

Fidelis quidem & uerax est deus in promissionibus suis, idem tamen suorum fidem multiuariam exercere solet, non quòd ex nostris miserijs & querelis uoluptatem capiat, sed quòd illud fidei nostræ confirmandæ uehementer seruit, quando ueritatem dei per omnia aduersa uictricem eniti, nec ullis rebus impediri posse uidemus. Et huc quidem præsens quoq; historia referri debet, in qua Paulum cum suis ex naufragio saluauit quidem deus, sicuti se facturum esse promiserat, interim uerò ipsorum fidem nouis subinde insultibus exercuit. Id uerò euidentissimè patebit, si singula huius loci ordine consyderemus.

Numerus naufragorum.

Et primò quidem numerus omnium, qui in eadem naue cum Paulo fuerunt, indicatur, qui fuit animarum ducentarum & septuaginta sex. Voluit uerò numerum istū disertè exprimi spiritus

sanctus,

fuit, partim quidem, vt ex illo certius nobis de dei veritate constaret: partim verò vt euidentius illius liberationis illius miraculum. Quia enim certus erat hominum numerus, nemo illorum clàm fugis alijs desyderari poterat. Et cùm in naufragij periculo pauci quoq; sese inuicem impedire soleant, dum quisq; etiam cum alterius periculo, propriæ saluti consulit, haud obscurè suam manum deus exeruit, quando tam multos simul saluos & incolumes in littus eduxit. Hinc verò colligere licet, deo perinde esse vel multos vel paucos saluare. Vt enim omnia in numerato habet, & ad capillos usque & passerculos illius prouidentia extenditur: ita immensa & infinita est illius potentia, nec multitudine illorum, qui ope ipsius indigent, uel periculorum magnitudine superari potest. Ita deus omnes Israelitas simul per rubrum mare incolumes traduxit, quod illi facere tam procliue fuit, quàm unius Mosis, in Nilum expositi, liberatio. Eadem ratione Israelem totum quadraginta annis in deserto miraculose aluit, non maiori negotio aut molestia, quàm postea Eliam coruorum ministerio pascere potuit. Quò Asa rex respexisse videtur, quando cum innumerabili Aethiopum multitudine congressurus, ita suam ad deum orationem instituit: Domine, nihil refert apud te, vt auxilium feras vel multis, vel his quibus non est robur, &c. secundo Paralipomenon decimo quarto. Multum verò refert talem deum agnoscere. Ita enim nec nostra ipsorum impotentia & miseria, nec periculorum multitudine terreri, aut ad desperationem adduci poterimus.

Porrò ubi Paulo hortante cibum sumpserunt quotquot in naue erant, nauem per omnia alleuarunt, sic vt triticum quoq; in mare abijcerent. Mercium enim & armamentorũ nauis iactũ antea factum fuisse, audiuimus. Et eò quidem delicatulos illos necessitas adigit, qui contra dei voluntatem portum cõmodiorem quærere, nec præsentibus bonis contenti esse voluerunt. Interim haud vulgare fidei argumentum est, quòd triticum quoque effuderunt. Nisi enim certò credidissent, deum ipsos seruaturum, nunquam hoc sibi persuaderi passi fuissent, vt quod vnicum restabat vitæ præsidium, abijcerent. At nobis imitandum proponitur exemplum hoc, vt nimirum ipsi quoq;, quando deus iubet, ea etiam sponte relinquamus, sine quibus uita nostra seruari non posse videtur. Hoc ipsum Abrahamum, apostolos item & multos alios olim fecisse videmus, quorum fidem in scripturis spiritus sanctus commendat. — *Triticum in mare eijciunt.*

Sequitur ipsius naufragij descriptio, breuis quidem, sed quæ multa simul concurrisse docet, quæ & Pauli & aliorum fidem labefactare potuissent, si carnis potius rationem, quàm dei promissa audire voluissent. Primò enim, licet terram eminus comparere videant, littus tamen ignorant. Nesciunt ergo an ad amicos vel inimicos peruenturi sint, cùm non rarò fieri soleat, vt qui ex naufragijs elabuntur, in inhospitas terras incidant, ubi à barbaris hominibus plus mali quàm ex mari, elemento alioqui truculentissimo, patiuntur. Quare eminus sese ostendens salutis spes, haud paruum simul terrorem admixtum habuit. Deinde, cum omni conatu ad littus contendunt, in locum bimarem nauim impingunt, ubi prora in sabulo hærente, puppis vi undarum & fluctuum dissoluitur. Et hîc quidem diuini oraculi veritas sese exerit, quo nauim perituram esse prædictum fuerat, quæ iam salua & integra in littus peruentura videbatur. Atqui illorum typus nauis hæc dici potest, qui contra dei verbum in sceleribus suis felices esse, nec unquam scelerum pœnas daturi videntur. Nam illis quoq; ferè, dum omne periculum euasisse videntur, repentinus imminet interitus, quemadmodum multa eius generis hominum exempla testantur. Vide de his, quæ Psalmo 37. & 73. scribuntur. — *Naufragij descriptio.*

Tertiò milites de captiuis occidendis consilium ineunt, ne quis ubi natando littus contigisset, fugam caperet. Nec dubium est, illos legum seueritate ad sanguinarium istud consilium capessendum impulsos fuisse, cuius exemplum supra in Herodianis militibus habuimus, quorum manus Petrus, angelo duce, effugerat. Actorum duodecimo. Interim iniquitas hæc summa est, quòd ne Paulum quidem excipiunt, vt vel huius vitæ consultum cupiant, cuius consilio & precibus se vitam debere intelligebant. Sed hoc mundi simul & omnium, qui mundo seruiunt, ingenium est, quòd beneficiorum facilè obliuiscuntur, & ea ferè atrocissimis iniurijs compensare solent. Stulti ergo reuera sunt, qui mundo studia sua approbare volunt, & non potius in deum respiciunt, quem remuneratorẽ unicum & fidelissimum esse constat. Porrò quoad militum consilium, ipso naufragio grauius fuit periculum, quod iam Pauli simul & aliorum capitibus imminebat, ut iam planè deplorata videri posset omnium captiuorum sors, & vana censeri dei promissio, qui salutem omnibus pollicitus erat. Sed — *Militum de occidendis captiuis consilium.*

huic quoque malo in tempore dominus medetur. Centurio enim Paulo consultum volens, militum consilio obstat, quò minus illud exequantur. Simul verò iubet, ut quotquot natare poßint, primi sese mari committant, & illos reliqui tabulis & nauis fragmentis adiuti sequantur: prudenter nimirum cauens, ne temere tumultuantes se inuicem impedirent. Et ita quidem factum fuit, vt simul omnes viui & incolumes in littus euaderent, sicuti fore deus promiserat. HIC verò spectabilis omnino est diuinarum promißionum veritas, quam nullis aduersis impediri posse videmus. Hactenus certè omnia simul in Pauli necem coniurauisse, videri potuerunt. Sæuit enim indomita fluctuum vi mare. Ventus aerem quoque in illorum interitum armauit. Terra nauim impulsam & infixam detinuit. Cælestes ignes & sydera suum fulgorem miseris negauerunt. Nautæ perfidi fugam, milites verò truculentißimi sanguinarias cædes iam animo conceperunt. At omnibus istis superior fuit dei veritas, qui saluos esse voluit. Debent ergo hæc nobis quoque consolationem afferre inter mundi huius pericula. Hunc enim turbulentißimi maris instar esse, experientia docet. At dei promißiones habemus, qui suis se semper affuturum esse, per filium suum pollicitus est. Si ergo deus nobiscum est, quis contra nos? Huius certè protectione tuti, per omnes ærumnas & vndique orientia pericula in æternæ beatitudinis portum feliciter euademus, vbi nobis nunquam intermoritura regni cælestis hæreditas destinata & præparata est per Iesum Christum: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Veritas promißionum dei inuicta.

CAPVT XXVIII.

HOMILIA CLXXI.

ET cùm euasissent, tunc cognouerunt quòd Melite insula uocaretur. Barbari uerò præstabant non uulgarem humanitatem nobis. Accensa enim pyra recipiebant nos omnes propter imbrem, qui imminebat, & propter frigus. Cùm congregasset autem Paulus sarmentorum multitudinem, & imposuisset in ignem, uipera è calore prorepens, inuasit manum eius. Vt uerò uiderunt Barbari pendentem bestiam de manu eius, inter sese dicebant: Omnino homicida est homo hic, quem seruatum è mari, ultio non sinit uiuere. Et ille quidem excussa uipera in ignem, mali nihil passus est. At illi existimabant futurum, ut incenderetur ac concideret repentè mortuus. Diu autē illis expectantibus & intuentibus nihil mali illi accidere, mutata mente dicebāt illum esse Deū.

DIctum est hucusq;, vt inter maris & tempestatis pericula Pauli & suorum curam deus habuerit, quemadmodum illi pollicitus erat. Sequitur, vt è naufragio liberatos deinceps quoq; seruarit, & Paulo apud Melitenses primùm, deinde verò apud Romanos euangelij prædicandi occasionem præbuerit. Quibus docemur, dei opera perfecta esse, & licet nouis quotidie periculis tentemur, non tamen ideò spem omnem abijci, sed noua quotidie à deo beneficia expectari debere, qui aduersa secundis temperare, & labefactatos animos efficaci consolatione erigere consueuit. Præstat autem singula suo, quo descripta sunt, ordine considerare.

Melitensium hospitalitas.

Principiò in quam insulam eiecti, & quomodo ab insulanis excepti fuerint, narratur. Melite fuit insula, quæ hodie Maltha est, Iohannitarum militum sedes, inter Siciliam & Africam iacens. Singularem verò Melitensium humanitatem commendat Lucas, qua illos exceperunt, & omni officiorum genere prosecuti sunt, prout loci & temporis ratio postulabat. Ita verò haud vulgare charitatis & hospitalitatis exemplum, quod imitemur, proponitur. Ignotos enim Melitensibus fuisse naufragos illos, nemini dubium esse potest, nec ab illis, quos omnibus fortunis spoliatos esse videbant, aliqua merces aut remuneratio sperari poterat. Quia tamen miseros esse uident &

sua

sue opis indigos, hac illis officia præstant. Atqui hoc illud est, quod in Samaritani parabola Christus docet, Lucæ decimo. Ita verò omnes nos facere conuenit, vt nullo vel personarum vel futuræ retributionis respectu habito, charitatem in eos exerceamus, quos nobis subleuandos & iuuandos deus offert. Et imprimis erga peregrinos hospitalitatis nos meminisse decet, cùm quòd illi pluribus indigeant, tum quòd hanc multis felicißimè cessisse, apostolus testatur, qui angelos interdum sub hominum specie exceptos fuisse scribit. Hebr. decimo tertio. Maius tamẽ est & salutarius, quòd ipsum Christum excipi & foueri scimus ab ijs, qui peregrinos in domus suas colligere non dedignantur. Et sed temporarijs quoque præmijs illa officia deus remunerari cõsueuit. Propter Lotum enim Sodomarum ciues, cum bello victi & capti præda ab hostibus traherentur, per Abrahamũ liberati sunt. Et paulò post Melitenses hac ipsa occasione euangelij doctrina illuminatos fuisse audiemus, quòd naufragos tanta humanitate exceperunt. De maioribus nostris modò nihil dicam, qui hospitalitatis studio Heluetiæ apud omnes nationes summam laudem pepererunt. Quorum vestigia si sectemur, nobis quoq; laudem & fructum haud vulgarem parabimus. Simul verò hinc consolationem petant, qui exilium propter religionem sustinent. Nam qui Melitensium animos Paulo & reliquis naufragis conciliare & deuincire potuit, idem nobis quoq; ubiq; locorum amicos facere poterit, cum omnium hominũ animos manu sua teneat, & totus terrarum orbis ipsius imperio pareat. Paßim ergo impleri oportet Christi promißionem, qui decuplam retributionem ijs pollicitus est, qui propter ipsum & euangelium ipsius vel domus vel fratres & sorores, vel agros, vel amicos reliquerint, &c. Marci decimo.

At non diu apud Melitenses Paulũ latere voluit deus, sed mox illum insigni miraculo nobilitauit, quo ipsius apostolatum sanciuit, & eidem præclaram prædicandi occasionem obtulit. Huius verò singulas partes excutere proderit. Inter quas primo loco Paulus occurrit, quem sarmenta collegisse, scribitur. Atqui hic Paulum seruilia opera facientem consydera, qui & vinculis & recenti tempestatis atq; naufragij periculo defatigatus, non contemnendam ociandi aut feriandi causam habere uidebatur. At nouerat, in publicis neceßitatibus neminem suo ocio consulere, sed omnes simul, quod possint, in commune conferre debere. Arguuntur ergo illius exemplo ignaui illi sponsi Penelopes, qui cum nemini vel priuatim vel publicè vtiles sint, ex aliorũ tamen laboribus uiuere, imò uoluptuari, instituunt. Qui licet Pauli nomine & succeßione glorientur, adeò tamen nihil Paulini pectoris sui vel doctrina vel vita referunt, vt mirum sit, illos vel Pauli nomen ferre posse, à cuius imitatione tam alieni sunt. Cæterum Paulo sarmenta colligente, vipera, quæ in illis gelu torpida delituisse videtur, calore animata exilijt, & illius manum mordicus inuasit. Erat hoc nouum & insperatum planè vitæ periculum, quo & Paulus non mediocriter terreri potuit, & quod Melitensibus de illo peßimè suspicandi occasionem præbuit. Mox enim homicidã esse suspicantur, quem ultio dei persequatur, & illum è naufragio elapsum nouo atq; haud vulgari exemplo punire instituerit. Fingebant enim gentes, Δίκην, quam nos Vltionem dicimus, Ioui aßidere, & scelerum pœnas ab hominibus exigere: nimirum, quòd lege naturæ edocti, peccata à deo puniri scirent. Quia verò inter peccata ab ipsa mundi origine atrocißimum semper iudicatum fuit homicidium, Paulum, in quem singulare & insolitum exemplum edi putabant, homicidij potius, quàm alicuius uulgaris peccati, insimulant. Pudeat verò hic suæ truculentiæ Christianos homines, qui militiam mercenariam colunt, & fundendi sanguinis innoxij studium laudi ducunt, cùm præter naturæ legem dei oracula habeamus, qui maledictioni subiectos esse docet, quotquot precio conducti sanguinem fundunt, & terras homicidijs pollutas non aliter quàm homicidarum quoque sanguine effuso expiari posse affirmat. Deut. 27. Num. 35. Interim obseruemus hoc loco admirabilem dei in rebus gubernandis prouidentiam, qua fit vt suam simul & suorum gloriã per ea maximè illustret, quæ huic cumprimis officere videntur. Ex eo enim Christum prædicandi occasionem Paulus habuit, quod illi atrocißimam infamiæ notam iam inußisse videbatur. Ita Mosen prius exponi & ex Regis aula in exilium eijci oportuit, quàm populi uindex constitueretur. Cuius generis multa alia exempla extant: quorum vsus est, partim ne quem temere propter afflictiones, quas sustinet, damnemus: partim, ne ijs, quæ nobis aduersa incidunt, facilè offendamur, quando diligentibus deum omnia in bonum cooperantur. Et hoc quidem Paulo quoque euenisse, sequentia docent. Nihil enim casu repentino perterritus, vi-

Paulus miraculo apud Melitenses innotescit.

Paulus à uipera mordetur.

Paulus uiperā excutit absq; periculo.

peram in ignem excutit, nec aliquid mali patitur: imò sic veram experitur Christi promissionem, quæ futurum dicit, vt qui credunt serpentes tollant, & à poculis toxico infectis salui & incolumes discedant. Marc. 16. Generalis quoq; hinc doctrina colligitur, veteri nimirum serpenti in Christi cultores nihil iuris esse. Licet enim & manus & pedes inuadat, nostrisq; cum consilijs tum operibus peccati virus inspiret, lethaliter tamen mordere non potest, eò quòd Christi liuore sanati sumus, qui sua mortis merito & resurrectionis maiestate caput illius contriuit. Sed ad Melitenses reuertamur, qui cùm Paulum præter opinionem suam nihil mali pati vident, cum uiperæ morsu præsentissimum venenum inspirari scirent, mox mutata mente, illum ex deorum numero esse censent: nimirum gentilitio errore seducti, quo nouorum beneficiorum authores & insolitis miraculis rerumq; euentibus celebres pro dijs haberi solebant. Ita enim illos in proximis causis consyderandis satan detinuit, ne altius ascendendo in veri dei cognitionem peruenirent. Eodem igitur figmento Melitensium animos præoccupare voluit, & Paulum diuinis quoq; honoribus illustrem facere, modò Christi fidem, qua regnum suum imprimis oppugnari nouerat, impediret. Quosuis enim mortalium pro Dijs coli & adorari potius admittit satan, quàm verum Deum, cui soli honor iste debetur. Causa est, quòd qui circa alios occupantur, manifestum salutis periculum subeunt. At qui unum Deum colunt, excusso iugo diaboli, salutem veram inueniunt. Nemini ergo mirum videatur in Papatu falsis signis & diabolicis præstigijs cultum Diuorum stabiliri, quos olim Dei organa selecta fuisse scimus. Nec enim illos adorari & inuocari molestum est satanæ, modò doctrinam ipsorum vilipendi videat, quæ solius Dei cultores & vitæ hæredes facit. Et sanè profunda nimis est satanæ astutia, qui licet Pauli seculo cedere coactus sit, postea tamen Melitensium superstitiosam de Paulo sententiam longè lateq; diffudit, per eos, qui Pauli nomine & familia gloriantes in tollendis & permulcendis serpentibus præstigiosa multa faciunt. Sed facilè hoc uno argumento illorum impietas arguitur, quòd serpentibus tantopere delectantur, quos primum ad seducendos homines diaboli instrumentum fuisse constat. Obseruemus autem hoc loco uulgi inconstantiam, cuius simile exemplum, sed diuersi ordinis, supra in Lystrensibus vidimus. Illi enim, quem primò deum esse dicunt, mox pro facinoroso habent & lapidibus obruunt. At isti, quem modò latronem dixère, nunc inter deos numerant. Extant huius generis multa, & quotidie fiunt, quæ varium & mutabile semper vulgi ingenium esse docent. Stulti ergo & miseri sunt, qui huic fidendum esse arbitrantur, & non potius in vno deo sperant, qui vindicem nobis constituit omnis mali acerrimum, filium suum, Iesum Christum: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Melitenses Paulum pro deo habent.

Pauli familia.

HOMILIA CLXXII.

In illis autem locis erant prædia primati insulæ, nomine Publio, qui nos exceptos triduo benignè tractauit hospitio. Contigit autem patrem Publij febribus ac dysenteria uexatum decumbere. Ad quem Paulus intrauit, & cùm orasset imposuissetq; ei manus, sanauit eum. Hoc igitur facto, cæteri quoque qui habebant infirmitates in insula, accedebant ac sanabantur. Qui etiam multis honoribus nos honorauerunt, & soluentibus imposuerunt quæ necessaria erant. Post menses autē tres nauigauimus in naui Alexandrina, quæ in insula hyemauerat, cui erat insigne Castor & Pollux. Et cùm uenissemus Syracusas, mansimus triduo. Inde circumlegentes deuenimus Rhegium. Et post unum diem, afflante Austro, postridie uenimus Puteolos: ubi repertis fratribus rogati sumus manere apud eos dies septem: & sic uenimus Romam.

Celebris planè & consolationis plena est sententia Iesu Christi, dicentis: Nullus est, qui reliquit domum, aut fratres, aut sorores, aut parentes, aut vxorem, aut liber[illegible], aut agros, mea causa & euangelij, quin recipiat centupla nunc in tempore hoc cum persecution[illegible] & in seculo futuro vitam æternam. Marci decimo. Et huius quidem rei exemplum euiden[illegible] præsenti historia

historia Lucas proponit. Paulus enim, qui propter Christum & euangelium omnibus, quæ in mundo præclara & utilia habentur, renunciauerat, nunc uerò naufragus quoq; in Melitam enatauerat, mox innumeros fratres, sorores, parentes & amicos fidelissimos inuenit, qui & domus & agros, hinc denique omnia cum illo communia habent. Imò qui propter uincula omnium in eo naufragio miserrimus uideri poterat, tantæ apud Melitenses authoritatis est, ut propter ipsum alijs quoq; omnibus, cum nautis tum militibus & captiuis in Pauli comitatu benefaciant. Id uerò in ijs, quæ modò sequuntur, plenius patebit.

Publij hospitalitas.

Nouum enim hospitalitatis exemplum in Publio, qui Insulæ primas siue Prætor fuit, proponitur. Is enim in prædijs suis, quæ in proximo erant, exceptos toto triduo benignissimè tractauit. Et eò memorabilior est eius humanitas, quòd & princeps & diues existens, ignotos tamen & multis modis afflictos non aspernatur, ut ferè diuitum uulgus, qui aliorum infortunia nihil ad se pertinere putant. Tum quòd sine delectu omnes simul excipit, id quod absq; molestia & sumptu maximo fieri non poterat. Nam ducentos septuaginta sex in ea naui fuisse, & omnes in littus incolumes euasisse, audiuimus. Discant hinc officiũ suum diuites & magnates: ne scilicet sibi solis à deo data existimẽt tanta dona, sed se dispensatores constitutos esse meminerint. Quare in egenos benefici sint, ut ipsorum copia illorum inopiæ subueniat. Et sanè ingens illorum peccatum est, qui sui officij immemores, nemini condolent, & surdis auribus pauperum clamores negligunt. Qui tandem, iuxta Solomonis dictum, dei quoq; aures ad suas preces occludi experiũtur. Imò in nouissimo die Christum accusatorem suum habebunt. Vide Matth. 25.

Hospitalitatis præmia.

Porrò hospitalitatis suæ haud pœnitenda præmia Melitenses recipiunt, idq; per Pauli ministerium, ut doceremur, neminem tam uilem esse, qui non magni alicuius boni nobis author esse possit, si beneficos nos illi præbeamus. Potest enim per quemuis mortalium nobis gratiam referre deus: nec illorum merces intercidere solet, quicunq; alicui hominum propter deum aut Christum benefacimus. In præsenti autem duo narrantur præmia, quæ ex ipso Paulo isti retulerunt. Primum Publij pater recepit, qui cum febribus & dysenteria, morbo prorsus incurabili, laboraret, Pauli ministerio sanatus est. Id uerò ingens bonum fuisse, si uel corpus solum spectetur, nemo negauerit: ut interim de eo nihil dicamus, quòd hac occasione ad fidem adduci potuit. Vbi obseruare decet, quòd in eacuratione modum & ordinem, à Christo præscriptum, Paulus obseruat. Nam & preces adhibet, & ægrotanti manus imponit. Quo docemur, non Pauli, sed dei uirtute miraculum hoc editum fuisse, qui sic filium suum, Iesum Christum (sicuti supra Petrus & Iohannes dixerunt) illustrare uoluit. Longè enim aliter miracula ediderunt apostoli, quàm Christus, qui absoluta & libera potestate utens, solo uerbo pronunciato, morbos & dæmones pepulit. Apostoli uerò & sancti Christi cultores inuocato Christi nomine hoc ipsum præstiterunt. Vbi illorum error confutatur, qui propter edita miracula illos inuocandos esse putant, & non potius ad miraculorum authorem, deum, respiciunt, cuius honorem & gloriam illi præcipuè quæsiuerunt. Vide plura capite tertio & decimo quarto. Alterum præmium ad plures pertinuit. Nam curati Publij patris fama alios quoq; excitauit, qui & ipsi à diuersis morbis liberati sunt. Omnium uerò hic finis & usus fuit, ut Paulum Christi ministrum esse intelligerent, qui ab omni cum corporis tum animæ infirmitate liberat, & proinde in illius merito salutem omnem quærerent. At quia de his sæpè aliâs diximus, paucis hæc perstrinxisse, modò sufficiat.

Melitensium gratitudo.

Cæterum Melitenses uideamus, quos pro tantis beneficijs summam gratitudinem retulisse, Lucas scribit. Nam & honoribus maximis illos omnes prosecuti sunt, & discessuris, quæcunque ad profectionem necessaria erant, imposuerunt. Sunt isti non obscuri fidei fructus, quibus simul admonemur, quid ijs debeamus, per quos Christus & euangelij lux nobis innotescit. Quia enim illi nobis parentum loco sunt, cum illorum ministerio regeneremur, honorem merentur: non quidem diuinum, sed qualem parentibus debemus, & hominem ab homine recipere fas est. Et sanè Paulus presbyteros, qui benè præsunt, duplici honore dignos esse scribit. Prima Timoth. quinto. Vide ergo quàm egregiè, si dijs placet, euangelici sint, qui hoc nomine potissimum sibi placent, quòd ministrorum famam dicterijs & scommatis lacessere nouerunt. Vt uerò parentibus non honorẽ modò, uerumetiam necessaria ad uictum liberi debent: ita ministris illa ab auditoribus conferri æquum est. Iussit hoc

olim in ueteri Testamento deus, ut uidere est Numeri decimo octauo & Deutero. uigesimo quinto. Et Christus apostolos pecunias & commeatum secum gestare prohibet, eò quòd aliorum operariorum instar ex uerbi ministerio uicturi sint. Matthæi decimo. Lucæ nono & decimo. Quod nisi fas & æquum fuisset, peccassent utiq, qui illa receperunt, apostoli. Sed plura de his uide in priori ad Corinthios nono capite. Magna ergo illorum hominum ingratitudo est hodie (ne quid grauius dicam) qui cum ipsi nihil conferant ministris, simul ea quoq, inuident & malignè interuertunt, quæ ab alijs iam olim collata sunt, &c.

Paulus naui idololatrica uehitur.

Sed euoluto trium mensium spatio ad nauigationem redeunt, cuius cursum ex Geographicis tabulis petant, qui de singulis accuratius edoceri uolunt. Nobis in his duo obseruanda ueniunt. Alterum est, quòd nauem Alexandrinam Paulus cum suis conscendit, quæ sub Castoris & Pollucis tutela esse, gentilitio errore credebatur. Quo exemplo multi idololatriam & superstitionem quamuis inter indifferentia numerant, quasi Christianus illis absque dei offensa, quoad externam conuersationem, communicare possit. Sed simul cogitandum erat, Paulum hoc non sua sponte, sed coactum fecisse, nec etiam consensisse impiæ superstitioni, uel aliquid dissimulauisse in hominum gratiam. Minimè ergo ignauis illi Pauli exemplum patrocinabitur, qui prout tempora postulare uidentur, quiduis in religione uel simulare uel dissimulare consueuerunt. Alterum est, quòd longum maris ambitum emensi, tandem ex Siracusis, Siciliæ oppido, in Italiam traijciunt, & Puteolis fratres siue Christianos inueniunt, apud quos, ita ipsis rogantibus, dies septem commorantur. Vbi & fratrum illorum charitas conspicitur, qui peregrinos tanto tempore non sine maximis impensis fouere dignati sunt: & Centurionis militumq, humanitas, qui in hominis captiui gratiam tot diebus substiterunt. Ita uerò & dei manus elucet, qui suos acceptos atque gratiosos facere solet, & sanctorum maiestas, quæ in Cruce & afflictionibus maximè triumphat. Iam enim Paulus, uinctus licet, Imperatoris & Regis instar milites ad suum nutum obedientes habet. Similia prius quoque non semel uidimus. Et Baptistam Herodi metum attulisse, euangelistæ docent. Quid ergo afflictionibus & Cruce offendimur? Quin uocationem nostram constanter tuemur, quando inter medios hostes dei manus nos tueri potest, & in cœlis retributionem expectamus, quam suo merito nobis acquisiuit Iesus Christus, dominus noster: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Puteolana ecclesia.

HOMILIA CLXXIII.

Et inde cum audissent fratres de nobis, prodierunt in occursum nobis usque ad Appij forum ac tres Tabernas. Quos cum uidisset Paulus, gratijs actis deo sumpsit fiduciam. Cum autem uenissemus Romã, Centurio tradidit uinctos Principi exercitus. Permissum autẽ est Paulo, ut maneret solus cum custodiente se milite. Post tertium autẽ diem, conuocauit Paulus primarios ex Iudæis, cumq; uenissent dixit eis: Ego, uiri fratres, cum nihil fecerim aduersus plebem aut instituta maiorum, uinctus Hierosolymis traditus sum in manus Romanorum. Qui cum examinassent, uoluerunt me dimittere, eo quòd nulla esset causa mortis in me. Sed contradicentibus Iudæis, coactus sum appellare Cæsarem: non quasi habeam, de quo gentem meam accusem. Propter hanc igitur causam aduocaui uos, ut uiderem & alloquerer. Propter spem enim Israelis catena hac circundatus sum. At illi dixerunt ad eum: Nos neque literas accepimus de te à Iudæa, neq; adueniens aliquis fratrum nunciauit aut locutus est aliquid de te mali. Volumus autem ex te audire quæ sentias. Nam de secta ista notum est nobis, quòd ubique ei contradicitur.

MEmorabiles quidem & multis nominibus præclaræ sunt res Pauli omnes, quas in suo apostolatu gessit: inter illas tamen facilè primatum obtinet, quòd ex Iudæa Romam usq, tanto

cum

cum apparatu deductus fuit, ut illic corā Cæsare Christi & fidei Christianæ causam ageret. Quàm enim istud nouum & insolens totius mundi iudicio fuerit, facilè patebit, si quis Pauli personam, uilem & ignobilem, adhæc omnibus penè inuisam & exosam, cum Cæsaris & totius Imperij Romani maiestate, quam omnes populi & nationes pertimescebant, conferat. Nec enim ullis hominum rationibus effici potuisset, ut aut Præsides Romani eiusmodi hominis causa tantum laboris suscipere, aut Cæsar Nero, totus libidine & tyrannide ardens, talem in conspectum admittere & audire uoluisset, nisi suam manum potenter exeruisset deus, cuius totum istud negotium agebatur. Quæ causa est, quòd profectionem hanc omnem tanta diligentia Lucas describat, quàm multis modis illustrem esse uoluit dominus, ut famæ nuncio præcurrente Romanorum animi ad excipiēdum & audiendum Paulum excitarentur. Nec inanem aut irritum fuisse diuini consilij euentum, præsens hic locus abundè docet, in quo simul multa alia concurrunt, quorum consyderatio haud uulgariter nos erudire & consolari potest.

Nam fratres è Roma usq; ad Forappium & tres Tabernas Paulo occurisse, Lucas scribit, quibus uisis ille deo gratias egit, & maiorem concepit animi fiduciam. Quo loco ante omnia deus obseruandus uenit, cuius dispensatione omnia hæc contigisse certum est. Is enim fratrum occursu seruum suum confirmari uoluit, ut maiori cum fiducia deinceps Christi causam ageret. Quò etiā referri debet, quod nuper de Puteolanis fratribus audiuimus. Licet enim fortißimus esset Paulus, nec uincula modò, uerumetiam mortem pro Christi nomine subire paratus esset, homo tamen erat, nec suis quoq; carebat tentationibus. Et sanè timere poterat, frustra se in ea urbe pro Christi causa laboraturum esse, in qua impietas & tyrannis dominabantur. Vt ergo hac illum cura deus liberet, fratres in illius occursum excitat, ut uideret non defuturos, quos & suæ constantiæ exemplo confirmaret, & qui ipsum certantem precibus suis iuuarent. Hoc igitur exemplo animati uocationem nostram constanter tueamur. Nam nec fructu carebit pium uerbi dei studium, nec deus ipse deerit, cui facillimū est ubiuis locorum nobis laborum & periculorum socios adiūgere. Deinde ipsi quoq; fratres Romani nobis consyderandi ueniunt. Ad hos enim Paulum, priusquam hæc fierent, scripsisse scimus, in qua epistola & sui animi uoluntatem erga ipsos abundè declarat, & se ad ipsos uenturum esse pollicetur. Pro illo igitur officio gratos se illi præbent, licet multa ipsos absterrere possent. Primò enim non magnifico apparatu splendidus aduenit, sed facinorosi instar cū alijs captiuis uinctus adducitur. Quem uerò non eiusmodi hominis pudeat? Vel quis non ex illius cōmercio periculum metuat? Deinde per se periculosum erat inter Romanos Christi fidem & religionem profiteri, quæ Tiberio adhuc regnante (ut Tertullianus scribit) publico Senatusconsulto damnata erat. Adhæc non de illis modò, qui occurrebant, sed tota ecclesia, quæ Romæ erat, agebatur, in quam hac occasione diligentior & seuerior inquisitio institui poterat. Sed utut ista habeāt, pietatis officium tanto apostolo, prò communi causa laboranti, negare ipsis nefas esse uidetur, & proinde quoduis periculū subire, quàm suo officio deesse malūnt. Docent hæc quid Christi ministris debeamus, qui suo ministerio nobis salutis authores sunt, si quando illos propter doctrinam & fidem periclitari contingat. Non pudeat nos uinctorum, quando & Christum uinctum fuisse, & dei uerbum uinculis nullis cōstringi posse scimus. Idem uerò in se collatum olim putabit, quod in ipsos collatum fuerit. TANDEM ipsum quoq; Paulum inspicere conuenit, de quo duo dicuntur. Primùm, deo gratias egit. Quod non ita accipi debet, quasi præteritis omninò fratribus illos ne allocutus quidem sit. Nam quia non potuit non illi gratum esse illorum officium, ipsis quoq; illum gratias egisse, minimè dubium est. Præcipuè tamē dei opus agnoscit, qui illos, ut tantum auderēt, excitauerat. Id ipsum nos quoq; facere decet, ut hominibus quidem gratias agamus & referamus etiam pro uirili, sic tamen ne nos dei obliuio capiat, cui nos omne bonum acceptum ferre conuenit. Alterum est, quòd noua fiducia sumpta, magis confirmatur Paulus, cum uidet quales certaminis quod ipsum manebat, spectatores habiturus sit. Vnde patet, sanctos etiam confirmatione opus habere, quemadmodum Petri & reliquorum discipulorum exemplo Christus docet. Cum enim se pro Petro orauisse dicit, mox addit: Et tu conuersus confirma fratres tuos. Similiter doctrina etiam & admonitione, hortatione item & increpatione opus habent, qui perfectissimi uidentur. Magna igitur illorum inscitia est & intolerabilis confidentia, qui se homines esse obliti, omnem doctrinam & correctionem magno cum fastidio respuunt.

Romani fratres Paulo occurrunt.

Fratrum Rom. gratitudo.

Paulus occursu fratrum confirmatur.

Paulus in domo cōductitia asseruatur Romæ.

Porrò ubi Romam uentum est, Paulus à Centurione cum reliquis uinctis exercitus Præfecto traditur, sed longè dispari conditione. Nec enim in carcerem detruditur, sed illi liberum est, ut ab uno duntaxat milite custoditus in domo priuata, quam ipse sibi conduxerat, uersetur. Vbi Centurionis commendationi aliquid tribuere fas est, quem erga Paulum optimè affectum fuisse, hucusque uidimus. Imprimis tamen deum spectare decet, qui Præfecti animum, ut antea Lysiæ Tribuni, Felicis, Festi & aliorum, illi obstrinxit. EST autem hic obseruatu dignißima sanctorum sors. Illos enim in mundo ferè cum iniquis reputari uidemus, quod etiam Christo contigit. Interim ita illorum curam gerit Christus, ut nihil eorum ipsis desit, quæ tum ipsorum saluti, tum illustrandæ gloriæ dei seruiunt. Huc enim facit, quòd Paulo & domus priuata conceditur, & unus duntaxat miles adhibetur, qui illi non tam custos quàm fidus defensor fuit. Vnde simul nihil eorum, quæ ad uictum pertinebant, illi defuisse uidemus. Adhæc illi liberum fuit, ut & exteras ecclesias epistolis consolaretur, & ad se quosuis uocaret, adeoq; in suo hospitio ecclesiam colligeret, quemadmodum ex ijs, quæ modò sequuntur, euidentißimè patebit.

Paulus primos Iudæorum conuocat.

Post triduum enim primarios ex Iudæis ad se uocans suæ cum captiuitatis tum prouocationis rationem illis reddit, quæ occasio fuit, ut deinceps plures ad illum quotidie confluerent, quibus euangelium prædicabat. Est autem singulare mansuetudinis & charitatis exemplum, quod in Paulo proponitur. Quot enim quamq; atrocibus iniurijs à Iudæis affectus fuerit, satis notū est. Iidem etiam uinculorum, quæ gestabat, soli authores erant. Adhuc tamen pro illorum salute solicitus, illos conuocare & iisdem rerum suarum rationem reddere dignatur. Verißimum ergo est, quòd se pro illis aßiduè orare, adeoq; anathema à Christo fieri uelle scribit, modò ipsi saluarentur. Rom. 10. et 9. Imitemur tam pij pectoris affectum, & ipsi quoq; iuxta Christi regulam inimicos diligere & illorum salutem summo studio prouehere discamus. Matth. 5.

I. Suspicionibus sinistris medetur.

Cæterum quoad Pauli orationem, suis illa partibus constat, quas ordine uidebimus. Primo sinistris suspicionibus medetur, quibus se grauari nouerat, quasi & publicam gentis Iudaicæ pacem seditiosè turbaret, & auitam patrum religionem impiè conuelleret. Vtrunque uerò constantiß. negat, dum se nihil uel aduersus plebem, uel aduersus maiorum instituta fecisse dicit. Ita autem suo exemplo docet, licere Christianis hominibus, ut aduersus maledicos causam & famam suam tueantur, ne fortè propter ipsos euangelij doctrina malè audiat. SIMVL illud quoque obseruandum uenit, Christi ministros, nec in publicam pacem, nec in patrum religionem peccare, dum superstitiosam ceremoniarum operumq; fiduciam oppugnant, & ueram religionem fideliter tradunt. Nec enim legitima scelerum reprehensione, sed ipsis sceleribus pax publica turbari solet, ut paßim prophetæ docent. Deinde fidem, quæ uno Christo nititur omnium uetustißimam esse constat. Falsò igitur nouitatis accusantur, qui illam reducere & à superstitiosis hominum traditionibus repurgare student.

II. Prouocationē excusat.

Secunda parte suæ ad Cæsarem prouocationis rationem reddit, quæ ipsi graue apud Iudæos odium conflare poterat. Partim enim contra gentis libertatem Romanæ tyrannidi subscribere uidebantur qui prouocabant: partim per se ignominiosum & cum Iudicis contumelia coniunctum esse uidetur, si quis ad alium prouocet. Ne quid ergo de se tale suspicarentur, se id coactum fecisse dicit, non ut Iudaicam gentem apud Cæsarem accusaret, sed ut uitæ suæ consuleret, cui illi contra omne ius & æquum insidiabantur. Vbi rursum admonemur, ciuiles defensiones Christianis hominibus minimè negatas esse, quàmuis Christus nos malo resistere probibeat. Nam de priuata uindicta illud intelligi debet, quam licet persequi uetemur, legum tamen & legitimorum iudiciorum usus omnibus à deo conceditur, quem qui tollunt, magistratum quoq; in uniuersum tollant & abrogent necesse est.

III. Statum totius controuersiæ explicat.

Tertia pars statum totius causæ, de qua illi cum Iudæis lis erat, comprehendit. Propter spem Israelis (inquit) hac catena circumdatus sum. Ita uerò Christum appellat, in quo Iudæi regnum & libertatem sperabant, quàmuis illum non rectè agnoscerent, dum terrenum regnum & carnis licentiam ex prophetijs perperam intellectis somniabant. Quæ causa erat, quòd quem uenturum sperabant, exhibitum persequebantur. Hoc ipsum uerò frequens admodum est in salutis negotio, ut qui Christi nomine glorientur, eundem tamen improbè fastidiant, maximè quando uel quæstui

suo

sui aliquid derogari, vel carni frænum iniici sentiunt. Admonet interim Pauli locutio, non aliam hominibus salutis spem datam esse, quàm quæ in Christo Iesu habetur. In hoc enim promissiones omnes impletæ & exhibitæ sunt. Hunc unum patres expectarunt. Eundem Moses & prophetæ monstrant. Nec alium saluatorem nouerunt apostoli. In quo si & nos spem repositam habuerimus, minimè fallemur.

Sequitur Iudæorum responsio, quæ duabus partibus absoluitur. Primò enim luculentum Pauli innocentiæ testimonium ferunt, quando se nec literas à quoquam accepisse, nec etiam vllius relationem quicquam de illo audiuisse dicunt. Quid enim de Paulo scriberent Sacerdotes, qui illius innocentiam omnibus perspectam esse nouerant? Interim hîc sanctorum sors elucet, qui quàmuis innocentissimi sint, hostes tamen facilè inueniunt, quibus authoribus vel in carceres abducuntur, vel in exilium relegantur. Vtrum verò horum fiat, hostes postea securi, illorum causam negligunt, nec quisquam est, qui illorum curam ad se pertinere putet. Tandem, vbi nouas odij flammas hostes conceperint, necem quoque insontibus machinantur. Altera verò parte Iudæi Pauli de fide & religione Christiana sententiam audire cupiunt, quàmuis illi passim ab omnibus contradici scirent. Et sanè magna laude dignum est, quòd aliorum præiudicijs non ita excæcantur, vt omnem de fide relationem fastidiant. Quod hodie multi faciunt, qui serpentum instar aures obturant, & ita sibijpsis ostium regni cælorum præcludunt. Quos si non alia ratio mouet, saltem pudeat ipsos, quòd Iudæos hac in causa æquiores iudices fuisse videmus. Cumprimis verò euangelij sors nobis hoc loco considerandavenit, cui omnibus seculis passim contradictum fuit. Nec enim Christi doctrinam ferre potest princeps huius mundi diabolus, quum Christus illius regnum potentissimè euertat. Similiter lucem hanc flagitiosi quoque & scelerati aspernantur, eò quòd per hanc opera sua mala argui nouerunt. Et eandem iustitiarij quoque hypocritæ subterfugiunt, vt quæ ingenitam nobis corruptionem manifestat, & omnem humanæ iustitiæ fiduciam euertit. Quare fieri non potest, quin hostes vndique insurgant. Id verò tum institutioni tum consolationi nostræ seruit. Excitat enim nos vt ad certamen præparemur, nec ocium ignauum nobis promittamus. Deinde inuictam & diuinam planè docet esse euangelij potentiam, quæ tot seculis mundi & principis huius conatibus resistere potuit. Nam si alias religiones, quotquot vnquam in mundo fuêre, omnes inspicias, sua spontè illas corruisse adeoq; in ventum abijsse videbis, licet illas nemo armata manu oppugnauerit. At Christiana religio, quæ ex euangelio hauritur, cum omnibus seculis hostes habuerit acerrimos, qui illam ferro simul & igne persecuti sunt, durat tamen in hunc vsque diem, & in nouissimum vsque diem durabit, quo Christus ad iudicium venturus est, vt suorum afflictiones æterno gaudio compenset, hostibus verò dignas sceleribus suis pœnas retribuat. Neminem ergo vel contradicentium contumacia, vel persecutorum rabies offendat. Viuit enim & regnat ecclesiæ sponsus, Iesus Christus: cui illam ex hostium manibus asserere facillimum fuerit. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Iudæi de Pauli innocentia testantur.

Iudæi euangelium audire cupiunt.

HOMILIA CLXXIIII.

Cùm autem constituissent illi diem, uenerunt ad eum in hospitium complures, quibus exponebat testificans regnum dei, suadensq; eis de Iesu ex Lege Mosis & Prophetis, à mane usq; ad uesperam. Et quidam credebant his quæ dicebantur, quidam uerò non credebant. Cumq; inter se essent discordes, discesserunt, postquàm dixisset Paulus uerbum unum: Bene spiritus sanctus locutus est per Isaiam Prophetam ad patres nostros, dicens: Vade ad populum istum, & dic: Auribus audietis, & non intelligetis: & uidentes uidebitis, & non perspicietis. Incrassatũ est enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos compresserunt, ne quando uideant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & cõuertantur, & sanem eos. Notum ergo sit hoc uobis, quòd Gentibus missum est hoc salutare dei, & ipsi audient. Cùm hæc dixisset, exierũt ab eo Iudæi, multã habentes inter se disceptationẽ.

QVamuis ministri Iesu Christi & euangelij præcones varijs persecutionibus exerceantur, & interdum carceres & uincula sustineant, tamen dei verbum vinciri siue concludi non potest, eo quod spiritus Christi vbi voluerit spirat, nec hominũ arbitrio & libidini subijcitur. Imò vt Christi morte latius propagari cœpit euangelij doctrina, sicuti ille fore prædixerat: ita ministrorum quoque afflictionibus & supplicijs augescit. Exemplum huius rei euidens in Pauli historia proponitur. Nam licet ille antehac euangelium longè lateq́ prædicarit per orbem, maius tamen ostium illi capto & catenato apertum fuit: quando in vrbe Romana, ceu in frequentißimo totius mundi theatro, liberè omnibus prædicare potest, & eo quidem successu, vt in Cæsaris quoque familiam doctrina hæc penetret, quemadmodum ex salutationibus ad Philippeñ. scriptis conijcere licet. Phil. 4 Mira profectò & stupore digna res, in qua Christi prouidentiam & potentiam agnoscere licet, nisi quis in ipsa luce cæcutire velit. Porrò, qua ratione istud factum sit, Lucas cõmemorat, & quidem ex multis concionibus unam deligit, ex qua alias omnes iudicemus. Nobis verò de singulis circumstantijs ordine dicendum erit.

In hospitio concionatur Paulus.

Primò locum & tempus notat Euangelista, quando illos constituto die in hospitium Pauli conuenisse dicit. Nondum enim illo seculo templa habere licebat Christianis: nec si habuissent, Paulo liberum fuisset in illis docere, cum captiuus detineretur. Quare vt alibi in priuatis ædibus apostoli prædicarunt, ita hîc quoq; in domo conductitia cœtus sacros cogit. VNDE colligimus, dei cultũ & doctrinam non ita debere locis certis alligari, quasi illi ad salutem aliquid momenti conferant. Constat enim, dei verbum ex semetipso authoritatem habere. Preces verò vbique locorum exaudit deus, modò ex fide oremus & manus puras ad illum attollamus. Quare si ita necessitas vrgeat, non est quòd de loco aut tempore soliciti simus. Cæterum, ubi pace fruimur & magistratus Christianus regnat, ordini studendum erit, qui & locum & tempus certum requirit. Minimè ergo Anabaptistarum furiosis clamoribus primitiuæ ecclesiæ exempla patrocinantur, quando olim necessitas in cœtibus sacris cogendis multa secus facere coegit.

Argumenum concionis Paulinæ.

Secundò argumentum concionis Paulinæ unà cum modo seu ratione docendi, qua ille usus est, exprimitur. Nam regnum dei exposuit, testificans simul & suadens de Iesu Christo. At sub regno dei euangelium intelligi, iam sæpe diximus. De hoc autem commodè dicere non potuit Paulus, nisi simul Iudæorum errores confutaret, qui ex prophetijs malè intellectis terrenum Meßiæ regnũ somniabant. Quare docendi erant spirituale esse regnum illud, cuius initium in hoc seculo sit totius hominis regeneratio & uitæ nouitas, finis autem & scopus æterna felicitas, quæ in cœlis nobis præparata est. Quia uerò regni huius authorem Iudæi ignorabant, hunc docuit Christum Iesum esse, cui pro apostoli officio testimonium disertè tulit, simulq́; omnes, ut illum excipiant, hortatus est. Obseruemus autem, euangelij doctrinam regnum dei dici: ab effectu nimirum & fine. Nam & dei regnum siue felicitatem ueram nobis offert, & nos totos deo regendos subijcit, dum rationem & intellectum omnem cogit sub fidei obedientiam. Hic autem officij admonentur quotquot euangelij nomine gloriari solent. Meminerint illo dei regnum prædicari, & proinde curent, ut in ipsis deus regnet, aboleatur autem diaboli regnum, cuius destruendi causa Christum in carnem uenisse scimus. Rursum ministri quoque de uera euangelij prædicandi ratione admonentur, ad quam tria hæc necessaria sunt. Primum exponant huius regni mysteria, ne falsis imaginationibus simplices seducantur. Deinde de Christo Iesu testentur, ut hunc regni & felicitatis ueræ authorem esse omnes intelligant. Tandem uerò suadendo & hortando instent, ne oblatam in Christo salutem homines aspernentur.

Fons doctrinæ apostolicæ.

Tertiò fons doctrinæ huius indicatur. Nam ex lege Mosis & prophetis de Christo Paulus disseruit, in hoc nimirum impleta esse probans, quæcunq; illi de promisso humani generis saluatore prædixerunt. Ita uerò ipsius Christi exemplum secutus est, qui eorundem testimonijs frequenter uti consueuit. Docet locus hic, in ecclesia non hominũ figmenta, sed dei uerbũ, quod scripturis sacris comprehensum est, prædicari debere. Quia enim dei domus est ecclesia, aliam quàm patrisfamiliâs uocem in illa audiri nefas fuerit. Quæ causa est, quòd huic præcepto omnes tum prophetæ tum apostoli astringuntur, sicuti aliâs monuimus. Quare haud leuiter peccant, qui uel ipsi aliam doctrinam tradunt, uel aliam audiunt & sequuntur, quando hæc demũ uera ecclesiæ nota est, quòd solius sponsi

sui

ſi pater delectatur. Vide Pſal.45. Iohan.10. Præterea veteris & noui Teſtamenti conſenſum obſeruemus, ne illud (vt fanatici quidam) nihil ad nos pertinere dicamus: quando vtrinque unum & eundem Chriſtum, unam & eandem ſalutis rationem tradi conſtat, nec quicquam in nouo impletum & exhibitum eſſe doceatur, quàm quod in veteri promiſſum eſſe ſcimus. Vnde ſimul conſtat, fidem in Chriſtum omnium vetuſtiſſimam, adeoq; vnicam eſſe, per quam electi omnes ab ipſa mundi origine ſaluati ſint. Quia tamen de his ſæpe aliàs diximus, hæc in præſenti breuius ceu digito notaſſe ſufficiat.

Quartò quàm diu Paulus prædicarit, Lucas docet. A matutinno nimirum tempore ad veſperam vſque. Vnde conijcere poſſumus, inter ipſos diſputatum quoque fuiſſe, & illorum argumentis Paulum reſpondiſſe. Nec enim veriſimile eſt, eos qui Chriſtum adhuc prorſus ignorabant, tanta patientia Paulum audire potuiſſe, vt non aliquando dicentem ſuis obiectionibus interrumperent. Interim ardens cùm Pauli tum auditorum ipſius ſtudium exprimitur, cuius ſimile exemplum ſupra cap. vigeſimo habuimus. Arguitur his noſtri ſeculi ignauia, qua & miniſtri aliquot verbi & auditores laborare ſolent, quibus nimium videtur omne ſtudium, quod ſacris concionibus impenditur. Sed orietur aliquando fames illa verbi, de qua apud prophetam legimus, &c. Amoz ſeptimo capite. Paulus toto die docet.

Quintò concionis tam ſeriæ tamq; diligentis effectus deſcribitur. Alij enim credunt, alij minus. Inde grauis inter illos diſceptatio exoritur. Videmus hîc, quæ nam in mundo hoc euangelij ſors ſit. Quia enim Chriſtus in ſignum poſitus eſt, cui contradicitur, fieri nequit, vt vnanimi conſenſu euangelium ipſius homines recipiant. Neminem ergo credentium paucitas & diſceptationum vberrima ſeges hodie offendant, quando olim pauciſſimos crediſiſſe audimus, cùm ipſe dei filius, & apoſtoli illius prædicarent. Hoc ipſum miniſtros quoq; conſoletur, quando ſe prædicando parum aut nihil profuiſſe vident. Tunc enim illud Chriſti in animum reuocent: Si ſermonem meum ſeruauerunt, & ueſtrum ſeruabunt, &c. Iohan.15. Concionis Paulinæ effectus.

Cæterum Paulus illorum contumaciam ſeueriter admodum arguit, & horrendum dei iudicium illis denunciat. Ita enim cum illis agendum eſſe, apud quos blanda & ſalutari euangelij prædicatione nihil proficitur, Chriſtus ſuo exemplo docet, qui non rarò atroces minas & horrendum illud Væ pharisæorum & ſcribarum auribus intonat, Paulus autem, ne quid carnis affectui dare videatur, propheticum oraculum ex Iſa.6.cap. allegat, vt oſtendat non nouam eſſe contumaciam illam, qua euangelio reluctentur. Tales olim quoque ipſorum patres fuiſſe, & tales ipſos fore reuelato Chriſti regno deum olim prædixiſſe. Ita verò infirmis in fide medetur, quos contradicentium multitudo & authoritas offendere poterat. Et ſimul hos quoque perterrefacit, quando pœnam illis iam olim à deo conſtitutam eſſe docet. Eſt autem memorabilis omnino hic Iſaiæ locus, quo non alius frequentius in nouo Teſtamento citatur. Meminerunt enim huius euangeliſtæ omnes, nimirum Matthei 13. Marc.4. Luc.8. & Iohan.12.cap. Et Paulus eundem ad Romanos cap.10. repetit. Quare non ſuperu...canea nobis videri debet illius conſyderatio. Tria enim complectitur, ad nos quoque non parum pertinentia. Paulus Iudæorum contumaciam arguit. ISA. VI.

Primò Iudæorum peccatum deſcribitur, quòd nimirum ſcientes & volentes cæcutiant, & agnitam veritatis lucem aſpernentur: ijs ſimiles, qui cum oculis & auribus integris vtantur, ſe tamen cæcos & ſurdos eſſe ſimulant. Et tales quidem illos fuiſſe, euangelica hiſtoria non vno in loco docet. Vtinam verò ſoli illi tales olim fuiſſent, & non hodie etiam paſſim horum ſimiles inuenirentur, qui cum conſcientiæ teſtimonio conuincantur, adhuc tamen ſe fidei myſterium capere non poſſe ſimulant. Interim verbi dei perſpicuitas hîc elucet, quæ tanta eſt, vt illa hominum oculos & aures potenter feriat. Nec enim obſcurum eſſe poteſt Verbum, quod nobis lucernæ inſtar deus proponit. Pſalmo 119. Obſcuritas ergo omnis ex hominibus, adeoq; craſſa & voluntaria eſt, vt ſequentia docent. I. Iudæorum incredulitas uoluntaria.

Secundò enim cauſam huius mali propheta deſcribit, Cor videlicet incraſſatum. Ita verò dicitur animus, quem affectus praui indurauerunt, ita vt nullis vel monitionibus vel adhortationibus flecti poſſit. Explicatur hoc omne à Chriſto per nuptiarum & inuitatorum parabolam. In qua alij vxorem duxerunt, alij boues, alij villas emerunt, & iſtis rebus occupati nuptias adire detrectant. II. Incredulitatis cauſa.

Intelliguntur autem illi homines, qui carni & terræ addicti, cælestia sponte fastidiunt & negligunt. Quales Iudæorum proceres fuisse constat, qui maiorem sui honoris & quæstus, quàm Christi & regni cælorum rationem habuerũt. Et hodie vix alia contempti euangelij causa indicari potest, quàm quòd vel opibus congerendis vel carnis voluptatibus ita paßim studetur, vt Christo potius carere velint homines, quàm hæc sua studia deserere. Ita verò inexcusabiles esse constat omnes eos, qui in sua incredulitate pereunt. Venit enim lux in mundum, sed homines magis dilexerunt tenebras, &c. Iohan.3. cap. Et Paulus tempus fore prædicit, quando veritatis doctrinam homines non ferant, sed cateruatim sibijpsis doctores falsos coaceruent, qui suis affectibus conuenientia loquantur. Id verò iam seculis aliquot iuxta literam quoque impletum fuisse constat, & hodie ita impletur, ut non paucos inuenire liceat, qui euangelio quidem veram de fide & religione doctrinam tradi confitentur, Papisticam tamen religionem præferendam esse dicunt, eò quòd & carni magis arrideat, & mundo acceptior sit. Vt interim de illis nihil dicamus, qui publicè, et magnis quidem clamoribus, se meliora & saniora docentes nec audire nec ferre velle, testantur.

III. Incredulitatis pœna.

Cæterum ijsdem pœnam, quam merentur, propheta denuntiat, quæ multiplex simul & horribilis est. Primò enim ipsi non conuertuntur, vt sanari poßint. Omnis ergo salutis spes ipsis denegatur. Quia enim non alia vspiam inuenitur salutis ratio, quàm vt ad deum conuersi, cum illo in gratiam redeamus, fieri non potest, quin à salute in vniuersum excidant, quotquot dei verbum, quo ad conuersionem hanc salutarem inuitantur, & quo eiusdem vera ratio traditur, malignè fastidiunt. Quare in peccatis suis pereant necesse est, sicuti Christus Iudæorum sacerdotibus minatur. Iohan.8. Deinde salutare illud dei ad alios transfertur. Id verò frequenter Iudæis interminatur deus, ut illorum duram confidentiam molliret. Quia enim semel à deo adoptati & illius peculium facti erant, impoßibile fore putabant, vt à sua dignitate exciderent: imò dei regnum collapsurum sibijpsis persuaserant, si ipsi à deo repudiarentur. Paulus ergo vanißimam esse docet hanc illorum fiduciam: eò quòd deo facile sit, regnum suum, omnibus suis partibus integrum, ad gentes transferre. Nec id ex semetipso pronuntiat, sed ad dei oracula respicit, quibus hoc euenturum esse, olim prædictum fuerat. Huc enim pertinent, quæ Deuteron.32. leguntur: Ipsi me prouocauerunt ad indignationem in eo, qui non est deus, ad iracundiam me irritarunt vanitatibus suis: & ego ipsos quoque prouocabo in eo, qui non est populus, in gente stulta irritabo eos, &c. Vide etiam quæ in eandem sententiam apud Hoseam dicuntur. Sed & Christus disertè ait: Transferetur à vobis regnum dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Matth. 21. Id verò qua ratione factum sit, totus libri huius contextus abundè docuit, & Paulus ad Romanos Cap.10. & 11. fusius declarat. At ne quis in hoc gradu dei iudicium subsistere existimet, insuper obseruandum est, horribile vrbis simul & totius gentis excidium secutum fuisse, sicuti Christus minatus erat, vt primùm euangelij doctrina ab illis ad gentes translata fuit. Sunt autem hæc diligenti & iugi obseruatione dignißima, vt ex ijs colligamus, quid nobis sperandum sit, si Iudæos imitati, deo ingrati simus, & euangelij doctrinæ improbè reluctemur. Constat enim sibijpsi deus in iudicijs suis, & gentem similia facientem simili iudicio punire consueuit. Ieremiæ quinto cap. Nec est, quòd nobis repulsis euangelium & Christi regnum collapsurum putemus, qua persuasione Iudæos seductos fuisse, modò diximus. Potest enim deus ex lapidibus Abrahami filios facere, & non paucæ coniecturæ sunt, quæ iuxta Lactantij sententiam, **Lib.7.cap.15.** *Imperium in Orientem breui reuersurum, & Occidentem denuò seruiturum portendunt. Quod si fiat, Christi regnum inter Turcas & fortaßis Iudæos quoque magnis incrementis exurgere videbimus. De quo Paulus ad Romanos capite vndecimo quædam non omnino obscurè vaticinari videtur.*

Iudæorum de euangelij doctrina contentio.

Sed ad Pauli auditores redeamus, quos Lucas exiuisse scribit magna inter illos oborta contentione, dum alij veritatis doctrinæ reluctari pergunt, alij verò eidem patrocinari student. Et hic quidem illud Christi impletur, qui se gladium & separationem immittere dicit, qua fiat, vt qui antea coniunctißimi erant, acerrimis contentionibus inter sese committantur. Nemo tamen hoc euangelij culpa fieri existimet: quando hunc illius finem esse constat, vt omnes nos in Christo vniat & coniungat. Impiorum ergo siue reproborum improbitate omne illud contingit. Quorum proprium est, vt quò propius & fortius dei verbo vrgentur, eò magis insaniant, sicuti Caini, Pharaonis

Achabi, Zedechiæ & aliorum exempla testantur. At quia iisdem pij cedere non possunt, qui dignioriam sibi contra quosuis defendendam esse nouerunt, inde contentionum ignis in immensum excrescit. Sed quoad præsentem locum, facilè patet non omnino nihil apud illos profecisse Paulum, quando non defuerunt, qui sese palàm impijs opponerent. Nec enim vnquam frustra aut in cassum prædicatur dei verbum, cùm illud per se frugiferum sit, & vbique locorum suos Christus habeat, qui vocem ipsius agnoscunt & sequuntur. Interim officij nostri admonemur, vt qui pij & fideles censeri volumus, veritatis causam constanter aduersus quosuis defendamus. Ardentes enim & zelo flagrantes cultores deus requirit, non tepidos & ignauos, quamuis ad impietatem conniuere, & quamuis impiorum scommata patientibus animis & auribus ferre possint. Quales hodie multos passim inuenire licet, qui etiam hoc nomine sibijpsis primam sapientiæ & modestiæ laudem vendicant. Sed reuera stupidi sunt & omni pietatis sensu vacui, qui blasphemijs non exacerbantur: stulti item, qui mundi amicitiam tanti faciunt, vt Christo pietatis officium denegent. Quin ergo ad salutarem illam pugnam & disceptationem nos præparamus, quæ pijs omnibus in hoc mundo sustinenda est. Nec est, quòd mundi potentia terreamur, quando ei nos militare scimus, qui contradicentes aliquando ferreo sceptro comminuet: qui est dei filius, dominus & saluator noster, Iesus Christus: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CLXXV.

Mansit autem Paulus biennio toto in suo conducto, & suscipiebat omnes qui ingrediebantur ad ipsum, prædicans regnum dei, ac docens quæ sunt de domino Iesu cum omni fiducia, nemine prohibente.

Dominus & saluator noster Iesus Christus frequenter discipulos suos hoc argumento cosolatur, quòd illos nequaquam relinquere velit orphanos, sed illis præsens adesse usq; ad consummationem seculi. Quarum promissionum veritas tum ubique aliàs, tum maximè in aduersis elucet. Tum enim ita suis Christus adest, ut illos non modo potenter & fideliter tueatur, verumetiam omnia ea, quæ ipsis tristia & aduersa uideri poterant, ad illorum salutem et gloriam suam dirigat. Qua in re nobis multorum testimoniorum instar esse potest Pauli captiuitas. Quæ initiò quidem euangelij cursum omninò impeditura uidebatur, sed ita illam moderatur dominus, ut per hanc euangelij doctrina magis propagata quàm impedita sit. Ea enim occasione factum est, ut & Romani Præsides & milites euangelium audirent, tandemq; illius prædicatio Romam, imò ipsum Prætorium & Cesaris aulam repleret. At quia de his antea dictum est, alia quæ nobis in historia hac consyderanda restant, breuiter percurremus.

Paulus toto biennio captiuus.

Primò tempus captiuitatis Pauli exprimit euangelista, & illum toto biennio in suo illo hospitio, quod suis impensis conduxerat, mansisse ait, nimirum milite illo stipatus, cuius antea mentio facta est. Atqui prius quoq; sub Felice totum biennium in uinculis egit. Et uerisimile est aliquot menses elapsos fuisse intra Felicis è prouincia discessum & Pauli profectionem, qua Romam peruenit. Adhæc nauigationi quoque & tempori in Melita exacto menses ad minimum quatuor tribuendi erunt. In quintum ergo annum usq; Pauli captiuitas extenditur. In qua hoc unum commodi habuit, quòd non in carcerem detrusus fuit, sed in libera custodia egit, ut prædicandi occasionem haberet. Hic uerò obseruanda est sanctorum sors, quam in hoc mundo sustinent, dum soli ferè pro sceleratissimis habentur, quos aut libertate aut uita frui nefas sit. Quàm multos enim interea temporis nefarios & sceleribus infames sub Nerone, tyranno libidinosissimo, impunè grassatos fuisse putabimus? At solus Paulus, ceu publica quædam mundi totius pestis, in uinculis asseruatur. Eandem sortem olim prophetæ, & post hos Iobannes Baptista, tandemq; ipse dei filius sustinuerũt, quem cum latronibus ductum & Barrabæ latroni nocentiorem habitum fuisse, constat. Quorum omnium usus est, ne similibus hodie offendamur. Nec enim par est, ut discipulorum & seruorum sors præstantior & melior sit, quàm præceptoris & domini fuerit. Adhæc cum Christo etiam regnaturos in cœlis scimus eos, qui in hoc seculo afflictionum ipsius consortes fiunt. Vide 2. Tim. 2. Simul uerò immensa

dei bonitas apparet, qui Paulum tanto tempore in libera custodia seruarit, nimirum propter electos suos, quibus ea occasione euăgelium suum reuelari uoluit. Id enim tum aliorum fidelium, tum ipsius Pauli spem longè superauit, quando sub Neronis imperio libidine & inaudita crudelitate infami, tale quid nemo sperare potuit. Hinc ergo consolationem petant quotquot in dei uocatione ambulant. Quoad enim deo usui erimus, & ita nostræ salutis ratio postulat, deus nos inter hostes truculentissimos facilè tuebitur, qui & Noah inter diluuij omnia inundantis fluctus, & Ionam in immani balenæ aluo delitescentem seruare potuit. Idem uerò, ubi sic tempus postularit, omnibus malis exemptos in æternum filij sui regnum transferet.

Paulus in uinculis prædicat & scribit.

Porrò quid hoc biennij tempore Paulus fecerit, uideamus. Suscipiebat (inquit) omnes, qui ingrediebantur ad ipsum, prædicans regnum dei, ac docens quæ sunt de domino Iesu cum omni fiducia, nemine prohibente. Idem ergo in uinculis fecit, quod antea solutus & liber fecerat, eò quòd se non minus quàm antea Christi Iesu apostolum & seruum esse intelligeret. Nec tamen docuit modò, uerum etiam epistolis scriptis & hinc inde missis ecclesias tum instituit tum consolatus est: adeò us si nostra tempora spectes, plus utilitatis & cŏmodi ad nos ex Pauli uinculis redijsse fatebimur, quàm ex eius cum dictis cum factis, quando liberè orbem terrarum peruagatus est. Illis enim debemus preclaras illas & spiritu dictante scriptas epistolas ad Ephesios, Philippenses, Colossenses, Hebræos, Philemonem & alteram ad Timotheum, quas ceu preciosissima clenodia in hunc usq; diem ecclesia custodiuit. Atqui multa Paulum absterrere poterant, quò minus uel scriberet uel doceret. Huius enim doctrinæ causa in uincula coniectus fuerat. Solus etiam erat, qui in causa hac Romæ laborabat. Primo item congressu Iudæos sui similes, id est, contumaces & renitentes, expertus erat. Adhæc aliquam animi parum quieti speciem referre uidebatur indefessum illud ad exteros scribendi studium. Nec multum à seditionis crimine aberat, in ea fide & religione homines & instituere & confirmare, quam iam antea publico Senatus decreto damnatam fuisse, alibi diximus. Præterea periculum erat, ne illi tandem libertas hæc arctioribus uinculis constricto & in carcerem aliquem detruso eriperetur. Nec adeò stupidum fuisse putabimus, ut ista uidere & cogitare non potuerit. Sed non potest istis rationibus ab officio dimoueri, qui se uitam ipsam Christo debere nouerat. Estq; hoc memorabile omnino exemplum, quo quid deo debeamus admonemur, si quando ab illo nos inter media pericula iuuari & protegi sentimus. Tunc enim nullis uel præteritis uel præsentibus aut etiam futuris periculis terreri, sed potius maiori zelo inflammari debemus, ut dei gloriam fortius asserendo illi dignam gratiam rependamus. Inepta ergo est & peruersa planè carnalis prudĕtiæ ratio, quă hodie pleriq; secuti, nobis propter hostes & undiq; imminentia pericula silendum esse existimant. Quasi uerò in hostium arbitrio situm sit, euangelij cursum impedire aut promouere. Quin eò fortius nos dei causam agere conuenit, quando illius fidem & potentiam inter media pericula luculĕter omnino experimur. Cæterum quoad Pauli doctrinam, tria Lucas dicit, quæ minimè à nobis præteriri debent. Primum est, quid prædicarit. Nimirum regnum dei, de quo non semel antea dictum est. Hic uerò per expositionem additur: Docens ea, quæ sunt de domino Iesu. Vnde colligimus tum demum prædicari regnŭ dei, quando Christus prædicatur. Nec enim alia ad illud perueniendi uia est, quàm quæ in Christo Iesu unanimi totius scripturæ consensu monstratur. Vnus enim ille est, qui diaboli regnum & illius opera destruxit. Vnus ille inter deŭ & nos mediator est. 1. Tim. 2. Vnus ille deleto, quod aduersus nos erat, peccati chirographo, patrem nobis placauit. Colos. 2. Matth. 3. & 17. Non temerè ergo clamat: Nemo uenit ad patrem nisi per me, &c. Iohan. 14. Quæ sola omnibus alijs religionibus arguendis sufficiunt, quibus extra Christum dei regnum aut salutis ratio monstratur.

1. Paulus regnum dei prædicat.

2. Paulus ingenuè prædicat.

Secundò, quomodo prædicarit Paulus indicatur. Cum omni fiducia. Id est, liberè et ingenuè, sic ut in hominum gratiă nihil uel simulauerit uel dissimulauerit. Nec enim illum euăgelij Iesu Christi puduit, ut alibi testatur, nec mundi & principis huius tyrannidem timuit, qui iam longo & diuturno usu cum illa luctari didicerat. Et sanè eiusmodi ministros Christus requirit, qui ingenuè illius negotium agant, nec aliquid uel mundo uel carnis sapientiæ tribuant, quæ sub plausibili modestia prætextu ignauam ueritatis dissimulationem & ueræ fidei abnegationem introducit. Tertiò successus quoq; notatur, quo inter prædicandum Paulus usus est. Quem felicissimum fuisse, uno hoc argumento abundè patet, quòd nemo fuit qui docentem probiberet. Id uero inter omnia, quæ in Paulo deus edidit,

3. Pauli successus.

uilla miracula mihi omnium maximum esse uidetur. Hactenus enim quòcunq; terrarum uenit, illic hostes reperit, qui uel occultis insidijs uel etiam aperta ui & seditionibus illi negotiũ facerent, & docere uolentem impedirent, tandemq; urbibus eijcerent. At ubi Romam captiuus ducitur, & illic ex uinculis docet, ubi Nero, prodigium hominis, imperabat, ubi & Christiana & Iudaica religio inuisa & exosa habebatur, ubi uel inani deorum superstitione uel Epicuræo omnis religionis contemptu omnes dementati erant, ubi deniq; regni sui sedem primariam diabolus tenere uidebatur, toto biennio liberè & nemine probibente Christum prædicat. Cuius rei non aliam causam afferre possumus, quàm quòd deus potenti manu omnium animos frænare uoluit, ut licet non omnes euangelij doctrinæ cederent, illam tamen oppugnare non auderent. Ita uerò in urbe rerum domina per Christi crucifixi prædicationem apostolus captiuus triumphat, multò plures sub Christi obedientiam trahens, quàm ullus Imperatorum olim subiugauerit. Simile quid olim accidisse legimus, quando in Babylonem captiuus abductus Daniel, ueram religionem constanter simul & feliciter asserit, & quantumuis reluctantibus regni proceribus, primò quidem Nabuchodonozorem, deinde uerò Darium quoq; aliqua ueri dei cognitione illustrat, ijsq; author est, ut illius cultum & gloriam publicis edictis per omnes regni sui terminos longè lateq; propagent. Quò & illud referri meretur, quòd Romanis Imperatoribus incredibili immanitate contra Christi nomen & ecclesiam grassantibus, tamen in eorundem aulis, adeoq; inter summos proceres inuenti sint non raro, qui & Christianis egregiè fauerent, & religioni ueræ palàm patrocinarentur: quorum aliqui postea sublatis Christi hostibus in summum imperij fastigium euecti sunt, ut in Iouiniani & Valentiniani Impp. rebus gestis est uidere. Ita ubi minimè speres, potentiam suam Christus exerit, nec illi difficile est hominum uoluntates frænare, qui insano mari limitem cõstituit, ad quem fluctus suos tumentes deponat. Iob 38. Ierem. 5. Huius ergo præsens auxilium sperent, quicunq; in illo fortes sunt, nec unquam spe sua fallentur.

Quid autem euoluto biennij tempore Paulus egerit, Lucas non commemorat, hic nimirum ex spiritus sancti suggestione historiam suam finiens, qui ecclesiam pluribus scriptis & nimia librorum mole grauari noluit, sed ea duntaxat tradidit quæ ad fidei & uitæ institutionem sufficiunt. Attamen ex ipsius Pauli epistolis coniecturæ aliquot colligi possunt, quibus quid postea fecerit, docetur. Nam se causam coram Cæsare dixisse, & dei beneficio liberatum fuisse, cum se iam immolandum putaret, in posteriori ad Timoth. 4. disertè testatur. Ad Philippen. uerò scribens, inter alia inquit: Timotheum spero me missurum ad uos, mox ubi uidero mea negotia. Confido autẽ in domino, quòd & ipse breui uenturus sim. Phil. 2. Et Philemoni Colossensi scribit: Simul etiam præpara mihi hospitium. Spero enim, quòd auxilio precum uestrarum donabor uobis. Rursum ad Hebræos cap. 13. ait: Orate pro nobis, & magis quidem ut hoc faciatis oro, quò celerius restituar uobis. Sciatis fratrem uestrum Timotheum solutum esse: cum quo (si celerius uenerit) uisam uos. Interim priusquam Romam captiuus duceretur, illi Hispanias adire animus fuit, quemadmodum epistola ad Roman. cap. 15. testatur. Ex quibus non omnino præter causam nonnulli colligunt, illum uinculis solutũ per Græciam & Asiam minorem in Syriam redijsse, & salutatis Orientalibus ecclesijs, per Italiam & Gallias in Hispaniam usq; contendisse. Ita uerò iuxta horum sententiam annis ferè decẽ, postquam dimissus fuit, euangelium prædicauit, tandem ultimo Neronis anno Romam retractus, & capite truncatus, martyrij coronam recepit, cum annis continuis triginta septem Christum maximæ orbis parti prædicasset. At quia in his minimè consistit salutis ratio, cum nemine pertinacius contendere uolim. Nec mihi de religione & fide Christiana multum mereri uidentur, qui in ijs inuestigandis laborant, quæ sacræ literæ silentio præterire uoluerunt. Ita enim & hæ negligentius tractantur, & superstitiosis occasio datur, ut circa incerta & inutilia occupati, apostolorum doctrinam negligant, & fabulis dementati circa fidem quoq; & salutis rationem grauiter impingant. Et sanè ut olim Mosis sepulchrum deus latere uoluit, & de prophetarum martyrijs pauca in ueteri Testamento spiritus sanctus memoriæ prodidit: ita in præsenti quoq; opere Lucas duorum tantummodo exitum, Stephani nimirum & Iacobi apostoli, descripsit, de reliquis hoc dixisse contentus, quòd per omnis generis aduersa Christum constantissimè prædicarint & confessi sint: ita nimirum doctrinæ apostolicæ studium nobis commendare uolens, quod apostolorum imitatores simul & eorundem consortes in cœ-

Quid euoluto biennio factũ.

lestis patriæ hæreditate facere consueuit. Quare in præsenti quoq; ardens illud & indefessum Pauli studium in Christi gloria propaganda cumprimis obseruandum simul & imitandum erit. Nec est, quòd eiusdem exitu offendamur. Ita enim Christus suos cultores sibi in hoc seculo conformes reddit, ut eosdem cœlestis suæ gloriæ & regni olim consortes habeat.

HACTENVS *uerò librum hunc pro gratia nobis concessa exposuimus. Vidimus in eo ueteris ecclesiæ formam, fidem atq; doctrinam, quæ nobis etiam hodie retinenda erit, siquidem Christi ecclesia censeri uolumus. Nec enim eos audire conuenit, qui multa ad religionem & salutis rationem necessariò requiri clamant, quibus primitiua illa Ecclesia caruerit. Quorum num temeritatem siue impudentiam magis admireris, nescio. Ita enim & apostolos uel negligentiæ uel perfidiæ accusant, & ijs sese præferre non uerentur, quorum exemplum omnibus ijs imitandum spiritus sanctus proposuit, quicunq; ecclesiæ Christi membra fieri, & salutem in ipso consequi uolunt. Quis uerò illos, qui totis uiginti octo annis in fide & religione ab apostolis tradita perseuerarunt, aliquibus caruisse putet, sine quibus salus obtineri non possit. Quòd si uerò illi sine ijs, quæ postea audaculi quidam & superstitiosi introduxerunt, saluati sunt, quis nobis illorum uestigia sectantibus salutem negare audeat? Nemo opinor, nisi quis Manichæorum furoribus agitatus totum hunc librum falsi accusare uelit. Vidimus quoq; ecclesiæ in hoc mundo conditionem, quæ indesinentibus aduersis uexatur, dum illi & aperti hostes & falsi fratres negotium faciunt. Vidimus indignam ministrorum Christi sortem, & quàm malam gratiam illis mundus referat. Simul uerò potentem Christi Iesu manum uidimus, qua ecclesiam suam inter medios persecutionum fluctus fideliter tuetur, & per suorum crucem de mundo hoc & illius principe gloriosissimè triumphat. His ergo ad fidei nostræ institutionem & confirmationem sedulò utamur, ut iuxta apostolorum & ueteris ecclesiæ exemplum in fide fortes, & omnibus periculis superiores facti, destinatam nobis ab æterno cœlestis regni hæreditatem adire possimus cum Christo Iesu, Rege & Sacerdote nostro: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.*

FINIS.

DIVI HIERONYMI DE Actis Apostolorum iudicium.

Actus Apostolorum nudam quidem uidentur sonare historiam, & nascentis Ecclesiæ infantiam texere: sed si nouerimus scriptorem eorum Lucam esse medicum, cuius laus est in euangelio, animaduertemus pariter, omnia uerba illius, animæ lãguentis esse medicinam.